This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

http://books.google.com



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Mason.
C. 161.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA PARAGUAJENSIS

PETRI FRANCISCI-XAVERII
DE CHARLEVOIX,

EX GALLICO LATINA,

CUM ANIMADVERSIONIBUS ET

SUPPLEMENTO.



VENETIIS,

MDCCLXXIX.

APUD FRANCISCUM SANSONI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA PARAGUAJENSIS

PETRI FRANCISCI-XAVERII

DE CHARLEVOIX,

EX GALLICO LATINA,

CUM ANIMADVERSIONIBUS ET

SUPPLEMENTO.



VENETIIS,

MDCCLXXIX.

APUD FRANCISCUM SANSONI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google



Digitized by Google

MONITUM EDITORIS.



Quod Charlevoixius meditabatur, nec potuit ſenio & valetudine affectus exequi, hac Editione fit. Miſerat ille in Paraguariam Hiſtoriæ ſuæ primum editæ exemplar, ut lapſus de longinquis ſcribenti faciles notarentur, in ſecutura Editione corrigendi. At emendatio novis imparem lucubrationibus invenit. Eam in præſentia damus, præter linguam ſervatis quæ Galli authoris ſunt. Additur narratio cum documentis rerum poſtquam ſtylum depoſuit in Paraguaria geſtarum, ab anno ſcilicet 1750. ad 1767. In his expeditiones ſacræ delibantur, ad indigenarum converſionem inſtitutæ apud Chiquitos & Chacoenſes, novæ mercatorum circuitiones, Hiſtoriæ Naturalis arcana, parcius tamen quam velis; acies tandem cum adverſus rebellantes Guaranios, tum contra Luſitanorum colonias, imperatore D. Petro Cevallos. Omittuntur vero quæ poſteriora ſunt herois hujus acta ad S. Catharinæ, & ad Coloniam ſecundo expugnatam, æquatamque ſolo: in quibus quanto clariora ſunt, minus eſt quod narres, cum rei ſumma ne unius quidem ſanguine ſteterit. Omittitur etiam Fœdus anno 1777. confirmatum, priori ſimile, niſi quod linea ducitur extra Miſſionum pagos. Vale.

AUTHORIS PROTESTATIO.

INhærendo Catholicus Verſionis Author Summorum Pontificum Decretis, ea quæ de virtutibus, ſanctitate & martyrio quorumdam Virorum hic profert, judicio Sanctæ Sedis ſubjecta eſſe vult, eiſque præter humanam, nullam aliam eſſe fidem adhibendam profitetur, niſi aliter a dicta Sancta Sede impoſterum jubeatur, cujus præceptis ſtare nunquam abnuerit.

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI
dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di reviſione, ed Approvazione del *P. F. Gio: Tommaſo Maſcheroni:* Inquiſitor General del Santo Offizio di Venezia, nel Libro intitolato *Hiſtoria Paraguajenſis, Petri Franciſci-Xaverii de Charlevoix, ex Gallico Latina, cum animadverſionibus, & ſupplemento. MS.* non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Franceſco Pitteri* Stampator di Venezia che poſſi eſſere ſtampato, oſservando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 15. Luglio 1778.

(PIERO BARBARIGO RIF.
(FRANCESCO MOROSINI II. CAV. PROC. RIF.
(GIROLAMO GRIMANI RIF.

Regiſtrato in Libro a Carte 380. al n. 1301

Davidde Marcheſini Segr.

Addi 17. Novembre 1778.

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellmo contro la Beſtemmia.

Gio: Pietro Dolfin Segr.

Digitized by Google

HISTORIA PARAGUAJENSIS.

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

De Flumine Paraguai. Cognominis Regionis fines. Generalis incolarum notio. De opulentia & fodinis. De gemmis & ferro. De armento ſilvatico, & feris. Herba Paraguaica. De apibus, goſſypio, & cannabe. De vino, & terræ fructibus. De venenis, & pharmacis. De reptilibus. Crocodili. De chamæleonibus, ſimiis, tatuis, vulpibus. Leones & tigrides. De cervis, apris, capreis. De elanis, ſeu Anta. Aves, piſces, phocæ, ſtruthiones. Prima de Paraguaria notitia: Joannes de Solis occiſus. Luſitanorum adventus & exitus. Gaboti pacta cum Cæſare. Gaboti arx. Flumen ab argento. Hiſpanæ fœminæ caſus. Hiſpanorum Luſitanorumque vices. Novæ claſſis apparatus. Urbs a Bonis-Auris. Bonaerenſium fames & clades. Hiſpanæ fœminæ caſus. Nova ſedes. Moſquera adventus. Joannis de Ajolas iter. Petri de Mendoza interitus. Urbs ab Aſſumptione. Indignum Bonaurenſis Præfecti facinus. Indi vicem rependunt. Arx a Bona-ſpe obſidetur. Ajolæ cædes. Irala præfectus. Indorum conjuratio revelatur. Novus Paraguariæ Prætor. Gadibus ſolvit. Ad Sanctæ Catharinæ ſtatio. Terrâ iter. Prætoris acceſſus.

VIX notus erat Novus Orbis, cum cœpit in dubium revocari, num primam Europæ fefelliſſet ſpem. Subiit deinde de jure belli quæſtio adverſus gentes natura liberas, nec injuria ſubditas principibus ſuis. Jam poſt trium fere ſæculorum experimenta ambiguum ſit, an indigenæ, excepta religione, jacturam fecerint lucro majorem. De quibus ſententiam ego quidem non feram. Sed ex rerum geſtarum narratione lector judicet, an ad firmandas advenarum ſedes, ad collocandos proficue illius cœli theſauros, ad locupletandos bonis ſocialibus Indos, adigendoſque ad habendam pro benefacto gratiam, ratio cum Americanis agendi ſemper aptata ſit. Nota ſunt vulgi de hoc argumento præjudicia: nota de Jeſuitarum Paraguajenſium imperio, atque divitiis opinio, in iis etiam qui ſumma erga Societatem præſtare amant benevolentiæ documenta, ut illius gratia contenderint me conantem ab incœpto dimovere. At tantum favet probationum pondus & copia, ut ex eo in refellendis præjudiciis & opinione potius obfirmatus ſim: nec ingratiis credo. Quid enim ſinceræ veritatis amico gratius veritate affuſis undique tenebris abſoluta? Quin etiam mirandum ſit, tamdiu in re non uſque adeo tenui ceſſatum a dedocendis qui nullo partium ſtudio decepti ſunt. Nec prætereundum, ad hanc concinandam hiſtoriam compulſum me Principis (a) ſuaſionibus, qui ad Religionis, cujus ipſe ſplendidiſſimum uſque ad mortem ornamentum fuit, cauſam intereſſe arbitrabatur.

Viſa eſt aliunde ad inſtruendum & delectandum cum varietate rerum, tum populorum qui in argumento primas obtinent novitate & forma, accommodatiſſima. Populorum inquam ex media ferociſſima barbarie contractorum, quibus idea Platonis, Baconis, & Cl. Authoris Telemachi eſt multis gradibus impar: quorum fundamenta ſolidavit miniſtrorum Evangelii ſudor & ſanguis: qui civilibus & Chriſtianis moribus culti ſeſqui ſæculo admirationi fuerunt ſpectatoribus æquis: quorum inconcuſſa eſt fides ſponte data: quibus obſequia Regi præſtita perſuaſum eſt præſtari Deo, quem unum remuneratorem expectant: qui recens a baptiſmo Apoſtolorum zelo paſtores imitati dum votum minus proſpere cedit, martyrii ſorte contenti ſunt.

Hæc cum ſinceriſſimis teſtimoniis ſint conformia, mirum eſt, ut tantum religionis & reipublicæ decus perennaret, tota Regis Catholici potentia opus fuiſſe, mirum eos quorum pluris erat, nihil non tentaſſe ut abſterritis auctoribus res tota dilaberetur; dilapidatamque non ſemel per homines qui Chriſtiano nomine gloriantur, qui neophitos plus centum mille vel cæſos vel captos oppreſſerunt. Aſt erat divinum opus, & ad manifeſtandam Dei majeſtatem virtutemque accommodatum: quod ut ſubverterent, certum erat aereas poteſtates commovendas. Nam præter moleſtias & pericula in hoc novo apoſtolatus genere imminentia paſſim ab elementis, & a regionibus imperviis belluarum feritate, incolarumque barbarie; quid non patiendum fuit domeſticorum fidei vi & renixu? Calumniis undique terrarum exagitati, ſuis ejecti ſedibus, proditionis & ſcelerum omnium inſimulati vident laborum fructum intercidere operarii; ex caſu ta-

(a) Nempe Ducis Aurelianenſis facto functi 4. Febr. 1752. * De quo videſis Dictionar. Hiſt. Portat. Ed. Neap. 1755. V. Luigi d'Orleans, Tom. 3. pag. 122.

Digitized by Google

tamen novas resumunt vires, & ad reparandas ruinas constantia victrice contendunt animos. Hæc singulatim narrandi se se deinceps dabit occasio. Interea generalis quædam locorum notitia prælibanda est.

Paraguai flumen.

Paraguai nomen est fluminis a lacu (*a*) *Xarajes*, decimo sexto circiter australis latitudinis gradu, minuto trigesimo; longitudinis vero occiduæ, si primus meridianus in Falconariis (*b*), quod ab Hispanis fit, constituatur, trigesimo nascentis, quod inde inter austrum & occasum diu, recta (*c*) postea decurrit ad austrum. Accolarum lingua *Flumen coronatum* sonat, quasi Lacus Xarajesanus pro graminea corona sit. Martinus del Barco Archidiaconus Bonaurensis, cujus extat hispanice poema historicum *Argentina*, altius Paraguaim trahit, quippe lacu transmisso per longum adversis aquis spatium sæpe lustratus est. Quibus addit, e Parimæo lacu oriri in Auraria provincia, vulgo *del Dorado*, pro comperto esse. Parimæum vero non tam fabulosum esse ut vulgo creditur; modernus author arbitratur (*d*): favetque ab altero (*e*) fide quidem ancipiti tradita narratio.

Nempe Hispanus quidam, cui nomen *Joannes Garcia* diu apud Pajaguaas captivus, in natale Assumptionis oppidum ineunte sæculo decimo octavo reduxajebat, dum Pajaguaarum pedisequus procul ultra Xarajes Paraguaim subit, in conspectum montium altissimorum venisse subterfluentibus aquis. Tenebrosum canalem ingressuri resinaceas faces parant, accensasque ad abigendas grandiores quasdam de genere vespertilionum volucres (*Andirá* vocant) incautis infestissimas (*f*), præ manibus gestant. Biduo sic subter navigato monti lata succedit planities in lacum desinens ampliorem, quam ut adversum littus videri possit. Inde notum remeciuntur iter (*g*).

Ut ut res habeat Paraguais Xarajes præterfluens gradu 27. confluit in eumdem alveum cum Parana mole pari, & parallelo (*h*) fere cursu ab orientis solis plaga defluente. Post confluvium altior non latior devolvitur ad austrum usque ad gradum polaris altitudinis trigesimum quartum, quo nova & quidem magna inter septentrionem & ortum Uruguais defert aquarum incrementa. Inde ad orientem declinat usque ad mare, cui circa gradum trigesimum quintum adlabitur sub nomine Fluminis ab Argento, Hispanis *Rio de la Plata*. Eodem nomine passim audit Parana postquam Paraguaim influit: & sic provincia nominabatur, dum totus horum fluminum cursus eidem subesset Prætori.

Usus obtinet, ut Paraguai nomen & fluminibus post Parannæ confluvium intercideri, & ad tetras adjacentes latissime propagetur. Clauditur tota hujus nominis regio Xarajesano lacu (*i*), provinciis Sanctæ Crucis de Monte, atque Chartarum ad boream, Freto Magallanico ad austrum, Brasilia ad orientem, ad occasum Peruvio & Chile. His continentur finibus præter Chacum nondum subjugatum Xarajes, præfectura Sanctæ Crucis & Charchæ cum Tucumania ad occidentem; cursus Paraguai totus & tractus adjacentes, atque Argentaria ad solis ortum; ad meridiem vero terra Magallanica, quo haud ita pridem missiones aliquot & sedes deductæ fuerunt. Pronum ad fidem est, ut in regione tam vasta, undique silvescente, tot fluminibus distincta, & perpetuis altissimorum montium jugis, immodicis qua terra depressior est inundationibus obnoxia; palustri, & subsidentibus aquis aerem inficere nata, atque ut plurimum inculta, magna sit climatum varietas, varii incolarum mores & ingenia. Paraguai fines.

Colore omnes sunt magis minusve fusco, statura multi procera, sed infra mediocrem plures, crassis cruribus, vultu rotundo & resimo. Incedunt ferme nudi, etiam ætate teneri, & fœminæ grandiores quantum pudor finit minime severus. Rarum ornandi se, vel potius fœdandi imo & efferandi gens retinet quæque suum. Aliquando tamen corollas sibi, aliaque ex pulcherrimis versicolorum avium plumis decoramenta conficiunt, & accommodant. Plerique omnes sunt natura stupidi, feroces, inconstantes, perfidi, anthropophagi, voracissimi, ebrioli, improvidi, incauti, etiam cum de vitæ summa res agitur, desides supra modum & incurioli. Præter nonnullas tribus, quibus furorem potius quam audaciam indidit rapto vivendi & ultionis amor, reliquæ fracto & vili sunt animo, quarum libertas ubi locorum inaccessorum naturæ referenda sit. Incolarum notio generalis.

Primis Castellanorum advenis summas in Paraguaria opes recondi persuasum erat, nempe in regione Peruvio contermina plurimas auri argentique fodinas: & post sæculum quam primus evanuerat error, fama iterum sparsa est de Paraguaria metallis hisce prægnante. Id vel ex titulo *Argentina* Martini del Barco operi præfixo conjici potest, quasi continens esset tota regio argenti vena. En quod litteris ad Regem Catholicum anno 1637. datis nuntiabat Regionis opulentia.

(a) Xarajes non sunt aquarum semper stagnantium lacus, sed longa terrarum stata alluvie sensim effluens, & quæ quotannis in siccos desinit cæspites.

(b) Primum meridianum collocant Hispani non in Falconariis, sed in Tenerife, quæ de Canariis est.

(c) Recens observatum est, Paraguaim nunquam non austrum recta aspicere. Vide hujus Historiæ Supplementum Libro XXIII.

(d) Gumilla, *Orinoco Illustrado*.

(e) Lozano, *Descripcion del Chaco*.

(f) Immo vespertiliones id genus ad lumen convolant: quod extinguere est opus ut minus infesti sint.

(g) Siquis eo loci sit lacus, Parimæus certe non est, qui longe jacet ad Marañonis boream.

(h) Longe a parallelo cursu deviat, ut nuper nota (c) significatum est.

(i) Non Xarajesano lacu, vel æstuario potius, sed montium jugis ultra Xarajes ad boream ab ortu ad occasum catenatis, unde verisimile est Paraguaim oriri Paraguariam disterminat Coleti.

Digitized by Google

bat Petrus Stephanus Davila Argentariæ Prætor (*a*): „Tota provinciarum harum (*b*) ubertas latentium fodinarum opinione vertitur. De his V. M. copiosis documentis certiorem feci. Surdus quidem insonuit sub Gubernatore Roderico Diaz Melgaregio Villaricæ conditore de thesauris rumor; post penitius vero examen illud compertum fuit, nihil esse certi. Tandem Emmanuel Frias Roderici gener, qui Paraguariam primus post divisionem præfecturarum gubernavit, in se recepit fore, ut metallorum cavea revelaretur. A fide dignis accepi, nihil non tentasse, sed in cassum. Actorum processum misi, scioque apud Senatum Indiarum extare. Ut judicem, acta isthæc pensi non habenda, duo me movent; alterum, Gubernatores dictos fodinarum vestigia perscrutatos accuratissime; alterum, reperiundarum sponsores esse adversus Societatem Jesu male affectos, nec perficiendis informationibus, ut oportet, idoneos. "

Metallorum indicia prope *Xerez* urbem a Brasilianis destructam apparere visa disparuerunt nullo colonorum lucro. Idem contigit incolis a *Villa Rica* immature nuncupatis. Hi solum vertere coacti novam propius Paraguaim eodem nomine constituerunt, sedem non re locupletiorem, nisi quod de somnio fodinarum evigilantes de comparandis potioribus fortunis cogitant (*c*).

De gemmis.

In palude non procul a primo Sanctæfidei de Veracruce situ fiebat olim margaritarum piscatus, quem auctor Argentinæ de more exaggerat; sed cujus vel memoria deinceps interiit. Hispanigena quidam Abiponum manu captus in infantia, dum in patriam redux fœminas videt de margaritis sollicitas, retulit, Indos sub quibus servitutem servierat, illiusmodi gemmas piscatoriis plagis in prædicta palude apprehendere solitos, quas nihili habentes projiciebant. Et ex vero locutum esse comperit missus qui factum investigaret (*d*). Vilem tamen esse oportet ejus generis vel qualitatem vel copiam, quando quidem nec Bonaurensi commercio, nec Sanctafidensium statui fecit auctarium (*e*).

De lapidibus pretiosis & ferro.

In quodam haud contemnendæ manus scripto reperi, fœminas in oppido Assumptionis Paraguariæ primario, monilibus & gemmariis ibi sat vulgaribus ornari; author vero silet, cujus illa generis, cujusve naturæ sint (*f*). Antonius Sepp Germanus, qui diuturnam missionibus Paraguaicis operam dedit, cujus litteræ germanice scriptæ latine redditæ sunt, sibi tribuit inventum ibi utile si copia sufficeret. Lapis erat durissimus (Indi vocant *Itacambá*) nigris maculis asperfus, seu granis, quæ ex ferro esse probatum est igne (*g*): lapides vero id genus sunt rarissimi. Alibi hujus metalli venæ repertæ sunt, sed parcæ, ut ad necessaria ferramenta aliunde sit asportandum.

De armento silvatico.

Relicta quædam boum equorumque capita, dum Bonaerenses Hispani solum mutarunt, sic Chilem inter & Bonasauras longeque ad austrum aucta sunt numero, ut circa annum 1628. duabus non plus acubus equus veniret non malus, & suppare pretio bos. Pro conquirendis in præsentiarum longius iter eundum est; nihilominus triginta abhinc annis (*h*) nulla navi non quadraginta vel quinquaginta pellium bovinarum millia exportabantur, & hoc numero duplo major cædendus erat; pelles namque ne sint ad commercium exleges, taurinas oportet esse, certæque mensuræ (*i*). Et sunt venatores qui de cæsis linguam tantum servant & arvinam, qua vices ibi supplentur butyri, laridi, olei, sevi.

De animantibus infestis.

Major tamen quam ut concipi possit hujus generis in Paraguaria proventus est; nam plura cadunt silvaticorum canum dentibus, tigridum & leonum. Ajuntque leones non tantum fame ut tigrides ad venandum instigari solitos, sed quasi ludo: visosque aliquando de cæsis undecim bobus seu vitulis, unius tantum ingluvie contineri. Leonibus infestiores sunt canes. Ab annis viginti coriorum & sevi pretium duabus tertiis majus est illorum causa, nec aliunde præsentius imminet armentorum excidium quam a canibus, qui post armenta in genus humanum dentes ne exserant periculum est. Mirum, quod Bonaerenses coloni his mentem applicari nolint. Expeditam aliquando ad arcendam pestem misit Prætor militum manum, qui in reditu exsibilati sunt, & exercitus canicularis, canum homicidæ per ludibrium appellati: quo nemini deinceps ad prosequendum suffecit animus.

Armenti venatio.

Boum venatus, cui strages, (*k*) vulgo nomen est, singulari modo fit. In campum his animantibus refertum convenit equitantium venatorum turma: ordine deinde separantur oblongis lanceis armati, quæ in ferramentum luna-

(*a*) Apud Antonium Ruiz de Montoja, *Conquista Espir.* fol. 98.

(*b*) De Guairaa nominatim sermo erat. *Charl.*

(*c*) Hæc colonia vulgo dicitur *la Villa*. Charl.

(*d*) Suspicio est, fallam eminus examinanti margaritarum speciem feciſſe ovula quædam ibi maxime locorum scirpis palustribus acervatim adhærentia. Ovula sunt magnitudine, colore, figura margaritis similia; fragilia tamen, quibus humor concolor draco sanguineo continetur. A Guaraniis hæc ova dicuntur *Yrupia*.

(*e*) Nunc maxime ignotum genus, postquam novæ Reductiones & sedes illac prope locorum frequentatæ sunt.

(*f*) Cujabaæ certo sunt adamantes, quos Paraguariis clam suppeditari haud difficile sit; elaboratio tamen ut mundo muliebri adaptentur, longe alibi curanda est.

(*g*) Et in pascuis Conceptionis oppidi sunt lapides nigri metallo flavo maculati, nullo tamen usu, & vix cogniti.

(*h*) Scripsit author circa ann. 1750.

(*i*) Mensuræ quidem olim habebatur ratio; modo tamen ponderis, ad vitandam videlicet fraudem, qua vile corium & breve ad normam usque tendebatur vi & arte.

(*k*) Hispanis *Matanza*.

Digitized by Google

lunatum ſeu arcuatum deſinunt: eo fugientes tauros aſſecuti curſu poplitem incidunt, & reptantes relinquunt donec receptui ſignum datur, proſtratis per ſingulos, ut ajunt forte per exaggerationem, in ſingulas horas octingentis. Regreſſi reptantes & proſtratos occidunt, excoriant, ſpoliantque ſiquid eſt utile: reliqua pro derelicto habent.

Aeris ex tot cadaveribus vitium advolantium undique vulturum (*a*) inſtar aquilarum, aliarumque volucrum carnivora multitudo prævenit. Equi injectis capiuntur laqueis: ſuntque, quippe, hiſpanica ſoboles, & in ſilvis nata, pulcherrimi & veloces. Indorum arte trahuntur in clauſa & impervia loca, ubi ad reſtis jactum accedentes facile illaqueant, inſiliunt, domant. Sunt & muli in Paraguaria frequentes; ad ſuperandas viarum difficultates opportuni (*b*).

Herba paraguaica.

Sed maxima Hiſpanorum & Indorum opulentia conſtitit diu, & quoad paucos uſque adeo conſtat *Herbâ paraguaicâ*. Tantus, ajunt, olim erat proventus, ut etiam tenui vivere compulſi & pridem aſſueti in luxum effunderentur, cui ne fomes deficeret ad Indos vi aut ſponte ſubjugatos recurrendum fuit, adhibendaque illorum opera, conductitia primum deinde ſervilis. Inſolito labori occumbunt alii, alii peroſi nomen Hiſpanum diffugiunt. Fugæ ſuccedit inopia dominorum; neque enim luxui ſumptus ſola ſuppeditat herba, nec comparandæ facultas eſſe poteſt otiantibus.

Hæc tanti in America meridionali, & apud Hiſpanos nominis herba parum nota Gallis eſt. Eſt arboris folium mediocri malo magnitudine paris, ſapore fere malvaceo, figura non abſimile folio citrino. Cum Peruana coca ſuam habet affinitatem; herba tamen majoris eſt etiam in Peruvio, quo vis magna vehitur, ad montana maxime, & ubicumque metallica res agitur. Eo magis ibi terrarum Hiſpanorum opinione herbæ, quo minus vini uſus ſaluber eſt. Exſiccatur illa, & pene in pulverem redigitur, ut aqua cocta diluatur; nec diu in ciſſybio ſeu cymbio retinenda, ne ex aqua fiat atramentum. Diſtinguitur herba una & altera (*c*), quamquam ex eodem folio macerato fit utraque, nempe *caamini* & *Caacuì*: illa ex folio ſincero, hæc ex folio cum pediculis, quæ vulgo dicitur *Hierba de Palos* (*d*). Sed Nicolaus Tacho genus eſſe *Caa* contendit, quod trifariam dividitur his nominibus *Caacuì*, *Caamini*, *Caaguazu*.

Hic author, qui diu vitam egit in Paraguaria, refert caacuim confici ex gemmis, dum primo in folia explicari incipiunt; caaminim ex foliis ad ſummam perductis maturitatem, exactis tamen antequam maceretur feſtucis: caaguazu ex foliis eiſdem & feſtucis ſimul contritis. Conteruntur folia in terræ foſſis, ſervanturque in ſacculis e bovina pelle conſutis. Caacuis nequit tamdiu ſervari ut reliquæ ſpecies, quæ in Tucumaniam, Peruvium, & Hiſpaniam extrahuntur. In locis ſumpta natalibus amare ſapit, & majore pollet vi. Ad potandum impletur aqua bullente vas, in quo folia in pulverem, & ex pulvere ſubacto in maſſam redacta injiciuntur. Dum maſſa diſſolvitur, terra ſiquid ejus eſt reliquum ſupernatat, & deſpumatur. Aqua deinde linteo colatur, & pauliſper dum ſubſidat depoſita bibitur calamo (*e*).

Ut plurimum adhibetur, non ſaccharum, ſed ſuccus ex malo citrino expreſſus, vel certi paſtilli ſuave olentes. Ad ciendum vomitum dum juvat, cum herba plus aquæ jam tepeſcentis recipe. Maximum hujus herbæ opificium fit apud Villam, ſeu novam Villam Ricam, Maracaiuanis vicinam montibus ſub gradu latitudinis auſtralis, itemque minuto vigeſimo quinto, ad orientalem Paraguai plagam. Regionis natura cœlumque juvat maxime cultum arboris; hæc tamen non in ſummis montibus, ſed in imis quæ montes interjacent lacunoſis vallibus enaſcitur. Unum Peruvii regnum centum mille arrobas viginti quinque librarum ſexdecim unciarum in ſingulas ſibi vendicat: & arroba quidem unaquæque ſeptem noſtratibus ſcutis ibi comparatur. Porro Caacuis incerto vænit, & caamini duplo feſtucariæ pretio. Uruguais & Paranæ accolæ herbæ plantaria fecerunt ex granis Maracaju allatis parum aut nihil degenerantibus; grana vero ſunt hederaceis ſimilia. Sed Uruguaitæ & Paranaenſes Caacuim primum herbæ genus non conficiunt; caaminim & feſtucariam ſervant, cum propriis uſibus, tum ut annuum Regi Catholico vectigal exſolvant.

Præſentiſſimum morbis fere omnibus remedium eſſe arbitrantur Hiſpani. Certe vim habet apevitivam & diureticam. Ajunt, principio immodice bibentes ad plures dies devenire ſenſibus alienatos; illud tamen eſt ſingulare, eamdem ſæpe contrarios effectus ſortiri: lethargicos expergefacit, ſoporat inſomnes: nutrit, & evacuat. Uſus neceſſitatem inducit, & modi ſervandi difficultatem. Quodſi præter modum adhibita ſit ebrietatem parit, & cuncta fere ebrietatis incommoda (*f*).

Per

(a) Cóndores vocant; ſed major pars albicantes cotvi ſunt, *carancii*, & circa mare Gaviæ.

(b) Muli vænum extrahuntur. Citra Jujuim vero itinera conficiuntur ut plurimum equo & curru; vel ſcaphâ quod Paraguaim ſpectat.

(c) Diviſiones aliæ ſunt; ſed eadem ubique rei ſumma. *Foliosa* dicitur Herba parum macerata. *Lauretana* ab oppido Laureto nomen habet, eoque ſingularis eſt, vel fuit, quod ad flammam balſamicam ex copaï ligno ſiccaretur: unde & ipſa nonnihil balſamicum retinet & ſpirat.

(d) Indis *Caa-ibira*.

(e) Herba non ſubjigitur in maſſam, nec terra deſpumatur, nec ſupernatat, ſed præcipitatur. Aqua linteo non colatur, ſed antea vel poſt immiſſam in vas aquam, herbæ quantum cochlear capit injicitur. Vice coli foraminoſa cucurbitula capitatus eſt calamus ad ſugendam aquam. *Bombiglia* vocant Hiſpani.

(f) Mate non inebriat quantumvis immodice bibatur. Affirmantem novimus indigenam ſcriptorem, ſed qui nunquam id potus delibavit.

Digitized by Google

De apibus, gossypio & cannabe.

Per omnes fere harum regionum silvas obviam sunt apum examina in cavis arboribus mellificantium. Ad decem numerantur species, quarum ea quæ cæteris præstantior est cum ceræ candore, tum mellis suavitate, dicitur *Opemus*, sed parce abundat (*a*). Gossypium fructus est ejus regionis proprius, virgultis innascens, quale in Gudovisiana vidi (*b*). A primo insitionis anno fructificant, sed quotannis instar vitium putanda. Flores tulippinis flavis affines Decembri & Januario explicantur, & post triduum marcescunt: gemma vero matureſcens primæ albedinis & præstantiæ lanam deponit. Indi cannabis opificio abstinent ob difficultatem; constantiores Hispani sunt insigni proventu (*c*).

De vino & terræ fructibus, de venenis & theriacis.

Præter maizium, mandiocam, & batatas, complures in his provinciis fructus sunt Europæis ignoti, quorum aliquos referam cum se tulerit occasio. Alibi aliter proveniunt vites & viteus liquor; sed Ribogiæ & Corduba in Tucumania satis abundat. Vinum Cordubense crassum, forte, & in caput sublimatu facile, aliter atque Ribogianum. Sed comparandum Hispanico Mendocinum in Chilenis (*d*) montibus qui Corduba distant viginti quinque leucas. Et triticum vulgo seritur, cujus tamen præterquam in conficiendis pastillis modicus est usus. Herbæ veneno gravidæ sunt obviæ, quarum succo sagittas inficerere consueverunt Indorum aliqui. Sed & pharmaca vulgaria sunt, ut virgultum quod *a passare* nomen habet: cujus inventi ratio hæc esse fertur.

Macagua nomen est passeris unius de multis nostrati merulo magnitudine paris. In viperas gula hostiles animos acuit. Adrepentem observat immotus insidiator, capite subter alam, & corpore toto in globum conformatus. Si rostro percutiens lingua repercutiatur, ad notum sibi pharmacum celer advolat. Mox repetit certamen non nisi morte viperæ finiendum, cujus carnibus satur etiam tunc ultimo medicinam adhibet.

De reptilibus.

Regio est, qua non alias magis reptilibus abundet; sed pleraque veneno carent omnino, vel certe veneno quod letale sit. Ea probe norunt Indi, arreptisque manu corpora nuda cingunt innoxiæ. Nonnulla sunt vigenis binis pedibus longa, crassitudine congrua, cervos totos, siqua fides Hispanis rem de visu testantibus, devorantia. Indi ajunt per fauces copulari, fœtusque perforatis primum matris viscеribus, mutuis deinde se se vastare cladibus. Aliter nullibi figi præ multitudine possent vestigia, ait Antonius Ruiz de Montoja. Sunt quædam ovipara magnæ molis, quæ incubando pullos excludunt.

Colubri, quibus ab edito sono est nomen vulgo *de cascavél*, in pluribus etiam Americæ borealis provinciis noti, nullibi forte quam in Paraguaria frequentiores sunt. Compertum est, dum maxillæ veneno tument, gravi dolore mordicari, ad quem mitigandum obvia quæque aggrediuntur, dentibusque binis ex radice satis lata acuminatis & cavis morsu exprimere incommodum humorem. Morsus colubrorum id genus præsentissima vi pollet. Interdum uber effluit a morsu cruor ex oculis, naso, auriculis, maxillis, & ex unguium junctura; sed nullibi malo desunt antidota. Ex usu cum primis sunt lapis, cui a *Sancto Paulo* nomen factum est, bezoar, allium quod maceratum plagæ imponitur; ipsiusque colubri caput & jecur ad purificandum sanguinem si comedatur, medicamenta sunt, tutiora si prius in morsu fiat incisio, cui sulphur applicetur: quod unum aliquando sat erit.

Sunt quidam serpentes venatici, qui in prædam ex arboribus observatam conjiciuntur, vivamque deglutiunt. Sic tamen gravantur, dum integris pasti sunt belluis, ut progredi nequeant; & perirent, natura remedium non suggerente; quod ratio minus probaret. Jacet resupinus coluber, donec solis ardore putrescit venter & scatet vermibus: cavetque ne volucres advolantes quidquam post vermium superfluorum pastum adversus vitales artus audeant. Integratorum tergo sæpe adhærent arborei rami, quibus ægrius expediuntur.

Sunt & qui vescuntur piscibus; & Montoya, ex quo hanc fere totam accepi narrationem, ait colubrum se vidisse, cujus erat caput vituli magnitudine par, piscibus ad fluminis oram insidiantem. Projicit primum ex ingluvie spumæ seu salivæ copiam super aquam. Merso capite immotus exspectat accurrentium multitudinem piscium, quorum plures uno vorat hiatu. Author idem narrat, Indum statura procerum, qui ad renes aqua immersus piscatui dabat operam, hausum faucibus immanis colubri, & crastino rejectum comminutis ossibus in littus.

Nunquam in siccum prodeunt id genus monstra: & in aquarum lapsibus, quorum multos habet Parana, elato magnæ molis capite, & cauda prælonga visa sunt (*e*) ad-

nas.

(a) Mel aliud est in Chaco phthisis remedium si solum pro alimento sumatur. Extra silvas apes mellificant subter terram. Et in silvis visa dicitur avis cantu examen se circum convocans, congregatumque temperato volatu deducens ad arborem vetustate cavam, aptamque mellis opificio.

(b) Sunt & arbores proceræ gossypii feraces, ut inter alias ea quam Pasaini vocant *Upiri*, Hispani *Palo-borracho*; sed filum est minus ductile.

(c) Cannabis instar cardui nascitur ultro nomine *Chaguar*, alibi *Caraguatà*.

(d) Mendoza non in montibus, sed citra montes sita est in Cujo provincia, quæ tribus oppidis ad Chilem spectantibus constat, nempe Mendoza quæ Caput est, S. Joannis *de la Punta*, & S. Ludovici.

(e) Anno 1760. è navigio vidimus non pauci, per transversum Uruguaim, qua infra Ituüm latissime spatiatur, natatu ferri monstrum tetri coloris, cujus extabat aquâ pars medio bimo vitulo non minor. Nabat quasi V. M. passum procul, nec potuit clarius indagari. Ex eo tamen confectum fuit, Montojæ monstra non esse usque adeo incredibilia.

Digitized by Google

natare. Indorum opinio eſt, more terreſtrium beſtiarum generare, & mares adoriri fœminas humani generis: quod de regionum aliarum ſimiis proditur. Illud eſt certum, evocatum aliquando Montojam ad Indam, cui coluber abluendis veſtibus intentæ, vim ajebat illa intulerat. Ibidem jacebat ægra, nec diu poſt ſui expiationem expiravit.

Crocodili. Crocodilis decem atque duodecim pedes longis plena ſunt flumina & lacus, Pilcomajus præſertim omnium maximus, quibus Chacus irrigatur, ubi *Tacharè* nomen habent. Piſcium ſaturi terram amant, ſoli ventriculum objiciunt, ut calore promoveatur digeſtio. Squamis arctis licet pariter atque duris ſultos Hiſpani telis fuſilibus, Indi ſingulari quadam arte confodiunt. Oblongum funem alligant hinc ad arboris truncum, illinc ad palum utrinque cuſpidatum. In faucos uſque apertas & elingues appropinquantis belluæ palum immittunt infigendum, quo iniquam aquæ copiam haurire cogitur: & quanto majore niſu contendit palum infixum expuere altius infigit. Suffocatus ad ripam facile contracto fune deducitur.

Juxta pedes anteriores ſeu manus Crocodili pendent e ſinu facculi quadam ſubſtantia pleni odore tam acri, ut ſenſum recens interturbet; ad ſolem vero ſiccata totam muſci ſuavitatem ſpirat. Fœminam ova plus viginti una deponere cubatione ferunt, quæ contegit arena; ſed pars alluvione corrumpitur, pars maſculorum unguibus. Ajunt, Crocodili ſeu caimani dentes piſcium carnibus gravatos advolantis aviculæ roſtro purgari, aliaſque occaſione data ad uſque ſtomachum inſinuari: unde ſcire reſtat, qua ſit audacibus exeundi via. Author eſt Herrera, Fluminis *ab argento* Crocodilos hominibus infeſtos haud eſſe. Id tamen eſſe falſum a viatoribus accepi, qui & facta narrant ſatis tragica, & de viſis teſtantur. Forte hi dum caimanes nominant, aquaticos canes intelligunt, ſeu *Tiburones*, ut Hiſpani appellant, *Requins* ut Galli. Illud eſt certum, hujus fluminis canes corpulentiores eſſe quam alias: & boves potum accedentes roſtro apprehenſos ſuffocare (*a*).

Camæleones, Simii, Tatui, Vulpes, &c. Sunt & Chamæleones quinque ad ſex pedum longitudine ſua prole onuſti, & ore ſemper ad ventum verſus aperto. Beſtiola eſt innoxia & ſtupidiſſima. Simii humanæ magnitudinis, prolixa barba, cauda oblonga: immane clamant, infixaſque ſagittas e plaga trahunt, & in venatores rejectant. Vulpes eſt plurima alicubi locorum. Ad Bonas Auras lepori ſimilis, & pilis pulcre variegata. Viatoribus adblanditur, cavenda tamen, inopinato namque urinam ejaculatur, cujus fœtor prope tartareus eſt, & qui abjectis tantum & combuſtis veſtibus poſſit eventilari. Duæ ſunt Tatuorum formæ, quarum altera porco ſemeſtri magnitudine par teſta ſquamata contegitur. Utrique roſtrum prolongatum eſt, & quinque digiti præ manibus. Cuniculorum alii, quos Hiſpani vocant *apercos*, cauda minuti ſunt, colore ſubalbo, carne ad eſum delicata, alii tam arctis faucibus, ut formicam vix capiant.

Leones & tigrides. Ex quo tot ſunt Hiſpanici boves, equi, & ſues, leonum & tigridum genus ubivis abundat: illi minores Africanis, & minus feri ſunt; hæ nullibi majores ſeu corporis mole ſeu feritate: quas tamen Indi facile fugant, dum eo ſint loco & tempore, ut arborem conſcendere poſſint, nam tigris humani fœtorem lotii ferre nequit. Sclopetorum uſum edoctis minus eſt timendum: & viſus aliquando qui aſſilientem jam tigridem exploſa fiſtula proſtravit (*b*).

Cervi, apri, capreæ, damæ. Triplex cervorum eſt genus, quorum alii vitulorum magnitudine, ramoſis cornibus, paluſtribus locis aſſueti ſunt: alii capra majores paſcuntur in planis: alii ſunt ſemeſtri capellæ pares. Capreolos noſtrates inter & Paraguaicos parum diſtat. Apris umbilicus, niſi quoddam ſpiraculum ſit, eſt ſupra dorſum, & caro tam ſana, ut valetudinariis & cibo ſit, & medicamine. Capreis nigris, rubris, & albis abundant Chachi campeſtria: albæ tamen ſolum ad Pilcomaium. Damæ & capreoli nunquam non, ut in Europa pecus, gregatim diſcurrunt.

Anta. Aliud animal, cui nomen *Anta*, bubalo affine, ſatis vulgare eſt in hac Americæ parte: corporis mole & figura inſtar aſini præter aures, quæ breviores Antæ ſunt. Proboſcide, quam pro libito contrahit protrahitve, ſpirare creditur. Pedum ſinguli tribus muniti ſunt ungulis, quibus præſentiſſimam adverſus venena vim tribuunt, quæ major ſit in anteriore pede ſiniſtro, cui dum male habet incubat (*c*). Pedibus his ſeu manibus utitur ſimiorum inſtar & caſtorum. In ventriculo ſummi pretii bezoaria durantur. Herbis diu, noctu paſcitur argilla circum paludes, quo ſole cadente divertit. Caro ad veſcendum ſana, bovinæ ſimilis, ſed levior & delicatior. Siccæ pellis tanta eſt durities, ut pyrobolis reſiſtat, ex eaque galeas & thoraces conficiunt Hiſpani. Antæ venatus noctu facilis eſt. Gregatim ut plurimum ad pernoctandum ſe recipientibus accenſis facibus obviam itur, quo ſic, hallucinantur ut in ſe mutuo cadant, & opera non difficili cœdantur. Craſtina luce mor-

(a) Quod hic habet Hiſtoricus de cane aquatico, tiburone, vel *requin*, aptius & verius forte cadit in amphibium *Jaguaru*, quod aquaticam tigridem ſonat, de qua alias.

(b) Hiſce cum feris tutius, ſi tamen præſenti animo ſint, & lacertoſi, congrediuntur Sanctafidenſes ſeu venatores, ſeu pugiles. Manum videlicet ſiniſtram & brachium taurini corii lacinia contegunt, & clavam ferro cuſpidatam dextra geſtant impetentis cerebro illidendam.

(c) Mem. Trev. Octobr. 1751. pag. 2134. Non proditur, animal hoc epilepſi laborare, nec epilepticos melius habere, ſi ſiniſtri pedis ungula perfricent auriculas: quod de Canadenſibus elanis, quibus de cætero affinis eſt Anta, dicitur. *Charl.*

Digitized by Google

mortuorum morientiumque acervus apparet.

Volucres, pisces, lupi marini, struthiocameli.

Omnigenæ volucres abundant, & anatum quidem sex numerantur species. Coloris albi sunt corvi, passeres aurei: totque numero præsertim in campestribus, quæ Bonas Auras & Tucumaniam interjacent, perdices gallinaceis pullastris pares, ut canna & filo piscium instar (a) ex equo & cursu a viatoribus capiantur. Et struthiocameli, & lupi aquatici frequentissimi alicubi sunt. In piscibus alter est ponco similimus, nisi quod dentibus caret; alter cani qui nostratum instar latrat. Horum quempiam vidit missionarius sagitta confixum, cui adlatranti plures subveniunt, & in adversam fluminis ripam exportant.

Prima de Paraguaria notitia.

In regionem Novi Orbis, ut multi opinantur, locupletissimam venit primus & quidem casu anno 1516. Joannes Solis castellanæ classis præfectus. Brasiliam cogitabat, quam anno 1500. præ Lusitanis adierat Vincentius Yañez Pinzon, olim Christophori Columbi comes. Prima Januarii anni 1516. ostium subiit amnis, quem Januarium appellavit (b), pro Castella adita possessione: quod & sexdecim ante annis ad *S. Augustini* sive *a Consolatione* promontorium fecerat Pinzon. Oram radere pergit Solisius & sinum lustrare, in quem effluit amplissimum flumen, quod sibi omonymum fecit. Syrtium causa navem in statione reliquit, & scapha oram legit occidentalem (c), in qua conspecti sunt Indi, ut descenderet significantes.

Solisius a barbaris cæsus.

Scapham applicat incautus, barbarorum aliquot, ut fertur, capturus in Hispaniam abducendos. Nec insidias animadvertit, dum eos videt, accedente se cum paucis in vicinam silvam recedere. Immisso inde sagittarum turbine cadit cum sociis. Denudatorum cadaverum membra igne prope silvam accenso torrent, & dentibus laniant, videntibus e scapha reliquis, nec nisi regressum ad Hispaniam cogitantibus. Exitus hic fuit hominis inter illius ætatis naviculatores peritissimi; in quo tamen Herrera prudentiam desiderat, ad promovenda id genus cœpta necessariam.

Lusitanorum in Paraguariam adventus.

Nec fortunatior fuit Lusitanorum sors, qui per Brasiliam haud diu post allapsi sunt in Paraguariam. Cum fama vulgasset maximas in Peruvio divitias per Hispanos repertas, eo contendit animum Martinus de Sousa Brasiliæ præfectus, ut in partem deveniret. Magnanimum virum, cui fidebat, Alexium Garcium mittit, qui cum filio & Lusitanis tribus iter arripit ad occidentem. Paraguais accolis mille persuasit, ajunt, ut irent viæ comites: quo Peruvii fines attigit, unde modicum auri, argenti plurimum reportavit. Ad Paraguaim regressus sedem ibi figere constituit, ut gentilium suorum viam in Peruvium complanaret. Hac mente de sociis unum & alterum aliquot auri & argenti lamellis instructos in Brasiliam legat, qui Sousam de successu itineris edoceant, & de stauenda sede requirant decretum & subsidium. Vix erant digressi, cum Indi, Garcia & comitum Lusitanorum tertio qui resederat interfectis, & thesaurum occupant totum, & Garciæ filium manu capiunt. Nuntius interea in Brasiliam allatus de Peruvio Lusitanis aperto, & auri specimen oculis objectum magnæ lætitiæ causa fuit. Sexaginta Lusitani cum Brasiliensium Indorum manu, Duce Georgio Sedegno, ad Garciam ire constituunt. Nondum eo pervenerant, cum vehemens de perfidia barbarorum suspicio incessit animos. Cautius ex eo Lusitani procedunt; cautius & Indi, qui dum primus adventantium rumor invaluit, de intercipiendo commeatu deliberant, ut retrocedant.

De annona vi consulendum Sedegno fuit; sed in silvis expeditioses barbari sic irruunt, ut arcendis nec locus, nec vis suffecerit. Cum plerisque suorum concisus est, reliquis Paranam versus fugatis. His ut persequentium manus effugerent, transcendum erat flumen: & fuerunt Indi alii qui opem se præstituros pollicerentur. In lintres conscendunt Lusitani, sed occultis & leviter occlusis rimis perforatas. In mediis fluctibus, qua major est aquarum defluentium vis, lintres abjiciunt Indi, & littus natatu repetunt unde solverant. Dum fugæ causas inquirunt Lusitani, navigium fatiscere vident; dum rimas obstruere festinant, omnes ad unum submersi sunt.

Gabori cum Cæsare pacta.

His casibus de constituenda in Paraguaria sede consilium abjecerunt & Hispani & Lusitani. Atque in Hispania quidem nulla de promovendis Solisii cœptis cogitatio, cum nova gentem ex Paraguaria opulentandi spes advenit. Sebastianus Gabot Venetus, qui anno 1498. cum patre & fratribus in Terramnovam & vicinæ continentis oram venerat auspiciis Henricis VII. Anglorum Regis, Angliam desertus deseruit Hispano servitutus. Et navigatoris fama factum est, ut Magnus Castellæ Navarchus lege renuntiaretur (d). *Victoria* navis, quæ sola ex Magallanica classe, orbe primum circumdato Hispaniam tenuit, aromatum copiam, & pretiosas Moluccarum merces recens invexerat. Hispalensium mercatorum, ut novam in Moluccas deduceret classem, suasionibus acquievit Gabotus, dummodo Imperatori potius quam mercatoribus servire videretur. Hoc consilio Matritum profectus cum Carolo V. conventionem fecit anno 1525. obsignatam.

Sum-

(a) Non instar piscium hamo capiuntur perdices, sed laqueo, facto ut plurimum ex equi jubis quo vehitur qui equitando aucupatur.

(b) Lusitani hodie dum appellant Rio Janerio, quo idem significatur.

(c) Orientalem forte, quandoquidem post acceptam scapham mox Indos comparuisse dicitur. Et verosimile est, factum contigisse secus rivum Montevideo vicinum, & vulgo nomen habet *Rio de Solis*. Adversa occidentalis ripa venientibus a Brasilia nec brevi, nec facile scapha adiri potest.

(d) Herrera, Dec. 3. l. 9. c. 3.

Digitized by Google

Summa illius eſt (*a*), Gabotum quatuor præficiendum navibus, ſub præfecto Martino Mendez, qui ſub Magallane Theſaurarium egerat, & in Victoria reduce: tranſmiſſo freto Moluccas petiturum, inde Tharſim, Ophirum, & Cipangum, Japoniæ, ut erat tunc temporis opinio, partem; naves ſibi commiſſas auro, argento, & pretioſiſſimis quibuſque earum regionum mercibus inſtructurum. Gabotus ipſe conſilium hoc Imperatori ſuggeſſerat. Sed quantumvis de ſucceſſu ſecurus incederet, Hiſpalenſes fidei datæ pœnituit, præſertim cum quædam diſcordiæ ſemina illum inter, & cui maxime fidebant Mendez, pullulare vident. Apud Carolum precibus agunt, ut claſſis imperium alteri credatur. Sed fruſtra, nam Gabotus poſt additam privatis cujuſdam ſumptibus quintam navem ſolvit Kalendis Aprilis 1526.

Author eſt Herrera, neque Ducis, neque naucleri partes impleviſſe; hauſta brevi cibaria œconomiæ vitio; male habitos qui præfecto diſplicebant; in extrema victus inopia appulſum ad Anſeriam inſulam (*b*) non procul a S. Auguſtini promontorio in Braſilia, exceptum a barbaris perbenigne, refectamque claſſem, & his officiis fœdiſſima ingratitudine reſpondiſſe, abductis vi primorum filiis; ad oſtium fluminis tunc dicti de Solis vectum non ultra progredi conſtituiſſe, tum inopia ad tranſfretandum, tum quia vectores tumultuari cœperant; dejectis in inſulam deſertam Mendez cum Franciſco de Rojas, & Michaele de Roda, qui liberius Sebaſtiani facta carpebant, ſinum penitius luſtrare decreviſſe.

Latitudo & incommoditas ſinus ab Argento.

Sinum inquam, ſunt enim qui arbitrantur conſtituendum non eſſe fluminis oſtium inter promontoria *Sanctæ Mariæ*, quo vertitur ora ab auſtro ad occidentem, & *S. Antonii* quod quadraginta quinque leucis communibus diſtat a primo. Sed conſtituendum in angulo terræ qui *Punta de Piedra* dicitur, e regione Montevidei, plus CL. M. P. a S. Antonii cardine diſtante. Sit, quod Hiſpanienſes Geographi volunt, os fluminis quinquaginta leucarum ſpatio latum. Illud eſt certum, & maximis totius orbis adnumerandum, & eſſe pauca quorum ingreſſus difficilior, navibus periculoſior, & naufragiis notior ſit. Ideoque a nautis nomen habet *Styx*, ſeu Infernus navigantium.

Fluviales aquæ.

Flumen eſt piſculentiſſimum. Supra vada maxime paſſim obvia, & quibus conſtat ejus navigationis diſcrimen, abundant *Aurati* pi-

ſces (*c*) Aqua (*d*) antequam ſalſugine corrumpatur, primæ bonitatis eſt. Principio niſi cautiſſime bibatur, ciet alvum, inteſtini tormina, & quandoque dyſenteriam. Poſt menſem integra ſunt omnia, nec eſt quod timeas. Præter ſalubritatem eam confert voci claritudinem, ut ex ſermone bibentes noveris: eamque vocis præſtantiam amittit qui ſolum & aquam mutat. Sunt qui de Uruguais aqua, ac de pleriſque, Uruguaim influentibus rivis id ipſum affirmant. Quodſi verum eſt forte ab Uruguai in Argenteum aquarum præſtantia derivatur. Sciendum erat, utrum eadem ſit aquarum natura ſupra confluentem. Cujus rei documenta deſidero (*e*).

Gaboti arx.

Ut-ut ſit, Gabotus tranſmiſſis facile vadis, venit in inſulas quas a S. Gabriele nominavit ſupra Bonas Auras. Illarum prima ter mille paſſibus circuitur. Hic navibus in ſtatione relictis, ſcapha ſubiit fretum, inſulas ad ſiniſtram interjacens, & continentem ad confluvium Uruguais, quem principem amnem eſſe credidit. Duplex fuit erroris cauſa. Prima, quod Gabrielidæ jacentes ad lævam flumen verum conſpectu prohibent (*f*). Secunda quod Uruguais, ubi Argenteum influit, latiſſime ſpatiatur (*g*). Uruguaim ergo ſubit, & exſtructa arce prope os rivi, cui a S. Salvatore nomen fecit, ibi cum paucis relinquit Joannem Alvarez Raimundum, in mandatis addito, ut flumen quod Soliſium uſque putabat luſtrare pergeret. Sed tertio poſt die Raimundus in brevia conjectus a barbaris interfectus eſt cum parte ſuorum, reliquis natatu dilabentibus in ripam ad Gabotum, qui mœſtus ad Gabrielidas remeavit.

Hinc depoſito jam errore adverſo flumine tentat iter, novaque arce munit fauces amnis ex Tucumaniæ montibus decurrentis, quem mutato Indico nomine (*h*) *Rio Tercero* vocant Hiſpani: Arcem a *Sancto Spiritu* appellat; ſed in itinerariis *Turris Gabot* frequentius ſonat. Præſidio munita, flumen longius inveſtigare nititur. In confluente Parannam ampliorem legit; ſed dum ad orientem reſpicit, veritus Braſiliæ fines ad Paraguais curſum relabitur. Indos haud ita poſt habet infeſtos, quorum manu claſſiarii tres capti, quinque ſupra viginti cæſi ſunt.

Origo nominis ab Argento.

Mox vicem multo barbarorum ſanguine rependit; eorum ſcilicet, qui Alexium Garciam interfecerant, quandoquidem victoribus ceſſit argenti Luſitano ablati bona pars. Horum ne-

(a) Herr. ibid.

(b) Vulgo *Iſla de Patoſ.* Charl. * Hujus nominis lacum, fluvium, & regionem novi; longe tamen ab indicato ſitu diſtantem ſub gr. 29. lat. bor. infra inſulam a S. Catharina.

(c) Vulgo *Doradoſ.*

(d) Primo potabilis eſt circa confluvium a S. Lucia intra Montevideum & Bonas Aureas: nec eſt verum quod vulgo fertur, ſpatio xxx. leucarum in pelago nondum aquam eſſe corruptam. Luteus color longius etiam emicat.

(e) Certum eſt, qualem-qualem aquarum ſalubritatem & præſtantiam non ab Uruguai derivari, ſed a Flumine Nigro, non procul ab Uruguai oſtio confluente; nam eo quo proprius aſcenditur, ſaniores ſunt aquæ; quo receditur impuriores.

(f) Gabrielidæ eæ ſunt, ut flumen Celare nequeant.

(g) Sic ibi ſpatiatur Uruguais, ut ab uno littore adverſum, oculos ſpectantium plane fugiat, maxime dum plenus eſt æſtus, cujus viciſſitudo & ibi & longe ſuperius obtinet, tametſi aquarum ſalſedo nulla eſt.

(h) Zaccaranna, aut Zacarunna. Charl. * Nec Zacaranna, nec Zacarunna, ſed Carcaraſal: quod nomen ab Hiſpanis factum ex volucrum rapacium copia, quæ vulgo dicuntur *Caracaras*.

Digitized by Google

neſcius eam regionem metalliferam eſſe credidit; Gabotus maxime cum videt barbaros quoſdam amicos e vicinia, non tantum cibaria, ſed argenti pro viliſſimis Hiſpaniæ mercibus tigillos commutaſſe. Propter hæc Paraguario Flumini *Rio de la Plata* nomen adhæſit, ex eorum quæ præceſſerant ignorantia.

Luſitanorum occurſus.

Dum de redeundo cogitat, advenit in caſtra Didacus Garcia ad regionem luſtrandam & pro Luſitano occupandam delegatus a Braſiliæ præfecto; immunitus tamen adverſus Hiſpanos, quorum eo numero in Paraguaim ignorabat adventum. Gabotus invicem animadvertit, ſe arcendis Luſitanis, ſi fortiore manu e proxima Braſilia redirent, inæqualem. Itaque perhumaniter exceptum Garciam movet, ut in arcem S. Spiritus ſecum conveniat paucis poſt diebus Braſiliam repetiturus.

Tunc Gabotus in Hiſpaniam regrediendi conſilium abjecit, ratus ſe præſentem in nova ſede eſſe oportere; & Ferdinandum Calderon claſſis pro Mendezio Theſaurarium cum parto argento & litteris mittit. In his Imperatorem edocet de neceſſitate ab inſtituto itinere deviandi, ac de jure Caſtellano in regionibus inventis firmando: orabatque ut ſubſidia adverſus Indos Luſitanoſque ſufficerentur.

Hiſpaniam petit.

Calderon comite Georgio Barloque Hiſpaniam attigit anno 1527. exceptuſque perbenigne apud Imperatorem optatorum omnium compos factus eſt. Argenti Novi Orbis, ut fertur, primitii ſplendore (*a*), & majorum opum ſpe Gabotus facta probavit. Immo voluit Carolus, ut nova in Paraguariam claſſis regio ſumptu expediretur. Executio dilata eſt biennio, & Gabotus moræ impatiens Hiſpaniam cogitat, ne Luſitano tempus accreſceret & appetitio Paraguariam occupandi. Arci cum centum & viginti militum manu cuſtodiendæ præficit Nugnum de Lara, & naves ad reditum apparare jubet.

Hiſpanæ fœminæ caſus.

1527-30.

Lara ad augendas inter barbaros propugnaculi vires, fœdus iniit cum proximis Timbuezibus, quod tamen præter opinionem exitioſum fuit. Arcem frequentabat Mangora Timbuezium dynaſtes, qui caſu conſpectæ Luciæ Mirandæ Sebaſtiani Hurtado uxoris amore captus eſt. Novit illa quod timendum erat a barbaro, cujus amicitia res Hiſpanorum nitebantur. Illius conſpectum fugere. Contra Mangora Luciam domum ſuam allicere, Hurtadum invitare, ut ſe cum uxore conveniat. Ille vero præfecti non exorandi, non permiſſuri interdictum cauſatur.

Ex eo dynaſtæ perſuaſum eſt, nunquam ſe fore voti compotem niſi Hurtadus de medio tolleretur. Quod dum tacitus animo volvit, ille ad cibaria comparanda cum Ruizio Moſquera & militibus quinquaginta ablegatur. Tunc barbarus delectorum hominum quatuor millia ſecus paludem collocat arci propinquam. Ipſe vero triginta eſculentorum ſarcinas Laræ offert penuriæ levamen. Lara, quod Mangora præviderat, inſtructo convivio ad multam noctem duraturo, gratiam refert.

Turris comburitur.

Poſtquam Hiſpani digreſſi ſunt, Mangora ſigno dato ignem in promptuaria injici; & ad paludem appoſitos vocari jubet. Per excubias excitati dormientes dum ignem extinguere feſtinant, occiduntur a barbaris plerique nondum ſcientes quid rei agatur vel ſit. Lara tametſi vulneratus cum primis, dynaſtem de proditionis ſucceſſu plaudentem ſibi gladio confodit, nec vel exanimem confodere ceſſabat, donec undique barbaris irruentibus & ipſe cecidit. Supererat cum quatuor aliis fœminis Miranda inſons malorum cauſa, & quatuor pueruli, qui omnes vincti ad Siripam Mangoræ fratrem & ſucceſſorem adducuntur. Luciam ex omnibus ſibi retinet & ipſe amore captus. Vincula ſolvit, non ſervam appellans, ſed ſi lubeat dominam, cui gens tota ſubeſſet. Reſpondet illa prodebito, imo ſic reſpondet, ut ex amante furens illata morte captivæ innocentiam & honorem in tuto collocaret. Verum accidit, ut erga repugnantem Siripæ accreſceret amor, & ipſe fœmineam conſtantiam ſuperandi. Eam humaniter habet, imo ſupraquam in barbarum cadere poſſe videretur, reverenter. Novit illa, doletque in quod redacta ſit diſcrimen, cum ſupervenit Hurtadus nihil præter cineres turris Gabotianæ loco reperiſſe miratus. Dum nihil veritus uxorem repetit, ſtipiti alligari jubet Siripa ſagittis configendum. Miranda ſupplex mortem mariti deprecatur: & perditi amoris vis fecit, ut antropophagi furor conquieſceret. Imo & Hurtado vinculis abſoluto datum eſt, ut uxorem interdum alloqueretur, utroque tamen admonito, commercium maritale ſanguine luituros. Nec diu poſt ad Siripam retulit ejus uxor, conjuges legem violaſſe, cujus facti teſtis ipſe & judex utrumque reum dicit; uxorem rogo, maritum jaculis interficiendum: quod fatum pie ſubjerunt ſeſe coram invicem conſolantes.

Reliquorum Hiſpanorum ſors.

Interea Hiſpani cum Moſquera reliqui arcem utcumque inſtauratam contra hoſtem perfidia obfirmatum conſervare deſperabant. Diſceſſus ergo decernitur, lembo ad anchoram parato in mare ſecundo flumine deſcendunt, portumque ſatis commodum circa gradum trigeſimum ſecundum latitudinis ingrediuntur & muniunt (*b*), Moſquera præfecto: indigenarum animos ſibi conciliant, agroſque ſpem futurorum cultu ſubigunt. Haud ita poſt E-

duar-

(a) Primitiæ ſint Americani argenti, non auri; has quippe retulit Colon primo itinere, quas Ferdinandus V. Rex Catholicus dicitur divino cultui dicaſſe, extareque adhuc Cæſarauguſtæ donarium, & Granatæ.

(b) Portum gradu 32. os Fluminis Grandis eſſe oportuit a S. Petro nominati. Sed obſtat quod infra ponitur è regione Cananeæ gradu circiter 25.

Digitized by Google

duardus Perez nobilis Luſitanus in vicinia exul Hiſpanis additur ultro.

Geſta cum Luſitanis.

A Braſiliæ præfecto denuntiatum ſimul eſt, & Perezio ut in exilii locum regrederetur, & Moſqueræ ut vel mutaret ſolum, vel in fidem Luſitani Regis juraret. Paruit Perezius, ſed Moſquera verbo reſpondit, nondum diſcretis finibus ſibi eſſe fixum parta retinere. Armis & bellico apparatu deſtitutus, navem gallicam ad vicinam Cananeam forte appulſam cum Hiſpanis omnibus & bis centum Indis, lembis duobus, noctu aggreditur, occupat, exarmat, & in ſtationem ſuam pertrahit.

Accepto paulo poſt nuntio, Luſitanos mari ut Moſqueram apprehenderent adventare, quatuor ex præda gallica tormenta munit, arcem novis auget propugnaculis, & ſuorum partem ad vicinam ſilvam in inſidiis collocat. Octoginta erant Luſitani cum Braſilianorum exercitu; qui rati cum advenarum rerum omnium inopia laborantium manu rem eſſe, ſic gradiebantur, ut ſolet tribunus ad factionem latronum compeſcendam ablegatus, præſertim cum in portu neminem vident, qui deſcendentibus obſiſtat. Aſt ſimul atque veniunt in conſpectum arcis bombardis horridæ, & a tergo inſidiatores erumpunt, pavor omnes, primum Indos, deinde Luſitanos inceſſit. Omnes præter eos qui fuga primi dilapſi ſunt, plumbo vel ferro ceciderunt.

Hiſpani contra Braſiliam.

Poſt hæc Moſquera cum ſuorum parte & compluribus Indis naves Luſitanorum conſcendit in S. Vincentii deſcenſurus. Oppidum expilat, & Regis armamentaria eo facilius quod & Luſitani Præſidem exoſi manus & opem contulerunt. Sed veritus majores copias, & vim cui repellendæ eſſet impar, in S. Catharinæ inſulam, pacatiorem ratus, coloniam tranſtulit non diu permanſuram.

Luſitanus ad Paraguariam.

In Hiſpanienſi Curia non exciderat penitus de Paraguaria cogitatio; ſed cum nuntiatum eſt, Hiſpanorum ne unum quidem ibi locorum ſupereſſe, fecit neceſſitas omnia de integro recudendi, & Imperatoris abſentia, ut procraſtinaretur in dies, donec diffamatum eſt Luſitanos de colonia eo locorum deducenda conſultare. Species erat, ad abigendos e Braſilia Gallos inſtrui claſſem. Sed Imperatrici ſuſpicanti Rex Portugalliæ, ſorori frater, ſic reſponderat, ut ſuſpicio & fama non ex vano eſſe viderentur. Innotuit tamen haud ita poſt, Luſitanam claſſem alio deſtinatam: quo diſtulit Hiſpanus biennio rebus Paraguariæ providere.

1535. Ad Paraguariam claſſis apparatus.

Madritum tandem regreſſus Imperator de ſtabilienda ſede cogitat, qua nulla Novi Orbis ſplendidiore inſtituta eſt apparatu. Petrus Mendoza officio apud Imperatorem potens Præfectus regionum omnium ad uſque Mare Pacificum renuntiatur, eo pacto ut mille homines, equos centum, arma, & cibaria ad annum tranſveheret; ſedes poneret opportunas ſuis ſumptibus, rependendis bis mille ducatorum ſumma, & totidem quotannis de locorum proventu: caſtellorum trium gereret magiſtratum, ad poſteros hæreditario jure tranſmittendum: poſt annos tres poſſet Hiſpaniam repetere ſubſtituto Præfecto qui authentice confirmatus pari jure præeſſet: licet Indorum dynaſtarum lytrum, quo capti redimuntur, de regalibus ſit, Præfecto & militi cederet, decima fiſco reſervata: ſi dynaſtarum bello interfectorum theſauri per Hiſpanos occuparentur, Regi & Præfecto ex æquo cederent. Tandem evangelio indigenis prædicando ſecum veheret octo religioſos viros; caveretque ut ſedibus cunctis de medico, chirurgo, & medicamentis conſultum eſſet. Poſt hæc Imperator ad Mendozam ait, fore reum vexationum & injuriarum adverſus Indos, nec quempiam dum de illorum ad religionem chriſtianam agitur converſione, ſibi impune peccaturum.

Claſſis profectio.

Jam de claſſe quatuordecim (a) navium Gadibus inſtruenda mandata prodierant: & Joannes Oſorius Italus, qui in bello Italico conſpicua meruerat ſtipendia, pro Mendoza præfectus erat. Apparatus magnitudo, & de regionum opulentia vulgatus rumor tot etiam primariæ nobilitatis viros attraxit, ut primum iter ſolis quingentis obeundum bis centum ſupra mille aggreſſi ſint: quos inter triginta majoratu inſignes, & polemarchi plures e Belgio. Nulla eſt Hiſpanorum in Novo Orbe colonia, quæ tot magna nomina in conditoribus habeat. Viget in Paraguaria illorum poſteritas, maxime in urbe cognomine, quæ provinciæ caput eſt. Solvit claſſis Auguſto 1535. qui menſis opportuniſſimus eſt, ut ante Martii finem Flumen Argenteum ſubeatur, ne forte ventis boreali, orientali, & medio ſuccedant ex adverſo, qui in Braſilia hiemare cogant (b).

Oſorii cædes.

His non auſpicatior fuit Mendozæ navigatio. Et Herrera fallitur, dum ait recta Gabrielidas appulſum. Forte voluit hic author quod in Braſilia patratum eſt obvelare. Illud eſt certum, claſſem poſtquam lineam tranſmiſerat æquinoctialem, vi tempeſtatis diſperſam, nec niſi in termino congregatam; navem, qua Didacus de Mendoza Præfecti germanus frater vehebatur, curſu felici Gabrielidas attigiſſe cum paucis; reliquas cum prætoria Januarium ſubire compulſas: & hunc acceſſum ſecuta eſſe mala cum Præfecti vita finitura. Merita Oſorio, & forte natales exteri invidos peperierant, quorum opera ſuſpectus exſtitit Præfecto, quaſi imperium quo ipſe fungebatur ambiret. Nihil peccaverat Oſorius; ſæpe tamen fit, ut de reatu judicium ſolis ſuſpicionibus innitatur. Mendoza mandata dat, ut infenſus homo de

(a) Duodecim numeravit Herrera. *Charl.*

(b) Auſtrales venti, vulgo *Pamperos* ſtati & regulares non ſunt, ut poſt Martii finem ſint magis quam alias timendi. Nec opus eſt Auguſto ſolvere, quando quidem iter Gadibus eſt quatuor circiter menſium: Hyems præterea ibi locorum & in Braſiliæ parte in æſtatis noſtræ tempus incidit.

Digitized by Google

de medio tollatur, & pugione confosus illico est. Multi indignati sunt, quorum alii in Brasilia consistere, alii in Hispaniam regredi cogitabant: quod Præfecto discessum maturandi causa fuit.

Conditur Bonus aër. Circa Fluminis Argentei ostia nuntium accepit, Didacum fratrem cum classe reliqua apud Gabrielidas constitisse: quo tandem & ipse venit. Tunc Didacus Osorii nota cæde altum dolens ait, timere se ne totas in fratrem & ejus cœpta Numinis iras trahat facinus tam indignum. Inter Gabrielidas & oram occidentalem coacta classe, Præfecti sententia fuit, ut in hac ora prima sedes figeretur. Eligendo situi destinavit Sanctium *del Campo*, qui tutum & commodum arbitratus est, ubi ora nondum respicit occidentem, & terræ lingua quædam in flumen excurrit contra boream. Nec mora oppidum oblineatur nominandum *Nuestra Señora de Buenos Aires* (a), scilicet ab auræ salubritate. Universis adlaborantibus, brevi nemo fuit qui careret hospitio.

Hispanorum cædes. Male habuit indigenas proximus advenarum convictus, & ab Hispanis de commeatu sibi consulendum bello fuit. Ad comparandum mittitur cum armata tercentum militum, & complurium magnatum cohorte, Didacus Mendoza. Secunda luce ventum est in flumen (b) paludem influens, cujus adversam tenebat oram termille circiter Indorum manus. Plurium Hispanorum sententia fuit, ut barbari citra expectarentur. Sed Didacus jubet vadum trajici. Indi in primos impetu facto aciem dirigi prohibent; & in transitu contractus humor arma corruperat. Succedentibus Hispanis de barbaris multi corruunt: quo furor reliquis acrevit. Irruunt in hostium cuneum Bartholomæus de Bracamonte & Parafernes de Ribera cum paucis; sed collabentibus equis & ipsi cadunt. Accurrit Joannes Manrique qui & ipse interfectus est. Succedit ductor Didacus priorum ultor; sed hostibus conglobatis saxo (c) capite percussus cadit cum Petro Ramirez Guzman, qui opem lapso ferre nitebatur. Cæsis adnumerat Herrera Petrum de Benavides Mendozæ ex fratre nepotem. Receptui canere oportuit; sed erat difficile victis a pugna subducere se. Ajuntque ne unum quidem de Hispanis evasurum, si barbari turbatos una urgere pergerent. Dum se recipit decurio cognomento Luxan, vulneribus vivere desiit in rivo, quem sanguine scripsit sui nominis hæredem. Superstites recensuit Sanctius *del Campo*, & Franciscus Ruiz Galan ex peditibus non amplius centum & quadraginta, & equites omnino quinque, ex quibus plures vulnerati de via cecidêrunt, ita ut soli octoginta suos reviderint. Hoc prælio concidisse dicuntur omnes Osorianæ cædis compartes præter Mendozam, quem gravior quo magis dilata manet a Deo innocentum vindice infligenda pœna.

Bonaurensis fames. Jam eam satis acerbaverat tot colonorum jactura: etsi manum ultricem cognovisset Mendoza, exarmasset forte. Tristissima rerum facies erat: fames Bonis Auris extrema cui opem ferre non poterat, nisi conjectis in aleam Hispanorum reliquiis. Timendum erat, ne infideles inescarentur Christianorum sanguine; & Mendoza interdicto capitali cavit, ne quis extra mœnia civitatis pedem efferret. Sed quia extrema fames de malis unum est, quo pericula posthabentur & leges, addidit mandatis vim, appositis qui sparo continerent transfugas excubitoribus.

Hispanæ fœminæ casus. Horum vigilantiam fefellit fœmina quædam Maldonata nomine quam Deus semel & iterum eo modo servare voluit, qui ne fidem superet, publice notorius sit oportet. Post errores varios obviam venit in caveam, quam primo tutum sibi recessum fore credidit, sed expavit leænæ latentis occursu. Occursantis & mutuam gratiam repetenti similis blanditiæ paventem serenant. Parturienti nec potenti parere opportunam Maldonata fert opem cui non tantum signis leæna gratiam refert, sed quotidiano victu quæsito; nec reficere cessavit quandiu proles alenda fuit in cavea. Adulta prole disparuit, & Maldonatam sibi aliunde quærere victum oportuit.

Errantem Indi captivant, nec nisi diu post ab Hispanis postliminio recipitur. Pro absente Mendoza præerat Ruizius Galan, crudelior quam severior legum exactor. Noverat, fœminam contra legem excessisse civitate, nec longa & dura servitute satis punitam credidit. Capite damnat, & pœna quæ in solius tyranni mentem cadere possit. Manu militum in medium campum productam arbori jubet alligari, alligatamque deseri, certus a feris quantocius devorandam. Biduo post eosdem mittit qui sciant quo tandem res devenerit, & vident circum patibulum stantes tigrides & leones a leæna cum leunculis aliis quasi accessu prohibitos. Appropinquantibus missis leæna tantillum recedit, similis permittenti ut vincula enodarentur. Leænæ historiam sibi prius notæ narrat militibus Maldonata, & illi animadverterant ad reditum se accingenti suavius adblanditam leænam, quasi vale diceret amicæ & separari pigeret. Præses his auditis ferociorem se feris auditurum tandem animadvertit, ni fœminæ tam singulari protectione cœlitus dignatæ veniam daret. Author *Argentinæ*, qui primus casus hos memoriæ prodidit, ait sibi esse publica voce, & ipsius Maldonatæ ore notos. Et Techo testatur, se

(a) In actis publicis nominari solet *Ciudad de la SS. Trinidad, Puerto de S. Maria de Buenosaires*.

(b) Flumen *de Luxan* vulgo sonat, luti magis quam aquarum copia timendum, nec tuto nisi per trajectus certos permeabile.

(c) Centum illac leucarum spatio saxum nullum, vel minimus lapis indigena est; sed Indi olim & in præsentia Mistindi rotunda saxa duo in prælio & venatu adhibent, corio tecta, & loris alligata, ut post jactum retrahantur. Terribile etiam bobus & equis armorum genus. Vulgo dicuntur *Bolas* Hispanorum lingua.

Digitized by Google

se Paraguariam ingressum plures audivisse factum synchronum & nemini dubium referentes (*a*).

Nova in Paraguaria sedes.

Bonis Auris abesse dixi Mendozam, Maldonata reduce. Nempe quærebat adverso flumine remedium fami, cujus causa bis centum colonos amiserat. Dum Turris Gabotianæ ruinas contemplatur, sic placuit præstantia situs, ut novam arcem condere decreverit, cui nomen fecit *Buena Esperanza*, quam etiam nominatam reperi *Corpus Christi*. In eam pronus sententiam venit, quod Joannes de Ajolas suum locum a Rege tenens qui præiverat, affirmavit nunquam non cibaria suffecturos Timbues Hispanis reconciliatos, vel his vicinos Caracóas, Quin etiam Franciscum de Alvarado cum militum præsidio in situ diruta Turris reliquerat. Hæc non potuit non probare Mendoza, jussitque Ajolam Paraguaim subire, quantum per vada liceret, lembis tribus, vectoribus quinquaginta, quibus & itineris socios Dominicum Martinez de Irala, Joannem Ponce de Leon, Ludovicum Perez, S. Theresiæ, ut fertur, germanum fratrem, & Carolum Dubrin adjungi permisit: addito in mandatis, ne de successu rerum edocere se per nuntium differret ultra menses quatuor.

Mosqueræ adventus.

Nondum annonæ satis collectum erat pro Bonaeris necessitate, qua tota malorum de quibus præteritorum temporum est memoria proluvies exundavit. Sed paulo post Gonzalus de Mendoza, qui eadem causa Brasiliam petiverat, rediit onerata nave, quam duo phaseli cum Mosquera & cunctis S. Catharinæ colonis, pluribusque Brasilianis fœderatis proxime secuti sunt. His levamen aliquod, sed major incolarum turba Bonis Auris advenit: & eo præsentius imminebat penuriæ discrimen, quod agri circum furentibus Indis minus curabantur.

Regiones obitæ ab Ajola. Portus Candelariæ.

Interea Ajolas flumine usque ad locum ubi postea Assumptio urbs condita est superato, Guaranios late ad orientem accolas benevolos habet. Victum etiam mercibus comparatum abunde suppeditant. Progressus deinde ad altitudinem viginti graduum, quadragintæ minutorum, venit in portum, cui nomen fecit a *Candelaria*: & Guaraniis asserentibus, ad occidentem versus esse Indos multo divites auro argentoque, placuit illorsum iter experiri (*b*). Descendit e regione Candelariæ, quo lembos remisit; atque Iralam cui vices suas credidit, sex menses expectare jussit, quibus exactis ageret pro arbitrio. Multum fidebat Pajaguais Candelariam frequentantibus, nec inofficiosis. Ibidem Vergaram decurionem cum Hispanorum præsidio reliquit. At Irala non ultra menses quatuor intra portum se continuit, lembis ut ait Herrera rimas agentibus. Sed prætextus fuisse videtur, quem adversæ deinde suspiciones secutæ sunt.

Mendoza rabie moritur.

Ajolam de suscepto itinere ad Mendozam scripsisse verisimile est; certum vero litteras non esse redditas: quod eo gravius Præfecto fuit, quod Ajolæ omnium maxime fidebat & merito. Gonzalo de Mendoza, & Joanne Salazario de Espinosa, ut quo ille devenisset renuntiarent ablegatis, æger decubuit. Jam decreverat in Hispaniam regredi: & ut per valetudinem licuit, navem conscendit cum Joanne de Caceres, quo a thesauris utebatur, Bonis Auris præfecit Franciscum Galan, & Ajolam toti provinciæ, quem & instituto hæredem (*c*). Desperabundus, & horæ maledicens qua patriam indecoris posthabuerat cœptis, mari se committit. Vix in altum prodierat, cum adversus eum elementa conspirare visa sunt: & corruptis vel exhaustis cibariis, carnibus gravidæ canis cibandus fuit: quo & mœrore viscoribus corrosis, in sensuum alienationem incidit, deinde in phrenesim & furorem, cujus impotentia efflavit animam.

Subsidium in Paraguariam.

Cum nuntius ad Hispaniam pervenit, duæ subsidiariæ naves erant Hispali ad Paraguariam instructæ, quas institores retinere volebat de reficiendis sumptibus soliciti. Eas Imperator præfecto Alphonso Cabrera expedire jubet, addito gaulo cataphracto gubernatore Lopezio de Aguinar. Ajolam confirmat totius provinciæ præsidem: tempore famis humana carne pastis ignoscit, qui dum meritas pœnas timent apud Indos versabantur. Sex Ordinis Franciscani alumni navem conscendunt bellicam, quos Imperator omnibus ad sacrum ministerium necessariis instruit. At hæc subsidia anno 1537. expedita Gadibus, non ante 1539. recepta sunt Bonis Auris.

1538. De Pajaguais.

Candelariam interea pervenerant missi Mendoza, & Salazar de Ajola prorsus ignari. Iralam conveniunt apud vicinos Pajaguaas commorantem, quo duce illum vestigiis omnibus indagant, sed incassum. Igitur scripto arbori affixo in portu Ajolas redux quidquid erat e re docetur, illud maxime ne Pajaguais se crederet. Eo magis necessarium monitu id erat, quod gens est omnium perfidissima, qua nulla cavenda magis, quæ cum summa feritate speciem humanitatis combinare novit, & blanditiis proditionem obtegere; ita ut mirandum non sit decepisse plurimos priusquam iteratis innotescerent experimentis. Nulla sede morantur, sed utramque Paraguais oram pervagantes, ubique piraticam exercent.

Assumptionis oppidum.

Candelaria secundo flumine versum Mendoza & Salazar prope borealem Pilcomaii confluentem ad locum ubi ad occidentem fertur tum flumen quamdam portus similitudinem refert

(a) Miraculum par aut majus coram populo contigisse Romæ sub Caligula Imperatore, refert Apion testis ocularis lib. 5. Ægyptiacor. apud Aulum Gellium *Noct. Attic.* lib. 5. cap. 14., nempe de leone hospite hominis, & de homine medico Leonis.

(b) Si Ajolas ex Mendozæ mandato flumen subiisset quantum per vada licet, inveniisset tandem quod ad occidentem quærebat inauspicato. Cujabæ videlicet montes auro & gemmis gravidos; a vigesimo enim circiter gradu quo pervenio, Paraguaim subeundo thesauros Lusitani possident.

(c) Hæredem institutum verisimile est rerum in Paraguaria quæsitarum. *Charl.*

Digitized by Google

ſert gradu vigeſimo quinto & aliquot minutis latitudinis (a). Commodiſſimum ſitum arbitrantur, in quo arx erigatur, brevi futura urbis provinciæ caput. Atque diſtat a Peruvio & Braſilia, & a capite S. Mariæ lecuis itinere navali ſexcentum. Nomen Aſſumptionis a Conditoribus accepit, quo etiam hodie nominatur (b).

Status coloniæ ad Bonas Auras.

Aſſumptione conſtitit Mendoza ſolus, Salazar Bonaream contendit, Præfecto cujus diſceſſum ignorabat, nuntium de Ajola redditurus nullibi gentium comparente. Deſolatione & fame confecta erat civitas, Galanum oderat, & in ſolitudinem jam diu redacta eſſet, niſi certa mors immineret ſolum mutanti a barbaris vel a feris. Gratiſſimus fuit adventus Salazarii præſertim cum triduo poſt appulit navigiorum trias. Galanus accepto per Salazarium, frumentum abundare apud Aſſumptionem, eo ſtatuit ad comparandum ire cum Cabrera & præſidii parte; quod nulli non gratiſſimum accidit, his quod ibant eo ubi nemo fame moriebatur, aliis quod peregre ibiret Galan, quem præfectum deteſtabantur.

Aſſumptione fames.

Verum primi decepti ſunt, nam multa paſſis de via æqua in termino atque Bonis Auris patienda fuit egeſtas. Salazarius quidem vera narraverat de Guaraniorum adverſus Hiſpanos benevolentia; ſed locuſtæ ſegetes devoraverant, & advenas quam primum diſcedere oportuit, ne major ex numero exiſteret inopia.

Prætoris Bonarenſis indignum facinus.

Ad arcem Bonæſpei regreſſus contractam bilem in Caracóas egeſit Galan, cui perſuaſum erat eos in hoſtium partes concedere. Indicta cauſa, puniendos eſſe conſtituit, nec a ſententia per Franciſcum de Alvarado qui præerat, & primarios militum dimoveri potuit. Proditionem quam bellum adhibere maluit. Caracois amicitiæ ſpeciem obtendit & incautos aggreditur primo luce: mapalibus ignem injicit, fœminas & pueros captivat, ſuiſque militibus tradit. Arci pro Alvarado præficit Antonium de Mendoza, relictoque centum militum præſidio navem conſcendit.

Ultio de Hiſpanis.

Recruduit facto vetus contra Hiſpanos Timbuezium odium; atque inſidam gentem perdere & exterminare conſtituunt. Hoc conſilio ſimulant, ſibi rem eſſe cum Indis Hiſpanorum atque atque ſuæ gentis hoſtibus, petuntque ab Antonio de Mendoza ſubſidium, quod incautus detulit mediam totius præſidii partem ſub Alphonſo Suarez de Figueroa. Timbuezii ſpecie tenus gratiam referunt, ned mora cum auxiliari manu viam arripiunt. Vix ter mille paſſus emenſi deponunt amicitiæ larvam, & Hiſpanos a fronte & ex inſidiis a tergo impetum faciunt. Barbarorum ſtrage multa reluctantur Hiſpani, ſed oppreſſi numero omnes ad unum cæſi ſunt. Victores actum eſſe de arce credunt, eamque incondito clamore aggrediuntur. Et Mendoza ratus deſperatis rebus audacibus animis opitulandum in apertum prodit, viam ferro ſibi facturus. Fortiſſimos de ſuis amiſit, & ipſe gravi ſauciatus vulnere pugnam intermittere coactus eſt, ſed potuit intra munimentum ſe recipere. In extremo diſcrimine proximam ſubit ſtationem lemborum par a Galano miſſum, quem ſibi redditum mordebat perfidum in Caracóas auſum, nec latebat quid ex eo timendum.

Obſidione liberatur arx.

Arcem obſeſſam dum gubernatores intelligunt, celerem opem ſubmittunt. Eam bat bari nihilominus occupare contendunt, ſed lemborum tormentis exploſi opportune, ſimul atque manus e terra conſerunt auxiliares, in fugam multis eorum deſideratis verſi ſunt. Ab hoſte vulgatum fertur, in medio certamine ſuper arcem viſum hominem albis indutum veſtibus, gladium vibrantem manu, cujus fulgore terrefacti & obcæcati corruerant. Paraguajenſium traditio eſt, fuiſſe S. Blaſium, cujus erat dies feſtus, & quia alia plura benefacta in S. Martyris protectionem accepta referunt, non ſolum eo tempore ſolemnis inſtituta eſt gratiarum actio, ſed tota eum provincia, & nominatim provinciæ caput, patronum primarium poſt B. Virginem veneratur.

Iralæ de Ajola ſolicitudo.

Victoriam proxime ſecuta eſt mors Antonii de Mendoza ex vulnere accepto. Tunc lemborum primus gubernator arcis incolumitate deſperata, ſolo æquari jubet, & præſidii reliquias exportat. In ſede Aſſumptionis ſatis firma Iralam ſolicitabat Ajolæ Præſidis ignorata ſors. Poſt diſcuſſiones multas Candelariam repetit, nec reſcriptum ibi relictum invenit. Progreditur adverſo flumine. Ad Pajaguaas regreditur poſt caſus varios & diſcrimina in quibus & vulneratus ab irruentibus barbaris aliquando eſt. Nocte tandem concubia, qua procul a ripa navis ſubſtiterat, ſe compellantis vocem audit.

Ajolæ mora.

Applicatur ſcapha, & erat Indi vox ajentis, verbum ad eum qui præerat velle ſe. Solus & inermis in ſcapham ingredi ſinitur, & cujas eſſet interrogatus ab Irala reſpondet, ſe de Indis eſſe qui *Chanes* dicuntur (c), & Hiſpanos quærere quos de obitu magni cujuſdam inter ſuos viri nomine *Ajolas* certiores faciat. Ajolam nominanti lacrymæ obortæ ſunt, nec niſi alternis ſingultibus proſequitur: *Triſtiſſima* referenda mihi ſunt. Magnus Ajolas gentis meæ dynaſtæ conſilium aperuit iter ulterius obeundi, & unde apud certos Indos repertum aurum argentumque extraheretur inveſtigandi. Imparato ad iter longum, moleſtum, & periculoſum viæ ducem & ſubſidium confert, quo voti quidem compos evaſit, ſed multo certamine & pugna. Ad fines Peruvii dum

(a) Nempe, min. 17., 15. ſec.; longitudinis vero a primo Gallorum meridiano 320. min. 12.

(b) Paraguai dicitur etiam urbs, ut provincia.

(c) Qua Paraguais occaſum reſpicit ſunt Indi *Chaneſes* & *Chanés* dicti, ex quibus Mbajaæ captant ſerviles operas. Et ex Mbajaa gente ſunt qui utrinque Paraguaim accolunt: ex quibus forte fuerunt Aiolæ graſſatores.

Digitized by Google

dum venit, acceptiſſimus fuit indigenis; nec immerito, erat enim conſuetudine blandus, nec ſuos quidquam contra jus faſque audere permiſit. Ad nos rediit auro & argento dives, noſtratis dynaſtæ donis ditior evaſit. Ad gentiles ſuos, quos in Paraguais alveo reliquerat concedere ſe dixit, ampliore comitatu rediturum. Qua ſpe plures, in quibus ego, ad portandum humeris theſaurum delecti ſunt: quibus per vaſtam ſolitudinem ad vitandos infidelium incurſus circum eundum fuit. Sociis in condicto loco non repertis ſubſiſtimus aliquandiu, perquirimus quo devenerint. Indi quidam Pajaguais confœderati largitionibus de piſcatu & venatione circumventos invitant, ut amici ad amicos divertamus. Hiſpanis nihil veritis inſidias parabant perfidi, & in paludoſa loca, ubi ægre poſſit gradus figi, conjectos Pajaguæ clam moniti adorti ſunt. Hiſpanos & e noſtris plures occidunt, me & alios captivant. Ajolas inter juncos principio latens producitur, & in certam inſulam deportatur omnium acerbiſſima cæde perimendus. Mox ego in libertatem aſſertus Hiſpanos quibus hæc nuntiarem quærere non ceſſavi.

Ad Iralam præfectura devoluitur.

Perfidos caſtigare prædamque recipere decreverat Irala; ſed alluvione ſuorumque affecta valetudine, & laſſitudine prohibetur. Nec vulnus quod ipſe acceperat, cicatricem duxerat: & aliud erat, quod hominem magis ſolicitaret. Aſſumptionem petit, quæ jam tunc urbis quamdam referebat ſpeciem, & in quam cuncti convenerant colonorum primores. Hi Paraguariæ debellatores etiam in Curiæ reſcriptis nominabantur (a). His diu conſtitit provincialis Senatus, quibus inconſultis vetabat ut plurimum Imperator nequid auderent Præſides. Iralæ ſuam delegaverat authoritatem Ajolas abſens: nec ille quemquam qui refragaretur fore verebatur, & nemo revera fuit qui Generalis Præfecti munus abnegaret Iralæ; non diu tamen fuit quin competitores emergerent.

Ad Bonas Auras fames.

Interea colonorum ad Bonas Auras decreſcebat numerus. Commeatus longe ex Hiſpania quæſitus, rurſus in extremam deſierat famem. Quot quot ad Indos deficiebant, per Chartúas omnia late circumvaſtantes occidebantur. Tandem Galan & Cabrera Aſſumptionem migrare conſtituunt, relictis tantummodo quos navis capere non potuit. Irala jam plures concurrentes, numerabat quibus & Galan additus eſt. Imo & Herrera ſignificat hos tantum duos de præfectura contendiſſe. Sed Cabrera productis quas acceperat ipſe ab Imperatore, litteris datis 12. Septembris 1537. litem diremit.

Illarum ſumma eſt, ſi mors obveniret Gubernatori per Petrum Mendozam conſtituto, & nec ille ſucceſſorem, neç provinciæ conditores ſeu debellatores ſubrogaſſent, hos convocaret Cabrera, & ſacramento ad renuntiandum adſtringeret, qui omnium digniſſimus haberetur. Qui plurium ſuffragio renuntiaretur, is regio nomine gubernaret. Quibus peractis Dominicus Martinez de Irala unanimi ſententia Prætor & Generalis Præfectus habitus eſt.

Imperatoris litteræ.

Antequam comitia dimitterentur, quæſivit ille, num placeret Bonaerenſem deſeri ſedem, ubi tot annorum experientia nota erat permanendi difficultas, dum barbaros continendi, & inopiam levandi copia deeſſet. Multorum ſententia fuit, neceſſarium eſſe portum, quo naves Hiſpanicæ reciperentur, ſine quo actum erat de Aſſumptione tam longe a mari diſſita. Prætor ad hæc, facile poſſe Peruvium frequentari ad trahendam inde neceſſariam opem & opes. Latuit principio quod haud ita poſti ſuboluit, independentiam affectari a Curiæ mandatis ægrius & tardius indicendis; haud ægre cum indicerentur eludendis; In ſententiam Prætoris itum eſt omnium pedibus: & executio mandata eſt Didaco de Abreu lembis tribus, pluribus onerariis coloniam levaturo. Bonaurenſium lætitia Liguſticæ navis vectoribus communis fuit, qui merces quinquaginta ducatorum millibus comparatas in Peruvium invehere contendentes freto Magallanico repulſi ſunt primo ventorum vi, deinde Flumen Argenteum ingreſſi, vadis illiſa & dehiſcente navi, rerum omnium jactura ſalutem redimunt, naufragio liberi, fame ni Abreus adventaſſet in portu perituri. In his plures erant Itali nobiles, quorum forte poſteri hodiedum in Paraguaria permanent. De nonnullo certe in hac Hiſtoria memoria eſt. Erant in primis Antonius de Aquino, Thomas Rizzo, & Joannes Baptiſta Trochi.

Bonaurenſis coloniæ diſſolvitur.

Provide viaticum præmiſit Prætor toti transmigrantium turbæ, & poſtquam aſciti ſunt oppidum vallo munit, rem publicam ſtatuit, incolas recenſet præter fœminas & pueros ſexcentos numero. Poſt hæc Indis, quorum multos abluerant Franciſcani, chriſtianæ religionis reverentiam inditurus, ſupplicationem inſtituit generalem in memoriali dominicæ paſſionis die celebrandam anno 1539. (b). Circum morantes Indos invitat, qui jam Hiſpanos ex inſuavi conſuetudine peroſi, & chriſtianiſmum timore aut cupiditate amplexi, ſpe jugum excutiendi conveniunt plerique.

Status Aſſumptionis.

Indorum conſpiratio.

Erant quaſi octios mille arcu & pharetra nunquam non inſtructi, quod conficiendo conſilio ſatis erat; noverant quippe adfuturos Hiſpanos tergo nudos, inermes, & flagello cædentes ſe. Dum ſupplicatio paratur, Inda Salazaris ancilla, hero ſibi grato, dum ſupplicem habitum accommodat, quaſi morituro illacrymavit. Lacrymarum cauſam exquirit ille; & ancilla totam conjurationis exponit ſeriem. Prætorem protinus adit Salazar, ut malo

(a) Vulgo *Conquiſtadores*.

(b) Factum ſimile narratur in Vita S. Franciſci Solani, aliud tamen oportuit eſſe poſterius, contra quam non nemo arbitratus eſt; Solanus quippe nondum hoc tempore natus, certe nondum in Americam translatus erat, nedum in Paraguariam.

Digitized by Google

lo quantocius medeatur. Prætor nuntiatum ſimulat, Japiges Hiſpanorum hoſtes adeſſe: ſimul incolas armari jubet; & Indorum primores vocat ſpecie deliberandi de rei ſumma. Seorſim advenientes in vincula conjiciuntur. Deinde Prætor quid eſſent machinati probe ſe noſſe ait: & cunctos ſuſpendio damnat. Pœna exigitur coram reliqua Indorum multitudine, qui dum Hiſpanos armatos vident, hiſcere non audent. Immo fatentur ſe quoque reos eſſe, culpam deprecantur, & veniæ ſi fiat gratiam habituros promittunt. Illico filias volentibus Hiſpanis nuptui dant. Horum fauſtus conjugiorum exitus Hiſpanorum plures alios impulit ad contractus ſimiles (*a*). Et Æthiopiſſas fuerunt qui uxores ducerent. Unde orta eſt hybridum & Miſtindorum in hujus provinciæ finibus illuvies.

Novus Paraguariæ Prætor.

Inter hæc Imperator de rebus Paraguariæ anceps; de Ajolæ interitu ſatis certus, ſerio de ſufficiendo Prætore & ſubſidio cogitat. Poſt vices & exitum Petri de Mendoza vix fore credebatur qui neceſſarios adornandæ claſſi ſumptus vel partem ſuppeditaret, non tamen diu a Carolo requiſitus eſt. Octo ducatorum millia, cunctas videlicet facultates ſuas obtulit Alvar Nagnus de Vera Capivachius (*b*). Ortus erat Franciſco de Vera, & Thereſia Capivachia parentibus, & avo Petro de Vera, qui debellatis Canariis inſulis præfuit, ubi exacto in Regis obſequia patrimonio, magnam nummum vim a divite Mauro mutuari coactus eſt, oppigneratis filiis duobus. Unus horum fuit Alvari pater, cui & nomen nobiliſſima ſtirpe genitricis additum eſt.

Alvari mores.

Mirum eſt, virum probitate, prudentia, religione, zelo, & Principis obſervantia præſtantem, minus fortunatum Paraguariæ ceſſiſſe, & ex virtutibus conſpicuis anſam arreptam ut opprimeretur. Jam notus erat itinere calamitoſo ad Floridam anno 1528. dum claſſis Pamphili de Narvaez theſaurarium egit. Diſperſarum vi tempeſtatis navium ea qua vehebatur Alvarus in Novæ Hiſpaniæ littus alliſa eſt, vectoribus cunctis in Indorum ſervitutem redactis. Sed Alvarus maxime ob mirum medicarum curationum uſum ſummo honore habitus eſt, etiam ſacris honoribus dignatus ab Ethnicis: moribus tam incorruptis ut captivitatis ſocii curationes vera miracula exiſtimarent. In Hiſpaniam redux meritam conſervavit nominis celebritatem: ſuitque illa pergrata Imperatori. Illum creat Fluminis Argentei Prætorem, ea tamen lege ne præfecturam ſuſciperet, niſi de Ajolæ obitu coram certior factus, futurus tantum ſuperſtitis locum tenens.

Mandata.

In mandatis accepit, nequem in provinciæ finibus pateretur advocatum ſeu cauſidicum, procuratoremve; etenim iteratis experimentis compertum erat, tardius per tramites forenſes progredi coloniarum cauſas: ut agros ſemel Hiſpanis conceſſos cultoribus proprios adſcriberet, dum opera non interrupta annos viginti quinque colerentur; ut privatis eſſet integrum cum indigenis contrahere, & in Hiſpaniam regredi; in ſingulis oppidis crearentur Magiſtratus juris vindices; ut nullus primis quatuor annis incola ex debitis in judicium traheretur, nequis portoriis biennio eſſet obnoxius; ut jus recuſationis & provocationis ad Regium Senatum eſſet incolume; ne cui ad Curiam recurrendi, vel ſcribendi copia negaretur; ut in criminalibus, dum ad Regium Senatum provocatur, jus commune ſervaretur; de iis qui ſupremis tabulis non confectis, nec hærede relicto decederent, obtineret præſcripta ordinatio, & ſeorſim adjuncta mandatis; ne quid ipſe temere & inconſulte deſineret; idque, in judicibus ſubalternis caveret: ne fœnus campſoribus permitteret Caſtellano (*c*) majus: ne quinta portio fiſcalis præterquam ex auro & argento exigeretur; ut in ſingulis oppidis eſſent prata paſcendis animalibus communia (*d*): ut ordinarii Magiſtratus cauſas judicarent ad forum quod Hiſpani appellant *de la Santha Hermandad*, deferri ſoliras (*e*).

Gadibus ſolvit.

His mandatis inſtructus Hiſpalim contendit Alvarus, ubi duas comparat naves, aliam trecentum, centum & quinquaginta thonnelorum aliam, præter naviculas itidem duas (*Caravales* vocant.) Milites ultro nomina dantes quadringentos deligit, & duplici munit armatura. Septembris 8. Gades applicat, adverſa ventorum vi ad Novembris 2. commendus. Palmam tenuit novendio, ubi & diebus viginti expectandus fuit ventorum favor. Adulteriores Heſperides vela tendit die 26.: quo trajectu prætoria de cætero ſatis firma & nova rimas agente, & cibaria corrupta ſunt, & auctus nautarum labor. Tandem Jacobæam appulit diebus novendecim. 1541.

Jacobæi pontus ad Caput viride incommoditas.

Hujus inſulæ portus incommodiſſimus eſt, fundo malefido ob occultas rupes, quibus anchoræ ſic ſæpe tenentur, ut ruptis funibus abjiciendæ ſint: periculoſus etiam dum ſævit tempeſtas. Cœlum inſuper per labentem eo tempore æſtatem (*f*) morbidum eſt & nautis exitiale, quorum tamen nullus viginti-quinque dierum mora deſideratus eſt: quod inſtar miraculi fuit, in memoriam revocatis, quorum author tempore captivitatis credebatur Alvarus. Contigit vero haud ita poſt quod eam

(a) Immo neceſſitas impulit ad ſic contrahendum matrimonia; pauciſſimæ namque fœminæ ex Europa in Americam deductæ ſunt. Modo tamen de filiabus Hiſpanorum multo plures ſunt nubiles quam nuptæ etiam recens advenis. Pro viris ſingulis ſeptemdecim fœminas fuit qui ſupputaret. Cauſa ad Paraguariam quod attinet, ſatis obvia eſt.

(b) Vulgo *Cabeza-de-Vacca*.

(c) Aureus eſt nummus 3. libris, to. ſol. monetæ Gallicæ comparatus. Vide Marianam De Pond. & Menſ. cap. XXII.

(d) *Exidos* vocent.

(e) De quo eſt lib. 5. tit. 4. præſertim lex 4. Jur. Ind.

(f) Immo hyems erat ibi locorum, non æſtas. Sed vel hyems ibidem æſtuat.

Digitized by Google

eam militum & nautarum opinionem confirmaret, Alvarum a Deo singulari ratione protegi.

Prætoris ex lepido eventu incolumitas.

Transmissa linea æquinoctiali, ex centum aquæ doliis in prætoriam immissis tria tantum esse reliqua animadvertitur: quo proximam ad oram appellere jubet Prætor. Quarto post die ante primam lucem audiunt mirati cantum grylli seu stridorem nautæ. Illum quispiam clam importaverat navigationis socium, & ex quo Gades reliquerat classis obmutuerat. Fuit qui stridore primum audito clamaret *terra, terra*: nec enim animalculum id genus non stridet, dum terram persentiscit. Jubet Alvarus in carchesium speculatorem ascendere, qui oram altissimam scopulis acuminatam prima luce conspicit. Prora torquetur ad lævam: & gryllus quod nec ad Palmam, nec ad Jacobæam fecerat, dies reliquos ante auroram annuntiare perseveravit.

Ad S. Catharinæ applicat.

Superato Promontorio Frigido sub gradu 24. ad austrum, ad Cananeæ portum a vi ventorum interposita insula munitum, ulnis undecim profundum patet aditus. Hinc ad S. Franciſci Flumen leucæ vigintiquinque numerantur, totidem ab hoc flumine ad Insulam a S. Catharina, ubi jactæ sunt anchoræ 24. Maji. 1541. adita possessione pro Castella. Insulares sibi humanitate devincit, Alvarus, & continentis incolas, ubi duos esse viros religiosos accepit parum a barbaris tutos, qui nuntiato illius adventu coram admonent, ab inimica gente nihil non timendum Hispanis. Quibus Alvarus adhibiturum se remedium promittit, quod haud difficile fuit. Innotuit tunc primum, quemdam esse cum Indis consuetudinis usum, quo barbarorum animos & gratiam conciliaveris.

De Paraguaria nuntiata.

Mense Majo expedita navicularum altera Thesaurarium Philippum de Canceres Bonas Auras præmittit Alvarus. Sed dum caput *a Sancta Maria* superare nequit, ad S. Catharinæ regreditur: quo mox Hispani duodecim applicarunt scapha vecti. Magistratus Bonaurensis intemperantiam non passi, ajebant illi, fugerant: incolarum auctarium, & annonæ subsidium suffectum esse, sed egestatem esse maximam & a barbaris metum: centenis vigenis illinc leucis, ubi erant, conditam esse Assumptionis urbem (a), ex qua tercentenæ quinquagenæ ad caput a S. Maria putabantur fluviali itinere sat difficili. Certam esse Ajolæ & Sociorum cædem a Pajaguais patratam, Iralæ culpa ut vulgo credebatur, quod in portu Candelariæ ex illius mandato non expectasset: Indos æque atque Hispanos per regios quæstores nimium vexari; se fugam suscepisse, & in Hispaniam iter, ut hæc nota Indiarum Senatui facerent: tandem & Assumptionem, & totam provinciam Iralæ subditam esse.

His, quæ cum emigratione Bonaerensium conciliari nequeunt, nisi dicatur transfugas hos diu ante hoc tempus defecisse, iter ad Assumptionem recta maturavit novus Prætor, contra nitentibus Caceres, & nauclero Antonio Lopez, ut cum tota classe Bonas Auras adverteret. Factorem Petrum de Orantes, quæ potissimum via tenenda sit, jubet inquirere. Et ille regionem perscrutatus retulit, ex indigenarum, & S. Catharinæ insularium sententia, viam esse secundum flumen *Itabuzu*, quod contra boreale S. Catharinæ caput, novendecim fere ab ea statione leucis, mari adlabitur. Penitius investigatam nulla mora teneri jubet. Monachorum par ibi repertum ibi relinquere decreverat; sed enixe petentibus secum abire permittit.

Terra petit Assumptionem.

Octobris 18. Petrum Estopignam Capivachium classem Bonas Auras deducere jubet, partem suorum cum vicenis senis, quotquot erant superstites, equis ad Itabuzuum præmittit, insularibus valedicit remuneratis, quorum plures sponte viæ duces, lixas & calones se dant. Reliqua erant CCL. capita, quibuscum octava Novembris præeuntes sequitur. Novendecim dierum spatio via sæpe manibus & brachiis aperienda fuit. Sed ingresso post hæc frequentiora loca, Indorum greges occurrunt esculentis onusti, & novorum hominum stupentes visu.

Per medios transit Guaranios.

Guaraniorum erat gens agrorum cultrix, & quæ singulis annis maizii duplicat messem. Mandiocham conserit ex qua *Cazabe* fit, porcos nutrit, anseres, gallinas, & psytacos. Paraguais accolæ orientales prope Assumptionem ejusdem sunt gentis, qua nulla hujus continentis est numero aut regionum amplitudine major. Ad Maraguonem usque, ajunt, esse diffusam, ejus incursus ubique formidandos; unde & nomen datum est genti quod *bellatorem* sonat. Ex Guaraniis ortum habent Chiriguani, qui Peruanorum montium partem incolunt, Tapes Brasiliæ confines, Brasiliani plures quibus eorum sermo familiaris est, & alii deinde memorandi ut se feret occasio. At non omnibus est communis natura & ingenium, neque sunt æque feroces & anthropophagi, quod in erraticam aut contra sedentariam vivendi rationem referendum est. Sors bello captorum eadem est apud eos & Canadenses. Omnes de cætero mente sunt bardi, indolentia vix ullo superabilis cultu, ultra quam dici potest improvidi, voracissimi, & inertes.

Quos Alvarus primum obvios habuit sat pacati visi sunt. Horum ragionem adita clam possessione Castellano juri vendicat, nominatque *Campaniam*, vulgò *Provincia del Campo*. Hac ulteriorem non absimilem natura, sorte parem, de suo cognomine vocat Provinciam *de Vera*. Sed nomina obsoleta sunt. Decembris 1. perventum est in Iguazu amnem magna vi aquarum Paranam influentem inter gradus 15. & 26. latitudinis australis Biduo post in Cibogim fundo sic lapidibus magnis stra-

(a) Petrus Fernandez, qui Alvari gesta vulgavit, pro Assumptione Ascensionem habet; sed est solus qui id nominis adhibeat, plane abs re.

Digitized by Google

ſtrato, ut ars & manus adhibita eſſe videatur: tam rapidum, ut ægre firmaveris gradum. Et equi & homines ſimul colligandi fuerunt ad trajectum.

Itineris ordo. Inſtitutus itineris ordo Indorum ubique conciliabat animos. Paſſim Alvari nuntiabatur adventus, large ſufficiebatur annona largius compenſanda. Cavebat ille ne quod ſui damnum ſcandalumve inferrent. Nec pagos ingredi licebat Hiſpanis, niſi deſignatis: deſignabat autem eos, quorum prudentiæ credebat plurimum. In leviſſimam ſuorum licentiam ſeverius animadvertebat: doluitque maxime regulares illos memoratos intra comitatum admiſſos, ex quo pejus morigeratos expertus eſt, quam ſui illorum ſtatûs ſanctitatem decebat. Quin etiam ab Alvaro inſalutato diſceſſerunt, cujus mandato quæſiti & inventi ibi ſunt, ubi jam minus commode habere cœperant.

Natura locorum. Haud ita poſt obviam ab Aſſumptione ſit Braſilianus quidam Michael nomine. Præiturum ſe ſpondet: quo Indos eo uſque viæ duces muneribus auctos Prætor dimiſit. Medio Decembri ad 24. latitudinis gradum ventum eſt: poſt quem peculiaris formæ pinos fert terra, quarum ſtipitem quaternis vel quinis circumdederis ulnis, quarum fructus ſtrobyli culeolis caſtaneæ noſtræ ſimilibus occluſi glandi magnitudine comparantur. Ex his farina fit, optimus indigenarum cibus. Porcis & ſimiis pabulo ſunt, & porcinæ quidem carni mirum ſaporem impertiunt. Ulterius maizium colitur, & batatæ flavo, albo, rubro coloribus diſcriminatæ. Naſcuntur ibidem cupreſſi, cedri, & aliæ Europæis ignotæ arbores, quarum truncis exquiſiti mellis alvearia continentur. Hinc ſucceditur in montana, quorum valles frequentibus cannetis adumbrantur: & cannas occupant vermes digito magnitudine pares, qui ſuopte adipe fricti eſca delicatiſſima Hiſpanis ſunt. Cannis effluit aqueus liquor ſaluber & valde refrigerans.

Dum ventum erat ad Iguazuum (a), voluit Alvarus aqua deferri ad Parannam; ſed de Luſitanorum cæde ibi patrata monitus, ac de inſidiis Pechiri accolarum in Uruguaim defluentis, octoginta ſecum ire jubet ſecundo flumine, reliquos in utramque oram diſtributos incedere. Parannam ingreſſus Guaraniorum aciem conſpicit ripis imminentem, pennatis galeatam criſtis, totis corporibus pictam, & progreſſum impedituræ ſimilem: quam tamen Alvarus humanitate reddidit officioſam, nedum exarmavit. Eo loco Paranna profundiſſimus eſt, & latus quantum eſt ſagittæ jactus. Profunditas & rapiditas paſſim turbineos magno navigantium periculo ciet vortices. Ibi in gyrum acta lintre, vectorum unus excuſus & merſus periit: quod Alvaro eo gravius fuit, quia nullus eo uſque tam difficili itinere deſideratus erat.

Priuſquam in Parannam deſcenderet, petiverat ab Aſſumptione lemborum par, quibus in condicto loco deſideratis, commotus eſt animo, præſertim quia nuntiaverat ſimul eſſe in comitatu complures adverſa valetudine, reliquos omnes labore confectos. In rates quinquaginta armatorum præſidio deponi jubet ægros: ipſe cum reliquis terra proficiſcitur, & paulo poſt obviam fit Hiſpanus, qui quærit num revera Prætor novus adveniret ex Hiſpania, aitque nuntium Aſſumptione ſupra fidem haberi. Paraguajenſium molimina contra Prætorem.

His magis commotus eſt Alvarus, qui nuntium adventus ſui præmiſerat; ſed rem tacitus diſſimulavit. E regione Guaranii incommoda hæc benevolentia repenſant. Quacumque iter eſt catervatim accurrunt, & cœlo tanti hominis adventum gratulantur. Commeatum abunde ſuppeditant. Alii longe mittunt obviam communis gaudii teſtes, qui Prætori idiomate nunc barbaro, nunc hiſpanico, ſalutem dicunt & felicitatem. Propius urbem plerique oppidanorum læti præcurrunt, eaque ſignificant, ex quibus facile cognoſci potuit, quanti eſſet providi moderatoris adventus.

Aſſumptionem ingreditur. Ingreſſus eſt tandem Aſſumptionem Sabbatho 11. Martii hora 9. ante meridiem, magnatum qui prævenerant ſtipante caterva. Illum ante militum cohortem cum Quæſtoribus regiis, & Magiſtratu præſtolatur Irala. Exhibet Alvarus regia diplomata, quibus elata voce lectis Prætor proclamatur. Iralæ munus aſſerit Regii Locumtenentis, & Miniſtrorum juſtitiæ cuique ſuum. Cunctis ſpecie ſaltem ſatisfactum eſt. Milites & populares ſincerius agere viſi ſunt. Ratibus qui vehebantur, advenerunt poſt menſem. A barbaris oppugnati ſunt, qui perticis aduncis rates ad littus trahere nitebantur. Traxiſſentque niſi Chriſtianus dynaſtes cum expedita ſuorum manu tuliſſet opem, qui & vulneratis, quos aliquandiu apud ſe recepit, curam & medicinam adhibuit: omneſque exacto poſt menſem itinere ſatis convaluerant.

His novus prudentiæ Moderatoris ſplendor additus, quod tot peragratis barbarorum regionibus, eos nuſquam non amicos & benevolos expertus eſt; & eoſdem infeſtos & exitiales habuit Hiſpanorum pars, ex quo illius ductu & moderamine carere cœpit. Verum exempla hæc miraculis accenſere malunt non ignari, quam virtutibus, quas imitari pigeat.

HI-

(a) *Iguacu* Indorum lingua *Flumen Grande* ſonat: eſtque nomen pluribus commune; & forte flumen ante Cibogim aditum, de quo ſupra, aliud eſt eodem nomine.

Digitized by Google

HISTORIÆ PARAGUAJENSIS

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM

De instaurando portu ad Bonas Auras consilium. Alvari studium de Indorum conversione. Graves de Guaicuruis querelæ. Bellum indicitur. Falsus rumor, & ex eo Prætoris periculum. Tumultum sedat. Guaicuruorum clades. Victoriæ fructus. Puniuntur Agazes. Fœdus cum Guaicuruis. Horum regio & tribus. Ingenium & figura. Filiorum educatio, & regimen. Militiæ candidatorum experimenta. Ratio belli gerendi. Arma. Festa. Funera. Conjugia. Superstitio. Prætor Bonis Auris opitulatur, & iterum punit Agazes. Cædem Alexii Garciæ ulciscitur. Nova Bonaurensium emigratio. Incendium. Irala Paraguaim subit, & Portum a Regibus. Eodem iter parat Alvarus. Conspiratio. Pajaguæ elabuntur. Natura locorum. Regio subdita Castellano juri. Idola combusta. Vespertiliones. Insula Orejonum. Ad Portum Regalem optata sedes. Fœdus cum Xarajesiis. Peruvium versus iter. Serpens immanis. Prætoris reditus. Indorum conjuratio. Ferdinandi de Ribera iter. Nuntius de Mendoza. Riberæ reditus, Hispanorum morbus. Prætor ad Assumptionem contendit. In vincula conjicitur. Irala provinciæ moderator. Motus popularis. Quæstorum gesta. Alvarus in Hispaniam deportatur. Venenum cavet. Quæstorum obitus. Alvarus insons. Indignum Iralæ facinus. Indorum motus. Iralæ regressus. Mendozæ supplicium. Moriturі confessio.

1542. De Portu instaurando consilium. De conversione Prætoris studium.

SEdem ad Bonas Auras ut primum de sertam esse novit Alvarus, instaurare constituit. Lembos eo mittit primum duos, mox totidem: nec quidquam præteriit quod ad firmandam ejus momenti sedem esset e re. Indorum conversioni deinde studium impendit, ut cum Hispanis fœdus & amicitiam religionis communio solidaret. Ecclesiasticis & regularibus quotquot aderant pro Imperatore denuntiat, eorum conscientiam fidei propagandæ cura esse gravatam. Tunc altaris ornamenta & sacra vasa abunde comparata distribuit, promittitque sacro intentis ministerio ope quam posset maxima adfuturum se.

Tollit abusus.

Quod vectigal exigendi specie vexarent indigenas culpabantur Regii Quæstores. Cui malo ut medeatur, convocatis provinciæ primoribus, tam de seculari & regulari clero, quam de ordine militari, regiis ipsis exactoribus, & cum missionariis Guaraniorum dynastis denuntiat, Imperatoris sententiam esse, ut Indi iis qui relictis patriæ finibus ad ostendendam cæcis paradisi viam longe venerant, honorem & observantiam exhiberent; ut ipsi ab omnibus benigne haberentur, quod se curaturum pollicitus est, cum Imperatori nihil sit charius quam ut felices in vita & post mortem sint. Invicem tamen animadvertant pari ratione ipsis agendum cum Hispanis, & horridæ humana carne vescendi consuetudini tandem renuntiandum. Universi obedituros se spondent, & obstricti cum promissis, tum officiosa comitate discedunt.

Agazes cohibet.

Indorum deinde gentes quasdam nunquam non Hispanis infestas coercere aggreditur, ac primum Agazes (a) Paraguais ad orientem subter Assumptionem accolas. Hi perpetui Guaraniorum hostes erant, eminenti statura, fures, perfidi, feri, crudeles ultra quam dici queat. Ante Alvari adventum bello pacem petere constricti sunt, dum se prima ferret occasio violandam. Jam tumultuari cœperant; sed novi Prætoris cum armatorum manu vulgato adventu, tres de primoribus ad integrandam sui deditionem mittunt, quorum princeps addidit, seditionis auctores fuisse, non gentem, sed juvenes, severa jam animadversione punitos. Credenti similis Prætor indicit, ne Guaraniis, ullive Imperatoris subdito infesti sint, alioquin non impune abituram sibi refractariam gentem; ut de Guaraniis captos restituant; ne de suis quemquam, qui ad fidem Christianorum converti vellet, prohibeant quin legem sanctam edoceatur.

Exactores cohibet.

Dum provinciæ tranquillitati providet, Regios Quæstores nihil non exactionibus gravantes, & gravatos in extremam inopiam redigentes coercere non desitit. Indigentioribus primum opem confert de suo. Deinde vectigalia nulla authoritate legitima imposita supprimit: & exactores turbas adversum se cientes in vincula conjicit, jubetque ut illorum acta in causam juridice deducantur.

Guaicuruis objecta.

Interea multa de Guaicuruis Guaranii apud Præ-

(a) Seu *Algaras*. *Charl.* * Gens est vel penitus exterminio deleta; vel aliis confusa.

Digitized by Google

Prætorem conquesti sunt. Benigne audit; sed jure ne an injuria querantur, indagat per ecclesiasticos duos, duos item religiosos ex *Santa Catharinæ* advectos qui lamentis fœderatorum congrua retulerunt. Tunc Prætor eosdem remittit Ecclesiasticos cum armatis quinquaginta, qui Guaicuruis declarent, paratum se esse cum illorum gente pacem, imo & amicitiam colere, si Hispano Regi dedere se velint, & cum deditis inimicitias deponere; secus enim vel invitos compulsurum se ut tranquille vivant.

Bellum indicit.

Hæc semel, iterum, tertio denuntiari jusserat: cui barbari respondent, nec Hispano deditionem facere, nec cum hostibus fœdus velle se. Et legatos quam primum discedere jubent: imo adversus eos sagittas ejaculantur, quibus nonnulli militum vulnerati sunt. Insolentiam Prætor non tulit; ac duodecima Julii duobus lembis quatuorcentum Hispanos, & Guaraniorum x. millia bis centum ratibus imposuit ad trajiciendum secum Paraguaim. Jamque die 14. ripam occidentalem totus tenebat exercitus. Guaraniorum manum expeditam Prætor anteire jubet ad explorandum hostium consilia, qui in pagos cum familiis recipiebant se quassantes de more quidquid properantium iter retardare poterat. Insequuntur nostri tormentis bellicis tacere jussis, & igniariis noctu prohibitis.

Progredientis exercitus ordo.

Castra moventur die 15. Præibant cursores quid fieret speculandi gratia: & noctu exploratores expediebantur ad observanda hostium castra. Tria vel quatuor passuum millia occupabat Guaraniorum acies. Pileis eminent pennatis, frontemque laminis decorant ex metallo (*a*) quod sole repercussum longe lateque fulget. Hispanorum equitatus sequebatur modico intervallo disjunctus. Deinde pedites, quos Prætor antelbat. Agmen claudebant impedimenta & carri, impositis Indabus ad annonæ curam. Circa primum meridiem nuntiavit hostium explorator tunc incognitus, Guaranios in fugam conjurasse: quo Hispani nuntio commoti sunt, sed Prætor dissimulandum censuit. Agmen progredi jubet nocte, illucescente luna, & Hispanos arma expedire.

Ex tumultu Prætoris periculum.

In silvam modicam sed densissimam ventum erat ad pernoctandum: quo Guaraniis ingressis excitatus est pardus seu tigris, cujus saltibus nimium turbatum est: & Hispani, quibus exploratoris nuntio delusis persuasum erat, socios Indos defectionem meditari, fistulis explosis aliquos vulnerant. Tunc illi turmatim in proximum clivum fuga volant; Hispani vero, dum ejaculari non cessant, Prætoris ad continendos Guaranios præeuntis vultum pilis duabus leviter radunt. Id Alvari secretarius memoriæ prodidit, non casu, sed data opera contigisse, nempe ab amicis Iralæ, quem in provincia cui præfuerat, subditum esse pigebat. Et posterioribus quidem ejus factis pronum ad suspicionem fit, ad independentiam qua-qua via sortiendam aspirasse. Et compluribus persuasum fuit Ajolanæ calamitatis non fuisse penitus insontem eodem consilio.

Tumultum sedat.

Guaranios fugientes ad clivum sequitur Prætor, quem ut vident fidenter circumdant. Confirmat ille, turbatum tigridis causa, & quod Hispani defectionem suspicati sunt. Respondent illi, Guaicuruorum impetum esse ratos, in clivum conscendisse, qui esset pro munimento. Ad Hispanos conversus hortatur Prætor, ne qua re velint Guaranios infensos: animadverterent, si tam multi socii deficiant, Assumptionem stare non posse, maxime si cum Guaicuruis ad diruendam conspirent. Tunc equitatum collocat in primo agmine, & usque ad secundam noctis horam fit iter. Sistitur ad curanda corpora, & hora undecima silentio iter prorogatur.

Guaicuruorum clades.

Haud ita post nuntiatum est, Guaicuruos castrametari: quo nuntio gavisus est Prætor, qui verebatur ne hostis priore strepitu audito longius concessisset. Progredi jubet, ut in illorum conspectum prima luce deveniri possit. Guaraniis cruciculas distribuit, ante pectus palam, aut post tergum portandas, ut ab Hispanis in prælio dignoscerentur. In equorum os fœnum immiti jubet, hinnitus prohibendi causa. Guaranios monet, ne hostem adorti fugam intercludant, quo victis vires addat desperatio.

Brevi tympanorum sonitus audiri cœpit, & clamor ad certamen totius orbis nationes provocantium; exiguo se numero esse; sed cunctos terrâ natos virtute superare; se hominum & animantium esse dominos. Hæc singulis noctibus dum bella gerunt, & hostes appropinquare judicant, cantare consueverunt. Egrediuntur e castris & terra cubant, dum Christianorum aciem conspiciunt. Vociferantur: *Qui estis vos ausi ad nos venire?* Ad ulciscendum respondit eorum lingua Guaraniorum quispiam, de gente mea cæsos. Accedite, ajunt illi, eadem vos fortuna mulctandi. Et hæc clamantes sudes accensas adversus Christianos ejaculantur. Ad mapalia currunt, arripiunt sagittas & arcus, & eo congrediuntur impetu, ut Guaranios fuderint.

Tunc Prætor jubet Petrum de Barba tormenta explodere, & Joannem Salazarium pedites suos producere: ipse productos ordinat. Classicum sonat, & inclamato de Hispanorum more *Santiago* concurritur. Graditur in primo ordine Prætor, abactis qui tuendi gratia præcurrunt. Ea intrepiditate, & novo equorum spectaculo territi hostes, igni traditis mapalibus, ad vicinum montem qua data via raptim dilabuntur. Bellatorum erant quatuor millia, qui ex Hispanis dum ardent mapalia longius pro-

(*a*) Quod metallum? Plus omni metallo fulgent lapilli, de quibus infra libr. IV. satis vulgares ea locorum, quibus forte distinguebantur militum frontalia.

Digitized by Google

progreſſis duos interficiunt. His & totidem Guaraniis ante pugnam captis caput amputant. Fugientes aliquandiu perſequitur Prætor: quo tempore barbarorum quidam ſtipatorem equitem aggreditur, equi collum amplexus, nec brachia laxat niſi gladio confoſſus. Cæſis hoſtium multis receptui ſignum fit, & poſt quietem modicam iter Aſſumptionem repetitur.

Repedantium veſtigia legunt hoſtes ſpe prædæ; nam Guaraniorum dum ſagittam, vel aliud quidpiam ex hoſte reportant, incaute & inordinate regredi mos eſt. Sed Prætor ægre compulit eos, ut una procederent, donec ventum eſt ad locum ab hoſte tutum. Reliquum iter Hiſpani venando peragunt, Aſſumptionem ingreſſi venatica præda onuſti, & captivis ex omni ætate & ſexu quatuor centum fere.

Gonzalus de Mendoza, quem ſui loco reliquerat Alvarus, retulit plurium gentium Indos occaſione belli in Hiſpanorum fœdus & amicitiam voluiſſe recipi; ſed ſuſpicatum ad explorandum veniſſe num quâ poſſet urbs occupari præſidio deſtituta, oratores tenuiſſe. Hos afferri jubet Prætor, & Mendozæ ſuſpectum levi fundamento niti cenſet. Humanitate & beneſactis conciliatos dimittit, fide data, recipiendos in amicorum, & Imperatoris ſubditorum numerum quotquot in pacem cum fœderatis convenire amarent.

Plectuntur Agazes.

Aliter cum Agazibus res habuit, de quibus Mendoza multa Prætori conqueſtus eſt, Urbem quam immunitam judicaverant, prima poſt copiarum egreſſum nocte igni tradere conſtituerant, ſed dum ad arma conclamatur diſcedunt, de via tamen Guaraniorum pagos depopulantur. Obſides illico ſuſpendii damnat Prætor, & alio differt perfidiæ pœnas. *Taparuez* (a) vagabundum genus, Guaicuruis confine, & Hiſpanis infeſtum, cautius ſe gerunt, dum commiſſorum vindicem apud ſe præſtolari nolunt. Quibuſcumque pactis in fœdus admitti poſtulant, neque deinceps res novas moliri auſi ſunt.

Cum Guaicuruis fœdus.

Guaicuruorum gentem feram & numeroſam non ſic confecerat clades, ut procul eſſet inſtaurandi belli diſcrimen: & optabat Alvarus ea ſolicitudine vacare. Sed ſpe conciliandi humanitate, quos vi frænare poſſe docuerat, pacem-ne malint quam bellum experiri decrevit. Captos ſibi tradi ex ſententia Cæſaris mancipatum prohibentis jubet, indicta reluctantibus pœna: & illorum quemdam ſpecie & corporis habitu conſpicuum ad gentiles ſuos nuntiatum ablegat, paratum ſe in eorum amicitiam denuntiatis pridem pactis concedere. Legatione functus eſt ad votum homo ille, quocum popularium turba Prætorem convenit. Dum in adverſa Paraguais ripa conſpecti ſunt, cymbas expediri jubet Alvarus, in quas primores viginti numero conſcendunt. Horum interpres ad Prætorem ait, gentem ſuam reliquas bello ſuperaſſe; ſed quoniam Guaicuruos Hiſpani ſuperaverant, in Hiſpani ditionem ſe & gentem ſuam dedere. Addidit, numquam Guaranios ſolos auſos invadere ſe; ſed amicorum loco habendos in poſterum Hiſpanorum cauſa.

Reſpondit Prætor, ſe in ea loca veniſſe ut incolas ad præſtandum veræ religioni cultum, obedientiam Imperatori, vicinis gentibus officia pacis induceret. Si pacem in poſterum turbare deſinant, futurum ſe gentis ſuæ protectorem, & captivos redditurum qui apud ſe ſunt. Et illico reddidit quotquot Aſſumptione retenti erant: quo barbari ſic ſunt devincti, ut Imperatori fidem juraverint non violandam. Quos Prætor congeſtis muneribus cumulatos demiſit. Cum de Guaicuruis ſæpe nobis loquendum ſit, eorum indolem & naturam penitus deſcribere juvat. Et ex dicendis apparebit, quanti foret in regendis Americanis Alvari veſtigiis inſiſtere.

De regione & tribubus Guaicuruorum.

Numeroſam appellavi Guaicuruorum gentem, ſi videlicet pleriſque Americanis, non tamen ſi regionum, quas inhabitat, amplitudini comparetur. Harum quidem multæ inhoſpitales fere ſunt, alluvionum tempore paludoſæ nimis, de cætero tam ſiccæ & aridæ, & crebris interciſæ foſſis, ut incolis mutandum ſit ſolum, appropinquandumque lacunis, quarum aqua nunquam non turbidiſſima eſt (b). Lozanus Guaicuruos Chaqui ad orientem Paraguajo diſterminati populis adnumerat, eoſque in ternas dividit tribus, quarum altera communi gentis appellatione nota Paraguai fluvio proxima eſt. Quos appellat *Guaicuretis* mediterranea ad occidentem occupant. Et *Guaicurui Guazui* longe lateque ad boream ſedes habent. De cætero figura, indoles, & vivendi ratio omnibus una eſt. In eamdem creditur, cunctos olim coaluiſſe rem publicam centum ad Aſſumptionis boream leucis, ubi tertia deinde tribus conſedit, atque ſeparatos eſſe non tam diſcordiis, quam belli amore & rapto vivendi conſuetudine.

Indoles & figura.

Natura ſunt immites, feroces, inhumani, & Paraguajenſibus infeſtiſſimi. Campos inundare miraberis, cum longe abeſſe credebantur, neque verentur hîc palam vendere quod illic palam deprædati ſunt. Ebrietas dominatur, ſpemque civiles inducendi mores pene tollit. Nudi ſunt, ſed fœminæ ſub umbilico ad media crura præcinctæ. Dum frigus eſt, quod raro fit, pelliceam adhibent togam (c), facile pro vino, vel magis ſumeo potu commutandam. Perforatis recens natorum auriculis inaures ſuſpendunt. Capillos, ut naſcuntur, radicitus evellunt, præter eos quia ad concinnendam in ſummo vertice criſtam concentricis binis circumdatam coronis, neceſſarii ſunt.

(a) Aut *Itapuruez*. * Gens etiam vel exterminata, vel aliis confuſa.

(b) Turbidiſſima quidem; ſed eſt virgultum in Chaco ſatis obvium, cujus ramo in vas ſeu dolium aqua plenum immiſſo præcipitatur ſedimentum, & clareſcit aqua. Virgulto nomen eſt apud Lulles *Toyeppelque*.

(c) Togam ex lutræ pellibus (*Nutria* vocant Hiſpani) ſpina conſutis.*

Digitized by Google

ſunt. Hæc de maribus; nam fœminas totas dépilant. Pueros ad annorum quatuordecim ætatem nigro, deinde rubro depinguat. Tunc brachiali, cinctu, & reticulo donant. Iteratis punctionibus excruciant: probationemque id genus vel quinquennes enixe petunt, & infracto animo tolerant.

Nomine proprio inſigniendis inferius labrum perforant ad inſerendum neſcio quid quod appellant *Mbata* (a). Per augures, aut veteranos bellatores id ritus adminiſtratur. Barbarorum veneres ſunt; ſed ad terrorem potius adhiberi crediderim. Et quidem infectione colorum varia, capillitio exotico, ornatu ex conchyliis & metallo cinctu appenſis, & longe ſonantibus; perforatis & phaleratis auriculis & labio; raſo partim, & partim coronato atque criſtato capite; ſuperciliis ad acuendum, ut ajunt, viſum abraſis, ſpectaculum formidandum ſit, cui nullo aſſueveris uſu.

Prolis educatio. Dum filii parentibus ſubſunt, datur opera ut bello mares, fœminæ laboribus aſſuefiant. Verum naturæ leges nihili habentur; neque mentem vel cor excolendi, neque adverſus genitores obſervantiam & amorem inſtillandi cura ulli eſt: neque parentes filii ſuſtigare verentur, dum potes ſunt. Pagus totus uno ſed tribus ſeptis diſtincto circumſcribitur tecto, quod ſolis radios arcet, ſed vel modico ventorum flatui concedit. Centrum princeps inhabitat cum familia & vernarum comitatu, apud quem & arma deponuntur. Undique populus cum ſupellectile nullo ordine coacervatur. Principi potestas in ſubditos nunquam non obedituros jure obtingit hæreditario. Ejus filii, ex quo nati ſunt, fidis curatoribus creti longe mittuntur, ubi ſecundum mores gentis educantur. Raro patrem aut matrem vident, dum pueri ſunt.

Militum experimenta. Milites duriſſimo conſcribuntur experimento ſexdecim annorum ætate. Et receptio quidem fit a veterano, qui candidatum jubet ſedere. Sedenti unius coronarum capillos radicitus evellit. Et hæc oportet nullo motu, ſenſu nullo tolerare. Omnia jacentis membra aculeato pungit oſſe, etiam magis occultanda & ſenſibilia: & caput effuſo cruore perfricat. Capillitium abreptum quanta poteſt vi torquet, ligat, ſtringit, & reticulo involvit. Toto denique corpore terra rubra refricato, militem conſtituit. Hinc honor gentis, auſorum impunitas, & quidlibet audendi licentia.

Anno ætatis vigeſimo, quo roboris incrementa culmen attigiſſe arbitrantur, gradus veterani confertur. Quidquid de capillitio reliquum eſt, ad digiti latitudinem reſecat, ſeu reſecari facit poſtridie promovendus ipſe ſibi: artuſque omnes liquida cera, vel adipe piſcium perfundit. Nocte ſequente ab imo ad ſummum variis coloribus depingit ſe. Frontem rubro diademate cingit: corpus totum contegit plumis non incurioſe diſtributis: cinctum pendentibus bullis ornat. Sic paratus prodit tympanum ſeu potius utrem flatu diſtentum & aqua plenum cucurbita tundens, alterno cantu, nempe a prima luce ad quintam pomeridianam. Deinde ſeptem delectis militibus ſingulos diſtribuit aculeos quater aut quinquies genitalibus perpungendus, & cruore caput perfricandus.

De bello & armis. Durus apud hanc gentem belli labor eſt. Pacis ut belli tempore excubias agunt. Pagorum ſinguli ſpeculam in eminenti loco ad obſervandam vicinitatem conſtituunt. Sunt & nocte tota viarum ſpeculatores, & cuſtodiæ per intervalla diſpoſitæ, crebro ſibilantes ut abigant & ſomnum, & de ſomno ſuſpicionem. Signo primum dato concurſus fit ad arma, imbellibus in tutiora receptis: & tam leviter veſtigia ponunt, ut ſequentibus non appareant. Ad ſagitandum exercitati ſunt; nec ſine certamine ludunt. Præter arcum ſagittas & clavam, cultros etiam adhibent e piſcium maxillis. Non annus ſine bello adverſus barbaros alios vertitur, præter id quod contra Hiſpanos perpetuo gerunt. Occiſis ut plurimum viris, pueros & fœminas captivas abducunt ſuis maritandas, quarum filios venumdent. Cum Hiſpanis manus in plano conſerere renuunt, nihil habentes quo ab ignivomis ſe tueantur; ſed arte prævalent. Sequentium manus equo fugiunt eo recepti, quo Hiſpani ægre penetrare poſſint. Quando appropinquare eos audiunt, reſpondent: *Sinite: conſumpto pane biſcocto repedabunt*.

Feſta. Dies quo infans ablactatur, & quo cum æqualibus concurrere novit, ortus item Pleïadum feſta ſunt, quorum poſtremum eſt genti commune. Excuſſis ſtoreis, & domorum ſeptis præparantur. Mox mares contra fœminas in aciem prodeunt, & nimis ſeria ludunt. Pueri etiam & puellæ pugnis contendunt, ſed propter formam. Certamen excipit curſus; ac tandem ſinguli ſe invicem jubent eſſe felices; in bello maxime. Feſtum nunquam non large bibendo clauditur.

Funera. Totum funeſtat pagum dynaſtæ & ejus propinquorum obitus. Funus totum continentia conſtat plus minus pro defuncti conditione vel deſiderio duratura; abſtinentia, ſcilicet ab eſu piſcium quo lautior genti nullus eſt; inceſſu mœſto, vultu nullis coloribus pigmentato. Dynaſta ſubditorum nomina mutat pro funere. Dum aliquis de primoribus obit, ex utroque ſexu decimatur ne incomitatus abeat: nec deſunt qui officii gratia ſtrangulari ſe ultro ſinant. Juſta magnifice perſolvuntur: ad cadaver appoſitis pro facultate pretioſiſſimis rebus, quæ e toto corraduntur pago, ſi dynaſtis parentetur. Sponte fiunt hæc, nec eſt qui ſincera fide dolenti non condoleat.

Conjugia. Ignota eſt genti polygamia; ſed conjugia nul-

(a) Non *Mbata*, ſed *Tembetà*, quod contractum dicitur *Tembé*, Hiſpanis *Barbóte*: eſtque os acuminatum longitudine digitali. Situs & uſus idem eſt qui hiſpaniſmo, quem *perilla* vocant. Et eo forte fiunt punctiones, quæ infra deſcribuntur.

Digitized by Google

nulla firmitate continentur, & divortium temere fit. Pudor nullus. Ante nuptias gravidæ vel abortum faciunt, vel natos occidunt. Fœminarum conditio dura, servilis, & irrequieta est. Adolescentulæ castra sequuntur. Uxoribus mariti tunc solum nonnihil concedere videntur, cum domum a bello se recipiunt. Hostium capillitia, quo non aliud tropæum victores reportant, uxoribus offerunt, ut dono ad celebrandum maritorum triumphum disponantur: & illi caput pennis volucrum, frontem lamina ex argento datove metallo distinguunt. Tunc etiam dant fœminæ longa monilia collo, & donata capillitia ad erectum stipitem appendunt, circa quem choreis & cantu victorum laudes modulantur.

Superstitiones.

Cum tonat, prodeunt e pagis armati, & fœminæ & pueri inconditos edunt clamores, quibus putant turbulentum dæmonem fugari. Experientia non dedocentur: & forte credunt, dæmonem, nisi clamoribus & minis terreatur, in pejora ruiturum. Non aliud a luna & Ursa majore numen norunt; sed neque his religiosum præstare cultum visi sunt. Agros non colunt, sed piscatu & venatione vivunt; nec est quod amare sapiat, non leo, non tigris, non ursus, nec venenosus coluber aut vipera. Ajunt escas id genus utentium ab infantia naturæ adaptari. De cætero Americanis Meridionalibus stomachus calet nimis.

Bonas Auras sustinet Prætor, & rursus punit Agazes.

Ad Alvarum Prætorem quod spectat, ut Hispanis Bonas Auras de via præmissis provideret, binos cum apparatu ad bellum & ad victum necessario lembos, & centum militum præsidium expediri jubet sub Gonzalo de Mendoza. Inexpectatam deinde mittit contra Agazes armatorum manum, per quos multi occisi sunt, quatuordecim ad suspendium capti. Exemplo gens tota dedit se, maxime post Prætoris factum quo sui nominis fama & cum æstimatione terror longe lateque diffusus est.

Alexii Garciæ cædem ulciscitur.

Infortunatum Alexii Garciæ filium novit adhuc esse captivum apud Indos, qui patrem expilatum occiderant. Preces ut in libertatem restituatur interponit; sed barbari oratoribus præter unum cæsis respondent, & de Prætore factum iri quod de legatis. Injuria commotus nepotem Alphonsum Riquelme jubet tercentum Hispanos, & Indos mille deligere, & docere barbaros, contumelias non abituras impune. Riquelme in aciem paratos invenit præcellenti numero & situ. Sed facto impetu perturbat aciem, ter mille interfectis, captis mille: quamquam & de Hispanis quinquaginta desiderati sunt.

Nova Bonaerensium emigratio.

Alvari Prætoris ex victoria gaudium, quatuor lemborum Assumptionem adventu acerbatum est Decembris vigesima. His vehebantur Estopignan Capivachius, & Hispani, qui a Sancta-Catharina diverterant. Descendenti ad Bonas Auras oblatæ sunt litteræ ab Irala & Alphonso Cabrera signatæ, cum emigrandi mandato ob præsens nec intermissum fame vel Indorum jaculis pereundi discrimen. Addidit Estopignan, jam ad Brasiliam confugisse Hispanos viginti-quinque; reliquos alterutra perituros morte, si vel in diem subsidium differretur; respirantibus adventu suo colonis, de mutanda ad os fluminis a S. Joanne (a) sede consultatum esse. Sed hyeme & alluvionibus absterritum transferendi Assumptionem colonos partes se suscepisse.

Infortunium.

Mendozæ haud ita pridem Assumptione digressi infelicior & periculosior fuit exitus. Decemb. 31. lemborum alterum annona onustum cum vectorum parte naufragio amisit; alter quo ipse vehebatur arbore ripæ cui adstrictus erat, terræ motu collabente pressus & mersus est. Eodem casu & aliæ naviculæ cum quatuordecim personis utriusque sexus desideratæ sunt. Unde-unde contigerit casus hic, Mendoza ægre potuit Assumptionem restitui, ubi acerbioris calamitatis fuit spectator.

1543. Assumptione incendium.

Quarta Februarii anni sequentis, dum Inda Hispani cujusdam ancilla ignem excutit lecto pensili adhærentem, scintillam paleato parieti admotam non animadvertit. Inde tota domus arsit, vento flammis in vicinas biscentum propagatis. Omnia præter arma, etiam gallinæ & animantia domestica consumpta sunt; ædes tantum quinquaginta servatæ, quæ medio aquarum lapsu dividebantur: incolarum plerisque famelicis atque nudis sub dio cubandum fuit; quibus tamen Prætoris ope subventum est. In pagos Indorum misit qui suo sumptu cibaria compararet: reliquis necessitatibus providit: & dirutas ædes ex terra pro paleis incredibili celeritate reparavit.

Paraguais adversus lustratur.

Ea mox Alvaro nuntiata sunt, quibus in tot adversis recrearetur. Proximo Novembre Paraguais fontem quam proxime posset, & adjacentes utrinque regiones lustrandi provinciam Regii Senatus consulto suscepperat; sed apud Assumptionem necessitate retentus præmittendum censuit virum mandato parem. Iralam noverat idoneum: nec pigebat causam existere hominem procul amovendi. Ad eum ergo neminem se nosse inquit cœptis, quæ Imperatori cordi erant perficiendis, aptiorem: acturum se ut pro tanto officio remuneretur.

Portus Regalis.

Opinionem Prætoris sibi gratam esse ostendit Irala, qui tres lembos cum nonaginta Hispanis, pluribus Indis, & copioso commeatu paratos reperit. In Alvari mandatis erat, ut primam fluminis scaturiginem indagaret, & accolas gentes notas redderet; ut in mediterranea mitteret subinde expeditam Indorum cum Hispanis aliquot manum; ut ipse si fieri posset in Peruvium usque penetraret, nam convenerat cum Christophoro Vaca-de-Castro, qui ibi præerat, ut libera commeandi facultas cum Paraguaria contraheretur. Solvit Assumptione 20. Nov. 1542. Ad Lacum Xarajesium 250. leucas computavit, & portum ante illius introitum ab occidente repertum nominavit a Regibus ob incidens Epiphaniæ festum.

(a) Argenteo adlabitur flumen a S. Joanne supra Gabrielidam contra Bonas Auras gradu fere 35. lat.

Digitized by Google

ſtum. Poſt quietem modicam relictis ibi cum præſidio lembis iter ad lævam ſuſcepit. Complures obviam ſiunt gentes auro & argento divites, incertum unde effoſis. Ad Prætorem regreſſus ait, in Peruvium penetrare eſſe facile, ſi vires ſuis majores ad conciliandam indigenarum reverentiam ſuppeterent. Addidit, Portus Regalis accolarum votis Hiſpanos expeti, & ipſum Prætorem. Quod tamen addendi de ſuo ſortaſſis cauſa non defuit.

Prætoris iter.

Ut-ut ſit ſub illius reditum contigit Riquelmi adventus a vindicata Alexii Garciæ cæde: & ex utriuſque ſententia incœptum ab Irala iter ipſe perficere decrevit. Lembos decem eo fine conſtructos armare jubet, & Gonzalum de Mendoza ad corrogandum victum ex Indis ultra Guaranios incolentibus mittit, qui ut renuentibus vendere compellat, petit auxilium. Mittitur Irala cum armatorum manu; ſed Prætoris mandatum, ut voluntate fieri curaret quod vi poſſet extorqueri, ex ſententia ceſſit. Quin etiam dynaſtæ duo Iralam ſupplices ſequuntur, & in Prætoris mandata jurant.

In Prætorem conjuratio.

Profecturo nuntiatur, monachos ex S. Catharinæ advectos Aſſumptione furtim eggreſſos cum litteris ad Imperatorem, quibus regio nomine ad provinciam turbandam abuſus traducebatur. Petrus Fernandez addit, ſecum plures Indas abduxiſſe, quibus ad baptiſmum informandis ex mandato dabant operam, eaſque ante diſceſſum cuſtoditas fuiſſe, ne conſilium vulgaretur, aut a comitatu deficerent. Incertum quid deportatis molirentur; illud eſt certum a dynaſte repetitas, poſt conductores itum eſſe, apud quos triginta quinque ſpirituales filiæ repertæ ſunt. Hiſpanorum nonnullos præmiſerant hiſpanici itineris ſocios, & Braſilianum nomine Dominicum a Prætoris ſervitio ſubductum. Hoc ad Braſiliam, quo navis quærendæ cauſa contendebant duce eos uti voluiſſe, ſimile vero eſt.

Geſta cum conjuratis.

Aſſumptionem reducti ſunt, ubi Regii Fiſci Quæſtorum eam eſſe machinationem brevi innotuit Alvaro, maxime poſtquam legit litteras apud Religioſos inventas. Sed quamquam ſe probe noverat erraſſe, dum criminum poſtulatos anno præcedente dimiſit, nunc etiam prævaluit mite hominis ingenium, nec animadvertit quanti periculi vulgo ſit commiſſa quædam ſemipunita condonare. Vinculis abſolvit adhibita cautione, veritus proculdubio ne forenſibus actis iter inſtitutum protraheretur. Eos dividere ſatis habuit, in ſui comitatum aſcitis Factore Petro de Orontes, & Theſaurario Petro de Caceres. Aſſumptioni deinde ſe abſente præficit Joannem de Salazar, diſtento ſortaſſis alibi Sub-prætore Irala. Beatæ Virginis natalitio, cujus templum incendio abſumptum ſuis refecerat expenſis & manibus, navigium conſcendit cum bis centum Hiſpanis, data Salazario cura, ut lembum ſub aſcia poſitum ad ſuum reditum paratum haberet, in Hiſpaniam expediendum. Ex Guaraniis mille & bis centum bellatores delecti ratibus ſequebantur; paganorum ſecundum viam fide donariis conciliata. Quæſtoribus cum bis centum Hiſpanis & totidem Indis in portum Candelariæ terrâ præeundum erat, Prætorem expectaturis, ſed Theſaurario Caceres ob amiſſum primo die equum, repedandi copia fit, & filium ad iter ſubrogandi. Candelariam claſſis tenuit die 12. & poli altitudine obſervata, reperti ſunt gradus 22. 40. m.

Ajolanæ cladis authores elabuntur.

Sequentis diei primo mane ſeptem Pajaguæ ſigno dato ad alloquium vocant. Totidem Hiſpani mittuntur cum Guaranio, olim apud eam gentem captivo & ſermonis perito. Quærunt illi, num ſint Hiſpani qui flumen illud ſurſum deorſum frequentant. Affirmantibus unus ait, velle ſe Ducem alloqui, ad quem delatus refert, ſuum Principem fœdus libenter cum Hiſpanis ſanciturum; penes ſe habere magni ducis Ajolæ theſaurum, quem pro facti venia tradere paratus erat.

Quærenti Alvaro quantum id rei eſſet, reſpondet, aureis argenteiſque brachialibus, ſortis, & ſimilibus conſtare quantum bajuli ſeptuaginta portare poſſint. Principi tuo notum fac, reſumit Prætor, veniſſe me in hæc loca Imperatoris mandato ad pacandas gentes, ad malefacta condonanda, ad offerendam & exhibendam illius protectionem deditionem ſui facere, & cum deditis amice agere volentibus. Si velit ipſe tuto poſſe venire ad ſe, de grata ſibi receptione plaudendum. Dixit, & cumulatum donis, quæ Principi deferret, & quæ haberet ſibi, interrogat, quando eſſet cum Principe regreſſurus. Proximo mane reſpondens in littus unde conſcenderat deponitur.

Aliquot dies deſiderati ſunt, & Guaranius internuntius ad Prætorem ait, fruſtra expectandos diutius, Pajaguas eſſe hominum mendaciſſimos, oratorem miſſum ad nectendas moras; perſequendos, nec aſſequendos difficile, cum ſub tanto pondere tardius moverentur. Arbitrari ſe conſtituros non procul a piſcalento lacu amœnæ & olim frequentiſſimæ vicinitatis, cujus incolas exterminaverant Pajaguæ. Interpretis ſententiam ſecutus Prætor in ripam qua lacus per rivum quemdam Paraguajo adlabitur deſcendit cum lecta armatorum manu. Prope locum videt Indorum turbam, quos interpres ait eſſe Pajaguas fugam maturantes. Octo diebus ſecundum rivum perventum eſt in lacum, neque per circuitum Indorum ullus conſpectus eſt. Tunc Prætor animadvertit, fruſtra in perſcrutandis gentis erraticæ receſſibus tempus teri cœpto itineri promovendo opportunum; & Candelariam repetit.

Obitæ regionis natura.

Hic Mendoza cum mandatis ad Pajaguas reſpectantibus relicto, in navem ſe recepit. Utrimque flumen ibi locorum fructiferis claudit ſilvis, in quibus caſia vulgaris eſt. Oratarum multa piſcatio, quarum plures quindecim librarum pondus æquant. Caro ſana, & grati ſaporis eſt. Imo aqua ad coquendam adhibita, præſens adverſus ſcabiem & lepram phar-

pharmacum habetur. Mendozæ ad Prætorem accedenti cura datur, ut Indos tantæ classis spectaculo turbatos securos esse jubeat; & ipse Prætor necui de suis retro divagantibus essent incommodi, cum Guararopis egit. Sed hi datam fidem fefellerunt: quod Hispanorum quorumdam vitio vertit Fernandez.

Hac poli altitudine cum sol est sub tropico, sic flumen intumescit aquis, ut amplius centum leucarum exundet: & rates ait nuper laudatus author, supra altissimas arbores innatare. Herera in altitudinem sex ulnarum crescere tradit. Addit Fernandius alluviem quatuor menses obtinere, decrescere primum exeunte Martio; ac tunc multitudine piscium in sicco putrescentium aërem infici, pestilentiam accendi. Oris penitus exsiccatis Indi frequentissimi accurrunt, piscationi & genio indulgent.

Portus Regalis aditur.

Eos ibi Prætor invenit, neque suis permisit, ut cum barbaris usum reciprocarent: sed convenientes se amice & liberaliter excepit. Octobris 25. sub lævam observatum est, flumen in tria dividi brachia, quorum medium immani simile visum est paludi. Brachia hæc paulo superius uniuntur, & progressa classis ab eadem ora flumen conspicit, cui adlabuntur tot alia, ut speciem labyrinthi referant, ex quo vel indigenæ ægre se queant extricare. Flumen appellant *Igatú*, quod *aqua bona* sonat. Alveum subit Prætor, erectis crucibus, quæ viam sequentibus indicarent. Omnia perscrutatus Paraguaim regreditur contra montes altissimos & nudos subrubei coloris, figura similes æris campani cymbalo, & albi metalli, ut tunc quidem perhibitum est, feraces.

Idola comburuntur.

Portum Regalem ingressuris in aquam descendendum fuit, & lembi, quantum est sagittæ jactus, suppositis humeris levandi. Eo confluunt Indi Prætoris videndi desiderio, quos omnes consueta excepit humanitate. Et quia novit quod nondum de alia hujus continentis gente notum erat, esse idololatras, Ecclesiasticos & religiosos de comitatu acuit, ut eos veræ fidei & religionis documentis imbuerent. Ipse de numinum cæcorum & surdorum impotentia allocutus, ut in ignem mitterentur confecit: ægre tamen, verentibus barbaris dæmonum iras. Mox crucem erigi, ædiculam construi fecit, & missam ritu solemnissimo & apparatu celebrari: quod ad Indos in suscepto consilio confirmandos plurimum valuit. Regionem tandem Castellano juri, adita possessione, reddit obnoxiam. Non alius in tota hac provincia locus constituendæ ad Hispanorum usum sedi opportunior; sed neque est alius ubi id magis neglectum sit. Hoc tempore Prætor severissime vetuit, ne Hispani penetrarent in mapalia Indorum; noverat enim id barbaros male habere.

Loci natura.

Indi hujus tractûs agros colunt, & mandiochæ atque maizii plantaria, messemque duplicant per singulos annos. Fructus legunt eximios & natura varios. Venatu & piscatu abundant, anseres nutricantur, & continent non tam in cibum, quam ad gryllos abigendos, quorum fortasse stridore caput obtunditur & obdurescit (*a*). Gallinas noctu claudere solent, ut a certo vespertilionum genere, forte quod supra enarratum est incolas tueantur. Infestissimum illorum morsum expertus est Prætor, cum noctu dormientem in navi detecto pede adortus est vespertilio, & extremum pollicem detracta pelle sic momordit, ut sanguis effluens totum cruentaverit lectum. Equorum auriculas maxime appetunt nocturnæ volucres id genus, soloque advolatu totum equile in furorem agitur. Suibus enixis exitiales sunt, quarum mammas insiliunt, sugunt & radicitus erodunt. Hujus narrationis author (*b*) non explicat qua ratione tueantur Indos gallinæ a vespertilionibus.

Situs Portus Regalis, Orejonum seu Paradisi.

Neque hic Autor nec Herrera situm Portus Regalis determinat. Inductione tantum & ex Prætoris Alvari itinerario constitui potest. Sub Xarajes lacus introitum e regione insulæ Orejonum ad ripam lacus occidentalem, ubi a Cl. V. Guillelmo de Lille, qui solus quem viderim locum definit constitutus est, tacentibus Hispanis. Et ibi constituendum esse ex itinerariis a Paraguaria in Peruvium deinceps deductis liquidum fit. Insulæ lacu circumclusæ XXX. mille passuum longitudinem tribuit Techo. Latitudo ubi maxima decem millia non superat.

Nomen habet a gente Peruana (*c*), ex qua multi Peruvio debellato eo loci receperunt se. Et insulam a *Paradiso* ab Hispanis de Prætoris Alvari comitatu appellatam, simile vero est. Apposite quidem si documenta quibus utor vera sunt; nam licet torridæ zonæ subsit intra gradum decimum quintum & decimum sextum latitudinis australis, numquam non aura leniter spirat, quod inventos statis diei horis flantes, & in rivulorum copiam referendum est. Fructus terra sponte fert. Vix ulla est temporum varietas. Cœli temperiem incolarum ingenium imitatur. Vitisatores non sunt, sed vinum ex melle conficiunt (*d*). Venatores allicit præda, & uno plagarum jactu stat piscatio. Nec amplius leucâ distat Portus Regalis. Tot commodis inescati sedem ibi collocare gestiebant Hispani.

Præter amœnitatem loci & cœli temperiem, sedes ut ibi firmaretur, suadebat utilitas optatam cum Peruvio communicationem aperiendi.

(a) Gryllorum genus est, non stridentium, sed ordine longo in mapalia penetrantium, omnia terebrantium, conspurcantium. *Tarabés* vocant.

(b) Fernandez. * Nec explicat quod gallinarum sit genus, ubi Europeæ ignotæ erant. Forte erant quas Indi vocant *Uru*, & *Urugua*, Hispani *Gallinetas*. Forte, quæ cicuratæ quædam gallinarum officia supplent, *Chuñas* appellatæ.

(c) *Orejones* dicti a ritu auriculas appenso pondere ad humeros usque prolongandi. Sed de his vide libr. XXIII. hujus Histor. Supplem. 2.

(d) Quod *Guárapo* vocant.

Digitized by Google

di. Mox apparebit, quanto Hiſpanæ rei vel in Paraguaria diſpendio ſteterit hujus conſilii neglectus. Alvarum, cujus erat prudentiæ, non latebat rei neceſſitas. Sed ad nova incœptanda copia deerat, vix ad perficienda cœpta ſuffectura. Nec Aſſumptione coloni plures deduci poterant; nec id præviderat quo deinceps agere prohibitus eſt quod e republica meditabatur. Ut-ut ſit, milites & maxime veterani, dum iter parari vident, murmurabant: Quid per barbaras regiones vagabundi quærimus, tot laboribus fracti, nunquam non inter mille vitæ diſcrimina fluctuantes? Quid per deſerta loca & ſilvas, per ferarum & antropophagorum luſtra, ubi tot noſtrorum, cum morbis, tum barbarorum jaculis paſſim occumbunt, quid nobis aliud ſperandum ſit? Illorum exemplo nos ſapere oportet; & contemptis theſaurorum ſomniis, bonis hic a natura paratis fruamur. Quid aurum proderit, quo obcæcamur? Quid melius opibus hic ſponte natis comparaveris auro?

Sententia Prætoris.

Plurium erat ſententia, ſpem fodinarum & commercii Peruviani, non eſſe abjiciendam; ſed firmandam nihilominus in Portu regali ſedem, qua gradus fieret, & in Peruvium via ſterneretur. Idque omnes Prætori perſuadere contendunt. Poſtquam antiquiores omnium nomine locutos pacate audiit, reſpondit nonnihil emotus: Sunt-ne Hiſpani qui ſic locuti ſunt? An Hiſpaniam reliquimus, ut in longinquis regionibus vitam vivamus obſcuram, mollem, otioſam? Quid hæc trans maria quærere opus erat? Infantes poma theſauris, quorum ignorant pretium præferentes mihi videre videor. In novum orbem a Summo Principe miſſi ſumus, ad provincias & provinciarum opes conquirendas; noſtrum eſt vel ſanguine fuſo obſervantiam & fidelitatem teſtari. Exemplo præeuntem me ſequimini, & nomine veſtro digni eſſe pergite (*a*).

Nova variis e locis accepta.

Interea Mendoza cum claſſe reliqua appulſus retulit, Guararopos fœdere violato lembum Auguſtini de Campos improviſo adortos quinque Hiſpanos occidiſſe, & Joannem de Bolagnos, dum ſalutem natatu quærit, merſum aquis; perfidos vicinas portui gentes adverſus Chriſtianos viribus, ut illi ajunt, & animis fractos inſtigare, & omnium conſpirationem eſſe timendam. Ab Hectore de Acugna, & Antonio Correa cum militum decuria miſſis ad ſtatuendum cum Xarajeſana gente fœdus, nuntiatum eſt, poſt inundata campeſtria, in quibus multa annonæ penuria paſſi erant, obviam a dynaſta præmiſſam cum commeatu Indorum turmam; occurriſſe deinde quingentis plures, pennis de more galeatos & præcinctos, per quos in pagum deducerentur; a dynaſta benigne acceptos, per Guaranium interpretem teſtatum eſſe, gratiſſimum fore ſibi, Prætoris de quo tot laudes vulgaverat fama, conſpectum. Affirmantibus eum eſſe velle ſuæ gentis amicum, reſpondit nihil ſibi optatius accidere poſſe. De regionibus obeundis ſcire parum, habere tamen peritum locorum quendam, quo internuntio & viæ duce poſſet uti & juvari Prætor.

Fœdus Xarajeſanum, & Peruvianum iter.

Xarajes regionem colunt a cognomini lacu remotam. Sed ex narrandis in hac Hiſtoria conſtabit, eſſe nonnullos, qui illius inhabitant oram, vel certe frequentant. Illud eſt certum, gentem eſſe Hiſpanis amicam, ingenio mitem, agrorum cultricem, & ex cultu frumento & goſsypio ſatis copioſam. Officiis dynaſtæ grates habuit Alvarus; & Joanni Romero cum Hiſpanis centum bis centum Guaraniis lemborum cuſtodia commiſsa, viam arripit ad occaſum. Cujus itineris narratio apud ſcriptores Hiſpanos admodum ſuccincta eſt. Juxta Herreram poſt quinque dierum iter, quo per medias ſilvas & virgulta via fuit aperienda, ventum eſt in flumen aquæ calidæ, ſed clariſſimæ. Tunc viæ dux palam fatetur, jam diu eſſe a quo id locorum non peragraverat, nec ſciré quo aut qua eſſet eundum. Indorum quorumdam indicio addidit, in proximo eſſe tugurio qui errantem doceret. Hunc Prætor advocare jubet, qui ait ſexdecim dierum iter ad quæſitam regionem eſſe reliquum, viam eſſe præruptam & tranſacta difficiliorem, ducem ſe fore, vitæ licet diſcrimine ab indigenis imminente. In conſilium adhibitis Regiis Quæſtoribus, Ducibus, & Religioſis de comitatu, omnium ſententia fuit, retro cedendum, nec ignoto viæ duci ſe credendos. Hac ſententia obſirmatos Prætor dimovere non potuit, & juxta Imperatoris mandata acquievit, & repedare conſtituit. Sed Franciſcum de Ribera cum ſex Hiſpanis & Indorum aliquot præſidio progredi ad Tapuam locum, unde populorum frequentia incipere ferebatur.

Petro Fernandez ſatis convenit cum Herrera; ſed neutri cum Techo, qui in Paraguaria ſcribens potuit alicujus, qui rebus interfuit, documenta ſortiri. Nec eſt vero ſimile, in Opere Regio Indiarum Senatui dicato facta nullo authore vulgaſſe (*b*). Lecturis, quam mihi reſervo, facta quod libitum ſit credendi copia, quæ de hac Alvari excurſione narrat hic Author, & ego referam. Id tantum addiderim, per Alvarum eo uſque nullam primo innotuiſſe regionem; cum vel ejus inimici deinceps confeſſi ſint, plures ejus unius, quam cunctorum ſimul prædeceſſorum opera, eſſe cognitas.

Techo (*c*) quidem cum Herrera fatetur, Alvaro datum viæ ducem fere inutilem & imperitum. Fatetur cum Fernandez, complures accurriſſe gentes officii & commeatus exhibendi cauſa, quod ille ſemper largius remuneravit; Pagum occupat.

(a) Techo, Hiſt. Parag. l. 1. c. 14.

(b) Sed & oportuit aperire in eo Opere, quem penes authorem eſſet factorum & narrationis poſt ſæculum primo vulgatæ, fides.

(c) Lib. 1. cap. 14.

Digitized by Google

vit contendisse nonnullas iter obstruere, sed esse repulsas: quo significatur, longius itum esse, quam Herreræ & Fernandii ferat narratio. Eo, addit, progressus erat, ut parum a Peruvii finibus distaret, cum e cento pago quinque armatorum millia prodiisse per exploratores nuntiatum est. Agmen ordinatur, mox apparent, sed viso Hispanorum ordine, alius alio incussoditis laribus diffugiunt. Hispani pagum ingressi octo focorum millia computant, inter quæ media eminet turris lignea, acuminata, & palmeis corticibus imbricata.

Serpens immanis.

Monstrosi serpentis erat templum simul & lustrum, ex quo numen sibi confecerant Indi humana carne saginandum. Crassitudo bovis par, & pedum viginti septem longitudo. Immane caput exiguis scintillabat oculis. Faucibus minabatur duplici dentium uncorum ordine munitis. Cauda lævis, de reliquo squameus erat. Indi responsa dare Hispanis persuadere conabantur, quos occupavit pavor, maxime cum plumbea glande percitus irrugiit, & turris contremuit cauda repercussa. Facili nihilominus opera interfectus est; & quasi monstri cæde, atque immuniti pagi occupatione Hispanorum virtus esset exhausta, plerique progredi se posse negant.

Quid Alvarum ad regressum impulerit.

Alvarus Peruvium non longe distare ratus, sed quem præcursoris imperitia solicitabat, antequam milites ad progrediendum hortetur, consiliarios adhibet, quorum consensu reditus decretus est. Eo minus gravate acquievit Prætor, quod Publicanorum agendi ratio æque atque itineris labor, & exitus incertitudo militis alacritatem turbabat, ut tres historici conveniunt. Post exactam spoliorum quintam, eamdem extorquere ex venatu atque piscatu volunt. Contrarium Imperatoris mandatum producit Prætor, qui obsecundare renuentibus Fisco pro debito de suis facultatibus satisfacturum sancte promittit. Ast eadem crambe recocta passim fastidio erat. Et inimicorum numerum auxerat disciplinæ severitas: quo receptui signum dare non distulit.

Indorum conjuratio.

In Portu Regali nuntiatum est, Indos & Oregiones maxime in perniciem conspirasse Hispanorum & Guaraniorum; annonam subvehere, ut quo loco res sint explorent; eorum plures jam palam agere, & vi aperta, Guararopos nominatim qui gentes alias in societatem adversus Christianos commoverant. Hoc nuntio tribunum capita in concionem vocat, Prætor in memoriam revocat fœdus initum, quærit numquid unquam de subvectæ annonæ pretio detractum esset, an non potius eu mulasset pretium largitionibus. Si tamen superesset animus in se vel in suos audendi aliquid, facturum se quo cœptorum pœniteret eos. Illi mandata facturos se pollicentur, auctique muneribus dimittuntur.

Spem & fidem fefellerunt: nec commeatus præterquam ad denos duodenosve dies supererat. Novem a Portu Regali leucis latas diffundi lacunas nuntiatum ex vero est, quarum accolæ cibariis abundarent. Per Mendozam cum armata manu expeditum ei significat, fama cum laude sibi esse notos, & mirari se, quod oratores non miserint, quod tot alii fecerant, & quod nondum in protectionem convolassent Imperatoris. Mendozæ mandata dat, ut cibaria petat large rependenda. Si negent, iteratis denuntiationibus interpellet. Si negare pergant, vim adhibeat, prudenter tamen & moderate.

Ferdinandi de Ribera expeditio.

Interea ab Oregionibus denuo conciliatis nuntiatur *Igatu* fluminis oras populis opulentis frequentari, de remotioribus optatum lumen suffecturis. Eo centurio Ferdinandus de Ribera cum delecta quinquaginta duorum militum nec invita manu mittitur, quem jubet Prætor ut litteris omnia notatu digna consignet, & donis abunde suppeditatis indigenarum conciliet animos. Narrationem hujus itineris cum Alvari rebus gestis vulgatam dabimus suo loco.

Mendozæ nuntius.

Sub Ferdinandi discessum Mendozæ litteræ acceptæ sunt, indigenas cunctos contra se commotos, irruentes innumeros in montana fugatos tormentorum bombo, ac duorum cæde: quod ni fieret, actum esse de suis. Post illorum fugam pagos ingressum satis annonæ collegisse, ac profugis per nuntium significasse, paratum se ut pretium rependat prædæ par; at illos convenisse numero plures, & tuguriis combustis, vicinos in auxilium concitare. Alvarus respondit, nequid omitteret ut arma deponerent: quod nisi ad votum succedat, alio contendat. Mendoza replicat, in pejus ruere universos, & jam Guararopos in eamdem aciem convenisse.

1544. Reditus Francisci de Ribera.

Anno sequente Januarii 24. Franciscus (*a*) de Ribera cum viæ duce, sex Hispanis, ac tribus de Guaraniis undecim reliquis Portum Regalem subiit, læto adventu, nam Guaranii octo metu separati ea nuntiaverant, ex quibus a barbaris interfectum crederes cum sociis. Dies senos vigenos ad occidentem tardo gradu profectus est, ut conficiendis duobus passuum millibus totus non sufficerit dies. Victum abunde venatione comparatum. Porcos seu potius apros & antas passim ab Indis sagittis, imo & fustibus occisos; magnam mellis ex cavis arboribus, silvaticorum fructuum copiam undique tractam. Vigesima luce perventum in flumen exquisiti saporis alosarum (*b*) ferax. In adversam ripam transvecto Indum occurrisse mento argentum, auriculis aurum præferentem. Riberam hic manu apprehensum in proximas ædes ducit, vinum ex maizio (*c*) propinat. Et ministrantes ancillæ ajunt, non longe *Paizunes* Indos habitare, quos inter & Christiani erant (*d*). Tunc superveniunt barbari toto corpore picti & pharetrati. Ædium dominus arma corripit: & Ri-

(a) Alius a cognomine Ferdinando.
(b) Hispanis *Sávalos*.
(c) Quod *chicha* vocant.
(d) Non alio nomine vocabant Hispanos.

Digitized by Google

Ribera iis concurſationibus de ſua ac de ſuorum vita actum eſſe non dubitat. Monet ſuos ut per ſpeciem vocandi ſocios in auxilium, dilabi non morentur. Dilapſis tercenteni occurrunt Indi minaces, quo in vicinum montem cum ſuis divertit. Averſi fere omnes vulnerati ſunt; ſed montem penetrare non audent barbari, inſidias veriti: & Hiſpanis prorogandæ fugæ datur otium. Octo Guaranii primo armorum rumore terga verterant.

Poſtea reſcitum eſt, Indos hos, quos Herrera nominat *Taropeacies*, Hiſpanos non odiſſe, imo gentem eſſe pacatam, & amicam exteris, quibus auro, argento, & cibariis, cum ferebat uſus, ſuccurrere non gravabatur. Addidit Ribera, oſtenſo cupreo candelabro, hoſpitem ſignificaſſe, metallum ejus regionis eſſe pulcrius, neque grave olens; oſtenſa ſtannea lance, metallum ibi album eſſe deſæcatius, ex quo brachialia, corollæ, laminæ, vaſa, & pleraque utenſilia elaborari conſueverant.

Hiſpanorum morbis Indi proficiunt.

Hiſpanos in Portum reduces incommoda omnes tenuit valetudo: quod in aquas alluvione turbidas vulgo relatum eſt. Indi vero palam debacchati devios adoriuntur, mactant, devorant. Mendoza revocatus a Prætore reſpondet, ſuos omnes febricitare: profecturum cum cibaria, quæ comparandi major in dies erat difficultas, ſufficerent. Quo nuntio Prætor auxilium ſubmittit, ut vel inviti neceſſarium ad iter commeatum venundent.

Ferdinandi de Ribera adventus.

Rediit in Portum Regalem Ferdinandus de Ribera; ſed Prætori ægroto, & regredi propediem meditanti ſucceſſum enarrare diſtulit. Alvarus quidem cœpta promovendi non deſponderat animum; ſed præter morbos ingraveſcentes, flumina in totam regionem exundantia ſex ulnarum expleverant altitudinem. Quatuor menſes ajebant Indi obtinent alluviones, quas præ piſcium in ſicco putreſcentium copia aëris ſequitur infectio. Victum vero parare negligentes fame conſtringi ut debiliorum cæde paſcantur.

Alvarus Aſſumptionem repetit.

Aquarum effluvium Prætor expectare non poterat, niſi vellet militum reliquias interire. Ipſi etiam de vita timendum erat. Rogatis ergo ſententiis, omnium una vox fuit, cedendum quantocius. Indis Prætor reſtituit obſides, & ne Hiſpani murmurent, mandata producit Imperatoris, nequis Indorum e natali ſolo invitus extraheretur. Murmuratum nihilominus eſt: atque Fernandez cum Herrera, hominis in exequendis mandatis firmitate odium eſſe amplificatum. Sed jam pridem Regii Quæſtores in ejus ruinam conjuraverant; caute obſervatis loco & hora: & militum hoc itinere acerbatorum odio in reliquos propagari nato, præcipuus perficiendi operis obex remotus eſt. Utut res habeat, conſcendit Alvarus ægerrima valetudine, & vix erat qui nauticum moveret inſtrumentum, quive ſequentes hoſtes arceret. Diebus aliquot abeuntem perſecuti ſunt, ſed exploſis in primos tormentis repulſi: & claſſis portum Aſſumptionis tenuit 18. (*a*) Aprilis 1544., uno tantum Miranda nomine deſiderato, qui dum rate vehebatur, jacta per Guararopos ſagitta repente concidit.

Aſſumptionis ſtatus.

Salazarius, cujus imperio ſuberat urbs, coërcendis Agazibus, qui poſt Prætoris exceſſum rura vaſtare & cruentare non ceſſaverant, animum adjecerat. Sed punitio in aliud tempus dilata eſt, nam parata nave conſtrui juſſa, quam Prætor dum convaleſceret conſcendere decreverat, & alienatis quod non latebat colonorum animis, abſtinendum ab extero bello fuit, dum domeſticum imminebat.

Prætor in vincula traditur.

Imminenti malo non aliud atque innocentiam & pios mores objecit Alvarus: progreſſum non cavit, neque omnes noverat machinationis cauſas. Inſtaurandi Boniaëris portum offirmatum oſtenderat animum; iis vero qui poteſtatem abſentis uſurpaverant, relicta Salazario poteſtatis umbra, certum & obſtinatum erat obſiſtere. Quin etiam vix dubitandum ſit, eam fuiſſe factioni mentem, ut Hiſpanæ Curiæ mandata poſthaberentur. Quod ut ex ſententia cederet, eum tollere de medio oportebat, qui ſolus poterat obſtare. Præclarum ſupernæ erga pium præſidem protectionis documentum eſt, quod inimici a breviore & ſecuriore via continuerint ſe. Hæc uno crimine conſtabat; ſed arrepta eſt catenatorum criminum ſeries, quorum impunitatis ſpes anceps aperta ſolum rebellione nitebatur. En geſtorum ordo:

Cum populi & ſanioris militarium partis erga Prætorem amor eſſet notus, clam diſſeminatum eſt, eum itineris comites ditiorum ſpoliis locupletare velle. Hos admonent conjurati, paratos ſe eſſe, ut vincto Prætore probrum hoc avertant. Reſpondent illi, priuſquam ad hæc extrema deveniatur, tentandam eſſe repræſentationis viam, cui fore ut concedat Prætor ſperandum erat. Conjurati replicant, probe ſe noſſe, quid intra hominis cutem ſit; celandam machinam imminentia mala capturâ molitoris arcenda. Armis munirent ſe, ſcituros quid agere oporteat. De aſſerenda Imperatori provincia rem eſſe. Locum deinde conſtituunt quo clam armati dato primum ſalutationis angelicæ ſigno convenire debeant.

His in pacata urbe peractis, Caceres, Cabrera, & Garcia Vanegas ex condicto libertatem aclamantes, & vitam Imperatoris, ſubornato famulo Petro de Ognate, apud Prætorem lecto febricitantem ſe ſiſtunt: introductis poſt ſe Franciſco de Mendoza, Jacobo Reſquin Solorzano, & interprete (*b*) Luſitano Didaco de Acoſta. Reſquinus ignicrepam fiſtulam venena-

(a) Herrera habet pro 18. 8.

(b) Quid ſibi velit, quidve hic agat interpres Luſitanus in ſermocinatione undique Caſtellana, non capio. Forte ad guaranicæ linguæ in Braſilia vulgaris uſum, principio interpres adhibendus in Paraguaria fuit.

nenato haſtili contatam pectori jacentis applicat. Alii duo lecto & domo extrahunt induſiatum, tyrannum appellant, redditurum jam quæ fecerat, & quæ cogitaverat facere mala.

Scripta & bona capiuntur.

Invitati clam ad arma, dum quo res devenerit vident, reclamant. Silentium indicitur; illi vero altius clamant ſe deceptos. His alii ſe ſocios adjungunt; & pugna conſeritur non incruenta. Franciſcus Peralba, & Joannes Pavon, quorum hic conſularem, & ille miniſterialem magiſtratum gerebat, motus pro poteſtate ſedare contendunt; ſed de gradu dejecti ſunt. Poſt pugnam Prætor apud Vanegam transfertur: ad quem cæteri Quæſtores abacta vinctum expetentium multitudine, conveniunt, & ferreis compedibus ſtringunt. Inde ad Petrum Fernandez ſe conferunt, qui ſcriba regius, & Alvaro ſimul a ſecretis erat: atque ſcriniis expilatis cum Bartholomæo Gonzalez deponitur apud Iralam. Poſt hæc interdictum capitale promulgant Quæſtores, nequis domo egrediatur, adactis gladiorum capulo qui foris ſunt, ut intus apud ſe maneant. Prætoris partes apertius ſecutos in cuſtodiam publicam trahunt, poſtquam reliquos inde vinctos extraxerant. In prætorium regreſſi penitius omnia ſcrutantur, ſcripta, annonam, acta ſeu documenta in ſuam eorundem cauſam deducta, ſubſtantiamque omnem occupatam apud factioſos collocant. Navalia tandem invadunt cum navicula recens Alvari ſumptibus inſtructa.

Irala præficitur.

Poſtridie mane colonis ante Regii Locumtenentis Iralæ domum claſſico vocatis, ſtipante armatorum manu prodeunt Quæſtores, & voce præconis enuntiatur, cuſtodiæ traditum Alvarum Nugnum de Vera Capivachium, quod vellet ditiorum bonis ditare ſuos, & legitimæ poteſtati jugum tyrannicum & arbitrarium imponi. Nihil inſtabilius populari turba, nihil ſeductioni magis obnoxium. Edictum generalis plauſus excepit: & Quæſtores eo uſque rebelles ex eo libertatis vindices proclamati ſunt. Dum favet populi rumor, imperium penes Regium Locum-tenentem eſſe promulgant, donec aliter a Rege provideretur. Hinc multorum fuit opinio, machinationis authorem eſſe Iralam, maxime cum deberet ex officio ſeditioſos continere, nec a rebellantibus poteſtatem accipere, qua illi carebant. Eodem tempore Petro Diaz *de Valle*, Iralæ videlicet amico, primariæ faſces cum ſecuri delatæ ſunt.

Ad conquirendas regiones, quod Alvarus inceptaverat, ſolicitudo vertitur apud vulgus, tum ad removendos loco Prætoris amicos, militares maxime: tum ad contrahendam auri argentique copiam, ut Imperatori actorum cauſa commendaretur: Brevi tamen comprobatum eſt, in populo facile circumvento non penitus extingui æquitatis ſenſa, nec ad ſana conſilia proclivitatem. Reſipiſcebat jam, cum novo itinere promulgato pleroſque formido caſuum jam uſu probatorum invaſit. Unde rumor invaluit Prætoris libertatem rurſus expetentium.

Aſſumptione tumultus.

Ad compeſcendos motus in cuſtodiam conjiciuntur audaciores. Apponuntur præ foribus templorum excubiæ, ne qui ad aſylum confugerant, elabantur, ac circum Vanegæ domum, qua tenebatur Prætor, duplicantur. His magis exarſit populi furor & militum. Sed publicatum eſt, primum pro Alvaro motum hujus ſanguine luendum. Stricto mucrone extorquere tentant mandatum ipſius Alvari ſubſcriptione munitum, nequid, quod pacem turbaret, moliretur miles, ſiquis incolumitatis & vitæ ſuæ ſupererat amor. Id jam ultro anteverterat ipſe; nihil erat tamen quo ceſſaret timor. Subinde cuſtodiam ingreſſi cædem minantur, & in medium populi cœtum abjiciendum caput, ſiquis vinctum liberare contendat. Et quatuor ſacramento militari rogati ſunt ad parricidium primo nutu perpetrandum.

Alvari per litteras communicatio.

In obſcuriſſimo conclavi lecto nunquam non affixus, ſemper ad cervical ardente lampade utebatur, loco tam humido, ut ſubter lectum herbaſceret. Bernardus de Soſa, homo parum ſecundæ famæ, cui capitalem cum mitiore pœna commutaverat Alvarus, eoque magis querulus quam gratus, occultas agebat excubias, collocatis extra januam duplicem ſemper clauſam armatorum centum & quinquaginta. Nihilominus vinctus opportuna monebatur per litteras ab Inda cum cibo afferri ſolitas. Præ foribus eam cuſtodes prolixum atque indecentem in modum ſcrutabantur, ore introſpecto, auriculis vellicatis. Caput præterea denudaverant, & raſerant. Sed examinare nulli ſubvenit digitos pedum, quibus inſerebantur ſchedæ tum albæ ad reſpondendum, tum ſcriptæ accomode plicatæ. Dum Inda ſedet ad lecti caput, quaſi ad ſcalpendos pedes inclinata, ſchedam in manus accipit, utiturque momentis dum terga vertit Soſa. Reſponſurus Prætor quandam ejus regionis adhibet cretam, quam ſi diluas ſaliva, atramentum feceris.

Quæſtorum tyrannis.

Non diu fugit Quæſtores ſtratagematis odor ex effectis. Ut authorem inveſtigent, quoſdam juvenes ad corrumpendam Indam immittunt; ſed illa ſe facilius quam ſecretum prodidit. In colluſionibus id genus fœminæ ut plurimum ſolertiores ſunt viris. Interea provinciæ moderator & quæſtores omni ſtudio amicos conciliare contendunt quiſque ſibi. Et Indorum partes ſecutis Indorum mapalia percurſare, fœminas, & quidquid erat libitum tollere, viros ad ſerviendum compellere ſine mercede licebat: nec queritantium voces auditæ ſunt: quo in ſilvas Indorum multi cum totis familiis aufugiunt. Acerbiſſime tulit Alvarus certior factus impotentiam medendi tot malis, & transfugarum amittendæ religionis diſcrimen.

Deſertionis incommoda prævidentes ejus inimici, infidelibus ut humana carne veſcerentur, veniam facere non ſunt veriti, Alvari vitio tribuentes interdictum. Hiſpanos illius deſiderium teſtatos ſic vexant, ut plures ſolum

Digitized by Google

lum mutare coacti ſint. Hos inſequuntur, & aſſecuti reducunt conjiciendos in vincula: nec parcitur eccleſiaſticis ſenſus ſuos palam facere audentibus. Hac de cauſa privatorum aliqui manu carnificis verberati ſunt, & nonnulli ſuſpendio ſublati. Ubique morum licentia ſcandalorum attigerat culmen: nec auctores pudebat rei publicæ & regiæ fidei zelum obtendere, cum vere omnia raptim & per vim & injuriam agerentur.

Regem præoccupare conantur.

Hiſpani quinquaginta in Braſiliam profecti ſunt, ut occaſionem transfretandi captarent, & Imperatorem affectum coloniæ ſtatum edocendi. Eodem tempore monachos braſilianum iter olim contra Prætorem nequidquam aggreſſos, viam eandem, eodem conſilio, Quæſtorum factione conitente, tenuiſſe compertum eſt. Sed Factionis imperium rutum eſſe non poterat Aſſumptione ſuperſtite Alvaro. Factos ſe Quæſtores ad magna crimina oſtenderant, quæ parricidio jam patrato cumulata eſſe ſuſpicabantur multi. Sed qui mari fines conſtituit non ulla transgrediendos procella, brachium ad ſcelera commotum & pronum continet dum vult. Lembum, dum minus timendum erat, parant in Hiſpaniam cum Alvaro expediendum, ſic in conficiendo actorum proceſſu obcæcati, ut minime dubitarent, quin a Regio Senatu eſſent approbanda. Quin etiam pluribus ſcriptarum in Curiam litterarum copiam fecerant, quibus Prætor perditiſſimorum capitum accenſebatur loco.

Alii de re tota ad Senatum referunt.

Sed aliunde amicorum ſolertiores omnia opportune proviſerant. Acta vera cum ſibi creditis ab Alvaro priuſquam comprehenderetur documentis in publicam ex lege conformaverant fidem: eaque ad puppim cava trabe concludi curant, nautis quos conciliaverant aſſerentibus, ad navem contra undarum impetum muniendam id eſſe neceſſarium. Horum inſciam popularem turbam angebat de Prætore ſolicitudo, quem in Hiſpaniam miſſum iri paucis perſuaderi poterat. Imo palam vulgabatur, ad occultandam illius cædem iter Hiſpanicum obtendi: ut viris quatuor plebi non ſuſpectis reſeranda fuerit cuſtodia, qui Prætorem vivere diſſeminarent ex viſu. Etiam factioſi obteſtati ſunt, Alvarum ſi ab Imperatore cum poteſtate in Paraguariam remitteretur, admiſſuros ſe qua decet obſervantia erga tanti Principis mandata. Ad hæc; Quæſtores duos ituros comites, & ſe ultro daturos in vincula, cum Hiſpaniæ portus attingerent.

545. Solvitur in Hiſpaniam.

Parata nave in ægrotantis Alvari cuſtodiam conveniunt noctu Cabrera & Orantes, eum ſuſtinent brachiis, & ad exteriorem uſque adium januam exportant. Sudum dum cœlum conſpicit, quod poſt injecta primum vincula non viderat, Deo gratias acturus in genua procumbit. Binis inde militibus traditur in navem deferendus. Tunc accurrenti populo inclamat vi quam poteſt maxima: „ Vos teſtor, D. Joannem de Salazar Eſpinoſa, qui provinciæ præſit, a me conſtitui, donec ab Imperatore de Prætore provideatur.“ Sermonem contrahere oportuit, nam Vanegas ſtricto pugione cor transfigere minatur ſi loqui pergat: imo & locutum leviter vulneravit. Bajulos feſtinare jubet, & intra navem deponitur ad puppim in loculo ſic aſſeribus compreſſo, ut ægre dimoveri poſſet. Simul conſcendunt Cabrera & Vanegas, quibus Irala comitem adjungit Lupum de Ugarte (a) rerum ſuarum in Curia procuratorem. Conſpiraverat hic ut qui maxime adverſus Alvarum, ſed Iralæ a quo mittebatur exemplo clam; & uterque ſperabat fore, ut innoxius judicaretur in Hiſpania.

Toxicum fruſtra propinatur.

Poſtquam vectores cunctos navis recepit, duo Quæſtores Aſſumptione reliqui, ut comprehendantur Joannes de Salazar, & Eſtopignanus Capivachius Alvari nepos, dant operam, biduo poſt lembo altero ſimul in Hiſpaniam cum primo convehendi. Magna rationum vi opus erat, ut hi duo genere & merito præſtantes viri mitterentur in Hiſpaniam. Sed præterquam quod militibus erant cheri, ad quos facile devolvi poterat imperium; eædem forte in illorum atque in Prætoris caput parabantur inſidiæ. Illud eſt certum, preces Alvari, ut victum ſibi parare ſineretur duo ipſius famuli, eſſe rejectas, & eam operam Cantabro cuidam nomine *Machin* fuiſſe commiſſam, qui paratum cibum tradebat Ugarti, ægroto deferendum. Principio animadvertit Alvarus, arſenico cibum infectum eſſe; adhibetque paullulum olei ad evomendum. His triduum iteratis affirmanti nihil ſe niſi paratum a ſuis famulis accepturum eſſe, reſpondetur, mortem ſibi conſciſceret, liberum eſſe. Jejunus tranſegit dies aliquot; ſed nimium debilitatus dum videt interitum ſibi adornari, appoſita ſumere, & oleum vomitorium adhibere pergit.

Procella.

Præter Salazarium & Capivachium vincti deportabantur Petrus Fernandez & Ruizius Miranda. Aliis compluribus, nominatim P. Joanni de Salazar Ordinis de Mercede alumno, ſecundum conſcendendi lembum facta eſt copia: data prius fide nihil pro Alvaro moliendi. Hos tamen Cabrera & Vanegas multa veriti Aſſumptionem eodem lembo redire cogunt, adjunctis repugnantis Alvari famulis. Vix reliqui in altum mare prodierant, cum exorta eſt tempeſtas uſque adeo fera, ut expertiſſimis nautarum indubitatum eſſet naufragium.

Quæſtorum pœnitentia.

Tunc Quæſtorum animis, dum judicium imminens contemplantur, ubi nec opprimi, nec offuſcari veritas poteſt, totum commiſſorum pondus incubuit: & conſcientia pungente manum inſontium ultricem, & elementa in ſui perniciem concitantem probare ſe palam fatentur. Cabrera, quem & Vanegas imitatur, Alvarum eo uſque compeditum abſolvit, & compedes oſculatur. Culpam deprecatur uterque, ablatum honorem reſtituunt, adduntque

(a) Lupum Duarte appellat Fernandez. *Charl.*

Digitized by Google

que ſe millies falſo in illius interitum juraſſe. Per Deum obteſtantur ut ignoſcere velit ne pereant.

Apud Azores ut teneatur agunt.

Fidem dat Alvarus, & factorum oblivionem promittit. Tempeſtate poſt quatriduum ſedata, nemo fuit qui vitam tanti viri meritis & ſanctitati non referret acceptam. Poſt hæc bis mille & quingentis leucis inviſa terra peragratis, totius annonæ ſumma modica farina conſtabat, ex qua panis porcino adipe conficiebatur. Verum naufragii diſcrimine liberos pro timore Dei timor Regis inceſſit, eo minus ſecuros Alvari promiſſo, quo magis publica fuerat delictorum confeſſio. Igitur ad Braſiliæ, Hiſpaniolæve portus applicare non auſi, ne comprehendantur, poſt trium menſium iter apud Azores anchoram demittunt. Deſcenſione facta Præfecto loci denuntiant, advectum eſſe hominem, qui Capoviridas adortus Jacobæam expilaverat: de quo illum poſſe pro arbitrio decernere.

Alvari in Hiſpaniam adventus. Quæſtorum interitus.

Suſpectos fecit delatores criminationis ſingularitas. Aitque Præfectus: „ Rem vero abſimilem denuntiatis. Quis hominum privatus audeat cum Rege meo congredi? qui de cætero ditionis ſuæ portus non uſque adeo præſidio deſtitutos habet, ut a quolibet expilari queant. “ Peremptorio confuſi reſponſo taciti ſecedunt, & vincto in ſua nave relicto aliam conſcendunt in Hiſpaniam paratam, quo diebus duodecim ante Alvarum appulſi, in Portugalliam diggreſſum eſſe diffamant, partorum luminum proditorem. Valliſoletum, ubi Curia ſedebat profecti, documenta cum probationibus actorum apud Senatum deponunt.

Regio Indiarum Senatui tunc præerat Ill. D. Sebaſtianus Ramirez de Fuenleal, Epiſcopus Conchenſis, totius Hiſpaniæ peritiſſimus rerum Novi Orbis, integerrimus & falli difficilis. Regiæ in Hiſpaniola primum, in Mexico deinde Curiæ Præſidem egerat: & cujus erat experientiæ veritatem ſimulationum involucris tectam brevi perſpexit. Meritam Quæſtoribus pœnam parabat, cum totius Hiſpaniæ luctu deſideratus eſt. Sub idem tempus Valliſoletum pervenit Alvarus, unde accuſatores Matritum, quo transferenda erat Curia, proxima nocte diſcedunt. Haud ita poſt Vanegas, ne verbo quidem prolato, & oculis prominentibus e fronte, ſubita morte correptus eſt: quem Cabrera phreneſi poſt occiſam uxorem tactus prope ſequitur.

Alvarus innocens judicatus, quo devenerit.

Quo devenerint cœnobitæ ad promovendam Alvari accuſationem Aſſumptione per Braſiliam profecti, latet. Illud tantum memoriæ proditum eſt, periiſſe ſubito & triſtiſſimo caſu. Sed Alvarum, cujus de cætero innocentia exactis delatoribus, & divina ultione adverſus eos emicante, liquet ſatis, ſcriptor rerum ab eo geſtarum teſtatur, non ante annos octo objectis criminationibus abſolutum eſſe: nec fuiſſe Paraguariæ reſtitutum, ne forte novis motibus fieret occaſio; tamdiu neque remuneratum, neque ſuſcepta pro Imperatore damna, ſumptuſve factos reparata eſſe. Moram refert Herrera in diuturnam Principis extra Hiſpaniam abſentiam. Et Techo prodit (*a*), donatum tandem bis mille aureorum penſione in Senatu Hiſpalenſi integra fama conſenuiſſe. Scriptum tamen reperi, in Regio Indiarum Senatu continuo toga decoratum. Sed Princeps in compenſandis Alvari meritis heroicæ tot adverſitatum tolerantiæ rationem non habuit: ſcilicet quia ſunt merita quædam, quorum Deus unus remunerator ſit. Et qui ſecundum ſublimia religionis principia operantur & cogitant, probe norunt, ſolum Deum eſſe & remuneratorem & præmium.

Hiſtoricus hic cum Fernandez conciliari poſſe videtur, ſi dicatur proceſſus lentitudine ex Paraguariæ unde documenta petebantur diſtantia, & ex abſentia Principis orta factum eſſe ne citius redintegraretur heros hic, qui contentus conſcientiæ teſtimonio minus anxie judices urgebat. Sed eo maxime inclaruit, quod nullum unquam adverſus inimicos verbum protulerit, nec quo gravari poſſet Iralæ, etiam quando noverat, quam agendi ſecum abſente rationem inſtituiſſet ille. Id unum tradit Herrera, Iralæ oratori negatum ſemper fuiſſe in Paraguariam reditum. Reliquum eſt ad expediendam Alvari præfecturæ hiſtoriam, ut iter & exitus Ferdinandi de Ribera innoteſcat: quod nec Alvaro prius nuntiatum quam perveniret in Hiſpaniam.

Iter Ferdinandi de Ribera.

Hunc dixi Portu Regali profectum eſſe 20. Decembris 1543. cum duorum & quinquaginta hominum comitatu, & navicula vectum adverſo *Igatu* flumine, quod ex Jacareati, & Iaivæ confluvio coaleſcit. Confluentis locum divinando definieris: duo tamen certa ſunt, eo Riberam ſex diebus perveniſſe, atque Paraguais Portuſque Regalis occidentem reſpicere. Ibi navicula cum duodecim hominum præſidio relicta cum cæteris & Xarajæ ſermonis ea locorum communis perito progreditur. Hoc interprete ad percontandum obvios diverſarum gentium Indos uſus eſt. Prætor Alvarus Joannem de Valderas Regium Scribam addiderat, qui notatu digna litteris conſignaret: quem tamen, quod ex Indorum congreſſu noverat, celare ſolitus erat ille, Prætori qui rem comprobare decreverat, referendum. Morbo affectum in Portu Regali edocere prohibitus, Aſsumptionem redeuntem ſequitur. Hic pariter interdictus alloquio, itineris narrationem ſcripto digerit. Convocat deinde in cœnobium a *Mercede* ſelectum hominum cœtum, & coram Prælato, & Petro Fernandez Scriba Regio digeſtam ex ſcripto narrationem percurrit, cujus ſummam pronuntiato ſuper Evangelio jure jurando confirmat. Narrationem prout vulgata eſt olim poſt Alvari geſta,

(a) Techo, Hiſt. Par. lib. 1. c. 14.

Digitized by Google

ſta, videſis ad calcem hujus Hiſtoriæ. Hic ſummam habeto.

Dum in confluentem venit Ribera, novit per Xarajes ibi repertos, Jaibam ex montibus Sanctæ Marthæ, Jacareatim ex Peruvianis ortum ducere. Conjungi primum apud Perobazaes, deinde ſeparari, & inſulam ampliſſimam, & nationibus frequentem amplecti. Poſt Xarajes, quorum dynaſta *Camiré* nomine amicorum loco Hiſpanos habuit, accepto commeatu trium dierum itinere ventum eſt in Urtuezes, qui Xarajum inſtar agricolæ ſunt, & plures volucrum nutriunt ſpecies. Inde per frequentiſſima loca progreditur uſque ad gradum latitudinis auſtralis decimum quintum fere.

Apud Urtuezes, quibus Aburugnez conterminī ſunt, plures officii gratia convenerunt Indi, pennas Peruvianis ſimiles, & laminas ex metallo, quod *Chafalonia* vocant (a) offerentes dono. Eos ſeorſim de locis ulterioribus percontatur, & una omnium reſponſio fuit, poſt decem dierum iter ad occaſum verſus boream magna oppida fœminis albo flavoque metallo opulentis inhabitari; imperium eſſe penes fœminam cunctis per circuitum populis formidabilem; totam ibi ſupellectilem argento conflare; citeriorem eſſe gentem aliam numero exiguam, quacum fœminæ ſubinde bella gerunt, marte nunquam non maribus adverſo; certo anni tempore mares admiſſarios non repelli, filias ſervari, filios dum ablactantur, ad genitores remitti; fœminearum regionem inter montes a Sancta Martha & *Domum-Solis* ubi ſol occumbit, mediam eſſe; ultra fœminarum ſedes Indos eſſe plurimos, atro colore, mento acuminato. Hæc de fœminis accepta ferebantur a majoribus auditu, non viſu, & a conterminis Indis, addentibus nigros illos accommode veſtitos incedere, ædes inhabitare lapideas, & metalli flavi & albi tantam apud eos eſſe copiam, ut ex alterutro fiant vaſa, ollæ, & utenſilia quævis.

Quærenti Riberæ quorſum agerent, reſpondent, adeunda loca dierum quindecim itinere inter boream & occaſum. Ex quo ſub duodecimo latitudinis auſtralis gradu inter S. Marthæ & Maragnonis montes eſſe exiſtimavit. Gentem eſſe bellicoſam ſolis arcu & ſagittis. Nutu etiam ſignificarunt, inter occaſum & boream tantæ longitudinis eſſe oppida, ut uno die pertranſiri nequeant; incolas abundare metallo: eoque nec nimis longa nec infrequenti via perveniri poſſe: ad occidentem eſſe lacum ampliorem quam ut viſu definiri poſſit: magnam illorſum eſſe copiam æris & ſplendentium lapillorum, quibus habitus ornabant & utenſilia: terram colere, volucres nutrire, & quindecim diebus ad lacum veniri poſſe: viam eſſe facilem ceſſantibus aquis, ſed ea tempeſtate eſſe inundatam: & eſſe Hiſpanos pauciores, quam ut eam populorum frequentiam ſuperare poſſent.

Ab auſtro ad occaſum urbes eſſe amplas terreis ædibus; incolas humanos, & opulentos auro & argento, & qui magnas opes ad agrorum cultum, & ad portandas ſarcinas adhibent, acceſſu facili & pervio, ubi & Chriſtiani morabantur; eſſe tamen deſerta quædam & arida loca tranſeunda. Quærenti, unde noverint Chriſtianos eſſe, viſos ajunt olim ab Indis in deſerta penetrare homines albos, non nudos, barbatos, belluis impoſitos (equos indicabant) ſed aquæ penuria regreſſos, deſideratos alios; in par diſcrimen conjectos Indos, qui gentes ultra deſerta conſtitutas adire nitebantur. Magnam eſſe inter eas gentes conſuetudinem & uſum, ut nuntiata divulgentur, ac eſſe certum viſos Chriſtianos inequitantes; fama proditum eſſe, ultra montes inter auſtrum & occidentem magnam eſſe metallorum copiam; aquam ulterius eſſe ſalſam, & magnæ molis apparuiſſe navigia. Quærenti denique, numquis eſſet earum gentium Imperator, reſpondent, ſingulas ſingulos habere duces; qui videlicet reliquos anteiret virtute bellica, cui parerent univerſi. Juratus Ribera teſtatus eſt, Indos tum ſimul, tum ſeorſim interrogatos in eamdem ſententiam reſpondiſſe. Addidit, dum de Jacareati loquebatur oblitum ſe, a montium culmine ad profundiſſimam vallem immani præcipitari aquarum lapſu.

Interea ſic agebat Irala in Paraguaria ut qui certo non rediturum Alvarum exiſtimaret; ſed fore ut vel de via periret, vel objectis criminationibus ſuccumberet. Inito magiſtratu & imperio ab inimicis Alvari delato, rapta illius bona iis quos conciliare ſua intererat, diſtribuit. Quod tametſi diu latere non potuit Alvarum, cum verbo poſſet hominem perdere, tacere maluit. De reliquo Iralam reſipuiſſe, & prædeceſſori reconciliatum facta reparaſſe, pronum ad fidem eſt; ſed documenta deſidero. *Indignum Iralæ facinus.*

Injurias approbando, Indorum vexamen diſſimulando confecit, ut cunctos a quibus ſibi timendum erat vel ſperandum in ſuas traheret partes. Sed cum probe noſſet, precarium & lege deſtitutum imperium, in eos ut plurimum diſtractum eſſe quorum opera obtineatur, diſtinendos cenſuit procul qui res novas moliri poſſent. Propterea utque ſe apud Imperatorem probaret, ad perluſtrandas regiones conſilia vertit. *Aſſus ad retinendum imperium.*

A Quæſtoribus Regiis nihil timebat; nihilominus ut primum res innotuit, denuntiant, Aſſumptione conſiſtendum, donec a Rege præfectura confirmaretur. Denuntiationem proxime ſequitur, niſi jam præceſſerat, in apertum diſcordia, & ex diſcordia generalis rerum perturbatio. Proficere nituntur Indi, & vaſtatis Hiſpanorum prædiis illatorum gravaminum *Indorum motus.*

(a) *Chafalonia* nomen eſt non Indicum, ſed Hiſpanis vulgare ad ſignificanda vaſorum argenteorum fragmenta: ita ut cum marcus argenti ſit unciatum octo, marcus de *chafalonia* ſolis comparetur ſeptem. Nec aliud ex Riberæ documento confeceris.

Digitized by Google

num vicem rependunt. Profecit in ſuam vicem Irala, dum neceſsaria ad coërcendos Indos illius opera cenſetur. Simul in aciem prodit, atque diſparent Indi.

1546. Regiones perluſtrat Irala.

His adverſus reluctantes confirmatus cœpta promovet. Iralæ partibus addictus erat Nuflus, ſive Onuphrius de Chauves Turre Julia in Oretania (*a*) natus, præſentis animi vir, qui non aliud quam operandi ſplendide ſphæram captabat. Hunc cum Lezcano annonæ præfecto & quadraginta Hiſpanis in Mbajaärum tractum præire jubet. Paraguaim accolunt Mbajaæ ad occidentem (*b*) centum circiter leucis ad Aſsumptionis boream, fere ſub tropico. Præter ſententiam accidit quod Iralæ diſceſsum moraretur; diſceſſit tamen aliquando, conciliatis agendi licentia militum animis, & provinciæ præpoſito Franciſco de Mendoza. Lembis quatuor Hiſpanos tercentum impoſuit; quos termille & quingenti Indorum ſocii, pars ratibus, terra plerique uſque ad Itatim amnem ſecuti ſunt. Hinc cum Chaves & comparato commeatu Paraguaim ſubiit uſque ad Portum Regalem.

Ad Xarajes vertitur, qui univerſos hujus continentis Indos morum comitate & facilitate ſuperare dicuntur: Iralam benigne habent, atque victum & auxilia ſuppeditant. Horum cuſtodiæ commiſſis navibus, iter arripit inter boream & occaſum. Multa de regione uſque ad Amazonidum flumen ab Indis primum obviis accepit, illud nominatim, *Dorado* lacum gentes plurimas, auri argentique copioſas accolere. Sed accepto nuntio Sembicoſes ad occidentem fodinis abundare, eo contendit. Multis itineribus in Guapaim venit, Mamoreem influentem, qui vulgari nomine *de la Madera* Maragnoni adlabitur. Ad montium Peruanorum radices Sembicoſes habitant, a quibus monſtra quædam aurea argenteaque accepit dono. Cognitis ibi Hiſpanorum in Peruvio diſſidiis, Imperatoris demerendi gratia, Chaveſium ad Gaſcam Præſidem mittit, qui ſe ſuæque cohortis paratam offerret opem. Gratiam habuit Præſes, & Didacum Centeno loco abſentis Iralæ Paraguariæ præficit. Idque factum ea mente videtur, ut ibi reſtaret.

Repedare cogitur.

Moræ impatientes Paraguajenſes, quod Chaveſio Limam uſque penetrandum fuit, Iralam concitant, ut Peruvium introeat. Negat ille ſibi licere, niſi eo permittente, penes quem erat imperium. Tunc illi replicant: Ergo in Paraguariam repedaret. Ait ſe Chaveſium præſtolandi dediſſe fidem, quam fallere nefas erat. Seditionem moventibus concedendum fuit. Apud Xarajes paratam claſſem invenit, qua tertio poſtquam exceſſerat anno Aſsumptionem tenuit.

Mendoza jugulatur.

Franciſcum de Mendoza pro abſente Irala præfectum eſſe provinciæ ſupra narravi. Ferdinandi Auſtriaci Caroli V. germani fratris, & in Imperio ſucceſſoris Domus adminiſter fuerat. Infauſto caſu ſibi conſcito mox referendo Hiſpaniam deſerere coactus, Petrum de Mendoza ſibi ſanguine junctum ſequi conſtituit. Poſt annum quam Aſsumptioni præerat, credidit quod & alii, Iralam eodem atque olim Ajolam occubuiſſe fato. Conſilium novi Prætoris eligendi ſuggerunt amici, non dubitandum quin una omnium voce renuntiaretur ipſe, meritis ſuæ familiæ ab Imperatore confirmandus.

Et hoc facile credidit. Electores alloquitur, nec dubitat quin partibus ſuis conciliati ſint; etſi non nihil ſuſpicandum fuit, cum prævia denuntiatur vicarii, quo fungebatur, magiſtratus demiſſio. Faſces deponit, ſed cum Didacus de Abreu primo ſcrutinio eligitur & ſalutatur Paraguariæ Prætor, ceu fulmine afflatus hæſit. Deceptus ſimulata fide veros conſulit amicos, quorum ſententia fuit, electionem eſſe irritam quippe doloſam; eo demiſſionem indictam, ut magiſtratu privaretur. Demiſſionem primum ſubreptitiam declararet: deinde magiſtratum obire pergeret; cœpta ſecundaturos ſe, daturoſque operam, ut Abreus coerceretur.

Quid in patibulo confeſſus ſit.

His ad Abreum delatis, nulla mora Mendozæ domum obſideri jubet. Amicorum paucos ibi comprehenſos capite damnat, reliquis fuga dilapſis. Ad Senatum Cæſaris provocat; ſed in caſſum. Ad moriendum chriſtiano ritu ſe parat. Mariam de Angulo uxorem legitimam, & quatuor, quos ex ea ſuſceperat filios, hæredes declarat. Eccleſiæ ſacramentis munitus, cinctus apparitorum manu prodit in patibulum juſſu Prætoris erectum e regione domus ſuæ: quod nulli probatum eſt. Hominis ea nobilitate, haud ita pridem Præſidis, & qui univerſos humana & ſuavi conſuetudine demeruerat, lacrymanda ſors. Dum in ſupplicii locum venit, loquendi voluntatem ſignificat, & ſilentibus ait, eodem die, eodem menſe, paulo antequam diſcederet ex Hiſpania, primam uxorem & ſacellanum ſacerdotem ex mero zelotypiæ abſceſſu judicatos interfeciſſe. Dei juſtitiam adorare ſe, ſcelus pro merito expiare volentis. Sperare, ut temporali pœna placatus æternum miſereatur.

HI-

(*a*) Truxillo, ciudad de Eſtremadura.

(*b*) Utramque Paraguais ripam Mbaiaæ occupant.

Digitized by Google

HISTORIA PARAGUAJENSIS.

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Irala Aſſumptionem ingreditur. Abreus cum ſuis dilabitur. Punitur cum Mendozanæ cædis auctoribus. Provinciæ ſtatus. Centenus Paraguariæ Prætor. Mandata. Obitus. De Portu conſilium. Caſus improviſus. Guaira urbs. Regii Senatus conſulta. Iralæ aſtus ad retinendum imperium. Indorum rebellio compreſſa. Novus Prætor. Pacta conventa. Diſceſſurus obit. Subrogatur filius. Perit naufragio. Aſſumptionis Epiſcopus. De Indis Imperatoris mandatum. Guaira ſolum mutat. Chaves in Peruvio. Chiquitorum valla ſuperat. Obitus Iralæ. Chaveſii caſus. Oppidum a S. Cruce. Transfertur. Vergara Prætor. Guaraniorum motus. Guairana ſeditio. Diſſipatur. Caſus improviſus. Prætoris conſilium imprudens. Cum Epiſcopo Peruvium petit. Chaveſii cœpta. Prætor abrogatur. Succeſſor quis. Chaveſii cædes. Bellum cum Itatinis. Epiſcopi diſcordia. Præſes vinctus. Corduba urbs. Sancta Fides. Novi Prætoris adventus. Tucumaniæ fines. Incolæ. Animantia. Flumina. Opulentia. Cœli vices. Hiſpanorum aditus. Primus Prætor. Succeſſores. Oppida Tucumaniæ. Chaqui fines. Soli natura. Fodinæ. Amnes. Pharmaca. Animantia. Incolarum frequentia. Nationes ſingulares. Chiriguanorum origo. Odium Hiſpanorum. Averſio a Fide. Infauſtum bellum. Mores gentis. Nationes pacatæ. De Chaco Hiſpanorum conſilia. Andreæ Manſi ſors. S. Franciſci Solani prædictio. De Commendis.

1549. Irala Aſſumptionem ingreditur.

EXacto competitore nihil antiquius Abreo fuit, quam ut Imperatoris reſcripto obita præfectura muniretur. Alphonſum de Riquelme in Hiſpaniam ablegat cum electionis & obitus Iralæ documentis: ac Ferdinandum de Ribera jubet, nave altera ad S. Mariæ caput ire comitem. Satis commoda fluvialis navigatio fuit. Sed poſt Riberæ diſceſſum, Riquelme dum in quandam appellere inſulam contendit venti ſecundioris amore, navem fregit, ſalvis quidem vectoribus, ſed a Charruis in littore periclitantibus. Commodum accidit, ut non longe in ſtatione conſiſteret Riberæ navis, qui receptis naufragis Aſsumptionem repetit cadente anno 1549. paulo poſt Iralæ reditum.

Fugit Abreus.

Hunc redeuntem ſalutandi gratia, longe proceſſit obviam tota civitas. Abreus vero reluctari non auſus, certuſque cædem Mendozæ ulciſcendam, in tuto ſe collocare properat in montes Indorum favore magis inacceſſos, ſequentibus conſpiratorum pleriſque. Prætorem elapſa præda dolentem ſolatur adventus Chaveſii cum ſociis, ne uno quidem defiderato, imo addita quadraginta Hiſpanorum manu.

Supplicium de Abreo & ſociis.

Prætor a Chaveſio Mendozæ genero interpellatus de ſceleris authoribus pœnas ſumptum ire promittit, ac fugientibus aliis de reliquis ſumptæ ſunt: nec Abreus mutatis latebris evaſit inſequentium manus. Veſtigiis omnibus indagatur a viginti armatis, quibus vivum mortuumve ut apprehenderent mandatum erat. Hi tugurium ſupra montis impervii culmen obſervant, denſa circumvallatum ſylva: nocte appropinquant, & inter quatuor aut quinque Hiſpanos dignotum laxata rota conficiunt. Horum cauſa multa patrata ſunt, quæ aliter ab aliis narrantur.

Paraguariæ ſtatus.

Magna tunc erat rei publicæ perturbatio: nec minor eſt coævorum qui tunc facta divulgarunt confuſio. Techo non nihil in fuſcam tempeſtatem penetravit. Author Hiſpanici manuſcripti, qui *Argentinam* ſoluta oratione interpretatus eſt, nunquam illaudatum nominat Iralam. At difficile eſt, poſt Herreræ de cætero erga Iralam ſatis æqui ſententiam hunc omnino culpa liberare: nec parum molitionibus adverſus Alvarum Nugnum deturpatur, & male celato imperii a nullo dependentis amore. Laudandus erat ille multis virtutibus & ornamentis; verum illata ſæpe vis, & licentiæ militaris impunitas, fœcunda turbarum cauſa, excuſari vix poſſint. Veritus nequid contra ſe ad Indiarum Senatum deferretur, appoſitis ubique utebatur exploratoribus, eo magis formidandis quod de eorum, quorum intercipiebantur litteræ, actum erat ſalute vel libertate. Nec deerat unquam, quo malefacta contegeret. Peruvianum adverſariis iter præcludere nitebatur, quod a Peruvii rectoribus æque atque a Regis ſenatu ſibi timendum erat.

Didacus Centeno cum potestate mittitur.

Noverat, quo tempore Chaveſium in Peruvium ablegavit, a Præſide Gaſca inviolatæ fidei Prætorem Didacum Centenum tunc forte apud Charcas conſidentem Paraguariæ deſtinatum eſſe. Veteranus erat centurio clarum nomen adeptus in Hiſtoria Peruana, Regi fidus, virtute, prudentia, moribus, imperii dignus cum primis, & cœptis difficillimis par. Præfectura tunc conſtabat regionibus, quæ hinc Braſilia, illinc Charquis & Cuzco a decimo

Digitized by Google

cimo quarto ad vigeſimum ſeptimum latitudinis antarcticæ gradum diſterminantur.

Mandata. In mandatis erat, ut primum ad indigenarum converſionem ſtudium applicaret: ſeveritatem caveret, niſi poſt omnia tentata lenitatis remedia; miſſionarios in obeundo munere protegeret, nec tantum protegeret, ſed eorum cum de Indis ageretur, uteretur conſiliis; ne in regionibus percurrendis, ut minimo lucro factum erat, ſumma rei collocaretur, ſed ſedes vicinæ ſtabilirentur, quo & orta ceſſarent, & in poſterum vitarentur Hiſpanorum jurgia, atque in pagis continerentur Indi, vexatione aliquin depopulandis: nequid illorum commodis carius eſſet: ideoque nulla niſi benemeritis & qui probatis moribus ſit, fieret conceſſio: ut ab Indis modicus tantummodo cenſus, & eccleſiaſticorum, religioſorumque conſilio taxandus exigeretur; nequem in Paraguariam deduceret ex Gonzali Pizarri factione: denique ut univerſos per viam in officio contineret: nec pateretur Indorum quempiam vi abduci.

Centeni obitus. Statio deſerta. His mandatis Centeno, cujus erat prudentiæ, datis reformandam Paraguariam ſpes erat. Sed eo profecturus obiit: nec prius quam de obitu reſciretur, Iralæ videtur innotuiſſe præfecturæ amittendæ diſcrimen, niſi a Peruvii finibus Aſſumptionem regredi coactus eſſet. Poſtquam a Peruvio nihil timuit, ad conſtituendas opportunas ſedes convertitur: fatendumque non mediocria eſſe illius hac ſuper re in Paraguariam merita. Notum erat, coloniam ſine portu, quo Hiſpanicæ naves accederent, ſtare non poſſe: quem ut ſeligerent, centum milites ablegat ductore Joanne Romero. Conſtitit hic paulo infra Gabrielidas (*a*), ubi Argentum ſubit fluvius a *S. Joanne*. Sed ut primum ſedis fundamenta locantur, ingruentibus Indis deſerta ſunt.

Caſus improviſus. Aſſumptionem regredi conſtituit Romerus. Dum redit, prandium in littore, in quod cum ſodalibus deſcenderat, parari jubet; ſed ſolum, quo menſa & convivæ nitebantur, ſubter convulſum ruit in fluentum, cujus vi abripitur. In navigium adnatare contendit, ſed in oram aquarum agitatione retractus eſt. Simul terram attingit, atque navigium ſubmergitur. Octo poſt dies emerſit extinctis vectoribus præter fœminam incommodi nihil expertam ſe teſtantem, quamquam viginti quatuor horarum ſpatio ſubtus aquam quadraginta quatuor ulnas altam ſteterat bis.

Guaira conditur. Poſt hæc Parannæ juxta cataractam accolæ, qui ſponte ſe dederant Hiſpanis, adverſus Tapes (*b*) Braſiliæ confines ope Luſitanorum infeſtos auxilia petunt: quos tueri æquum & Hiſpanis utile arbitratus eſt Irala. Ipſe cum expedita Indorum, atque Hiſpanorum manu, quibus deinde Guaranii bellatores adjuncti ſunt, Tapes adoritur. Acri contentione concurrant hi, ſed tandem cedunt, nec niſi pacta cum Guaraniis pace excidio liberantur.

Luſtrato locorum ſitu, urbem condere conſtituit Prætor, cum ad muniendum contra Braſiliam provinciæ fines, tum ut quo mare propinquius eſt, eo facilius poſſet Senatus Regius de coloniæ neceſſitatibus interpellari. Itaque Aſſumptionem regreſſus Garciæ Rodriguez de Vergara cum ſexaginta colonis eam dat provinciam, inſtructumque rebus neceſſariis expedit anno 1554. Commodiſſimus omnium ſitus Vergaræ viſus eſt dextera Parannæ ripa, tribus quatuorve paſſuum millibus ſupra cataractam. Fontiberiam ab oppido (*c*) unde natus erat in Hiſpania, appellari voluit; ſed prævaluit nomen *Guairæ*, quod & toti regioni commune eſt.

Ex Hiſpania mandata. Aſtus Iralæ. Eodem tempore vulgatum eſt Aſſumptione Indici Senatus conſultum, ut a luſtrandis regionibus, & ponendis apud Indos ſedibus ceſſaretur. Mox Irala ſuis partibus addictum Petrum de Molina in Hiſpaniam ablegare decrevit, ſpecie quidem ut ad Curiam referat de ſtatu rerum, re tamen vera ut rebus ſuis conſulat. Et nequis occaſionem adverſa ſuggerendi caperet, iter Molinæ celat, adjuncto Nuflo de Chaves, per quem fœderatis adverſus Braſilianos auxilia mittit. Veritus, nequa alia via litteræ adverſantium in Regiam penetrarent, Imperatorem rogat, ut ſuas agendi rationes in judicium deduci velit, ratus ea fiducia criminationes enervandas. Agrorum deinde partitionem eo uſque refutatam perficit, ſed quaſi regia poteſtate, & poſthabito Imperatoris mandato, Luſitanis & exteris aliis mercedes impertit. Murmura minis compreſſit, & ſibi, ajebat, nota Imperatoris voluntate.

Indorum rebellio. Imperioſa cumulat cœpta duobus conſtitutis, quibus Hiſpanorum commercium cum Indis nimium arctabatur. Indi reclamant; ſed plerique duriora veriti continentur. Nonnulli rebellarunt, quibus caſtigandis deſtinatur Chaves cum armatis centenis quinquagenis: quod ille opinione, difficilius expertus eſt. Multa utrimque pugnatum eſt cæde; re tamen in deliberationem revocata, ſe dedunt. Seditionis capita Aſſumptionem adducta dimittuntur renovata ſubmiſſionis fide. Præter ſpem contigit tanta in acceptanda ſubmiſſione facilitas Prætoris. Sed clam monitus erat, quibus anxius a bello producendo abſterrebatur.

Novus Paraguariæ Prætor. Cum ab anno 1547. novum Paraguariæ Prætorem mittendum ſignificaſſet Carolus Rex, Joannes de Sanabria dives opum, eo plures familias & milites CCL. deducere pollicitus eſt: ſedem in portu a S. Franciſco, quem inter Cananeam & S. Catharinæ inſulam, ad os cognominis fluvii, medium eſſe ſupra dictum eſt,

(*a*) Non infra, ſed ſupra Gabrielidas; niſi reſpectus fiat ad altitudinem maris alti, a quo rivus a S. Joanne longius Gabrielidis diſtat adverſo flumine.

(*b*) Fortè *Tupios*.

(*c*) Non ubi fons Iberi eſt, & vulgo dicitur *Fontibre*, ſed inter Salmanticam & Segoviam, in confinio Legionis & Caſtellæ, ubi natus eſt S. Joannes de Cruce, & vulgo dicitur *Hontibéros*.

Digitized by Google

eſt, collocare: ſedem alteram ad oſtium Fluminis Argentei: frumentum, ſecale, hordeum, aliaque grana ſativa; decem Franciſcanos; apparatum ad cataſcopia ſeu brigantinos decem; merces Hiſpanis ad commercium cum Indis credendas comportare. Promiſſa hæc ea lege acceptata ſunt, ut mille ferri, centum chalybis quintalia ſeu talenta transferret ſimul, opifices coloniæ utiliores, annonam cunctis uſque ad meſſem ſat futuram, & ornamenta ſacra ſex ſacerdotibus indigentibus ſuppeditanda. Sanabriæ conſentienti contulit Imperator titulos & prærogativas olim Petro de Mendoza conceſſas.

Præfectum (Adelantado), Gubernatorem, Capitaneum Generalem, & Majorem provinciæ Fluminis Argentei Alguacilem quem vocant, eſſe jubeat cum redditibus addictis, conſtruendarum arcium Locum-tenentem cum ampliſſimis regiones luſtrandi, cives conſcribendi facultatibus. Addidit in mandatis, ne plures uno buleuta apud ſe pateretur: nec ut ordinariis exactoribus cenſus penderetur ſupra quinque pro centum. His inſtructus Sanabria ad parandum iter Hiſpalim contendit, ubi nova Imperatoris mandata accepit, quorum illa præcipua ſunt, ne Luſitanis è Braſilia commercium cum Paraguaria permittat; ne naulum a religioſis exigat; ut ducatos CCC. ex regio theſauro extrahat ad ſumptus in ſacrorum celebratione neceſſarios. Sed cum acrius urget itineris apparatum magna rei Paraguariæ jactura moritur.

Filius ſubrogatus perit naufragio.

Filius in patris locum ab Imperatore ſubrogatus gratiam habet; ſed curis diſtentus tardius quam par erat proficiſcitur. Solvit tandem, at ad Fluminis Argentei oſtium navem fregit, rerum omnium jacturam fecit, ſalvis tantum nautarum paucis, qui nuntio Aſſumptionem delato cives conſternaverunt. Author eſt Techo, mortuo Sanabria ſeniore, novis a Rege tabulis Iralæ præfecturam fuiſſe munitam: idque forte verum habet ſi datæ dicantur quo tempore filii profectio differebatur. Sed Herrera, qui res ejus temporis ad Paraguariam ſpectantes minutatim explicat, de hac Iralæ confirmatione tacet. Irala de cætero novis tabulis, donec adventaret ſucceſſor, non egebat; niſi dixeris, primis quas acceperat, præfecturæ tempus, quod exactum jam eſſet, definiri (a).

Epiſcopatus erigitur.

Ut-ut res habeat, eodem fere tempore de adveniente Epiſcopo nuntius Aſſumptionem delatus eſt. Jam diu Imperator de conferendo provinciæ Fluminis Argentei commodo, coloniis ſupra multorum opinionem neceſſario, cogitaverat: ac tandem collatum eſt in conſiſtorio Romæ a Paulo Tertio coacto 1. Julii 1547. Aſſumptione ſedes erigitur Epiſcopalis, titulo *Oppidum ſeu Pagus del Rio de la Plata* (b). Erectionis tabulæ (c) & Epiſcopi inſtitutionis eodem die ſigillatæ ſunt, & primus Epiſcopus fuit P. Joannes de Barros ſeu Barrios S. Franciſci alumnus. Latet quam ob rem eccleſiæ creditæ regimen & provinciam non obierit. Illud eſt certum, nunquam eo locorum deveniſſe, & in conſiſtorio 27. Auguſti 1554. ad Aſſumptionis ſedem, D. Joannis de Barros in Epiſcopatum S. Mariæ (d) Novi Regni Granatenſis translatione vacantem, eſſe promotum D. Petrum de la Torre, ejuſdem Ordinis obſervantem. Anno ſequente ſolvit in Paraguariam, primum ſuæ promotionis nuntium delaturus. De navibus quidem ad Fluminis oſtia comparentibus, & flumen ingreſſis, prius Aſſumptione reſcitum erat, ſtatis ignibus ex condicto more per Indos accedi ſolitis (e).

Epiſcop adventus

Aſſumptionem tenuit Epiſcopus Dominica Palmarum anno 1555. populo acclamante & ſolamen afflictis augurante. Clerici ſæculares oppido pauci, Franciſcani ac duo Mercedarii Religioſi obviam longe procedunt, conſpicuo ſatis comitatu Sacerdotum, & domeſticorum appropinquanti; voluit enim Imperator, ut conſentanea dignitati pompa primi præſulis diſtingueretur acceſſus. Prætor abſens accurrit, & coram ſubmiſſo genu poſtulat ut bene ſibi precari velit.

De Indis mandata Imperatoris.

Tribus navigiis, milite, armis, & apparatu bellico ſub Martino de Urva provinciæ procuratore inſtructis, Hiſpaniam reliquerat Prælatus. Regium ille prorogatæ præfecturæ diploma Iralæ retulit cum mandatis, quorum præcipuum erat de *commendis*, ut appellant. Porro commendæ inſtitutæ ſunt ad remunerandos, qui coloniis conſtituendis inſudaverant, dicebanturque, ut ſupra narravi, *Conquiſtadores* (f). Mox naturam Commendarum explanabo. Illud in præſentiarum ſatis ſit, conſtare illas certo Indorum ſubditorum numero, qui Commendatariis ſervire cogebantur. Sed cum ſubditi pauciores eſſent, quam ut cunctis ſatisfieri poſſet competitoribus, ex Epiſcopi & omnium in conſilium delectorum ſententia decrevit Prætor, ut indigenæ jure ſervi, ſed diſperſione liberi in pagos convenirent.

An-

(a) Incertum eſt Iralam his priores confirmationis tabulas ſortitum eſſe. Ex hac certe Hiſtoria non conſtat. Nec eſt vero ſimile, Didacum Centenum Paraguariæ præficiendum a Præſide Gaſca, ſi a Rege præfectus eſſet Irala.

(b) Non hic eſt titulus epiſcopatus. Sed Oppidum ſeu Pagus in civitatem prius erigitur, & in Civitate Sedes: ut conſtat ex erectionum Indicarum forma conſueta, neque enim in pagis Epiſcopos inſtitui uſus Eccleſiæ fert.

(c) Erectionis ordinatio, ſive erectæ Eccleſiæ œconomia anno ſequente 1548. 10. Januarii confecta eſt ab Ill. Barros Arandæ *de Duero*.

(d) Lege S. Marthæ, nam S. Mariæ ſedes jam Panamam translata non ad Novi Regni, ſed ad Limæ provinciam ſpectat.

(e) Mos hic per leucas CCC. ab Argentei oſtio ad Aſſumptionem adhibitus, nimium abhorret a barbarorum ingenio, quales Indi erant; & ſunt.

(f) Sic appellabantur principio, & modo etiam fert uſus. Sed leg. 6. tit. 1. lib. 4. Recop. Ind. ſic habetur: *Se excuſe eſta palabra Conquiſta*, porque no ocaſione ò dé color, paraque ſe pueda hacer fuerza ò agravio à los *Indios*.

Digitized by Google

1557. Guairæ translatio. Anno ſequente 1557. Guairam, quo nomine tota regio continetur, quam ſupra cataractam alluunt Paranna, & Parannam influentes rivi, mittit Irala centurionem Rui-Diaz, ſeu Rodericum Diaz Melgarejo, cui ſitus urbis incommodus viſus eſt. Translatos in adverſam ripam colonos tribus altius leucis conſidere jubet circa locum ubi *Pequiri* rivus Parannæ adlabitur (*a*). Novamque ſedem appellat *Baſileam*, ſeu *Regiam Civitatem*, Præter aeris ſalubritatem nihil eſt quod deſideres. Piſcatus maxime, venatuſque abundat. Indorum quadraginta millia in Colonos diſtributa ſunt, multo frumenti, leguminum, & goſſypii proventu colendis agris addicta. Ajunt etiam vites, & cannas melliferas proveniſſe.

Chaves in Peruvio. Quo tempore Melgaregium in Guairam, Nuſlum de Chaves ad ſimilem apud Xarajes conſtituendam ſedem miſit Prætor cum biscentum militibus, Indis ter mille & quingentis. Chaves, qui conſilium aliud verſabat animo, ſitum commodum non reperit, & monitus non procul a Peruvio loca quædam gente Guaranica inhabitari, ad occidentem declinat. Chiquitos primum offendit, quibuſcum viam obſtruentibus congrediendum fuit. Chaves ad vitandos belli caſus, & cohortem ſervandam, de via deflectit; ſed intrepidam gentem, & Peruvii bellatoribus moleſtam rurſus obviam habet præter ſpem, ſagittis, jaculis, & lanceis armatam, atque vallo munitam, quod & foſſis circumdederant, & acuminatis ſudibus ex duriſſimo ligno terra circumfixis.

Vallum expugnat. Viam intercludere paratos aggreditur. Acri contentione imparibus licet armis reluctantur Indi; ſed tandem cedere coacti fuga dilabuntur. Multorum jactura ſtetit victoria: & tot ſunt mortui quotquot vel leviter vulnerati, nam ſpicula ſagittarum veneno inficere apud eam gentem moris eſt. Hinc Hiſpani reditum & apud Xarajes ſedem exoptare: & erat pronum ut portum regalem repeterent, & inſiderent. Sed Chaves Paraguariæ terga obſirmato verterat animo.

Obitus Iralæ. Interea nuntium accepit de Iralæ morte, qui in certum Indorum pagum profectus, dum lignationem ad ſacelli fabricam urget, lentam contrahit febrem, qua domum ſe recipere coactus, atque non ita poſt confectus eſt. Tempore uſus & otio rationes paravit Deo reddendas, Epiſcopo nunquam non aſſidente: & inter devota pietatis & religionis ſenſa animam egit. Moriturus Gonzalum de Mendoza generum Locum-tenentem & provinciæ moderatorem, donec Prætor ab Imperatore mitteretur, omnium plauſu nominavit. Mendoza ſoceri ſententiam de ſtabiliendis ſedibus ſecutus, Chaveſium cui Xarajeſani municipii condendi negocium datum eſſe ſciebat, advocat ut defuncti Prætoris exequatur mandata.

Nuntium ibi accepit Chaves, unde Chiquitos abegerat. Sed longius nec inconſulto proceſſerat quam ut retrocederet. Imo nec accidit inopinato plurium de comitatu diſceſſus ac defertio. Centum & quinquaginta palam edicunt, progredientem ſe nolle ſequi. Et ille reſpondit, neminem ſe velle continere vi. Quo illi conſtituto duce Gonzalez-Caſco ad Xarajes iter repetunt. Author eſt Herrera, quinquaginta penes Chaveſium fuiſſe reliquos: ſexaginta ajunt alii. Cum his ad Tamaguaſum campeſtria progreſſus occurrit Andreæ Manſo, qui auſpiciis Cagnetenſis Marchionis (*b*) Peruvii Proregis novæ ſedis conditor egregie comitatus eo devenerat. Chaveſii caſus.

Vaſtiſſima regio duos cum capere non poſſet una, partes conciliandi negotium ad Regiam Platenſem Curiam deferendum fuit (*c*). Præſes D. Petrus Ramirez de Quignones coram adfuit ad regendos fines: & Chaveſius Ferdinando de Salazar ſui loco relicto, Limam contendit, & opulenta loca ſe ſortitum locandis ſedibus apta Proregem monet. Cagnetenſis, cui de nomine tantum notus erat, conſanguineæ maritum (*d*) chariſſimum habuit. Filium D. Garciam de Mendoza totius provinciæ Gubernatorem conſtituit, & ejus locumtenentem Chaveſium, quem protinus ad promovenda cœpta concedere juſſit. Principio Sanctæ Crucis urbem ad montis radicem propter rivum condidit. Indorum ſexaginta millia nulla pugna in cenſum conſcripta ſunt, Moxorum major pars. Sed hi poſt ſes qui ſæculum ad fidem converſi tam diu in ſpeciem ſubditi fuerunt, nec niſi coacti jugum portabant. Deinceps (*e*) translatum eſt oppidum S. Crucis quinquaginta leucas ad boream: quo tempore Moxi priſtinam libertatem recuperaſſe videntur. Urbs a S. Cruce.

Interea Hiſpani, qui a Chaveſio, tota Indorum turba ſequente, diſceſſerant, apud Xarajes quantum ad reparandum lembos fuit opus, morati Aſſumptionem contendunt. Vita functo Mendozæ omnium voce & plauſu ſubrogatus erat Joannes de Vergara, quem Epiſcopus Gubernatorem provinciæ pro Rege declaraverat. Mendozæ obitus. Vergaræ præfectura.

Erupit anno ſequente Guaraniorum rebellio, cujus occaſio vel cauſa ſiletur. Jugum in dies Guaraniorum defectio.

(a) Rivum appellat Anville *Itatu*, fere ſub tropico Parannam influentem; nam Pequiri in adverſum decurrens non Parannæ, ſed Uruguaio adlabitur circa gr. 26. lat. auſtr. & long. occid. merid. Pariſ. 54.

(b) Andreas Hurtado de Mendoza erat, non Garcia ejuſdem tituli Marchio, qui pro Rege Peruvio præfuit ab anno 1590.

(c) Curia eſt ſuperior ſoli Pro-regi obnoxia, ad quam tota ſpectat Paraguaria: * At hæc Curia Platenſis non ante annum 1559. inſtituta eſt.

(d) Nempe filiæ D. Franciſci de Mendoza Aſſumptione jugulati.

(e) Anno 1597. translata primitivum retinet nomen; ſed vocatur etiam a *S. Laurentio*, & de la *Barranca*. Situs vero novus eſt non procul a Guapai amne circa gr. 28. lat. auſtr.; 65. long. occ. a merid. Pariſ.

Digitized by Google

dies ingraveſcens excutere meditabantur. Plerique de Chaveſii comitatu infectorum miſſilium vim experimento comprobaverant, & ſecum magnam retulerant copiam. Hiſpanorum partem his armis conficiendam, partem abigendam forte ſperabant. Quoquo modo res habeat, motuum ſedatio gravioris quam primo credebatur operæ fuit; & ad rebelles compeſcendos Prætorem vires cunctas colligere oportuit. In primis concertationibus prævaluerunt illi, & actum erat de Hiſpanis, niſi ſagittarum veneno vis tempore deperiiſſet. Quin etiam cum primis arma deponere paratis clementius agendum fuit, ne gens tota conveniret, & veneni jam imbecillis vicem ſubiret deſperatio. Blanditiis tandem confectum eſt, ut manus tenderent. Utinam hoc exemplo poſteritas ad conciliandos homines rei publicæ neceſſarios, nec amore, ut ex ſequentium narratione conſtabit, conciliari difficiles, profeciſſet. Animum ad hæc reflectendi conſilia brevi ſeſe tulit occaſio.

1560. Novi in Guaira motus.

Vix Prætor poſt ſedatam vicinorum ſeditionem Aſſumptionem ingreſſus erat, cum adeſt Indus a Melgaregio miſſus auxilium petente contra Guaranios Civitatis Regalis, qui ad arma convenerant. Addidit nuntius, per medios hoſtes immunem ſe veniſſe, manus omnium evaſiſſe maledicendo ubique Hiſpanis. Toto corpore nudum, nec quidquam præter arcum & pharetram portantem interrogat Prætor, unde fides habenda nuntio? Tunc ille arcum deponit in manus Prætoris, qui tamen cum reliquis, qui præſentes aderant, omnia ſcrutatus nihil reperit. Arcum repetit Indus in cujus ima curvatura occluſam, & vix perceptibilem indigitat rimam, unde ſchedam extrahit a Melgaregio ſubſcriptam.

Riquelme auxilio miſſus.

Cum nihil dubitationi reliquum eſſet, Alphonſum Riquelme ſuperiore tumultu probatum auxilio mittit. Melgaregio offenſus ægre provinciam ſuſcepit; ſuſcepit tamen ſeptuaginta Hiſpanorum præſidio munitus. Erat ſeditio pene generalis totius Guairæ, & Civitas Regalis obſidione cincta, quam ut ingrederetur Riquelme, hoſtium valla ſuperare oportuit. Intortis licet oculis acceptum erat Melgaregius, ut eruptionem faciat arcendis hoſtibus, fluxionem, qua fere obcæcabatur, ne ipſe erumperet cauſatus.

Rebelles diſſipantur.

Annuit Riquelme, & Hiſpanis centum, atque Indorum, quibus caute credebatur, manu ſtipatus rebellium munimenta diſjecit: ad propinquiores pagos accedit, & captos ſeditionis authores ſuſpendio mulctat. Dynaſtas adeſſe jubet, qui pacem ſupplices implorant, præſtita adverſus inconſtantiam cautione conceſſam. Paranæ deinde ſe committit, & accepto nuntio, accolarum plurimos in coloniæ & Hiſpanorum excidium conjuraſſe, eos perquirere ſtatuit.

Imperviam ſilvam tranſgreſſus aciem barbarorum præſtante loco inter pineta conſtitutam adoritur & fugat; ſed novis aucta copiis faciem convertit, & Riquelme in longa ſed arctiſſima valle circumſeſſus undique eſt. In præſenti diſcrimine alacritatem ſimulat intrepidam, qua hoſtes conſternati ſunt. In planitiem quo plurimi convenerant quominus accedat, non prohibent. Cuneum aggreditur, ſtrage confundit, primores capit, qui pœnam deprecati ajunt, ad arma compulſos ſe eſſe potentiorum imperio, & inſtigantibus qui in Hiſpanorum conſcripti erant cenſum ſeu Commendas, quarum excutere jugum animis erat obfirmatum. Proxima hyeme in reſtituenda coloniæ tranquillitate tranſacta, Aſſumptionem triumphanti ſimilis inter populi clamores & plauſus ingreſſus eſt.

Caſus improviſus.

Prætor Melgaregium ad petendam muneris confirmationem, & de provinciæ ſtatu referendum, Melgaregium expediturus in Hiſpaniam Civitati Regali, & Guairanæ provinciæ earum liberatorem & pacificatorem præfecit. Melgaregium advocat inſtructa jam ad navigandum corbita, qua nec mole nec artificio præſtantiorem vidit unquam Paraguaria. Nautis jam ad conſcendendum procinctis, nocte concubia ardere viſa eſt. Undique accurritur, ſerius tamen quam ut ab incendio liberari potuerit. Author facti latuit; at de quodam ſuſpicio fuit Prætori munus ſibi, ut ipſe exiſtimabat, debitum invidente.

1660. Prætor in conſilium pravum inducitur.

Tunc extitit, qui Prætori Peruvianum iter remoto nuntio, muneris confirmationem per ſe petendi cauſa, ſuſcipere ſuaderet: quo nullum ſuæ aut publicæ rei magis adverſum eſſe potuiſſe conſilium, author memorati jam manuſcripti prodidit. Acceptum nihilominus habuit, & ad exequendum ſe paret. Prius tamen nova Indorum rebellio ſanguine multo utrinque fuſo ſedanda fuit. Iter deinde ſumptuoſum molitur. Calculator Philippus de Caceres (*a*), Factor Petrus de Orantes, Centuriones Petrus de Segura, & Chriſtophorus de Saavedra, Procurator Generalis Rui-Gomez Maldonado, & de Nobilitate plures comites ire volunt, & quod non pauci mirati ſunt, Epiſcopus, quatuordecim presbyteris tum ſecularibus, tum regularibus ſtipatus.

Sui abſentis loco præficit Prætor Joannem de Ortega: ac ſibi ter mille Hiſpanos (*b*), totidem Indos aſſumit præſidio futuros. Nuflus de Chaves, qui vehendorum ſecum uxoris & natorum cauſa venerat, ſimul profectus eſt, quem magna pollicitum Itatinorum tria millia ſequebantur. His fultus, ſimul atque S. Crucis fines ingreſſus eſt Paraguario denuntiat, ſe tantum loci gubernatorem eſſe: unde ſumma rei exorta eſt perturbatio, dum cui parendum eſſet, nemo noverat. Ad hæc victûs penuria, & labore viæ multi defiderati ſunt, præſertim ex Itatinis, quorum plures ulterius

(a) Antiqui Quæſtoris filius hic eſſe videtur, Alvari Nugnez itineris comes patri ſubrogatus. *Charl.*

(b) Forte ſit error pro *tercentum Hiſpanos*.

Digitized by Google

rius iter perosi sedem in fertili solo constituunt.

Nusli de Chaves ausum.

Triginta non amplius leucas cum distaret Sancta-Crux, lassis ut pervenirent nervos contendere fuit opus. Ast eadem erat ubique annonæ caritas, qua de Paraguajensibus Indis multi ceciderunt. Eodem tempore rebellarunt indigenæ: quod malum usque ad Guapaim prorogatum est. Chaves contra rebelles cum Hispanis quinquaginta in aciem prodit, jusso Ferdinando Salazario locum tenente Paraguarium Prætorem & comites exarmare, impedireque ne ultra in Peruvium se absente procederent. Vergara per expeditum nuntium ad Curiam Platensem queritur de illata vi: impetratque senatus consultum ut Salazarius supersedeat. Tandem a barbaris multa, plura a fame perpessus Platam venit inauspicato.

Vergara præfectura cadit.

Decem supra centum accusationis capita ad Senatum Platensem adversus illum erant delata, illud maxime, immodicis sumptibus extractos e provincia tot Hispanos, tot Indos, in plurimorum certum interitum. Noluit tamen Senatus sententiam ferre, sed Vergaram ad Lic. D. Lupum Garciam de Castro Peruvii moderatorem, & Limanæ Curiæ præsidem remisit. Limam ille proficiscitur, ubi mundere privatus est, Joanne Ortiz de Zarate, meritis & fide laudando ea lege subrogato, ut a Rege (a) confirmationem impetraret. Mox coram Regio Indiarum Senatu ad dicendam causam comparere jussus est Vergara.

1566. Novus Prætor Hispaniam petit.

Anno sequente novus Paraguariæ Prætor, Philippo de Caceres sui locum tenere jusso, & necessario commeatu ad reditum suppeditato, e Peruvio in Hispaniam transmittit. A Philippo II. benigne acceptus, & amplissimis facultatibus, consultissimisque ad coloniæ progressum, Indorum solatium, & Christianæ religionis statum mandatis instructus est. Ajunt etiam titulo *Adelantado*, ut vocant, fuisse decoratum.

Episcopum, Sub-prætorem, & quotquot de Hispanis erant reliqui, reditum in Paraguariam maturasse verosimile est. Sancta Cruce Chavesii gratia, qui & officiose in viam longe deductos voluit, regressi sunt. Lucrum tamen ille & quæstum in officio posuit, nam militum quam potuit plures, & peritum aurificem *Mugnoz* nomine in defectionem ad suas partes pellexit. Cum ad locum ventum est, ubi Itatini convenerant, alienato adversus Hispanos animo esse visi sunt, desertionem ultum ire arbitrati. Quare Chaves sive ut diffidentiam dissiparet, sive ut consilia detegeret, deviavit.

Chavesii cædes.

In Indorum pagum, quo plures dynastæ convenerant, ingressus ad publicam plateam divertit, solis duodecim militibus stipatus. Indi officium simulantes occurrunt & in mapale satis commodum ad quiescendum invitant. Lecto pensili, galea detracta recumbit ille. Sed paulo post a Caciquio percussus clava vivere desiit. Eodem tempore milites interfecti sunt præter tubicinem Alexandrum nomine, qui vulneratus licet equum concitat, sequentem cum reliquis Didacum Mendoza factum monet, discrimen cavere jubet.

Itatini Hispanos adorti.

Priusquam Chaves discederet a Sub-prætore Caceres, pactus erat ut ad indictum locum expectaretur. Prævenienti Caceres, expectanti, solicito nuntiatur Chavesii casus: quo ad Paraguais ripam recta contendit. Sex præmiserat milites, ut mersas a consilio rates ex fundo traherent, in reliquum ad Assumptionem iter adhibendas. Illos Pajaguæ faventibus barbarorum aliis manu captos abducunt. Supervenienti Caceres tres tantummodo summo pretio restituunt. Post dies aliquot tres reliquos carius redemptos manumittunt.

Hispanorum victoria.

Ad Itatim deinde accedere nititur: quo dum appropiat, ab ingruentibus barbaris circumsidetur, militibus loci difficultate præpeditis. Itatini acri nec inordinato ruunt impetu; Hispani hortantibus Episcopo & clericis ut Deo fidant, valide reluctantur; sed iniquitate loci, & hostium contentione de salute prope desperabant. Modico nihilominus progressu facto, animos ipsi & Indi fœderati resumunt. Dum simul vires colligunt ad instaurandam pugnam, subito pavore correpti Itatini fuga disparent.

Confessos deinceps hostes, ex adverso splendentem radiis equitem comparuisse, cujus conspectum ferre non poterant, fama certa vulgatum est. Prodigiis id genus Hispanienses historiæ plenæ sunt. Gentis certe non imbecillæ pietas, qua cœlo victoriæ adscribuntur, quæ propriæ virtuti possent attribui, argumentum pro gratiis, quarum monumenta extant, quam contra nimiam illius credulitatem validius suppeditat. Quibus adde, conflictus hos initos adversus infideles, contra quos cœli vires Christianis esse propitias, pronum ad fidem est. Quod attinet ad statorem, cujus ope Hispani servati sunt, nihil est certum, quippe a barbaris tantummodo visum. Alii S. Jacobum Apostolum fuisse arbitrantur, cujus ope toties stetit Hispana res; alii S. Blasium Paraguariæ Protectorem, cujus opem in simili conflictu olim probatam narravimus.

1569. Caceris ad mare iter.

Quidquid id sit, sæpe alias Caceres cum Itatinis congredi coactus est, qui per alternas vices ad lacessendum sibi succedere videbantur: eoque magis erat vigilandum, quod summa rei uno vertebatur aleæ jactu: neque manus unquam conseruerat sine jactura. Sed intra quinquaginta ab Assumptione leucas omnia pacata; fœderatis undique commeatum & opem necessariam certatim conferentibus. Ipso quo ingressus est die, ineunte anno 1569. imo ante depositam itineris armaturam, consilium advocat ad explicandum Sub-prætoris titulos, omnium sententia recognitos & admissos.

Principio rates quotquot ad stationem e-

rant

(a) Philippo II.

Digitized by Google

rant refici jubet, & anno proxime ſequente aduſque mare ſe confert obviam auxiliis a Gubernatore ex Hiſpania mittendis. Spe deluſus Aſsumptionem regreditur, litteris vaſe ad eminentem præ Gabrielidis crucem occluſis, quibus ſuum iter & reditum forte venturis denuntiabat.

Cum Epiſcopo diſcenſio.

Eo uſque nullum cum inter & Epiſcopum diſcordiæ germen in vulgus eruperat: palam erupit ſimul atque in civitate poſt reditum apparuit. Cives univerſi in duas partes diviſi ſunt, omnia vi & ferro decernere parati. Et quod mireris, clerici Sub-prætorem, militares Epiſcopum ſequebantur. Caceres adverſarios aggravat toto authoritatis regiæ pondere; illum Epiſcopus excommunicat, & eos quorum utebatur opera. In ſumma rerum perturbatione nec amici noti erant, nec inimici. Monitus aliquando Caceres, apud Epiſcopum decretum eſſe, ut in cuſtodiam traderetur, cuſtodiendos ipſe tradit quotquot fide minus probati ſibi erant: in his Epiſcopi Vicarium Generalem, ſeu Proviſorem Alphonſum de Segovia, quo facto ad Gabrielidas iterum conſcendit.

Iter & reditus,

Ad locum ubi litteras occluſerat appulſus, lembum expedit ad os Fluminis, ſi forte vas aliquod navale compareat. Spe iterum deluſus, Flumen adverſum remeritur. Epiſcopi Proviſorem, quem ſecum deportaverat, in Tucumaniam amandat; ſed a lictoribus reſtituitur, in provinciam ea tempeſtate ſolo nomine notam penetrare non auſis. Poſt menſes quatuor Aſsumptionem odiis conflagrantem, nec ejus adventu pacandam ingreſſus eſt. Periclitari capite monitus, cunctos ſibi ſuſpectos in vincula conjicit. Petrum Eſquivel Hiſpalenſem ſtirpe nobilem ſtrangulari jubet, & caput abſciſum publico ſuperimponi pœtibulo. Omnem cum Epiſcopo conſuetudinem gravisſimis interdictam pœnis per tubicinem promulgat. Et quia Martinus Suarez de Toledo Epiſcopum clam convenerat, eum de Regii Locumtenentis gradu dejecit.

Epiſcopus Prætorem vinctum ducit in Hiſpaniam.

Tunc civium primores ibi timentes ruta petunt, & Epiſcopus cœnobium a *Mercede*, ubi diu quietum eſſe non licuit. Neque Prætori Caceres tutæ magis res erant. Omnia verebatur, neque in publicum niſi quinquaginta militum quos ſubinde mutabat præſidio prodibat. Epiſcopum tandem patientia defecit: & quo tempore Prætor cathedrale templum ingrediur adſtitutus ſacro, captus eſt, & ferreis compedibus adſtrictus, atque catenatus cuſtodiæ datur annum duraturæ. Poſt annum ab Epiſcopo ipſo in Hiſpaniam transfertur, Deo reddente filio vicem Patris, niſi pater erat ipſe, quo authore Alvar Nugnus Capivachius præfectura pari caſu defunctus eſt. Latet, quid de his auſis in Curia judicatum ſit. Illud eſt certum, neque Epiſcopum, neque Prætorem in Paraguariam regreſſos.

Vix diſceſſerant, cum ablatas reſumit ſaſces Martinus Suarez prater, imo contra urbani conſilii ſententiam. Poſt hæc Joannes de Garai nobilis Cantaber oppidi a Sancta-fide fundamenta poſuit, decem fere leucis ſupra locum ubi Salſum flumen e Tucumania Paranam influit (*a*). Hujus urbis primordia referuntur in diem 30. Septembris 1573. & paucis poſt annis alia conditur nomine *Xerez*, triginta ad Paraguais amnis orientem leucis ſub duodecimo latitudinis gradu (*b*). Lateo hujus erectionis author, & occaſio. Conditur S. Fides, & Xerez.

Corduba in Tucumania.

Ut ad Sanctæ fidei conditorem revertar; poſtquam fundamenta locavit, viciniam luſtrare conſtituit, ad occidentem maxime, qua novæ coloniæ fines ultra flumen protogare animus erat. Quadraginta militum comitatum adhibet, & paratis ratibus Salſum ingreditur, accolis ubique faventibus, ſed tot numero confluentibus aliquando, ut in ſuſpicionem venerint Hiſpano. Dum adverſus inſidias & vim cautus incedit, tota campi latitudo ardere viſa eſt. Naviculatorem jubet e carchesio cauſam exquirere, qui reſpondit campum Indis oppletum eſſe celeri greſſu appropinquantibus.

Socios protinus in aciem deducit, hortaturque a barbarorum turba ne timeant, vel ſolo bombarum ſtrepitu abſterrenda. Speculator ait, equitem videre ſe Indorum cuneum perſequentem. Mox, equites ſex ſpecie veſtitantium adverſus eoſdem Indos, qui primum curſu appropinquare, jam fugere videbantur. Cum propius accederent, clamans auditur, percelli ſe ab Hiſpanis. Tunc fidum, & locorum peritum Indum cum litteris ad Hiſpanos mittit Garai, quem illi conveniunt. Imperio ſe ſubeſſe ajunt D. Hieronymi Ludovici de Cabrera Tucumaniæ Prætoris, qui nova Corduba recens condita, ad luſtrandam regionem paucos miſerat, quo Indi commoti ſunt. Quærenti, quo tempore Corduba eſſet condita, reſpondent prima eſſe jacta fundamenta 30. Septembris 1573. (*c*).

De Corduba & Sanctæ fidei compoſita.

Poſtquam a ſe invicem diſceſſerant, Garai cum ſuis in Sanctæ fidei, Cordubam reliqui, miſit Cabrera Onuphrium de Aquilar, qui Sanctæfidenſibus denuntiaret, locum eſſe qui ad Tucumaniæ præfecturam ſpectaret: quod ille non tantum conditori, ſed colonis omnibus rite denuntiavit. Reſpondent illi, Sanctæ-fidei coloniam cum tota Fluminis Argentei provincia obnoxiam eſſe Aſsumptioni, ad quam Prætorem Tucumaniæ provocare oportet. Interea portum Sanctæ fidei ſubeunt Indi plures ternis ratibus cum litteris ad Ga-

ra-

(*a*) Primus quidem ibi fuit ſitus, ad locum translatus deinceps, ubi modo eſt, leuca diſtantem a Salſi & Paranæ confluente, ſub latitudinis gradu 32. Vulgo audit *Sancta fides a Vera cruce*.

(*b*) Sub gradu 19. 56. min. verius ponitur a *Caleni Diſt.* Verbo *Xerez*, & ab aliis cum Anville, & Dabila, Quiroga et Mooteni, propter quem ſita erat Xerez, collocat ſub gradu 19. ab. min. in MS. Itinerario.

(*c*) Die 6. Julii 1573. Cordubæ fundationi prolutum fuit erectione pilæ, quam Hiſpani vocant *Rollo* juſtitiæ commiſſorum punitivæ monumento.

ratum a Prætore D. Joanne Ortiz de Zarate datis in portu a S. Gabriele.

Prætoris adventus.

Conscius Zarate, dum flumen subit, novæ fundationis, summam cibariorum egestatem exponebat, & auxilii ad Charruas qui continentem infestabant arcendos. Eisdem litteris Garaium, suum quasi a Rege locum tenentem constituebat, & potestatem conferebat jus dicendi in S. Fidei. Addidit regiorum diplomatum exemplar in sui muneris confirmationem. Cum hæc documenta in Sanctæ fidei allata sunt, nondum discesserat Aguilar, qui nihil habens quo reselleret ostensa, Cordubam repedavit.

Hactenus de Tucumania sermo non incidit, sed jam est necesse, rebus in ea provincia, & in contermino Chaco gestis operam dare. Quibus ut lumen affundatur, prius de harum amplitudine regionum, de situ, & incolis verba facere oportet: quomodo prima Hispanæ ditioni accesserit, ac de iis quæ utrique peculiaria sunt.

Tucumaniæ fines & situs.

Tucumaniam ad orientem disterminat Chacum, ut ab uno per quem innotuit hystorico (a) definitum. Ad occidentem clauditur *Cujo* Chilensi provincia, & Peruanis montibus: ad boream occidentem versus provincia Charcarum; ad boream & ortum Sanctæ Crucis præfectura. Tota intra latitudinis australis gradus 23. & & 32. continetur. Illud est singulare, frigidiorem esse quo propinquior est tropico, quia videlicet ab altissimorum catena montium parum distat ea pars. Coni similitudinem refert, cujus apex tropicum attingit: basis ab ortu ad occasum sexaginta fere leucas protenditur. Nomen habet a gente, quæ prima e Peruvio venientibus occurrit.

Incolæ.

Incolarum qui propius ad boream accedunt, paludes accolunt piscibus ut plurimum alendi; qui ad meridiem, per campestria vagantur, venatici victûs amore. Famâ vulgatum est, visa hominum cadavera viginti pedes longa; sed est fabula una de multis his Americæ partibus adscripta. De freto Magallanico finitimis qui *Patagoñes* audiunt, idem proditum est, sed temere ut ex hac historia constabit. In Tucumaniæ mediterraneis incolæ sunt humiliori corporis habitu, stupidiores, sed & pigri, & æque feroces atque Peruvianorum montium valles inhabitantes. Sunt, quibus spelunca (b) subterranea lumini solis impervia pro domo est. Peruvio & provinciæ Charcarum viciniores in pagos redacti sunt, nec tam destituti atque alii vitæ commodis (c). Cyprium etiam æs, & argentum ex provincia Charcarum, ubi Potosinus clivus eminet, trahitur; quod illi minimo æstimare videntur (d).

Animantia.

Est in Tucumania ovium genus camelino pullo par atque simile, dorso robustum, quod portandis sarcinis adhibetur (e). Lana est mollissima, ex qua telas confeceris sericis comparandas (f). Leones & tigrides satis vulgares sunt; sed illi exigui (g), & parum timendi; tigrides nullibi majores nec ferociores. Discrimen hoc, quod generale esse videtur in his continentis Americanæ partibus, supra observatum est, dum de natura regionum Paraguai & Argenteo Flumini adjacentium sermo erat. Accenso igne tigrides e silvis extrahuntur in aperto sagittandæ (h), & Indorum sagitis multæ cadunt. Sed cavendum ne sagittarium præveniant.

Flumina. Lacus. Fertilitas.

Duo præcipua sunt flumina, quibus irrigatur Tucumania, *Salsum* & *Dulce*. Post hæc *Tertium*, cujus supra memini. Sed quamquam duo prima compluribus augentur rivis, ratibus nisi per intervalla impervia sunt. E Peruanis montibus orta subinde nomina mutant. Salsum in Argenteum defluit, & Dulce in paludem, cui *a Porongis* nomen est (i). Alia sunt quæ vix orta sepeliuntur. Pleraque tam exiguo spatio decurrunt, & ea aquarum inopia, ut innominata saltem apud Geographos sint. Omnia fere nomen a locis, quæ præterfluunt, acceptum extra loca dedignantur. In silvis fontes abundant, & ubique fere paludes, quarum aquis & aura temperatur, & fœcundatur terra. Quamvis sex annis menses sereni sint toti, reliquorum alluvionibus & pluviis imbuti campi fructuum & leguminum copiam referunt, nisi cultura desit.

Regimen, & opulentia.

Tempore quo Hispani Peruvio potiti sunt, incolis frequentissima erat Tucumania, cujus vicinitas suberat Ingarum imperio. De cætero per familias vagabantur & tribus, nulli præterquam suis cujusque dynastis subditas. Inter flumina Salsum & Dulce summa est ceræ atque mellis ubertas (k). Silvæ alvearibus plenæ sunt. Gossypium, siliqua seu ceration, vulgo *algarroba*, coccum, & glastum, vulgo *añil*, multis reperiuntur in locis. Siliqua in alterum perennat annum, & ordina-

(a) Petrus Lozano, Descr. del *Chaco*.

(b) De Comechingonibus in Cordubensibus montanis id proditur. Sed hæc natio, sicut & multæ aliæ quæ in hac Historia memorantur, funditus periit, vel exterminio, vel certe sanguinis qui prævaluit admistione.

(c) At ii pagi sunt Hispanorum commendis obnoxii. Igitur non usque adeo Indis incommodæ sunt.

(d) Apud Andalgalam in media fere Tucumania recens inventæ sunt argenti, alibi locorum auri fodinæ, inopes tamen, & necdum cultæ.

(e) Hoc ovium genus, Peruviana lingua *Llamas*, solum repereris in ea Tucumaniæ parte, quæ Peruvium attingit.

(f) Lana mollis est alterius generis ovium, quibus *vicugna* & *alpaca* nomen est, Tucumaniæ ignoti.

(g) Sunt leones aliqui ejusdem cum tigride coloris præter maculas, nec mole inferiores: minus quidem timendi.

(h) Sagittas maxime ligneas, quibus utuntur Indi tigrides non curant. Extractas manibus, dentibus conterunt minimo sui damno. Potius in lanceis auxilium est.

(i) *Porongo* nomen est certi cucurbitarum generis in paludem derivatum.

(k) Vide supra lib. 1. pag. 5. lit. (a)

Digitized by Google

narium multis gentibus alimentum ſufficit (*a*). Verum præcipua regionis opulentia goſſypinis principio conſtabat telis. Erant pro moneta, & magna copia in Potoſinum tractum extrahebatur (*b*).

Inopiæ cauſa. Silvas compleverant armentorum greges & pecorum. Hiſpanorum primi boves & equos e Peruvio invexerant in deſerta loca multiplici proventu, nec eos opus erat in paſcua deducere, ſed venatione captare: quo ſatis commode procedebat colonorum res. Verum hac non contenti mediocritate aurum inhiant non ſatiandi: ad proprios labores pigri Indos premunt & exaſperant (*c*). Hinc rabies in Hiſpanæ rei vaſtitatem & exitium: quo Potoſio & Peruvio propinquiſſima colonia, omnium Novi Orbis pauperrima eſt.

Temporum vices. Alicubi ſummopere friget hyems, nec raro animantia inſolito rigore pereunt. Hyeme neque pluit, nec cœlum obnubilatur. Ver novum largis prænuntiatur imbribus, ut aquis oppida innatare videantur, & in depreſſioribus camporum locis paludes ampliſſimæ ſtagnent. Imbres comitantur fulgura, tonitrua, & grando ſæpe ovo gallinaceo par (*d*). Suas etiam æſtas incommoditates habet: incredibilem cimicum parit copiam, a qua ſubdiali tantum cubatione tutus ſis (*e*). Nihilominus Tucumaniæ clima ſalubre ſatis vulgo habetur.

Primus Hiſpanorum in Tucumaniam adventus. Quamvis vera eſſet quæ fabulis adnumeratur narratio, quemdam nomine *Cæſar* a Gaboto ex arce *Sancti-Spiritus* in Peruvium miſſum, non illico hic primus Hiſpanorum in Tucumaniam adventus dicendus erat, niſi per tranſitum ignotæ regionis. Nec primi adveniſſe dicendi ſunt milites duo, qui a Petro Mendoza, dum Boniaëris fundamenta locabat, defecerunt. Hoc quidquid honoris eſt, præſtandum potius Nuflo *de Chaves* (*f*), qui non ſemel in hanc provinciam excurrit, illiuſque partem borealem notam fecit, aliis etiam ad Flumen uſque Argenteum progreſſis incognitam.

Primi Prætoris cædes. Utut res ſit, anno 1542. poſt pugnam & junioris Almagri cladem apud Chupas, Vaca de Caſtro Prorex victoribus præfecturas, nominatim Tucumanenſem nondum ſubditam Didaco de Roxas a virtute bellica, & fide commendato diſtribuit. Locum tenentem quaſi a Rege conſtituit Philippum Gutierrez, quibus acceſſit comes amicitiæ nomine Franciſcus de Mendoza. Roxas in præfecturam venit tercentum hominibus ſtipatus, & partem luſtravit faventibus Indis. Sed anno ſequente in prælio cum aliis Indis venenata ſagitta vulneratus interiit, dum medicamen reſpuit ab Inda exhibitum.

Mendoza ſuccedit. Gutierrez imperium vendicare nititur; ſed quod eum inter & Roxas nonnihil diſſenſionis obvenerat, copiarum ſententiâ rejicitur, ſubrogato Mendoza. Jus ſuum Gutierrez dum ſuſtinere contendit, ille apud commilitones effecit, ut imperium divideretur. Excurſiones una promovent, ſed non diu concordia ſtetit. Mendoza Gutierrem vinctum cum ſex aliis factionis ejuſdem in Peruvium ſub triginta equitum cuſtodia remittit. Reliquæ deinde cohortis fidelitatem ſacramento rogat, quod centurio Nicolaus de Heredia primo præſtare renuit, cum pro rege confirmatio deſideraretur; ſed quia reliqui in oppoſitam convenerant ſententiam, & ipſe jurare fidem coactus eſt.

Novus Prætor. Tempus in percurſanda regione terebatur. Poſtquam in dirutam Gaboti turrim venerat, in Chilem nulla conſtituta ſede ſe convertit Mendoza. Tandem anno 1549. D. Joannes Nugnez de Prado a Peruviano præſide Gaſca Prætor Tucumaniæ renuntiatur, copiis & ope ad continendos barbaros, & familias in civitatem cogendas munitus. Eccleſiaſticos & religioſos conducere jubetur cum mandatis, qualia Didaco Centeno Fluminis Argentei Prætori data narravi. Patres de Mercede Alphonſus Trueno & Gaſpar de Caravaca comites itineris adjuncti primi omnium Tucumanis evangelium annuntiarunt. Et fructus quidem fuiſſet uberior, ſi vel Prado diutius viveret, vel ejus in perficiendis mandatis curam imitarentur poſteri.

Oppida Tucumaniæ. Ut in provinciam complanaret aditum, urbem ſub gradu vigeſimo quarto latitudinis auſtralis, minuto trigeſimo, a *Sancto Michaele* nominatam, in Calchaqui valle condidit non diu duraturam; alia quippe eſt ab oppido mox memorando. E Calchaquina valle in campeſtria prodiit Prætor, erectis ſubinde crucibus, quas aſyli decoravit immunitate: quo in tantam venerationem apud infideles venit redemptionis humanæ ſignum, ut in cunctis eorum pagis cruces erexerint. Haud ita poſt cum D. Franciſcus de Villagras copiarum ſupplementum per Tucumaniam deduceret in Chilem e Peruvio, Pradi authoritatem caſſam eſſe contendit, quod Tucumaniam Chilæ obnoxiam arbitraretur. Martem interpellat Pradus, quo vi-

(a) Sufficit & potum, vulgo *aloxa* ſobrietati adverſum: & cupedias vulgo *Patai* ex macerato ceratio in S. Jacobi *del Eſtero* confici ſolitas.

(b) Hodie etiam goſſypium pro moneta eſt alicubi, ut ſi velis rem quampiam uno regali ſeu drachma comparare, goſſypini fili globulo certæ magnitudinis ſatisfeceris.

(c) Hæc forte olim; in præſentia vix ſunt Indi, quos premas & exaſperes.

(d) Id nimium. Duo ſatis vulgaria, dum ingruit imber ſunt; quod bullas in lacuna non excitat; quod pro bullis excitat in arido ſolo ranas.

(e) Forte legendum *ciniphes* pro *cimices*; illorum certe pluribus in locis peſtis & plaga acerbior eſt, bobus & equis etiam gravis, incertum an gravior ſub dio. Sed & cimicum duplex eſt genus, aliud Europæis notum, vulgo *chinches de Chaſtilla*, aliud mole majus, non grave olens, ſed morſu acerbius dicitur *Vinchuca* ſeu *Chinche de la tierra*, & faciem vel minimam nudæ cutis partem cito ac certo volatu per tenebras aggreditur.

(f) Incertum eſt, Nuflum de Chaves in Tucumaniam diſtinctam a Chaco unquam veniſſe.

Digitized by Google

victus & vinctus est; sed Villagras victoria contentus vincula solvit ea lege ut Chileno subesset.

Santiago del Estero. Non diu post obiit; & Petrus de Valdivia Chilæ debellator & moderator Franciscum de Aguirre Tucumaniæ Subprætorem generalem constituit, qui deinceps Prætor anno 1562. gradu vigesimo octavo latitudinis, in arenoso, sed irriguo solo, sub cœlo calidissimo, urbem a *S. Jacobo* molitur. Flumen Dulce, propter quod longe lateque stagnans condita est, nomen urbi S. Jacobi *del Estero* fecit.

San-Miguel. Biennio post, ut fertur, oppidum a S. Michaële in locum æque pulcrum & fertilem, ad radicem montis omnium altissimi, quibus catena constat dicta *Quebrada de Calchaqui* (*a*), viginti octo a S. Jacobi leucis, inter ejus boream & occasum, secundum rivum in Dulce defluentem translatum est, opera quidem Didaci de Villaroel, sed avunculi Prætoris mandato.

Esteco. Anno 1567. Didacus de Heredia, quem intrusum Tucumaniæ Prætorem nominat Chaquensis Descriptionis author, urbem appellatam *Nuestra Señora de Talabera de Madrid*, alias *Esteco* a nomine loci Salso adjacentis ædificavit. Techo narrat, conditam esse, ab Aguirre, ac proinde citius. Forte Aguirre propugnaculum excitavit; urbem Heredia (*b*).

Salta. Anno 1582. Hernandus de Lerma Tucumaniæ Prætor in Salta valle sub vigesimo quarto gradu latitudinis, minuto decimo quinto, urbis a S. Philippo de Lerma, quæ appellatione *Salta* notior est, fundamenta posuit. Situs est amœnissimus in media valle montibus sat remotis intercluſa, & frequentibus rivis adeo fœcunda & pingui, ut vicinis provinciis pascua sufficere possit. Paulo antea

Xuxui. quindecim a Salta leucis ad boream condita erat urbs a Sancto Salvatore de Xuxui, qua bis a barbaris diruta, tertium resurrexit anno 1593. Tria hæc oppida Tucumaniæ propugnacula sunt Chaquensibus populis objecta, semper infestis, sæpe viciniam & agros depopulatis.

Nec minus erat e re, ut provincia ad meridiem muniretur. Et quidem anno 1558.

Londinum. Hurtadus de Mendoza Cannetensis Marchionis Peruani Proregis filius, cum Chilem gubernaret, Joannem Gomez de Zurita Tucumaniæ constituit Gubernatorem, qui secundum viam a S. Jacobo ad Chilem arcem construxit *Cannete* nomine. Ex qua deinceps novum Londinum non diu perennaturum extitit in memoriam Angliorum Reginæ Philippo Secundo maritatæ (*c*). Cordubæ primordia supra memoravi, quæ urbs est Tucumaniæ primaria, & Tucumanensis Episcopi sedes (*d*).

Mediterranea est, æque fere a Sanctafide, & a S. Joannis *de la Frontera* ad Chilem spectante distans. Fluvio caret; sed rivus brevissimi cursus in paludem desinens (*e*) uberem sufficit piscatum (*f*). Venatus non absimiliter abundat. Nec quidquam desideres eorum, quæ ad magnarum civitatum usum & commodum sint, agrum fertilem, clivos amœnos, & vitiferos. Est denique quasi commercii centrum inter Bonas Auras, Chilem, & Charcas. Est & collegium cum universitate, & nobilium Seminarium *Monserrate* nomine. Forte sola est Corduba in provincia Tucumaniæ, cui merito & forma civitatis honor habendus sit.

Tucumaniæ civitatum idea. Mutinensis quidam (*g*) in Paraguariam tranſvectus anno 1728., qui brevem vitæ cursum confecit, in litteris per Muratorium ad calcem postremæ lucubrationis (*h*) editis, Ribogiam describit, quasi viculorum agris & virgultis distinctorum congeriem segregatam, ut qui in mediam pervenerat urbem, longe se absentem arbitratus sit. Non omnes quidem sunt æque rusticanæ; imo aliquæ sunt circumdatæ vallo (*i*), sed ut plurimum non magis affabre ædificatæ. Paraguajenses & Argentinæ, si primarias excipias, neque melius structæ, neque frequentiores sunt.

Motus in Tucumania. D. Joannes Gomez de Zurita Tucumaniæ provinciam primus in ordinem redegit. Bellum Indis intulit auspicato, & Hispani martis terrorem tam late sparsit, ut anno 1558. in his qui vi aut voluntate deditionem fecerant, octoginta millia Rex Catholicus vectigales numeraret in sola ditione Jacobæa. Nihilominus Zurita apud Chilenum Gubernatorem, cui suberat, offendit: qui & anno 1561. Gregorium de Castañeda illi suffecit. Cedere renuit Tucumanus, sed vi coactus in Peruvium a-mandatur. Ex eo tamen provinciæ non minus consultum est, maxime postquam Castañeda Lon-

(a) *Quebrada de Calchaqui* non est nomen catenæ montium, sed medius inter duos montes anfractus, qua fluvius, quem Mæandrum dixeris, flexuose decurrit, ad cujus, postquam in apertum prodiit, ripam urbs S. Michaelis translata primo fuit. Sed locum amœnum licet, insalubrem esse docuit experientia, incolæ namque adolescebant stolidi, & gutture deformes. Unde ad orientem leucis fere sexdecim transmigrandum rursus fuit, ad locum ubi modo est oppidum S. Michaelis, cui proprium etiam est nomen *Tucuman* provinciæ commune.

(b) Extant Esteci rudera octo P. M. ab oppido Miraflores ad occidentalem oram adversi fluminis Salsi.

(c) Permanet Londini nomen in pago, cujus Hispanienses familiæ in Catamarcam vallem convenientes novæ urbis *a S. Ferdinando* fundamenta provovent sub gradu 28. latitudinis.

(d) Sedes Episcopi est ab anno 1700. qui prius sedebat in S. Jacobi *del Estero*.

(e) Desinit potius in arenarias.

(f) Minime piscosus est Cordubæ seu fluvius seu rivus. Reliqua ornamenta vera sint, si loci naturam spectes. Quidquid est artis & industriæ frustra quæras.

(g) Cajetanus Catani. 1.

(h) *Il Cristianesimo Felice*.

(i) Nullam videris nec in Tucumania, nec in finitimis provinciis urbem, etiam de primariis vallo cinctam. Sunt tamen adjuncta propugnacula quædam Montevideo, & Bonoaeri, aliaque minus regularia in Paraguariæ & Tucumaniæ finibus contra barbaros. Omnes tamen urbes præter Assumptionem, & S. Jacobi sunt in insulas non invenuste quadratas distributæ.

Digitized by Google

Londinum diruit. Franciſcus de Aguirre cum poteſtate mittendus fuit anno 1563. qui plura reſtituit; ſed in Peruvium revocato tempus defuit cœpta perficiendi. Extunc opinor Tucumaniæ prætura exacto Chileno jure, uni Proregi & Curiæ Platenſi ſubdita eſſe cœpit.

Chaquifaces. Dixi Tucumaniam a Paraguaria & Flumine Argenteo diſterminari Chaquo, nondum quidem ſubmiſſo, ſed quod ad hanc Hiſtoriam ita pertinet, ut ejus deſcriptio & generalis incolarum notio prætermitti nequeat. Lozanus, quem ſupra laudavi, uſque adeo extendit hujus regionis fines, ut Paraguariæ & Fluminis Argentei provinciæ cognomine fluvio terminentur. Incolume tamen ſit harum provinciarum jus, imo & Tucumanæ & Charquenſis (*a*), quæ omnes forte vendicaverint ſibi quod Chaquo author hic adſcriptum voluit. Quin etiam illarum prætores Chaquenſes barbaros arcendi neceſſitate adiguntur, ut nullos ea parte certos noverint fines.

Quidquid ſit, en quæ de latiſſima Chaqui regione laudatus Hiſtoricus memoriæ prodidit. Nomen Chaquo, ſeu *Ciacho*, novum eſſe videtur, neque in Vita Sancti Franciſci Solani (*b*) ſonat, qui totam regionem evangelizando percurrit. Sed lingua Quichoa Peruvii propria *Chacu* dicuntur ferarum greges a populis earum partium circulari venatione coacti. Regioni, de qua nobis eſt ſermo, inditum eſt hoc nomen, quod eo convenerint Peruvianorum plurimi, dum ejus Imperii partem ſubegit Pizarro. Ex *Chacu* fecerunt Hiſpani Chaco. Veroſimile eſt, ſic primo appellatum tractum, qui montanis & fluminibus Rubro & Pilcomajo clauditur; deinde nomen prorogatum, ex quo Peruvianis adjuncti ſunt alii plures, tuendæ libertatis amore.

Regionis natura, & montes. Speciosiſſimis mundi regionibus Chaquum adnumerant ſcriptores: quod intellige de tractu primo a Peruvianis occupato. Montium dorſo, cujus initium eſt propter Cordubam, & ab occaſu ad boream uſque ad Sanctæ Crucis de Monte convertitur, præſertim qua parte a Chiriguanis inſidetur, ut inſuperabili clauditur vallo (*c*). Terreis vaporibus inacceſſa ſunt plura montium horum culmina, ubi tanta ſemper eſt aëris ſerenitas, ut nulla nube turbetur, nihil late ſpectantium oculis obverſetur (*d*). Sed ea eſt ventorum vis, ut equitantes ſæpe dejiciant, & ad alternandum commode ſpiritum in apriciorem quempiam locum ſe recipere oporteat. Pavor in vertiginem agit intrepidiſſimos, niſi præcipitiorum conſpectus intercludatur.

Fodinæ. Fluvii. Proculdubio montes Andium rami metallo gravidi ſint; nec ita pridem repertæ ſunt fodinæ: quid vero contineant, nondum vulgatum eſt (*e*). Traditione conſtat Chichas & Oregiones antiquos horum montium incolas, quorum alii in Chaquum, alii apud Xarajes receperunt ſe, Cuzcum Peruvii Regiam ante adventum Hiſpanorum aurum & argentum portare ſolitos. Iiſdem montibus oriuntur fluvii complures, quorum ſaluberrimis aquis Chaquum irrigatur, præter Guapaim & Parapitim ad boream converſos, qui in Mamoreëm, ac deinde ſimul in Maranonem delabuntur. Illorum præcipui ſunt Pilcomajus, Salſus, & Ruber.

Pilcomajus. Omnium maximus Pilcomajus Chaquum ſolus opulentare ſufficiat, ſi naves ubique patiatur; at alibi parum, alibi nimium aquarum evolvit. E montibus Peruvium & Potoſium interjacentibus oritur: ajuntque, rivulo Tarapaia Potoſium alluente Pilcomajum plurimo argento ditari, quod imo adhæret fundo, & luto immerſum expiſcari difficile eſt (*f*). A foſſilium peritis ſupputatum ajunt, quadraginta millionum jacturam hac effluxione factam ab anno 1545. ad 1601. Addunt, in Pilcomajum eadem via tantum argenti vivi defluere, ut piſces plurium leucarum ſpatio non appareant. Poſt Manſi campeſtria (*g*) in bina brachia dividitur, quorum quodlibet majoris alvei cymbas capit, & boreale ſalſuginem e ſalenitro littorali contrahit. Ex quo Chaquum ſubit, piſcibus, ſed & crocodilis abundat.

Utrumque brachium Paraguaim influit, alterum paulo infra Paranæ confluvium, alterum paulo ſupra Aſſumptionem, in inſula proinde ſitam (*h*), quinque circa medium lata, octoginta leucis longa. Inſula depreſſa valde & paluſtris eſt, præter loca brachiorum ſeparationi propinqua. Pluviarum incremento brachia, alterum alteri, imo & Rubro amni affunduntur, relictis dum in ſuum quodque recipitur alveum, nunquam exſiccandis paludibus. Garcilaſus de la Vega *Pilcomaju* nomen lingua Quichoa ſignificare ait *Paſſerum fluvium*. Et Araquais boreale brachium *fluvium intellectûs* ſonat guaranice. Solertem quippe naviculatorem requirit, ne cymba deflectat a fluminis alveo in paludum cæcarum inextricabilem labyrinthum (*i*).

Salſum. Salſo dum Chaquum ingreditur *a tranſitu*

(a) Adde Sanctæcrucenſem.

(b) Ex Ordine Minorum, Canoni Sanctorum inſcripti anno 1725.

(c) Chaquum his montibus a Tucumania vallari nequit, quæ ſimul cum Chaquo intra hos montes continetur.

(d) Sæpe videris, ſæpe vidimus nubes his montibus nunc incubantes, nunc eminentes. Non ergo vaporibus inacceſſi ſunt: maxime cum tanta ibi eſſe dicatur ventorum vis. Olympus in fabula nubibus inacceſſus, & inacceſſus eſt ventis.

(e) Vide ſupra pag. 40. litt. (d).

(f) Ex maris abyſſo theſauros extrahunt urinatores. Quidni extrahant ex fundo rivuli Tarapajæ, aut etiam Pilcomaji non longe a fonte decurrentis?

(g) *Llanos de Manſo.*

(h) Non in ea inſula Aſſumptio eſt, ſed e regione inſulæ, in adverſa Paraguais ora.

(i) Alveus etiam obcæcatur Aguapei copia, plantæ aquaticæ, qua flumen impermeabilis prati ſimilitudinem refert.

Digitized by Google

ſitu (*a*) nomen eſt: nec tunc ſine diſcrimine, ut eſt rapidum, trajicitur. Dum præterlabitur Eſtecum a *Vallebona* nominatur, & eo uſque quadraginta leucarum ſpatio ſanguineo tinctas colore, qui rivulorum acceſſione ſubinde degenerat, vehit aquas: quod Calchaquinæ vallis, quam ab origine primum alluit, tribuitur ſolo (*b*). Salſi nomen unde unde ortum accipit e regione S. Jacobi *del Eſtero*. Antequam Argenteum ſubeat, flectitur ad orientem, & rivulo cui *Salſuli* nomen (*c*) eſt junctum inſulam facit arcui ſimilem, cujus chorda Argenteum eſt, & curvatura dicitur Flumen *a Coronda*.

Rubrum. Rubrum Chaquum tranſcurrit ab occiduo boreæ latere ad auſtri latus ortivum. Unde nomen acceperit, quod in Salſum potius cadere videtur, incertum mihi eſt (*d*). Flumen Grande appellant, cum Argenteum influit. Tam leni adlabitur curſu, ut æque fere poſſis adverſo, atque ſecundo flumine ferri, maxime cum aura quædam ab auſtro mitis ac refrigerans tribus ante meridiem horis mota de more flat. Piſculentum de cætero, ſilveſcentibus ripis amœnum, & aquis mire medicamentoſis; potæ namque ſunt, ajunt, dyſuriæ, lithiaſis, omnium veſicæ morborum, coliçorum, hydropiſis, arthritidis, ſtomachi cruditatum præſentiſſimum remedium: quod provenire dicitur ab herba ad utrumque marginem vulgari, quam Hiſpani vocant *Hierba de orina* (*e*). Aſſerunt, eas potare ſolitos ad extremam uſque ſenectutem ſine rugis, & integra valetudine pertingere.

Hæc amplius vero exaggerata videntur. Sed Hiſpanorum firma traditio fert, ex iis, qui ſub Martino Ledeſma de Valderrama Tucumaniæ Prætore ab anno 1628. ad 1635., exſtruendæ S. Jacobi *de Guadalcazar* urbi dederunt operam, nullum fuiſſe deſideratum, nullum adverſa valetudine affectum. Ad hæc cum anno 1710. & 1711. Chaquum & Flumen Rubrum luſtraret D. Stephanus de Urizar, ſimul atque hujus aquas potu adhibere cœpit, affectam ſanitatem recuperavit, quam & incolumem ſervavit inter incommoda belli. Hujus fluminis lacuna eſt, ex qua margaritæ, de quibus in primo hujus Hiſtoriæ libro fit mentio, trahuntur.

Alia Chaqui flumina. Chaqui fluminum reliquorum major pars aliquid peculiari nota dignum habet. Eſt quoddam aqua viridi, quo etiam nomine appellatur. Incertum unde color, qui de cætero nec inſalubrem reddit potum nec inſipidum. Paraguaim influit ſexaginta fere leucis ad Aſſumptionis boream. Secundum illud condita nova Ribogia urbs brevi corruit. Aliud Pilcomajum inter & Rubrum e montibus Chiriguanis ſcaturit, aquis ſalſugineis, geographis ignotum. Sunt quædam Tucumanicis ſimilia, quorum aquas arenoſum ſolum ſenſim abſorbet.

Chaqui cœlum, & fœcunditas. Tot inde fluenta naſcuntur, ut dum nives liquantur, quod & tempus pluviarum eſt, per campeſtria longe lateque ſpatientur, perennibus lacunis ubere piſcatu ſuffectis. Ea ſunt ex alluvionibus his circa Paraguaim aquarum incrementa, & interdum tam ſubita, ut incolis intra cymbas vel in ſummis arboribus habitandum ſit, donec reſidant aquæ, vel alia ratione ſibi conſulant.

Tot incommoda magno compenſantur emolumento, nam ſubſidentibus aquis Chaquum perpetui inſtar viridarii eſt, quod ſi a montium culmine contempleris, ſpectaculum refert, cui nullum forte in orbe comparandum ſit. Quid ſi ſoli fœcunditatem juvaret populorum induſtria, qui levandis incommodis darent operam, ſcirentque commodis quæ natura ſuppeditat, uti? Sed Chaquenſibus ſat eſt terram dum aquis extat, levi manu radere: & magna fert illa ultro vitæ ſubſidia, dum fructibus ſine cultu præter piſces ac venatiles feras abundat.

De ſilvis, aëris temperie, & arboribus. Provinciæ pars vaſtis contegitur ſilvis aquâ deſtitutis præter contentam in cavis arboribus, quæ nec impuri, nec inſipidi liquoris receptacula ſunt. Pronum erat, ut regio calido maxime & ſicco cœlo exæſtuaret; ſed ſtatis ab auſtro ventis refrigeratur: imo riget in locis polo propinquioribus. Raræ ſunt arbores Europææ; ſunt tamen aliæ optimis Europæis comparandæ. Cedri ad Sintam rivum notas omnes altitudine ſuperant, & prope Guadalcazarem exciſam ſunt ſilvæ, quarum truncos vix tribus ambieris ulnis. Quinaquina vulgaris eſt. Quædam eſt arbor ligno rubro, odore grato, ex qua odorifera reſina fluit. Fructus eſt faba, arboreis ejus ſpeciei baccis grandior, dura, & medicinalis. Palmeta ſunt octo, decem duodecimve leucarum amplitudine. Palmarum cor medulla concoctum optimi ſaporis eſt. Ad Pilcomajum natæ cedris altiſſimis æquantur. *Rival* eſt arbor duris undique & longis vallata ſpinis, fructu dulci, cujus folia macerata oculorum incommodis medentur. *Guaiacam* eſt duplex, ſed potior quam Hiſpani vocant *Palo ſancto*.

Simplicia. Innumera ſunt ſimplicia, in quibus Lozano perſuaſum, eſt, eſſe quo nulli non morbo medearis. Id forte vere & ſine exaggeratione de cunctis habitatis, & quæ habitari poſſunt regionibus, dictum ſit. Quidni de ſimplicibus ac naturalibus remediis, quæ neceſſaria ſunt, author naturæ proviſerit? Animantia nonne inſtinctu ſolo notis abundant? Abundant & Indi, brutis videlicet homines arte deſtitutos, aut

(a) Vulgo dicitur *Rio de los Paſages*, quod iter ad ſuperiores Peruvii provincias habentibus trajiciendum ea parte ſit.

(b) Alibi etiam extra Calchaquim ſolo color eſt: quem & flumen *del Pongo* Xuxuim alluens contrahit, & Rubro confert. Salſum vero dicitur a ſalſedine aquarum tanta, ut ſicca tempeſtate potabiles non ſint: & puteos in ripa excavare oporteat ad potandum.

(c) Vulgo *Saladillo*, quod rivulis ſalſuginis commune nomen eſt.

(d) Vide nuper dicta nota (b).

(e) Eadem in trivio *Meona* dicitur.

Digitized by Google

aut naturam, cui ars inniti debet, ſcrutandi neceſſitate compulſos edocentibus. In Chaquo tandem & panis & potus ex granis & fructibus ſilvarum fit: ſed paſſim abuntur Indi ad ebrietatem & ebrietatis incommoda.

Animantia. Chaquenſis leo pilos induit rubros & longiores. Mitis eſt, imo & timidus, adeo ut latrantem fugiat canem, & capi ſe ſinat, dum ad arborem aliquam adrepere nequit. Tigris æquat mole Tucumanicam, ferocia forte ſuperat. Sed lumbo percuſſa ſecundum renes enervatur: venatrix de reliquo vel in aqua. Aper alius eſt nigro, alius leucophæo colore. Lepus, cervus, ſtruthiocamelus, lupus aquatilis, quales in finitimis provinciis ſunt: capræ rubræ & nigræ, quales in Tucumania, & albæ tantummodo ad Pilcomajum comparent. Anſerum ſex numerant ſpecies, & omnigenas volucres.

Gran beſtia vocant Hiſpani Antam, ſeu Dantam, cujus jam memini. Sed Chaquenſis ex Lozani documentis ab ea, quam ex Montoja deſcripſi, non nihil diverſa eſt. Pilis eſt, ait ille, fuſcis & longis, capite equino, auribus aſininis, vitulinis labris, pedibus anterioribus bifidis, poſterioribus trifidis. Supra roſtrum proboſcidem habet, quam irata producit: caudam mutilam, ſubtilia crura, dentes cuſpidatos, ſtomachos duos, quorum alter eſt inſtar promptuarii, in quo & linum putridum, & bezoar lapis, quo pretioſior nullus ex Americanis eſt, reperitur. Pellis ad ſolem durata & ſubacta ſclopi jaculo reſiſtit: caro bubulæ non abſimilis. Ungula ſiniſtræ manus vi medica Orygi Canadenſi, Elano, ſeu Originali attributa pollet. Eamque ſimiliter adhibet, dum epilepſi laborat, aliove morbo. Oryx ſanguine oppletus venam aperire cannæ cuſpide, Indoſque facto hujus uſum medicamenti docuiſſe dicitur.

De Guanaco. Guanacus, ſeu Huanacus, in Anglia *Wanatra* nomine, quo forte ab aliis Americæ populis appellatur, vulgaris eſt in Chaco, & bezoares trium librarum & ſemiſſis ponderé fert (*a*). Indus, per quem primum Hiſpanis innotuit ſecretum hoc, capite gentilibus ſuis dediſſe pœnas dicitur. In Anglias quo anno 1723. mas & fœmina Bonis Auris deportati ſunt, an provenerint, latet. Noxia eſt ſaliva ex qua venator ſcabiem contrahit. Gregatim incedunt, niſi forte in locis deſertioribus. Paſcente grege aliquis excubat in eminente loco, & hinnitu quodam de venatorum admonet acceſſu. Tunc grex in invia & præcipita ſe recipit, fœminis cum tenera prole primam occupantibus aciem. Guanaci caro alba, nec inſipida, ſed paulo ſiccior (*b*).

Inter Chaquenſem vulpeculam, Hiſpanis *Zorrino*, & Canadenſem beſtiolam, Gallis *Bête puante*, *Enfant du diable*, nihil diſtare videtur. Capivara, amphibium animal porco ſimile, cujus caro gulam Indorum acuit, haud aliter atque caro lutræ, quæ ibi locorum valde vulgaris eſt, & ſuaviſſimis pilis. Iguana, qualis in Hiſpaniola. Quirquinchius rariſſimus (*c*) luſtrum portat ſecum, ſquameum ſub quo ſe totum complicat fornicem. Porci figura eſt. Pedibus & roſtro ſcrobem in terra tres quatuorve palmos longum, quo abſcondatur excavat. Caro nidore fœtet, acerbe ſapit. Sub ventre pili prodeunt oblongi ac denſi. Reſupinari dicitur dum pluit, ut aquam teſta colligat (*d*), ſic expectare diem totum damam ſitibundam, quam roſtro apprehenſam ſuffocat, deglubit, ac devorat. Angli anno 1728. Magnæ Britaniæ Regi vivum quirquinchiorum par obtulerunt dono. Animantia alia.

Eſt & altera hujus animantis ſpecies, in Paraguaria *tatù*, in Tucumania *mulica* nomine (*e*), quæ in teſtam recepta dicitur ſic in orbem glomerari, ut vel minimam commiſſuram diſpicere nequeas. Glabra eſt, & lactei porcelli caro ſimilis. Reperitur etiam in Braſilia & in Granada inſula. In vallibus montium, qui Chaquum diſterminant, ſunt & *Glamaes* (*f*) oves, præter gibbum camelino pullo conſimiles. Sarcinulas (*g*) portant gradu tam lento, ut trium leucarum iter vix confecerint in dies ſingulos. Oneri ſuccumbentes fruſtra pupugeris.

De animantibus venenifferis. Sunt qui Chaqui ſolum veneniferis animantibus immune prædicaverint. Sunt vero plurima, non tamen ſine antidoto. Præſentiſſimum eſt in herba, cui a Vipera nomen eſt, & contra-herba mas & fœmina. Lozanus arbitratur, viperinam herbam eſſe Dioſcoridis triſſaginem. Reliqua ſunt dens viperæ caninus, ſeu *Solimon de la Tioſſa*, tabachi folium, maizii ſpica & caulis, os vaccini cruris torridum & plagæ impoſitum. Ut hoc antidotum efficacius ſit, os vino & lacte lotum ne disjunxeris a plaga donec ultro ſeparetur, quod niſi veneno hauſto non fit.

De apibus. Mirum ſi ſub cœlo tam benigno deſiderarentur apes. Abundant ſilvæ, & in pleriſque vix arbor certæ denſitatis eſt alveare vacua. Veſpas quidem habent infeſtas; nihilominus Americæ provinciis pluribus ceram & mel, præſtantiora quam uſquam alibi quod ſciem, una Chaqui regio ſufficere poſſit (*h*). De volucribus forte quod eædem atque in provinciis finitimis ſunt, nihil proditum eſt. Hiſtoricorum ſilentio de cunctu crediderim, aves in hac provincia, haud aliter quam in reliquo no-

(a) Octiregalia Hiſpanorum unius unciæ in ſingula libræ dicuntur aliquando: quo forte ſenſu hoc loco accipiendæ ſint. De cætero ſi liberam intelligas unciarum 12. vel 16. pondus eſt vero majus.

(b) Venatione capiuntur Guanaci levi funè circum gregem ducto, quo capti tenentur.

(c) Rarus forte dicitur Quirquinchius, non quod infrequens; nam paſſim eſt obvius; ſed quod ſingularis & curioſæ naturæ.

(d) Narratiuncula ſenilis, an puerilis?

(e) Mulicá a Tatu differt, teſta caret.

(f) Vide ſupra pag. 40. not. (e).

(g) Sarcinulas arroba 400. unciarum non graviores.

(h) Ceræ præſtantiam refert ad provincias confines. De cætero vilem facit nigredo, & fluxa mollities multo admixto ſevo corrigendæ.

Digitized by Google

novo orbe, non tam auribus concentu, quam oculis versicolorum plumarum varietate adblandiri.

Incolarum frequentia.

Ex Chaquensium nationum albo apud Lozanum, nullibi major esse incolarum frequentia videri possit. Finitimas quidem superat regiones; sed multo est inferior, quam soli sub mitissimo cœlo congruit fœcundinati, nationibus singulis tres quatuorve pagos mediocres non excedentibus. Nec mirum: notum est enim, loca naturâ mitiora non illico esse hominibus multiplicandis magis accommoda. Copia videlicet victûs pigros, improvidos, magis independentes reddit incolas, ac proinde magis vitiosos: & laxatis cupiditatum habenis, barbari, silvatici, insociabiles in summam ruunt vitæ licentiam, maxime in ebrietatem. Hinc bella & rixæ quibus plures quam qui nascuntur intereunt. Hinc rursus vastitas & manifesta depopulatio. Multi præterea, quos pestilentia in provinciis finitimis afflaverat, contagionem in Chacum recepti propagarunt. Supra narratum est, Peruvianorum complures Hispanorum metu solum mutasse, quorum pars major in Chacum cessit. Sed transmigrationibus his multi desiderantur, & diuturnus advenarum error minimum propagationi favet.

Bina singularis natio.

Non aliud magis mistarum in Chaquo gentium colluvionem manifestat, quam singularum indoles & ritus. Multis conveniunt, quod in fœdera referendum est ad tuendam libertatem inita, maxime adversus Hispanos, qui præstantissimam regionem & incolas in potestatem redigere conati sæpe sunt. Qui differant, narrabo dum se ferat occasio. Hic solum a Lozano tradita de gente una & altera exscribam, prætereunda mihi, nisi Missionarius hic testaretur, veritatem narrationis solidissimis niti fundamentis, fassus quidem se numquam vidisse quæ narrat.

Prima est Collusium, seu Collugesiorum gens, Quichoano sermone *Suripsha quini*, quod *struthionis pedes* significat. Sic appellati sunt, quod crura sine suris habent, & pedes præter calcem similes pedibus struthionis. Corporis habitu prope giganteo sunt, & qui equos cursu superaverint: bellicosi, qui lancea tantum armati numerosam Palumborum gentem pene extirparunt. Altera natio eo monstrosa dicitur, quod prima procerior est. Hæc transcripsit Lozanus ex litteris P. Gasparis Osorii, cujus martyrium infra narrabimus, qui fidem gentibus his annuntiavit. En quod ad Provincialem Franciscum Tuxillo scripsit Osorius.

A nominandis abstinet quos repensse ait juxta rivulum *a Tarixa*, non inde procul ubi condita fuit Guadalcazar. Postquam dixerat, caput Indorum se stantem, & extento brachio attingere non potuisse, addit magis miratum se suavitatem & copiam sermonis, humanitatem, cultum, & ingenii vivacitatem & acumen. Litteris paulo antequam occumberet, ad P. Mutium Vitteleschium datis dolet, cum gente a virtute, comitate, moribus, & modestia usque adeo commendabili, non aliam institutam esse agendi rationem, nec priusquam jugum in dies gravius imponeretur, ad religionem allectam fuisse. Ad reliquos Chaquenses redeamus.

De Chaquensibus generatim.

Sunt ut plurimum statura eminenti; & inventi sunt aliqui, ajunt, septem pedum altitudine majores. Vultus a nostris valde differunt, ac de more pigmentati terrificam referunt speciem. Ductor Hispanus, qui in Europa cum laude meruerat, missus adversus Chaquenses Sanctæ-fidei proximos, sic eorum aspectu consternatus est, ut animo & mente perturbata conciderit. Nudi sune cinguntur, ex quo varii coloris pendent avium pennæ. In festis frontem pennatis galeis honorant. Hyeme pellibus vestiuntur subactis & pictis. Nec alia sunt apud gentes aliquas fœminarum indumenta.

Feritas, inconstantia, perfidia, ebrietas vitia sunt his populis communia. Vividi omnes sunt; ad ea tamen quæ sensibus non subjacent acie mentis obtusa. Forma regiminis nulla, sunt tamen in singulis pagis dynastæ, quorum authoritas comparata meritorum opinione nititur. Complures incerta sede vagantur, omnia sua, stoream videlicet, lectum pensilem, cucurbitam secum portant. Pro domo pagatim viventium sunt misera ramorum umbracula paleis aut herbis tecta. Tucumaniæ contermini videntur cultius vestiri & habitare.

Chicham supra memoratam in deliciis habent: ad potandum, saltandum, canendum conveniunt, nec nisi ebria concione discedunt. Hinc ad querelas & rixas gradus fit, nec festa ut plurimum incruento fine clauduntur. Tunc inimici pœnas repetunt & dant. Etiam fœminæ inebriantur interdum, sed plerumque dum cœtus vino incalescit, abeunt, arma ebriorum qua possunt abdituræ. Tenui scintilla bellum exardet utrimque barbaricum, sed immortali adversus Hispanos odio fœdus instaurant.

Plerique omnes sunt anthropophagi, in præda & bello toti, finitimis rabie formidandi dum aperto marte confligunt, magis formidandi cum insidias ad decipiendum, Hispanos maxime, arte moliuntur. Si prædium expilandum est, nihil non tentant, ut custodia negligatur: indefesse explorant, ut aggrediantur impune. Noctu insidiatores circumeunt, cubitis multo duratis callo, si res ferat adrepentes. Et fuerunt Hispani, qui animalis cujuspiam domestici forma per præstigia ad perserutandas domos indutos arbitrarentur. Nec omnes audent cum improviso deprehensis conferre manus, ne desperatione furor accrescat. Vel fœminæ visæ aliquando sunt armatis militibus acri certamine reluctantes.

Arma. Bello capti.

Armis utuntur, quæ reliquis hujus continentis Indis communia sunt, arcu, sagittis, clava, & hasta seu telo ex ligno durissimo, quod

quod facile tractant etsi gravissimum (*a*), est enim quindecim palmis oblongum, nec gracile. Pro spiculo est cervinum cornu, sic lingulatum & reduncum, ut nisi amplificata & exacerbata plaga nequeat extrahi. Alligatur fune, ut jactum retrahatur, vel capto vel diruto lacerato hoste. Captos maxilla piscis pro gladio decollant, pellem cranii cum capillitio revellunt, & servant victoriæ monumentum.

Equitandi præstantia. In equitando dexteritate & audacia præstant: eique quod Hispanos invectæ in Americam equorum proles poeniteat. Currentes illaqueant, & lancea nixi pariter a tergo insiliunt atque a latere. Corii segmento frænant, stapede nullo utuntur: non ephippiatos in mirum concitant pernicitatem. Nuditate cutem obduxerant, & Lozanus ait, Mocobii caput se vidisse cute medio digito crassa obductum.

Ritus & mores. Fœminæ Chaquenses se & filias recens natas, vultum, pectus, & brachia, Maurarum instar in Africa & in Hispania pungunt. Et nati omnes apud nonnullas gentes a fronte ad verticem sex digitorum latitudine depilantur. Fœminæ robustissimæ sunt, & partu facili, ad balnea cum sobole fluvialia, paludstriave se conferunt. Uxores mariti, forte quia suspiciosæ sunt, habent acerbe: nec ipsæ natis adblandiri norunt. Mortui (*b*) sepeliuntur ubi cadunt, erecta supra fossam lancea, & lanceæ imposito hostili, Hispano maxime, si fors tulerit, cranio. Locus verritur, nec licet quandiu funeris memoria steterit, illac transire.

De Chiriguanis. Non aliunde Hispanis & Missionariis imperii aut evangelii in Chaquum propagandi major fuit obex, quam a Chiriguanis. Incerta gentis origo est. P. Techo (*c*), & Petrus Fernandez (*d*) nixi manuscripto Rui Diazii de Guzman, ortos opinantur ab interfectoribus Alexii Garciæ, qui Lusitanos vindices veriti ad montes confugerunt, qui nunc *Cordillera Chiriguana* nomen habent. Addit Fernandez, Chiriguanorum ea tempestate numerum quatuor millia non superasse. Sed Garcilassus de la Vega, scriptor, credo, Guzmano gravior ait, Ingam Yupanguim X. Peruvii Imperatorem, Chiriguanos jam tunc ibi considentes crudelitate & audacia famosos subjugare frustra tentasse. Certum est aliunde, sermonem Guaranicum genti familiarem esse, ut nationis ejusdem linguæ, quæ tot in Paraguaria, & Brasilia sedes habet, nequeat non censeri colonia.

Adversus Hispanos odium. Quidquid sit, non alios Hispani hostes infestiores Chiriguanis habent per provincias Sanctæ Crucis, Charcarum & Chaqui late dispersis. Et licet hac tempestate nonnulli fœdus percusserint, fides timore non satis firma est, in summa gentis ferocitate & perfidia, corde duro, mente instabili. A Missionariis eo solum de conversione spes non est abjecta, quod de divina charitate desperare nefas arbitrantur.

Aversio a fide. Sic tamen animo præoccupati sunt, tam aversi a fide, & quod aversionis causa est, usque adeo Hispanis diffidentes, ut nisi miraculo veros ex eis veri Dei cultores non effeceris. In ea quippe sententia obfirmati sunt, Christianos Hispanorum devenire mancipia. Ex rerum deinde gestarum serie, & irritis ad reducendos cœptis conficitur, Chiriguanos esse quales ii, a quibus excusso pulvere abeundum Salvatoris mandatum est.

Ignacio Chome I. Belgæ (*e*) ingenium gentis quam proxime experto, & adversus eam quantum Dei ministrum decet longanimi, cum ad viam salutis hortaretur quemdam, respondit ille: Cassus est labor. Cor nobis hoc (pugnum ostendit) durius est. Imo & durius saxo, reponit Missionarius. Plane, sequitur Chiriguanus; sed & sumus opinione vestra magis astuti. Neminem quicumque sit ille nisi cautissimus non decipimus. Versutia ista, subdit Chome, maximum vestræ conversionis obstaculum est. Sunt natura festivi, vivaces, ad facetias proni, nec eorum sermo sine mica salis. Pavidi adversus intrepidos, adversus pavidos arrogantes.

Bellum infaustum. Cunctis Tucumaniæ copiis & viribus insuperabiles sunt: quod illos haudquaquam latet multa in eam provinciam ausos impune (*f*). Infaustis Francisci Toletani Peruvii Proregis anno 1572. cœptis magis elati sunt Chiriguanorum animi. Exitum indecorum habiturum iter dissuadentibus aures occlusit. Montes adortus ubique arcetur; & impedimentorum incolumitati fuga celeri consulendum fuit.

De moribus. Monogami vulgo Chiriguani sunt; sæpe tamen inter bello captas concubinas quoquo versus a tergo portandas seligunt. Illud est singulare, alternis esse feras & homines, nunc adhærentes æquo & juri humana consuetudine & usu, nunc tigridibus immaniores. Donanti omnia concedunt; spes si desit, nemo non est hostis. Libido & ebrietas quam effrænis in barbaro esse potest. Quid mirum si Christianismi veritates radices non agant; si de inferno igne admoniti frigide respondeant, a se facile extinguendum?

Gens pagacior. Ad orientem secundi fluminis Rubri sunt gen-

(*a*) Ingravescit, non tam longitudine & crassitie, quam ligni qualitate. Telum est utringue cuspidatum, non ferro, non cornu cervino, sed ligno ipso in cuspidem desinente. Equo vecti lanceam extremam solo raptant, ut acuant. Non jacitur, non alligatur fune, sed manu tenetur, vel humero mediam sustinent, dum ad pugnam ventum est. In dormientes ut plurimum, vel fugientes aversos impetu pugni ab alto compellunt.

(*b*) Secundum flumina, maxime secundum Salsum reperiuntur veteres urnæ testaceæ, quibus nuda cadaverum ossa continentur, sedentium & brachiis crura complectentium habitu.

(*c*) Hist. Parag. Lib. XI.

(*d*) Non Petrus, sed Joannes-Patritius Fernandez, *Relacion Historial de los Chiquitos*.

(*e*) Lett. Edif. & Cur. tom. XXXIV. pag. 374.

(*f*) In Tucumaniam longe dissitam Chiriguani nihil ausi sunt, sed in præfecturam Chicharum, ubi est Tarixa, & in oppositas Tominæ & S. Crucis. *de la Sierra*.

Digitized by Google

gentes quædam pacatæ. Baptizatæ dicuntur (a) paulo post Hispanorum adventum, sed vexatæ discessionem fecisse; quosdam retinuisse Christianorum ritus, nominatim preces, quibus peragendis interdum a dynastis convocantur, agros colere, nutrire pecora. Anno 1710. D. Stephanus de Urizar fœdus iniit, cujus authographum, diploma servant, libertatis adversus Hispanorum consilia munimentum. In pactis erat, ut Missionario donarentur. Sed promissum enatis difficultatibus non stetit. Indi sunt de cætero natura mites, & exteris obsequiosi. Hæc omnino de Indis, quorum nomen silet Xarque (b), rescire datum est.

Hispanorum de Chaquo consilia. Cædes Mansi.

D. Andreas Hurtado de Mendoza, Cannetensis Marchio, Peruvii Prorex, consilium Chaquum subjiciendi primus suscepit: & anno 1556. emeritum in Peruvio ducem Andream Manso eo misit, qui campestria inter Pilcomajum & Rubrum tenuit sine pugna. Nova urbi fundamenta parabat, cum ab indigenis nihil veritus, somno deditis nullo excubias agente militibus, cum suis omnibus ne uno quidem superstite, interfectus est a Chiriguanis. Qua strage Campestria Mansi (c) deinceps nominata sunt.

Oppida Chaqui.

Oppidum a Sancta fide Chaquensibus primum adnumerabatur, quippe conditum ad Fluminis Argentei occidentem. Sed mutato solo, a Chaqui finibus per Lozanum circumscriptis longe distat (d). Aliud a *Conceptione* dictum, ad Rubrum, seu potius ad paludem, cui Ruber triginta ab Argentei confluvio leucis affunditur, conditum fuit. Sed vix annis sexaginta stetit, cujus hodie nec rudera extant. Non aliud magis ostendit Hispanorum in Paraguaria debilitatem, quam impotentia sedem eam conservandi, qua in medium Chacum sternebatur via. De diruta Guadalcazare etiam locum, ubi condita fuit, ægre hac tempestate designaveris.

Author est Lozanus, Martinum de Ledesma, cum novam hanc urbem moliretur, in Chichas-Oregiones penetrare non potuisse, neque in Churumacas, qui ad occidentem valles montium insederant, tam prope, ut pagorum fumus e castris videretur: nec longius decem duodecimve leucis aberant. Errores videlicet meditabatur dux viæ, qui convictus aliquando infidelitatis & interpellatus respondit, capite sibi luendum, si Hispanos in Indorum pagos inducat. Eccur, rogant? Timent, ait, stragem qualem ut Ingarum Imperium occuparent, ediderunt majores vestri. Addidit, Chichas Oregiones fodinarum & montium custodiæ præfici solitos, & nuntiato postremi Ingarum casu, apud Churumacas amicos confugisse. Lozanus tradit, hos Chichas-Oregiones ortos a nobilibus Peruvianis, qui prodeuntibus in bella Ingis ministrabant.

Certum est, nec Hispanos latet, finitimarum sedium securitatem Chaqui deditione constare. Debellari hucusque non potuit. Evangelii præconum sanguine irrigatum cessurum votis, spes est reliqua. Sed fortasse has gentes inter ecclesias spiritu & veritate Christianas reliquit Dominus, quemadmodum Philistæos in terra promissionis ad regnum usque Davidis, ut & justitia divina adversus eos qui bonitate abuntur, commendetur, & fidelium pietas facto periculo probetur.

S. Solani prophetia.

Invaluit apud Hispanos S. Solani prophetia, cujus pars ajunt magna completa jam est. Memoria proditum est, Solanum prænuntiasse, Estecum urbem diruendam, novas aperiendas fodinas, condendam Saltam inter & S. Michaelis novam urbem, & Chaquum ad fidem convertendum. Corruit jam Estecum: fodinæ inter Xuxuim & Saltam apertæ sunt (e), inopia forte operarum incultæ. Reliquæ prophetiæ partes inter arcana providentiæ continetur (f). Ad Chaqui vero conversionem oportet Hispanos a Rege Catholico concessis moderate uti, quorum abusus & plurimæ Christianorum defectionis causa, & infidelium conversionis impedimentum est. Hæc prius explicanda, quam Historiæ filum repetamus.

De Commendis.

Indi quoquomodo Hispano dediti in *Partitiones* & *Commendas* privatis ad certum annorum tempus brevius longius pro merito distribuendas redacti sunt. Exacto tempore in fiscum recidunt, & Prætor adscriptis utitur ad reipublicæ opera, vel denuo eos colonis commendat per vices in singulorum commodum adhibendos. Commendatario, vulgo *Encomendero* jurisdictio nulla in clientes, qui bimestrem in singulos annos servitutem servire tenentur, ac de cætero censum quinque octiregalium solvere præter quinquagenarios, & octodecim annorum ætate minores (g). Quinta hujus taxæ pars parocho cedit. Invicem debent Commendatarii commendatis opitulari, de rebus necessariis providere, de religionis doctrina, consuetudine paterna, regimine filiali puerorum proprio; nam in summa etiam senectute pueri non una in re sunt (h).

Sed quoniam Carolus V. præviderat, non satis per leges Indorum immunitati adversus injurias & gravamina consultum esse, magistratum instituit, cujus authoritate protegerentur, privatis etiam Indorum servitio abuten-

(a) D. Franciscus Xarque lib. 3. cap. 28.

(b) Chunupies forte sunt, quorum aliqui recens in Reductionem contracti erant.

(c) *Llanos de Manso.*

(d) Sanctafides solum mutavit quidem, sed non ripam; jacet namque ad Paranæ occasum, ut antea. Chaquo forte non accensetur, quod provinciæ Fluminis Argentei pars sit & fuerit.

(e) Ad Occidentem S. Michaelis prope Andalgalam, sin minus inter Xuxuim & Saltam apertæ sunt, minimo usu.

(f) Dic-sis, urbem jam esse conditam, nempe novam S. Michaelis inter veterem, quæ Solani tempore stabat, & Saltam.

(g) Adde & fœminas cujuscumque ætatis, Caciquios & primogenitos.

(h) Debent etiam lege Commendatarii & auxilio esse in bello dum e re sit.

Digitized by Google

tentibus. Aſt leges & conſultiſſima ſeveritas adverſus cupiditatem imbelles ſunt, maxime dum Principis abſentia & executores corrumpendi facilitas reorum favet impunitati. Et quam veriſſimum eſt, optime conſtituta peſſime fuiſſe obſervata.

Omnium intererat mandata fieri. Indi curati & exculti fuiſſent, & dominis inſtar filiorum addicti; atque Regi ſubditi obveniſſent, æque proficui Commendatariis atque rei publicæ: de quibus in hac Hiſtoria certa extant documenta. Eccleſia prolem docilem educaſſet, nec temere dixerim, totam hanc Americæ partem jam diu fore fidelem, ſi cuncti, quorum erat, ut fidei deſiderio imbuerentur, dediſſent operam. Sed ut indigenæ ſunt habiti, mirandum non eſt, ſi Chriſtiani plures a Chriſtianiſmo defecerint, neque enim tempus & otium præceptis obſervandis ſufficiebat; pleroſque Commendatarios minime ſollicitabat doctrinæ cura; nec infideles hæc poterant, & pravos oculis obverſantes mores cum prædicata Evangelii dulcedine & ſanctitate conciliare. Nec mirandum hos excuſſiſſe jugum pro viribus, illos hoſtilibus animis efferatos adverſus Hiſpanos.

Certum aliunde eſt, heros Indorum ſervitute ſic aſſueſcere otio, ut Indi ſi deficiant, immedicabili laborent indigentia. Aliorum exemplo nemo ſapit: cumulantur (*a*) abuſus, nec iteratis Regum Catholicorum mandatis coercentur, quæ violandi uſus invaluit. Ex rebus deinde narrandis palam fiet, perſecutiones in Paraguaria motas contra Miſſionarios, calumnias vulgo diſſipatas, & inſitas tot mortalium animis præoccupationes inde ortas, quod a Rege Hiſpano conceſſæ immunitatis, ne Indi illorum curæ commiſſi Commendis ſeu Hiſpanorum ſervitio perſonali ſubderentur, incolumitatem violari paſſi non ſunt.

(a) Quidquid fuerit olim; hac tempeſtate non tot abuſus ſunt qui ad Indorum ſervitutem referantur; tum quia pauci ſunt Indi, pauciores commendati, in his certe provinciis; tum quia Indorum paucitati ſucceſſit mancipiorum copia, tum quæ in dies ex Africa deportantur, tum quæ ex deportatis in America naſcuntur, nigri miſtive coloris.

HISTORIÆ PARAGUAJENSIS

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM

PORTUS ad Bonas Auras inſtauratur. Illius ſitus & forma. Clima, & temporum vices. Agri fertilitas. Miſſio S. Franciſci Solano, & P. Ludovici Bolagnos. Religionis ſtatus poſt illorum diſceſſum. Socii in Tucumaniam vocati. Tres Saltam, inde Eſtecum tenent. Adventus in S. Jacobi. Prima officia. Miſſio apud Indos. Tres alii e Braſilia. Itineris caſus. Ultio divina de impio. Dei providentia de Miſſionariis. Cordubam accedunt. Braſiliam duo repetunt. Geſta Barcenæ, & Ortegæ. Miraculo incolumes. Tres Socii apud Aſſumptionem. Ortega & Filds apud Guairam. De Guairanis. Religio & ritus. Medici, & præſagia. Lapides. Regionis infrequentia. Apud Aſſumptionem peſtilentia. Ortega Indorum pagi converſionem ſuſcipit. Diſcrimen ſubit. Sedes Jeſuitarum Villaricæ. Calchaquii rebellant. Barcena Prætorem ſervat. Calchaquiorum indoles. Lulles. Prædicatio intercluditur. Miſſio apud Frontones. Ad S. Joannis de las Corrientes. Miſſorum ſupplementum. Miſſio ad Omaguacas. Xujuis tertium inſtauratur. Barcena & Lorenzana Paraguaim ſubeunt. Romero apud Aſſumptionem. Societatis collegium. Religionis ſtatus in Guaira. Geſta Monroi apud Omaguacas. Fœdus cum Indis. Gentis converſio. Ingarum poſtremi obitus. Duo Miſſionarii deſiderantur. Ortegæ labor. Sedes Jeſuitarum Cordubæ. Miſſio apud Diaquitas. Obitum diſcrimen. Diaguitarum religio; converſorum numerus. Imprudentia Hiſpani ducis. Dei providentia de Miſſionariis. De prædicando Evangelio. Conſilium Viſitatoris. Ortega in S. Officii cuſtodia. Accuſatio diluitur. Mittitur ad Chiriguanos. Obit. Franciſcanorum apud eam gentem geſta, & exitus.

1580. Portus ad Bonas Auras inſtauratur.

EX iteratis naufragiis portus ad Flumen Argenteum neceſſitate comperta, Bonaurenſis inſtauratio decreta eſt, & incolarum contra barbaros ſecuritati conſultum. Facilius hoc erat poſt novas in Tucumania ſedes, & in adverſi fluminis ora, unde peterentur auxilia. Conſilium hoc ex Philippi Secundi mandato ſuſceptum a Zarate Prætore videtur. Illud eſt certum, hunc copiis abunde, & bellico apparatu inſtructum appuliſſe. Indi quidem, ut primum de nova molitione reſcitum eſt, obſiſtere parant. Sed a Joanne de Garai Prætoris juſſu caſtigati ſæpe ſunt. Urbs eodem quo a Petro Mendoza ſitu conſtituta, mutato *Sanctæ Mariæ* nomine in *SS. Trinitatis de Buenoſaires* (a), vocatur.

Ea diu fuit, qua provinciæ, cujus eſt veluti clavis, & emporium inopia demonſtraretur. In occidentali Fluminis ora locatam CC. M. P. a Sanctæ-Mariæ capite, ſupra dixi, in terræ angulo modice prominente, & intra flumen ad boream porrecto ſub gradu trigeſimo quarto, minuto quarto, ſecundo decimo ſexto, juxta Fevillæum: & juxta poſteriores obſervationes ſub gradu trigeſimo quinto, trigeſimo minuto. Ampliſſima urbs eſt, & ab arce Prætoris ſede rivulo diviſa (b), vicis diu compoſita; quos interjacentes campi & horti diſcriminabant. Ædes ut plurimum luteæ ſcalis nullis conſtabant, ut eminus ſpeculantibus non apparerent: quadrilongæ non amplius una feneſtra illuminatæ: imo pluribus ſola erat pro feneſtra janua. Sed quidam de Societate converſus quadraginta aut quinquaginta (c) ante annos, ad erigendum collegii templum advectus, calcis & laterum uſum docuit, quo cœptæ ſunt ædificari domus ex coctilibus & lapidibus (d), hodieque plures videris non una contignatione eminentes.

Duo alii converſi architectus & cæmentarius poſt perfectum collegii templum, Mercedariorum Eccleſiæ, Franciſcanorum, & Cathedralis propylæo dederunt operam. Et hæc, ajunt, ædificia non indecore in ampliſſima quaque Hiſpaniæ urbe ſtarent. Suſceperant deinde rogante Magiſtratu curialium ædium opus facultatibus impar, quod anno 1730. intermittendum fuit. Urbis nihilominus jam erat ſpecies altera: nec mirandum ſi aliter deinceps a viatoribus deſcribatur.

Cenſebantur hac tempeſtate XVI. mille capita, quorum tres quartas Æthiopes, Miſtindi, & Hybridæ æquaverint. Æthiopum, qui cæteris plures numero ſunt, labore vivunt Hiſpani, ſervilia dedignati. Recens etiam ex Hiſ-

(a) Urbs a SS. Trinitate, Portus a S. Maria dicitur hac etiam ætate, ut ſupra adnotatum eſt.

(b) Rivus, vulgo *el Riachuelo* non interfluit ut arcem dividat ab oppido, ſed præterfluit.

(c) Scribebantur hæc circa ann. 1750.

(d) Lapidem niſi advectitium non inveneris ullum ab eo littore. Calx vero coquitur ex conchyliis, terrave conchyliata paſſim etiam in mediterraneis effoſa. Hodie lapidum non nihil, & calcis lapideæ ex adverſo littore navi tranſvehitur.

Digitized by Google

Hiſpania profecti nobilitatem oſtentant, ſervitium horrent. Nec facilius Indos urbe & rure libere vagantes in ſervitium adduxeris (*a*); veterum ſcilicet ſervitutum exceſſus vel modici laboris ut pigeret fecit. Sunt circum Bonas Auras nonnulli pagi Commendis obnoxii. Eſt & indigenis ſuburbana parochia, cum Hiſpani omnes ſoli eccleſiæ cathedrali adſcripti ſint.

Clima & temporum vices.

Haud ita pridem urbana Bonis Auris acceſſerunt incrementa, quæ deinde referam. Situs de reliquo, & cœlum ad amplificandam urbem opportuna ſunt: & amplificabitur proculdubio, dum Paraguariæ, cui non alius eſt portus, major ſit frequentia, & incolis minor deſidia. Hyemis initium in menſem Junium cadit, veris in Septembrem, æſtatis in Decembrem, in Martium autumni. Quarum tempeſtatum vices ſtata & firma ſatis periodo recurrunt. Hyeme pluit ubertim, ſimul fulgurat & tonat nunquam non terrore ſummo. Solis ardor æſtate lenibus auris a mane medio flantibus temperatur. Tertia urbis pars viridantibus late campis dominatur. Reliquas flumen alluit, quod boream verſus (*b*) maris inſtar eſt horizonte ſolo circumſcripti. Piſcium copia magna eſt, eorum præſertim quos Hiſpani vocant *Pexerei*, quorum genus marinum ad oram Chilenam abundat.

Soli fœcunditas.

Fœcunditas agri aëris bonitati reſpondet, natura votis ad delicias obſecundante. Lignatio eſt rara, quod arbores large proventuræ non inſeruntur. Sed ſilveſcentes inſulæ fluminis alveum interpolantes ligna ſufficiunt. Sola perſpicua malus abundat, cujus fructus (*c*) eximiæ bonitatis, lignum vulgare, & plurimi uſus eſt (*d*). Vites nondum provenire viſæ ſunt, multo formicarum agmine gemmas, immo & radices corrodente (*e*).

S. Fr. Solani prædicatio.

Omnium diutiſſime tam ad Bonas Auras, quam in regionibus Paraguariæ nomine contentis, ſpiritualia ſubſidia, & Chriſtianorum cultui regulando, & infidelium converſioni neceſſaria deſiderata ſunt. Non aliud Carolus V. Prætoribus enixius commendare ſolitus erat, non aliud Philippus II., quam ut eccleſiaſticos & religioſos ad ſacrum miniſterium idoneos ſecum deferrent. Et Miſſionarii quidem, quorum primi Franciſcanum Ordinem profeſſi ſunt, nihil non tentarunt, ut tantorum principum vota ſecundarent. Plurimos Indorum baptizarunt; ſed frequentes exacerbatorum motus, ac domeſticæ turbæ, quæ coloniam ſexaginta annorum ſpatio agitaverunt, rei Chriſtianæ progreſſum remoratæ ſunt.

Felicior principio fuit Tucumaniæ ſors. Ut primum eo coloni deducti ſunt, ſubiit in Peruvio Miſſionarios expediendi cogitatio: nec diu poſt delatus eſt cum Fratrum ſuorum manu S. Franciſcus Solanus. Tucumaniam percurrit totam, in Chacum penetravit, & fructu qui zelo, miraculis, virtutibus, & ſupra humanas vires geſtis reſponderet, Evangelium diſſeminavit. Sed in Peruvium protinus revocati miſſio prætereunti nubi ſimilis fuit, qua fœcundatus ager in priſtinam brevi recidit ſterilitatem. P. Ludovicus Bolagnos Solani diſcipulus, cujus vita & mors ſanctitatem ſpirat, gregem Guaraniorum in eccleſiam coëgit, cujus & paſtor diu fuit. In eorum linguam catechiſmum, cujus deinde latius meminere, vertit. Sed ætate & valetudine affectum prælati revocarunt: nec ſors potuit de paſtore ſuæ diſciplinæ gregi providere, qui aliquot poſt annis curam Jeſuitarum ſortitus eſt, Paranaenſium & Uruguaicarum Reductionum, quarum mox incunabula videbimus, veluti germen. Venerabilis Bolagnos id nuntii moriturus accepit: quo e dolore ob ſolitudinem gregis in Chriſto chariſſimi præconcepto convaluit.

Status Religionis.

Præter hanc ægre confervatam oviariam res Chriſtiana in his provinciis præſentiſſima indigebat ope. Clerus ſæcularis una Hiſpanorum cura diſtentus & infrequens ſuſceptis erat laboribus impar. Pauciores Regulares Indos ſervituti obnoxios excolere non ſufficiebant, & fruſtra religionis cultum impendente dominatu, & pravorum exemplo præoccupatis, perſuadere nitebantur. Epiſcopi demum Paraguariæ & Tucumaniæ in triſtem iterandi clamores ad Regem, & vota ut operæ mitterentur, neceſſitatem redacti erant.

Jeſuitæ in Tucumaniam vocati.

Tucumania maxime hac tempeſtate deſtituta erat, oppidorum pluribus ne unum quidem ſacerdotem ſortitis, nec qui pueros erudiret, nec qui moribundis adſtaret ſacrorum adminiſter. Ill. D. Franciſcus de Victoria O. P. (*f*) hujus Epiſcopatus Antiſtes, cui decem annos præfuerat, ne unum quidem clericum, & vix ullum cœnobitam repe-

(*a*) Niſi equitando ſerviendum ſit; ſic enim & ad ſervitia, & ad fugam poſt anticipatam mercedem operæ abundant.

(*b*) Non ſolum ad boream, ſed quoquoverſum ſolo horizonte definitur flumen, ſi ex urbe ſpectetur. Aliquando, quod mireris, cœlo ſuperne nubilo, ſpectabilis eſt in littore adverſo Colonia Luſitanorum, quam claro cœlo non videris. Ac tunc pluviæ intra triduum futuræ expertis certum eſt ſignum.

(*c*) Duracinorum maxima eſt copia, aliunde invecta, non ſurculorum plantatione, ſed nucleorum ratione: & paſſim videris ex temere jactis oſſibus, *Careſo* vocant, ſilveſcentem monticellum.

(*d*) Maxime ad comburendum, ardetque viride æque atque aridum.

(*e*) Hæc Boniaeris deſcriptio ſumpta eſt ex P. Catani litteris memoratis, edita (Italice), & reddita Gallice cum Opuſculo Cl. Muratori *Il Criſtianeſimo Felice*.

(*f*) Erectus eſt Epiſcoparus Tucumanenſis 14. Maji 1570. Ill. Victoria fuit Epiſcopus ordine quartus Romæ renuntiatus 13. Januarii 1578. Primum appellat Theco, quod forte a tribus primis non eſt adita poſſeſſio *. Nec ante Victoriam erecta erat eccleſia, aut executioni mandata decreta erectio, quam ipſe perfecit 18. Octobr. anno 1578., litteris auctoritate apoſtolica datis Hiſpali in Cœnobio *Sanctæ Mariæ Virginis Angelorum*.

Digitized by Google

reperat Indorum linguæ peritum, eoque se redactum dolebat, ut infidelium conversioni nuntium remitteret. Tunc primum Jesuitæ Americæ inotescebant Hispanienſi, triginta & eo amplius ante annos in Brasiliam profecti, quam Josephus Ancheta sanctitatis odore, & splendore miraculorum compleverat. In Peruvium non ita pridem venerant; jam tamen utrobique innumeræ conversiones illorum ministerio factæ recensebantur: & fama vulgatum erat, novum Ordinem, cujus conditoris ortus in Novi Orbis a Colombo reperti tempus inciderat, cœlitus missum ut Christi regnum illac amplificaret.

Propterea Tucumaniæ Episcopus, ut in suam diœcesim quam posset plures ejus Ordinis pertraheret, obfirmatus est animo. Ad Anchetam, & ad Joannem Atienzam, illum Brasiliæ, hunc Peruvii Provincialem dat litteras, per viscera Christi rogans ne votis abnuant. Annuit uterque, & propinquior Atienza Franciscum de Angulo, & Alphonsum de Barcena in provincia Charcarum, ubi & Sancto Officio primus erat a commissis, distentos, protinus in Tucumaniam cum coadjutore Joanne Villegas, qui catechistam ageret, ire jubet.

Saltam veniunt. Saltam, quæ nullum post quatuor annos a fundatione sacerdotem viderat, anno 1586. ingressi sunt, accepti velut angeli de cœlo missi. Incolæ etiam vitæ licentia dissoluti nondum penitus, extinxerant conscientiæ flammas, conspectu, & maxime auditu virorum apostolicorum excitatas. Omnes peccatorum confessione, & sacrorum mysteriorum participatione, quorum privatio licentiam induxerat, expiati sunt, Patribus & Indis, quorum idioma callebant mediocriter, non minus satis factum est: pigebatque cedendum loco ubi tantæ messis spes erat. Sed ad S. Jacobi desideratis properandum erat. Esteco quinquaginta leucas distante iter habent, ubi & apud Hispanos & apud Indos, quorum plures a S. Francisco Solano baptizati erant, necessitati par spes fructus affulgebat. Non amplius mense datum Esteco est, Episcopo moras nectere per litteras prohibente. Ad suscipiendam certe salutis viam Christianos tum veteres, tum novos optime comparatos reliquerunt.

In S. Jacobi adventus. D. Joanni Ramirez de Velasco Tucumaniæ Prætori non minus atque Episcopo Patrum erat desiderium. Ingressuris per vias floribus stratas, & arcubus triumphalibus per intervalla concameratas, obviam procedit equo, nobilibus & milite stipatus Episcopus, qui solemnem gratiarum actionem indixerat, tenere lacrymabundus Patres amplectitur, prosternentes se ut bene precetur elevat, in ædem cathedralem supplicationum ritu ducit, ubi plurimam salutem dixit uni modestiæ gravem. *Te Deum* ipse præcinuit, succinendum a Clero, & apud se divertere & commorari jussit. Suscipiuntur aliquando viri apostolici ut Regis Regum ministri; crebrius ut Christi discipuli, quibus nunc inclamatum *hosanna*, deinde *tolle*, *tolle*, *crucifige*. Oportuit, novorum hominum & successorum oculis divinum hoc exemplar nunquam non obversari.

Urbanus labor. Quingentæ familiæ ea tempestate in S. Jacobi censebantur: magna in tota ditione Indorum copia, sedibus Hispanorum rure passim constitutis. Episcopo ecclesiastici non plures quinque, & nonnulli religiosi, quorum uteretur ope. Onus ipse portabat, sed majus quam ut vires supperterent. Ampla igitur Missionariis provincia cessit, quam totam toti susceperunt. Domesticis primum fidei excolendis dant operam, quorum exempla neophytis & infidelibus, quorum salus potissimum petebatur, prodesse aut obesse poterant. Per diem concionibus habendis & privatis sermonibus, audiendis pœnitentibus, morbidis sublevandis insudabant. Noctu subtrahebant quieti & somno quod absolvendo spiritualium exercitiorum penso opus erat. Audita secundis auribus excipiebant incolæ, consilia exquirebant, & corde docili sequebantur. Facies urbis immutata est, & diu noctuque canticis spiritualibus resonabat. Nec Episcopus labori parcebat; sed gaudium laborem superabat, & leniebat.

Missiones apud Indos. Et Indi suam vicem sortiti sunt. Angulus Qui choam linguam indigenis non penitus ignotam, Barcena vulgarem loquebatur. Hispanorum erga Patres veneratio & fiducia barbarorum conciliabat affectum, undique doctrinæ causa turmatim accurrentium: mirabanturque tot rebus gerendis esse pares. Post aliquod tempus voluit Angulus ut Barcena Estecum rediret, juvaretque parochum recens constitutum, & Indos Estechenses in quinquaginta pagos distributos, montibus imperviis, & paludibus disjunctos excoleret.

Monachus vagus & apostata ibi locorum comparuerat non ita pridem, & linguæ ignarus complures qui Christum non noverant, & sacrum characterem paganis superstitionibus & vitæ licentia dehonestare pergebant, baptizaverat. Primas his deberi curas Barcena ratus, novem mensium spatio pagos universos cum Villega percurrendo repurgavit, atque sena septenave paganorum millia doctrina & fervore dispositæ neophytorum albo conscripsit. Progredi meditantem revocat Episcopus Cordubam cum Angulo mittendum.

Supplementum e Brasilia. Hic fructus spe major. Urbana missione defuncti, plures ethnicos iteratis in viciniam excursionibus pepererant, cum e Brasilia supplementum adventare nuntiatum est, cujus causa Cordubam regrediuntur. Quinque solverant e Brasilia, Leonardus Arminius Italus & missionis rector, Joannes Salonius Valentiæ in Hispania natus, Thomas Filds Scotus, Stephanus Grao, & Emmanuel Ortega Lusitani, e quibus Ortega sub Ancheta vitæ apostolicæ duce meruerat.

Missorum offendiculum. Argentei Fluminis ostium ingressos anglica navis adoritur, & capit. Jesuitas navarchus indecenter habet, & opprobriis onustos in desertam insulam fame morituros deponi jubet. Mutato consilio in navim revocat ex antenna

suspen-

Digitized by Google

ſuſpendendos. Suas, quod verebantur, reculas rapina diſſipatas offendunt, & Anglum agnos ex cera ſacra ſubter foros demittentem, eos conculcare parantem, & Papam diris devoventem.

Divina ultio. Impium facinus Ortega non tulit. Hæreticum coercere nititur, ac dum hortatu nihil proficit, pedem apprehendit, deflectitque. Dum captus ſe contorquet ut expediat, tabulato caput impegit ſat leviter cruentatum. Turba nautarum in furorem acta totum Ortegam in mare projicit. Circum navem adnatat ille non imperitus: mox recipitur crudelius, ajebant, occidendus. Dum ſententias exquirunt, ſacrilegus quem ulciſcendum ſuſceperant, clamat, acerbiſſimo pedis agno impoſiti dolore cruciari ſe, in quo & apoſtema cum gangræna inventum eſt. De amputando crure deliberatur, ſed infecto ſanguine animam egit eadem die.

Dei erga miſſos providentia. Perſpicuum divinæ ultionis documentum Anglos exterruit. De occidendo Miſſionario objecta cogitatio, & in fretum Magellanicum paratur iter. Poſt dierum aliquot inediam cymbæ ſine remis, ſine velis, ſine commeatu imponuntur ſocii, jubente navarcho quo liberet ire. Sic pelago traditis naufragio vel fame pereundum erat; ſed ejus auſpiciis navigabant, cui venti & mare obediunt. Ad Bonas Auras cymba inviſibili manu perlata eſt, oppidum quod nondum proprio Epiſcopo donatum pro munere viſitabat Ill. Alphonſus Guerra Dominicanus, Epiſcopus Aſſumptionis.

Cordubam petunt. Contendit hic, ut in Paraguariæ caput ſecum convenirent, linguam in Braſilia comparatam apud Guaranios vulgarem eſſe, qua poſſent illico in ſalutem animarum uti. Sed objecto Præpoſiti mandato, Cordubam Tucumanorum ſe conferunt. Diſtat Corduba Bonis Auris centenis vigenis leucis, interjacentibus campis ea quidem tempeſtate inhabitatis. Iter infrequens nec ſatis notum vulgaribus confectum eſt vecturis, carris (*a*) videlicet cameratis, quos boves trahunt, quibus omnia ad victum neceſſaria imponenda ſunt, etiam aqua quæ præter lutulentam & paluſtrem ægre comparatur.

Duo de miſſis Braſiliam repetunt. Cordubæ primum Braſilianis innotuit ſuæ Societatis hominum in Tucumaniam adventus, ex ipſiſque Sociis innotuit: quo Arminius non progrediendum cenſuit. Novit ille, miſſorum ſupplementum facilius e Peruvio Tucumaniam habere poſſe quam e Braſilia, ubi de cætero plures requirebantur operæ, quam poſſet Luſitania ſufficere. Angulum etiam monuit, cum Hiſpanorum & Luſitanorum conventum forte Matrito, & Ulyſſiponi diſpliciturum, etſi utrumque regnum jam uni Philippo ſuberat: ſibi regredi certum eſſe, nolle tamen quempiam ad ſequendum cogi, & Grao ſolus ſecutus Arminium eſt. Reliquorum ſententia fuit, in tanta meſſis ubertate & maturitate expectandum novum a Provinciale mandatum: & mandatum hoc nunquam prodiit. Ortega Cordubæ cum Barcenam manet; cum cæteris Angulus in S. Jacobi proficiſcitur.

1588. Geſta Ortegæ & Barcenæ Cordubæ. Cum Hieronymus Ludovicus de Cabrera Cordubam condidit, Indorum XL. millia recenſita ſunt in ejus finibus, ſed brevi deſiderati colonorum cauſa. Paganorum animos conciliandi nulla cura. Mœror & labor immodicus plures confecerat, alios abegerat, nec in reliquis ullum erat momentum. Contineri & ſacra myſteria doceri poterant ſuavitate, & largitionum via; ſed hæc erat religioſorum paupertate præcluſa, tantummodo cum efferatis neceſſaria. Brevi vulgata ſanctitatis fama, mitis agendi ratio, charitas & zelus, largitionum vice defuncta deinde ſunt.

Hic etiam erant multi baptizati, nec dum ſatis inſtructi; Simul captebatur zeli ſpecies, & propagandæ fidei difficultates ſponte congerebantur. A miſſionariis ſupplendum fuit quod prius erat docendum; nec de Chriſtiana religione ex quorumvis Chriſtianorum moribus judicandum. Spem ſuperavit eventus. Cordubæ confinia catechumenorum & vere fidelium numerus implevit. Quibus una hyeme peractis, longius cœpta promovere cogitant. Pericula a ſterilitate regionis, a gentium feritate imminentia non morati cœlitus ſervati ſunt, prodigiis etiam juxta Chriſti promiſſum miſſionem ſecundata. Unum referam authoris non unius (*b*) teſtimonio & publica fama notum.

Miraculo ſervantur incolumes. Jam diu annonæ penuria laborabant, duodecim maizii granis in dies ſingulos contenti, nec erat humana ſpes opis reliquis exhauſtis ſufficiendæ. Barcona viribus minus potens egreſſus ab orando Ortegam jubet quippe ſuperior, miſſa poſt mediam noctem celebrata, ad comparandum victum ſe conferre in quoddam Hiſpanorum prædium, quod quidem quinquagenas diſtabat leucas. Tacitus obedit: equo vehitur vel per tranſverſa montium dorſa volanti ſimilis. Indorum turmas offendit, vultu minaces, ſed obſiſtere non auſas. Circa meridiem, dum paſcitur equus, obdormiſcit, & expergiſcitur cœleſti viſo refectus, ſomnio ſi lubet, ſed quo integras recepit vires: equum conſcendit, nec ita poſt in Hiſpani domum pervenit, horis undecim conſecto difficili dierum plurium itinere. Hæc celat Hiſpanum, qui nota adventus cauſa famulos cum neceſſario commeatu mittit ad Barcenam. Poſt eorum diſceſſum reditum parat Ortega, non tardius itu peractum. Commeatus vero quantumvis feſtinis vectoribus & expeditis, non ante dies duodecim perlatus eſt.

Quos

(*a*) Carrucis potius duarum rotarum, ingentis quidem molis, quam trahit duplex, aliquando triplex, & quadruplex boum par. Hac ætate convenire ſolent carri 30. 50. 80. & eo amplius. Si diu pluvia ceſſaverit, per adverſi Paranæ oram itur uſque ad Tertium amnem, aquationis videlicet cauſa. Si per medias planities (Pampas) via nondum trita ſit eundum, cœlo nubilo, acu magnetica opus ſit ad regendum iter, & aliquando adhibita eſſe fertur.

(*b*) Techo, l. 1. c. 30. P. Canot in M. S.

Digitized by Google

Quos cœlum tam mira protectione dignatur, quorum gesta miraculum quoddam majus sunt, a Deo cui famulantur, omnia sperare licet. Sed dum Christi regnum ad continentis fines promovere student, in S. Jacobi ab Episcopo revocantur, qui tot laborum conscius timuit ne si zelo remitteret habenas, oneri succumbentium jacturam faceret. Testatus Episcopatum sine Barcena dimissurum se, eum constituit Vicarium Generalem illimitatis facultatibus instructum. Eodem tempore Ortegam cum sociis Brasilianis mittit ad Indos Rubicundi accolas, qui Christo dedere se parati videbantur. Eos conducere Barcenæ datum est, quem visa Indorum multitudine, tanta spiritus apostolicus invasit vi, ut virium impos in S. Jacobi fuerit reducendus.

Jesuitæ apud Assumptionem.

Ejus discessu, quo indigenæ sermonis magistro tres apud Rubicundum reliqui utebantur, in angustias redacti sunt. Præpositum per litteras monent, rursus in Assumptionem a Diœcesano invitari se, guaranice gnaros non otiatum ire. Causa probata est Angulo, cujus venia Assumptionem petunt. Episcopus aberat, sed a Patre Dominicano Vicarii Generalis officio fungente, simili atque Angulus & Barcena ad S. Jacobi apparatu recepti sunt.

In hac provincia præter Guaranios nonnullos Franciscanorum excultos disciplina, par rerum divinarum ignoratio apud Indos, & morum improbitas major quam apud Tucumanos, sed etiam par audiendi solicitudo & docilitas: nec absimilis Hispanorum conditio. Utrisque data trium mensium opera reformati sunt. Inde ad orientales Guaranios vertitur cogitatio. Salonio apud Assumptionem reside, duo reliqui Paraguaim subeunt (*a*).

Ortega & Filds in Guaira.

Ad dextram centum & quinquaginta leucas citra primos Guaraniorum Guairam incolentium (*b*) pagos descendunt. Hæc provincia Reipublicæ sedes, quæ primas exhinc in hujus Operis argumento tenet, latius in antecessum describenda nobis est. Guaranii Paranam ad boream accolentes, nec longe diffiti ab iis, quos Alvar-Nugnus Capivachius a Sancta Catharina Assumptionem profectus obviam habuit, etiam littora fluviorum Paranam influentium occupabant. Et huic provinciæ *Guairà* nomen est. Pagos habitabant satis amplos, quorum Caciquii invicem independentes, & hæreditario principatu summo fungebantur imperio. Aliquando novus homo seu virtute, ut apud gentes fit belli quam domi potentiores, seu eloquio præstans & lingua, quæ juxta peritissimum Montojam nulli cognitarum inferior est, dominatum vendicabat. Expeditius videlicet loquentes, & virtutis bellicæ famam adepti, facile sibi familiarum gregem conciliabant, & Caciquii renuntiabantur. In posteros derivandæ dignitatis erat maxime, ut Caciquiorum agri cultus, sementis, & messis fieret a subditis, filias etiam amanti tradituris.

Guaranorum religio.

Mortui Caciquii vidua duci poterat a germano fratre; sed fiebat raro. Guairanis minus probabantur conjugia propinquorum: & christianismum amplexi etiam a gradibus facile dispensari solitis abhorrent. Uxores plures solis Caciquiis permittebantur. Ad religionem quod attinet, non plures uno Deos noverant. Quodsi præstigiatorum, quorum viventium mirati erant res gestas, ossa venerabantur, de divinitate non suberat cogitatio, quamquam cultus affinis erat idolis apud alias gentes reddito. Nulla de reliquo erga Deum unum sacrificia, nullum ad regulam exactum religionis opus.

Mores.

Annos ex hyeme computabant, & raro numerum sine errore ultra decem prorogabant. Tempus erat evigilandi, cum vergiliæ supra horizontem apparere cœperant. Tigridem & canem (*c*) in cœlo esse arbitrabantur, qui deficientes solem & lunam devorabant: quod summæ consternationis erat argumentum. Enixæ maritus quindecim jejunabat dies, venatu abstinebat, omniumque mortalium consuetudine & usu: cujus ritûs observationi addictam esse credebant recens nati incolumitatem. Quodam baptismi usebantur simulacro, quod non satis explicant. Sed nominis imponendi ritus gentis ferociam sapit. Dum quispiam bello captus erat mactandus, diu miserum saginabant, additis quot & quas amaret fœminis. Statis cæremoniis jugulati cadaver singuli percutiebant pugno vel fuste: quo tempore nomen non habentibus imponebatur. Discerpti cadaveris frustum unaquæque familia coquebat, & confecti minutalis cochlearium sorbebant adstantium singuli, pauxillo etiam ori lactentium immisso.

Peregre redeuntium plane exotica erat receptio. Viator ingressus mapale tacitus sedebat. Circum sedentem fœminæ tacitæ gyrabant aliquandiu: incompositis deinde lamentationibus stridebant, narrabantque quidquid funestum in absentis familia contigerat. Mares interea obvelato vultu, imo sono, eadem repetebant prolixius, brevius pro viatoris merito vel conditione. Laute denique habito multa reduci dicebatur salus. Mortuo marito uxor ab editiore loco se præcipitem dabat, reliquam victura vitam distorta & membris capta. Animam corpore expeditam non longe secedere, sed sepulcri comitem adesse credebant, & sæpe vacuum relinquebatur spatium, ut commodius haberet. Apud Christianorum primitias ægre id usus exolevit: ac deprehensæ aliquando Christianæ majorum sepulcrum adeuntes clam, & terram superpositam, ut esset animæ levior, cribrantes.

Nu-

(a) Fortasse Paraguaim adversum non subierunt, sed secundum descenderunt ad confluentem, ut Paranam subirent, quandoquidem orientem cogitabant.

(b) Sæpe *Guairani* appellantur; Hispanis *Guaireños*.

(c) Canem oportet fuisse, quem *ao* nominant, aut similem feram; canes enim proprios ante Hispanorum adventum non noverant Guairani saltem, etsi alicubi Americæ partium inventi fuisse dicantur.

Digitized by Google

Nubiles maritatæ cuipiam tradebantur, quæ dies octo inedia, labore, vigiliis eas exercebat, & quales essent futuræ experiebatur, Capite deinde radebantur, induebantur, ornabantur, & nuptui dicebantur idoneæ. Nec antea virum pati licebat.

Medici & præsagia. Nimium præsagiis concedebant Guaranii, nec aliud pluris stetit Missionariis, quam ut eam deponerent vanitatem. Hinc præstigiatorum qui & medicos agebant authoritas, eo major, quod ex avium cantu futura noscere, & vulgandæ sanitatis donum cœlitus accepisse crederentur. Sed pro medicamento non aliud quam fugebant morbidam partem, unde aliquid ori prius immissum extrahere simulabant, causam videlicet morbi. Sic saltem ægrotantium imaginationis malo medebantur. Ægris de cætero graves non erant. Si naturæ robur non addebant, nec extenuabant; si non sanabantur valetudine affecti, nec occidebantur.

Præstigiatoribus aliis majoris, si vera narrantur, periculi obnoxii erant Guaranii; veneficis scilicet, qui in cujuslibet vitam potestate gloriabantur. Et quia vi magica periisse complures persuasum erat, satis ad timendum nomen erat inimici, & ad moriendum sortilegos habere infestos. Horum quidam præstigiis facturum se jactabat, ut P. Montoya morte occumberet. Sed dum risu excipiuntur minæ, a suo dæmone vulgavit, monitum se, nihil in Christianorum sacerdotes posse.

Generalis de reliquo Guaranorum notio difficilis est, namque in diversa dispertiti loca, & sub dispare cœlo, mores proprios cum vulgaribus & contrariis facile commutabant. Ætate nihilominus de qua loquimur, omnes ingenio, & mentis acie valde limitati, magis minusve stupidi atque feroces, indolentes, otiosi, improvidi supra modum. Penitus ignorantes, de quorum antiquis traditionibus obscurissima narratione confusis nulla potest haberi ratio. De universali diluvio multus erat sermo; sed utebantur verbis magnam quampiam alluvionem significantibus. Campestres facili agricultura viventes, & escariis avibus mitiores erant, & fœcundiores. Cæteris vita erratica, bella, excursiones assiduæ, otiaque silvaticam addiderant feritatem.

Guairæ descriptio. Guaira, quam Indi colebant, de quibus hic sermo, & quo PP. Salonius (*a*) & Filds proficiscebantur, ad ortum Brasilia, ad boream silvosa quadam regione, aquatica, infrequenti, & parum cognita: ad meridiem Uruguaria: ad occasum Paraguaria definitur, Etsi Guairanos inter & Paraguaim plures interjacent gentes ut plurimum errantes. Tropicus Capricorni mediam secat latitudinem, Solum est humidum, climata varia, aer fere morbidus. Ager, præterquam in montibus, leguminum, radicum, mandiochæ, *Yeti* quod batatam sonat, maizii, & aliarum modico provenientium cultu plantarum satis ferax. Regio tota febriculosa, & plena colubris, viperis, & immanibus lacertis, seu crocodilis, quos appellant *Caiman* (*b*). Animantia, omnia fere in generali Paraguariæ descriptione memorata. Ultronei nascuntur fructus *guembé*, *granadiglia* (*c*), & dactyli oppido amari (*d*). Cedri vulgares sunt, & varii generis pinus, abietes, in quarum cavis mellis ac ceræ copia legitur, & ligna alia ad fabriles usus nata. Multis irrigatur Guaira fluviis, quorum præcipui post Paranam, quem reliqui subeunt, sunt Parana-pane, plures alios complexus, & Guibai, propter quem non longe a Parana condita primo fuit Villarica.

Lapides Guairani. Sunt in Guaira lapides, de quorum pretio aliquot annos invaluit opinio. Subter imam terram concrescunt intra durissimam crustam figuræ ovalis. Ad maturitatem perductis pari strepitu crusta crepare dicitur, atque tormentum exploditur. Tunc apparet lapis diaphanus & splendens, ut plurimum ruber, viridis aliquando, & violaceus. In tot figuras, & tam regulares secti sunt, ut opus esse naturæ difficile credas. Ast veri similitudine fallunt (*e*), nec majoris sunt pretii, quam qui in Leodiensi tractu vili habentur. Primi decepti sunt Hispani, quorum multi cedere domo cogitabant, ad portandos immani, ut spes erat, operæ pretio lapides id genus in Hispaniam. Ex eo plenam amethystis, carbunculis, smaragdis Paraguariam esse in vulgus Hispanicum sparsum est. Sed in errorem brevi depositum lapsi tantummodo fuerunt qui nimia rei festinatione properarunt (*f*).

Guaira arboribus abundat, ex quibus gummi balsamicum ad medendum utile distillat. Nec aliud authori meo (*g*) acceptum refero. Lusitanorum incursionibus e Brasilia, quibus

(a) Non Salonius sed Ortega; nam Salonius supra dicitur Assumptione resedisse.

(b) Indi *Jacaré* vocant.

(c) Granadiglia flos est passim obvius passionis dominicæ instrumentorum similitudinem quamdam referens, non fructus. Forte *granadiglia* accipitur pro *guaiába*, malo-granato non usque adeo simili, & mole minor.

(d) Sunt etiam ibi locorum dactyli dulces, & sapore vario.

(e) Lapides id genus in Uruguai littore conspicui sunt, longe a Guaira. Coloratos non vidi, sed chrystallinos, quibus si per vitri lamellam lineam ducas, ut adamante fit, vitrum cætera illæsum bifariam diviseris.

(f) Supra Montevideum in littoralibus adversi amnis a *Santa Lucia* constat satis, lapides non tantum visu pretiosos reperiri, sed minimo apud Hispanos usu. Topazios appellant; sed specimen quod apud Vicarium ibi Episcopalem vidimus, potius amethystum refert quam topazium.

(g) Techo l. 3. c. 30. * Hoc gummi balsamum ipsum brasilianum est, vulgo *copaig*, alias *copau*, & *copaiva*, notæ apud botanicos naturæ, & apud Canonistas. Ad austrum Guairæ in *Montegrandi* citra Uruguaim vulgare est, & a transeuntibus odore percipitur: quod expertus refert D. Franciscus Graell in Diario M. S. *Belli Guaranici*. In aliis Missionum locis etiam nascitur copaig arbor, minus tamen gummata, nec alterius quod sciam usus a supra memorato de Herba Lauretana.

Digitized by Google

bus Hiſpani Villarica & Civitate-Regia cedere coacti ſunt, factum eſt ut & rerum naturalium examen intermitteretur (*a*). *Guembé* ſupra recenſitum eſt fructus oblongus, utrimque cuſpidatus palmi latitudine (*b*), flavis granulis abundans, dulciſſimo ſapore, ſi tantum ſugas. Si tamen acinos dente contriveris, intolerandæ acritudinis ſucco guttur aſpergitur. Planta, qua naſcitur, hederæ inſtar truncis adhærere videtur, & in ſummam altitudinem aſcendit. Addunt, ſi putrido cortice granum excipiatur, naſci capillamenta, quæ in terram uſque demiſſa plantam ejuſdem formæ producunt. Dactylos ejus regionis dixi eſſe amariſſimos. Ex his confici vinum dicitur, & ad alimoniam valde utile pulmentum. Palma dactylorum ferax magnum viatorum inopiæ levamen, & ejus medulla cibus eſt ſuculentus. Aper, quod aliis Paraguariæ locis commune eſt, umbilicum habet ſupra dorſum; neſcio tamen an alibi, quod hic, obſervatum ſit, recidendum ſimul atque fera occiditur, ne ſubita corruptio in totum corpus diffundatur. Obſervatum etiam eſt, mel hujus regionis egregiæ bonitatis eſſe; ceræ tamen dealbandæ ratio uſque adhuc latet.

Hæc eſt regio, cui Ortega & Filds Chriſtum annuntiare ſuſceperunt. Civitatem Regiam primum ingreſſis innotuit, jam diu eſſe a quo nullus ibi conſpectus erat ſacerdos. Hinc pluribus inane Chriſtiani nomen. Erudiendis & expiandis dato menſe Villaricam accedunt, inopia parem & laborum fructu. Inde in Indorum pagos, præcipuum miſſionis ſcopum excurrunt, errantes Guaranios per ſilvas & montana ſecuti. Poſt plures fœcundi laboris menſes Aſſumptionem ex præpoſiti Salonii præſcripto repetunt: ajuntque viſos Indos bis centum mille regno Dei finitimos.

Aſſumptione peſtis.

Peſtilentia eo tempore provinciæ caput depopulata, in rura majore ſtrage ſuccedit. Calamitates id genus, Dei punientis ut ſervet miniſtris metendi tempeſtas ſunt. Miſſionarii in commune ſolatium effuſi quo major neceſſitas vocat accurrunt, virtute mittentis quaſi multiplicati, nam brevi temporis intervallo in diſtantibus apparebant locis. Nemo fere non confeſſus diem ſupremum obiit. Et Indorum ſex mille novem menſium ſpatio morituri baptizati ſunt.

Suſcepta Indorum pagi converſio.

Contagio Braſiliam verſus propagato, monitus eſt Ortega, triginta ultra Villaricam leucis Indos quoſdam olim baptizatos, ſed baptiſmo quid ſubeſſet ignaros, & Hiſpanis infeſtos errare. Eos convenit, docet, & baptiſmo imminentia explicat debita. Inde Villaricam ſe confert, a cujus præfecto novum conſilium ſuggeritur. Oppido propinquus Indorum pagus conciliandus erat: nec ex ſententia ceſſurum merito judicatum eſt, niſi converteretur ad fidem. Conſilium probat Miſſionarius, & ad exequendum præfecto comite ſe accingit. Quatuor centum paganorum converſio brevi ſpatio perfecta ſpem auget. Sed martyrii palma ſperati fructus vicem tantum non ſubiit.

In ejus & præfecti caput clam conjuraverant pagani. Nocte executioni proxima pervigil Ortega cubitu ſurgit, & pagum circumit. In obvium mapale audito rumore propius accedit, ac de conjuratorum conſilio fit conſcius. Præfectum monet, & ex condicto ſub lucem loco cedunt. Conjurati deluſi iras in Indos de præfecti comitatu reſides effundunt, & nondum digreſſos interficiunt.

1590. Sedes miſſorum apud Villaricam.

Ortega cum Filds, quem Villaricam ingreſſus obvium habuit a Salonio miſſum, iter Aſſumptionem parabat, cum oppidanos conſternatos eſſe animadvertit. Adeſt continuo Hiſpanorum turba, qui obortis lacrymis ajunt: „Si animas, Patres, ſalvandas quæritis, ubinam locorum reperietis potius diſpoſitas, plus veſtra opera indigentes?“ Major fuit neophytorum dolor. Proſtrati & Patrum genua complexi obſecrant, ne in Chriſto filios abjiciant. Mandatum Superioris opponentes, petentibus concedunt, nuntii ad Salonium mittendi reditum expectaturos ſe. Acquievit ille piorum deſiderio: nec mora domus & ſacellum extruitur, connitentibus miſſionariis, cum ad inſtaurandum morum puritatem, tum ad Chriſti ovile amplificandum.

Calchaquii deſectio.

Æque gratus atque utilis fuit Salonii Aſſumptione labor. Quo tempore rebellantibus Calchaquiis, innotuit, Miſſionarios opportunam & propagandæ religioni, & aſſerendæ provinciarum ſecuritati operam præſtare. Duæ Calchaquiorum nationes in hac continente notæ ſunt, loco diſſitæ, ſed proculdubio origine una, quæ diu intra Peruanos montes ad Saltæ occidentem vallem occupavit hodiedum appellatam *de Calchaqui*. Perdiu Hiſpanis infeſtam tandem anno 1565. Alphonſus Mercado de Villacorta Tucumaniæ ſecundùm Prætor disjecit, & pars circa Bonas Auras, ubi manet poſteritas, ſe recepit.

Reliqui ad Chaqui confinia translati in commendas diſtributi, & ſervitii perſonalis impatientes rebellarunt: & ex montanis quo fugerant, ſedes Hiſpanorum infeſtabant. Eos D. Joannes Ramirez de Velaſco Alphonſi ſucceſſor ſubjugare, ſaltem ad pacem compellere contendit, Barcena ſpe profugos in Chriſti fidem reci-

(*a*) Rerum naturalium examen intermiſſum etiam eſt, vel prætermiſſum ubi nulla fuit Luſitanorum incurſio. Aliud igitur in cauſa meditari oportet.

(*b*) *Guembé* fructus maizii ſpicæ ſimilior, ſed blandior quo maturior, contra quod maizio contingit: ſuccoſis accinis conſtat, quorum pulpa granum duriuſculum & mordax contegit, quod dente contritum ciet lacrymas: niſi dente conteratur, impune fugitur cum pulpa lene purgativum. Arbor eſt inverſa in ſummis aliarum arborum ramis radices agens, & creſcens deorſum. Naſci vero creditur ex paſſerculorum ſimo acinos, quos glutiverant, venia ſit verbo, cacantium: neque enim aliud apparet, unde naſcantur. Sed & *Iſica* planta naſcitur in rupium & arborum convexo, certe non ſtercorato.

Digitized by Google

recipiendi, rogatus prodeunti in aciem vix integrata valetudine comes additur.

Prætor locorum non ſatis peritus montium fauces ab hoſte munitas ingreſſus, in extremum ſe & copias diſcrimen conjecit, quod avertendum ſuſcepit Barcena. Solus barbaros convenit: & quamquam viam obſtruere tentarunt, montium culmina ſubiit. Audax cœptum barbaros ſtupefecit. Accedit propius, & habitus ſermoniſque ſuavitate conciliatis facile perſuaſit, ut cum Hiſpanis pacem colerent.

Calchaquiorum diſpoſitio & indoles.

Apud eos commoratus ferocitate & ebrioſitate obſtinatos invenit. Sed vir apoſtolicus Deo fretus cordium dominatore, ſpem de ſincera ad Chriſtum converſione non abjecit. Plures quidem hortantem venerati pronis auribus verba ſalutis excipiunt; ſed nondum baptiſmo maturi viſi ſunt. Spes erat, tamen, germinaturum doinceps Evangelii ſemen in arvis Chriſtianiſmo conciliatis fœdere. Interea meſſis alibi maturior Miſſionarium invitat. Calchaquii non diu valle nativa exulaſſe videntur, quam deinde inſediſſe narrabimus.

Lulles, qui?

Propinquiores regno Dei cenſuit Barcena Lulles, quos Lozanus in Chaquo conſtituit, locum non deſignat. Parvos & Magnos dividit, nec quid diſtet inter utroſque docet. Ait, Lullium plures eſſe tribus habentes nomina quamque ſuum. Omnes ad fidem converſi a Sancto Franciſco Solano dicuntur: ac de vicinis Eſteco certum eſt, baptizatos Hiſpanis deditionem ſui feciſſe. Sed perſonali ſervitio a Commendatariis gravatos in ſilvas confugiſſe, ab Apoſtolo Chaqui extrahendos. Id tempore quo procedit Hiſtoria, recens contigerat, quandoquidem Sanctus ille poſt annos viginti diem ſupremum obiit in Peruvio.

Præſtanti corporis habitu ſunt Lulles, hilares ingenio, quos injuriarum facile capit oblivio. Mens inops, deducendæ ratiocinationis incapax. Idioma mutum de rebus extra ſenſuum captum conſtitutis. Diffidentia primas tenet poſt ebrietatem. Ab exteris omnia cavent: ſibi invicem omnia credunt. De levitate dictum ægre conciliaveris cum adjuncto, diuturna ſimulatione tempus & locum vindictæ opportunum rimari. Facilius conceperis, eſſe hominum avidiſſimos, & ingratiſſimos; blanditiarum prodigos dum ſperant, & qui benefacta pro debitis habent.

Chriſtiani traditam doctrinam & legem oblivione contrivenant, neque illum ſupererat Chriſtianiſmi veſtigium. De aſtris & naturæ phænomenis opinamenta, inſulſa ſomnia ſunt nullo jugata nexu. Præter variollas morbos omnes attribuunt invisibili animanti, ſeu genio, nomine *Ajaqua*, ſagittas in partem corporis læſam ejaculanti. Medici Ajaquæ conſuetudine & uſu gloriantur, & horum impoſtorum fidei ſe totos credunt barbari. De puero parotide laborante rogatus a P. Antonio Machoni, qui ſtrenuam hac ætate Lullibus convertendis navavit operam, reſpondit genitor, totam clamoribus inſomnem egiſſe noctem, addidiqueæ: „ Summum oportuit fuiſſe dolorem, nam habet auriculam Ajaquæ ſagittis horridam. “ Nec potuit Miſſionarius deliramento mederi. Loquentem ut mederetur, interpellavit ſenex adſtans: „ Fruſtra verba feceris ad nihil intelligentes. “

Dœmonibus, quorum ideam habent, cultus ut a gente ſtupidiſſima defertur: nec virtutes in barbaris requiras uſque adeo bardis. Vel quas natura reliquis hominibus inſpirat, ignorant. Quodſi nonnulla bona ſemina pullulant, inſtinctus potius ſit, quam rationis opus, maxime ubi deſunt quæ vel animantibus ſunt propria. Vidit aliquando Miſſionarius, cum fœmina Chriſtiana filiolum ſepeliendum vehi. Cauſam exquirenti, reſpondent, non reperiendam quæ nutricem agere velit. Nec offerenti fuit, quæ morem gereret, & lacte caprino nutriendus fuit. Illud eſt mirandum magis, innocentis miſericordia non motas catellos ſuapte ſponte lactare.

Gens ejus naturæ, niſi per gratiam corrigatur, inſociabilis eſt: neque noverant Lulles ſocietatis commoda. Per familias ſeorſim habitabant, quidquid dependentiam redolet aſpernati. Ad bella manus conferebant dynaſtarum ductu. Dominabantur de cætero quiſque ſibi: nulla patrifamilias authoritas, nulla marito. Temere conjux a conjuge diſſidebat; neutri parebat proles. Vulgaris proſtitutio, vulgaris abortio. Adoleſcentulæ ſceleris partu ſuffocato maritus non deerat. Nempe generalis erat exoticæ gentis diſſolutio a teneris unguiculis conſueta.

Si Lulles ad tuendam ſolum libertatem, neminem adorti, conſpirabant, imperii prorogandi non eſſe avidos, pronum ad fidem eſt. Ad duas nihilominus conveniunt ferias, quarum primæ *Diaboli cœtus* nomen eſt. Quod in utraque fit, mores ſapit beſtiarum. Deſcribuntur a Lozano, quâ narratione hiſtoriam gravare non juvat. Pluribus anni menſibus, aqua niſi e cœlo carent: cujus ſupplementum pepones ſunt magna copia ſati, & aquoſa radix *jacol*, carne alba, ſapore non ingrato, illis quidem.

Prædicationis obſtaculum.

Hi ſunt quos Barcena, quod plures jam erant Chriſtiani, convertendos ad fidem ſperabat. Inſudabat operi, cum ineunte anno 1590. adſunt e Peruvio PP. Joannes Baptiſta Agnaſco, & Joannes Fonte, hic Miſſionis ſuperior, ille Barcenæ laborum futurus comes. Cum Agnaſcus ad Lulles parabat iter, vulgatum eſt, barbaros in Miſſionarii caput conjuraſſe, cujus de cætero vires in dies extenuabantur. Revocatus ergo in Tucumaniam gravate licet obedit, & ad S. Michaëlis reſidere juſſus eſt. Superior cum prædeceſſore Angulo apud Rubrum amnem in Conceptionis ditione locum ſibi delegit.

Ad Prontones Miſſio.

De hac miſſione conſilium ſuſceperat Præfectus D. Alphonſus de Vera, ut videlicet circum eam urbem quam poſſent plurimi Chaquo barbari cogerentur in pagos ad fidem erudiendi. Præſtans inceptum, quo perfecto jam toti fere Chaquo evangelicus fulgor illuxiſſet.

Digitized by Google

Sed operarum primum inopia, deinde pravo veterum Christianorum exemplo, sævitia & cupiditate, invito authore, factum est ut evanesceret. Conceptiopoli proximi erant *Frontones*, sic a fronte usu capillos vellendi prorogata nominati. Nudi, picti & toto corpore puncti, arma, scilicet clavam & pharetram cingulo suspendunt. Arcum nunquam non pro manibus gestant, & contum piscium maxillis munitum. Vagabundi nullo terram exercent cultu, sed piscatu & venatione cibantur. Perpetua bella inter se gerunt; nam *Frontones* nomen est gentibus invicem adversis commune. Omnium mitissimi Mataraæ sunt, in quos primum oculos conjecerat Præfectus religioni conciliandos; maxime quod plures baptizati jam erant, forte a S. Francisco Solano, vel ejus apostolatûs sociorum aliquo, sed modica supererant christianismi vestigia.

Inceptum evanescit.

D. Alphonsus de Vera benigne Missionarios excepit. Sed cum Mataraës vellet protinus Christianos, Fontium rogat, ut Agnascum & Barcenam in operæ societatem venire jubeat. Ægre sed aliquando a Prætore dimissi, mirum quot animas in Christi fidem receperint infra spatium anni comparando idiomati ex parte datum. Dum in barbariem intimam penetrare parant, monent Hispani, eas gentes hostiles animos gerere: quo de Sociis solos Agnascum & Barcenam progressuros constitutum est, quibus invitis additum est exitu infausto præsidium militare, duce Francisco de Vera Alphonsi germano fratre.

Ad Corrientes cura vertitur.

Magosnæ, quibus nulla Frontonum tribus magis inquieta & vitiosa est, astu Hispanos adorti cunctos cum duce interfecerunt. Præfectus fratris mortem ulturus arma movet: quare desperato cœptorum exitu, alio Missionarii conversi sunt. Post excursiones varias circum Conceptiopolim institutas, transmisso Flumine Argenteo ad *Corrientes* urbem a *S. Joanne*, recens conditam infra confluentem Paraguais & Paranæ se contulerunt, ab Hispanis & Indis vocati: ubi laborum fructus conceptum de Frontonum jactura dolorem mitigavit.

1593. Missorum supplementum.

Interea Sodalitii præpositus in Peruvio, revocato Limam Fontio, Paraguariæ Missioni præficit Joannem de Romero, additis Gaspare Monroi, Joanne Vianna, & Marcello de Lorenzana. Cessit illico novus Superior prædio circa Saltam prædecessori ad levandam Missionariûm inopiam legato. Cessit verò, & quia Socios numero paucos certo affigi loco legati causa non oportebat, & ne servitium personale Indorum, quo erat utendum, probari videretur. In opportuniora deinde loca operas distribuit. Assumptionem designat Barcenæ & Lorenzanæ, Fida & Ortega inter Guaranios relictis. Angulo & Vianæ Jacobopolim, Agnasco & Monroi missionem obeundam apud Omaguacas Peruvio & Tucumaniæ confines. Ipse sibi quo miser ferret necessitas discurrendi libertatem vendicavit.

Omaguacæ, qui?

Omaguacarum gens effera a fide Evangelio & Hispano dato defecerat, missos mactaverat, & Hispanorum obvium quemque. Xuxuim bis exciderat, & assiduis annorum triginta incursionibus eam Tucumaniæ partem vastaverat. Xuxui tertium instauratur.

Prætor Xuxuim instaurare & munire constituit, torrenti vallum. Rem perfecit Franciscus Argañaraz, qui extructa munitione Omaguacas insecutus exterruit, viam Missionariis stravit, & provinciæ finibus illac & a Chaquo tranquillitatem restituit. Sed Missionarios non ante biennium, quo Agnascus abi distentus fuit, expediri licuit.

Barcena & Lorenzana vix Assumptionem pervenerant, cum Paraguaim subeunt, missioni sedem ad boream quam posset longissime constitutum Quadrimestre fuit iter magno Indorum desiderio ubique acceptis. In urbem reduces cœpta promovere parant; sed obstitit Romerus casu conveniens. Barcena & Lorenzana Paraguaim subeunt.

Ad experiendum qua res Christiana posset amplificari eo devenerat Superior brevi discessurus; sed moras præter opinionem trahere oportuit. Quidquid salutis animarum causa suscepit, prospere cessit, illud maxime quod Generali Vicario sede vacante & Clero reconciliatis imminentis occasionem scandali præcidit. Ad Guaraniorum pagos suburbanos excursione facta, Indorum animos sic conciliavit, ut sinceriſſimis discedentem æstimationis & fiduciæ documentis prosequuti sint. Tunc Principes & Magistratus sedem operariis constituendam judicarunt, quorum temporariis excursionibus usque adeo profecerat religio & pietas. Collegium conditur.

Rei summa in consilium clam Patribus adhibita, litteras ad Regem, ad Præpositum Societatis, ad Provincialem Peruanum de erigendo collegio dandas decretum est. Quin etiam certa respondendum ex voto Civitas, aream illico domui & templo excitandis sumptu publico comparavit. A Romero reluctante licet, & factum præmaturum improbante, præsumpto Regis & majorum beneplacito acceptandum fuit. Manus operi confestim adhibetur etiam ab illustrioribus fœminis collata. Romero laborem & sumptus moderari volenti respondent, pro Christo nihil nimium esse posse. Domus tandem ad culmen anno 1595. perducta est, & in templo nondum perfecto repositum, decenter tamen, Venerabile Sacramentum.

Religionis status in Guaira.

Hispanorum animos Jesuitis maxime conciliabat facilitas barbapos, a quibus nunquam non erat timendum, contemni. Et Indis etiam spes erat, hominum ejus authoritatis & gratiæ suasionibus mitius secum Hispanos actum ire. Id certe Hispanorum intererat, & rerum gestarum experientia docet, coloniæ firmitatem una Indorum benevolentia stare posse; Sed cupiditate decepti, quos tot laudibus cumulaverant, odisse cœperunt, nimium pro indigenis solicitos arbitrati; immemores hac solum arte sæpe hostes infensissimos exarmatos esse.

Monroi apud Omaguacas.

Dum hæc Assumptione gerebantur, Monroi ad Omaguacas tandem cum adjutore Joanne de

de Tolèdo pervenit. Placide a barbaris excepti & auditi sunt. Quinque pagi fidei doctrinam expetunt: nec ita multo post sexcenta capita baptismi lavatro deduntur. Obstitere quidam; sed rebellium exemplo & pœna Deo providente coërciti. Nec jam Missionarius cum catechista instruendis ad baptismum volentibus paganis par erat. Sola desiderabatur, ut Christo tota subderetur gens, unius de ducibus *Piltipica* nomine conversio. Ardebat ille Hispanorum odio, quibus acceptorum opinione sua malorum vicem multo cum fœnore rependerat.

Dynastæ conversio. Baptismi puritatem ab infante suscepti vitæ licentia, amore vindictæ, & veræ religionis odio fœdaverat. Quocumque furore duceretur, sacerdotes, templa, & Hispanorum villas devastaverat. Necessaria hujus deditio, ut tota Omaguacarum gens Christo nomen daret, visa est Monrojo, qui evangelica fiducia munitus remotis arbitris Piltipiconem convenit, cui ait, non invitum se ejus salutis amore caput exponere. Addidit: Inermem occidere indecorum est. Si præterquam spero vis audire me, totus in tuam utilitatem sermo concedet. Si me interfeceris, immortalis laurea me manet apud Deum.

Pax Hispanorum cum barbaris. Sermone Piltipicon non tam motus fuit, quam admiratione suspensus; verum admiratio ferocitatem coercuit. Quin etiam Monrojo potum a fœminis ex maizio dentibus molito confici solitum propinavit: qui a Missionario, stomacho licet ad vomitum vehementer concitato, & tacite nauseante, delibandus impigre fuit. Veniam deinde, & commeatum ad progrediendum & prædicandum petit: quod libenter a barbaro datum est. Eadem ubique docilitas, fructus idem. Ad Piltipiconem regressus, ut cum Hispanis pacem coleret perfecit; & pacta ad Tucumaniæ Prætorem detulit approbanda & subscribenda.

Pax auctat. Magnopere hic nuntius in tota provincia commendatus est; sed Missionarium angebat desperata fere hominis reconciliatio cum Deo, & intercluſa totius gentis conversio. Rumor etiam invaluit, Piltipiconem abjurata pace cum Caciquio altero, & ipso Christianæ fidei desertore, in tertium Xuxuis excidium conjurasse. Temere vulgatum; sed loci præfectus cavendum sibi ratus, attractum arte Caciquium utrumque in custodiam tradit.

Totius gentis conversio. Ad acerbandos implacabilius Omaguacas, satis hoc erat; sed per Agnascum, qui forte aderat, & Monrojum qui monitus accurrit, malo imminenti obviatum est. Fœdus deinde rite instauratum Caciquiorum & totius gentis conversione solidatur. Tunc Missionarii adversus seductionem a vicinis imminentem transmigratione præmuniendos arbitrati sunt; quod facilius opinione cessit. Intra Tucumaniæ fines sub ecclesiastici illorum linguæ satis periti cura constituti sunt (*a*).

Cura prohibitum fuisse Monrojum alterius Socii jactura, in cujus locum solus ipse substitui poterat, simile vero est. Barcenam ætate gravem & valetudine, nec a labore temperantem, Cuzcum revocat Provincialis. Obedientia lucrum peperit, quo prorogatæ vitæ sanctitudo coronata est. Postremum e Peruanorum Ingarum stirpe ægrotantem principem (*b*) convenit Barcena, dum pervenit Cuzcum. Eum de Christianorum Deo mira spiritus unctione & efficacia alloquitur, conciliat, instruit, & post baptismum sustinet morientem, & Deo gratias agentem pro sperato regno, quo paternum ab Hispanis occupatum multo inferius reputabat. Paradisum subeuntem prope sequitur Barcena, & post biennium Salonius Assumptione cadens victima charitatis. Postremus Ingarum christianus obit.

Horum jactura protinus reparata est; sed operarum copiam superabat provinciæ necessitas. Guaira maxime, attractis per Fildsium & Ortegam in ovile Christi paganorum turmis, patebat Evangelio. Labor humanis viribus impar, & una post infideles excurrendi necessitas ad minus ardentem charitatis zelum extinguendum satis erat. Præ manibus est ad Societatis Præpositum per fide dignum testem, cujus gesta deinde memorabo (*c*), scripta narratio. Illud hic ex ea juvat excerpere. 1599. Ortegæ casus.

Neophytorum manu stipatus Ortega campum duo interjacentem fluenta, quorum alterum Paraguaim, alterum Paranam adlabitur, transmittebat. Utrumque subito intumuit, ut planities tota pelagi referret similitudinem. Nihil ibi locorum, ajunt, improvisis hujusmodi inundationibus frequentius. Imperterritus Missionarius putat, emersurum se pedibus: quod alias fecerat ad renes immersus. Sed vestigium fallente solo, arborem conscendit. Imitantur neophyti; sed dum incauti minus proceras arripiunt, fluitare cœperunt. Ortega cum catechista cautior, feliciorve tutus erat, sed in discrimine adnatantium clamoribus angebatur.

Aquis usque turgentibus, fame vel casu viatoribus cibo & ope destitutis pereundum erat: quod dum Missionarius animo volvit, turbo multo cum tonitru, & stridenti vento supervenit, pavoris incrementum. Ad hæc tigrides, leones, aliæque silvarum feræ, imo & viperæ & angues inundatione correptæ summam aquam supernatant. Reptile magnæ molis arbori adhæsit, cui insidebat Ortega, qui se prope devoratum credit, sed ramo pondere

(a) Extat hodie Indorum pagus ad Xurui boream nomine *Omaguaca*, alias *Humaguaca*, fere sub tropico.

(b) *Sairi-Tupac* filius *Manco-Capacis*, *Huascaris* & *Atabuallpa* patruelis, connitente matre *Mama-Cusa*, a baptismo Beatrice, jus imperii ad Philippum II. detulit, Cuzcum tenuit, ac deinde Jucaim, ubi post triennium a cessione, recens a baptismo, quo nomen *Didacus* accepit, postremum diem obiit, relicta filia nupta Martino Garciæ Oñez de Lojola.

(c) P. Mastrilli.

dere fraude in aquam recidit, & alio vertitur monstrum.

Biduum jam mortem inter & vitam viatores exegerant, nec aqua, nec alluvio desidebat, cum circa mediam noctem per fulgura videt Indum adnatantem Ortega, nec alio lumine ducebatur ille. Cum eo pervenit ut audiri posse crederet, exclamat tres catechumenos & aegros Christianos in summo periculo morituros petere illos baptismum, hos absolutionem. Nihil moratus Apostolicus vir catechistam viribus deficientem ligat, confitentem audit, & fluctibus post Indum compellantem se tradit. Trans ramosas arbores & spinis horridas, quarum una in femur penetravit, venit primum ad catechumenos brachiis suspensos: baptizatos videt cadere, & mersos deflet.

Ad neophytes contendit: poenitentes absolvit, nec ita post e tribus duo desiderantur. Ad suam regressus stationem, catechistam reperit humero tenus immersum: exsolvit, juvat ut altius ascendat. Eo die desidere coepit aqua. Ut vestigia figere potuit, ad visitandos superstites se accingit, sed femore nondum revulsa spina intumescente cohibetur. Villariam portandus fuit, sero tamen ad plagae curationem, & duos supra viginti annos dirus dolor cum vita prorogatus est. Ministeria nihilominus confestim repetit, Assumptionem cum socio vocatus, ubi Lorenzana vires suscepta munera superabant.

Sedes Cordubensis. Interea Sanctaefidensibus Hispanis & Indis suae quam sasquianno praestiterat operam Missionis praefectus. Et Hispani quidem domum ad residendum offerunt. Sed quamquam anno sequenti Missionum e Peruvio supplementorum advenit, ne unum quidem sortiti sunt. Superiori ad Tucumaniam novis Missionariis obviam profectus, obtinendam Cordubae cum Joanne Ibario Italo, & Coadjutore Joanne Rodriguez Missionem ipse in se recepit. Frigide ob hominum de Sociis opinionem accepta est. Sed ut primum Missio instituta fuit, domum ad habitandum, & sacellum loco satis commodo cives offerunt. Mox cum sacellum accurrentis populi frequentiam non caperet, Magistratus ampliorem templi fundamenta locari jussit.

Dum promovetur opus, Romerus cum Solito ad Indos per Barcenam & Ortegam visitatos, ac deinde spirituali ope destitutos diverit. Multi a baptismo innocui Patrum adventum exoptabant, & lavacrum suscipiunt. De Cordubensis Ecclesiae, qua & ipsi uti possent, fabrica certiores facti, materiam se congestum ire pollicentur: quo brevi perfectum est opus.

1600. Missio ad Diaguitas. Romerus Cordubam regressus ad amnem jam dum Diaguitis Tucumaniae (a) fines ad austrum incolentibus Evangelium cum Monrojo proficiscitur. Animos Diaguitarum, qui finitimis gentibus temperantiores a potu sunt, Jesuitis conciliaverat opinio, subjugandis Indis imponsum adlaborare. Hac opinione fretus vir nobilis Joannes de Abreu Cordubensis colonus, natus emerito Tucumaniae praetore, facile eiurandos sibi persuaserat, & eos cum Societatis hominibus frequentavit. Missionariis neque lingua, neque locorum satis peritis gratum accidit exhibitorum ducis & interpretis officium.

Principium prosperae cessit, & ubique pronis auribus & animis auditi & accepti sunt. Pulcher tamen pagus, in quo deinde non nihil adversi contigit. Cadente gratissimae receptionis die, barbarorum turba comparuit hostili apparatu, vultu minasi. Obviam prodit Romerus securitatem prae se ferens, & mortis contemptum, imperatque ut Deo, cujus erat praeco, obsequium a creaturarum universitate debitum praestent. Loquentem interpellat furentium furus, tantum Diaguitarum dedecus, ut Hispanorum Deum procacium more capite denudent, non passurum se; gentem velle situ majorum vivere. His dictis retrocessit, injecto Missionariis & conductori seditionis metu in interitum sui desturae. Sed ad multam noctem oratione prorogata, adest mane inopinato hostis rabula, & supplex noxam deprecatur. Addidit, liquore sibi insolito perturbatum, culpam se & suos in posterum docilitate expiaturos. Periculo liberantur.

Fidem liberavit, & Diaguitae plus mille in alius pagi incolae Christo dedere nomen. In remotioribus aliis quatuor messis uberior ne unum quidem idololatram reliquum fecit. Solem adorabant, avium litabant plumas, quas deinde domum volucres animantium sanguine identidem aspergebant. Cacicjorum animas in plantas, reliquorum in gregales stellas transformari credebant post funus. Templa Soli dicabant, quae Romero suadente crucibus substitutis demoliti sunt. Sed spem laetissimam Saltae regius locumtenens tumultu non subvenit praecipite consilio. Diaguitarum religio, & conversorum numerus.

Fortuna Pastore mandatum erat, ut omnes Indi ad fidem converti Regis Catholici subditi conscriberentur, & vulgatis rebus apud Diaguitas gestis, sponte facituros quidquid negotio nomine indiceretur, arbitratus est. Ille bonus: quare ut Saltam certus operarum numerus expediatur indicit. Imperio commoti sunt. Igitur, ajunt, tradita religio vinclum libertatis laqueus & liquei velamen est. Et doctores comitatur Hispanus ad regionem explorandam & subjugandam. Non patiemur nos illudi: pereant exteri, seductores, perfidi. Consilii imprudentiae exitus.

Consilium exequi meditabantur, cum seniores primariae in loco auctoritate conterminos animos continuit, non esse praecipitanda consilia; Patrum caedem ab Hispanis vel a Deo cujus ministri sunt ulciscendam. Hoc discursu cohibitos alloqui potuerunt Missionarii, & causam dicere. Mandatum certo improbandum

po-

(a) Pro Tucumania hic intellige oppidum a S. Michaele, quod etiam dicitur *Tucuman*, ad cujus austrum & occidentem Diaguitarum erat regio, non ad austrum Tucumaniae provinciae.

Digitized by Google

pudicetur: quo populeis turba non modo pacata est; sed factum excusavit, ignoscendum charæ libertatis veteris jacturam. Romerus invicem, neminem fore a suscepta religione servum spondet, assecutum se Regis & pro Rege possidum mentem, neque Diaguitis quibquam ab Hispanis se superstite esse timendum.

Dei providentia Missionarios servat.

Eodem tempore monitus, mortem sibi & sociis in alio pago conscisci, tempori cedendum arbitratur. Cordubam contendit data fide redeundi, & secum promissorum documenta portandi. Sed cum scires de via, Caciquium catechumenum animam agere, licet persequendum se suspiratus, eo divertit. Non temere suspicio erat; sed qua in manus persequentium incidere oportebat Deo providente servatus est. Dum Caciquium baptizat, & morienti adest, fugientem cum sociis assequi desperant conjurati & retrocedunt.

1602. De agendi ratione Societatis consilium.

Cum Cordubam ventum est, ad Episcopum Tucumaniæ litteras dat Romerus de missionis exitu, & Diaguitarum statu. Monet deinde, a Visitatore Societatis Saltam se vocatum; fidem redeundi datam Indis liberare non posse, nec missionarium sui loco mittere, oratque ut clericorum aliquem sufficiat. Sed exitit nemo qui Diaguitis se credere vellet, aut posset. Neque grex ille diu pastore destitutus in statu quo relictus erat permansit.

Visitatori nomen Stephanus Paez, cui a Præposito Generali in universas Peruvianæ Societatis domos jus erat. Superiore Peruvio lustrato Tucumaniam venit. Saltam cunctos, tum ejus provinciæ, tum Fluminis Argentei quo Paraguaria continebatur, Missionarios convocat. Seorsim auditos simul cogit ad constituendam unanimi sententia Evangelii prædicandi formam, tot gentibus & locis consentaneam.

Missiones ambulatorias, assiduasque provinciarum percursationes, quippe magnis obnoxias incommodis, principio vituperat. Ait deinde parvo æstimandas conversiones rapidas & præcoces, nec cultu nec tempore paratas. Exemplo esse sanctum P. Franciscum Solanum, eo tempore superstitem, qui Tucumania tota, & magna Chaqui parte peregrata, modica reliquerat apostolatus obiti vestigia, nullibi locorum constituta sede. Verbum Dei seminis instar esse, quod ut germinet, multis modis laborandum est, nec labor intermittendus usque ad messem.

Una omnium in summa atque Visitatoris erat sententia. Alt obsequendum fuisse Antistitum imperio: non incassum susceptas excursiones: cognoscendam necessario gentium & locorum naturam, quibus erat evangelizandum: Deo duce missiones has viatorias obiri: Apostolicos per provincias quandoque ferri nubium instar, quibus ab Esaia comparantur (a); in eam tamen facile sententiam convenire omnes, eniendum ut cœpta solidarentur; pluribus jam locis constituram sedem, non tamen cessandum ab excursionibus, quibus complurium prædestinatorum salus addicta est; Deum miraculis comprobasse a P. Francisco Solano suscaptas. Tandem singulorum sententia exquiritur, quid in vastissima regione ad disseminandam pulsa idololatria religionem Christianam optimum factu arbitrarentur.

Cassum Visitatoris consilium.

Interea Visitator per litteras e pluribus Tucumaniæ locis datas novit, famam esse vocatos Saltam Socios, ut in Peruvium reducerentur. Respondit ille, nunquam consilium in mentem venisse: quod ut aliquando foviisset, ex iis quæ viderat, abjiciendum proculdubio erat. Ad maturandas deinde ordinationes intendit animum, quarum præcipua effectu impossibilis visa est, scilicet, Jesuitis Brasilianis relinquendum quidquid locorum ad Paraguais ortum & Fluminis Argentei spectat, quod e Brasilia propius quam e Peruvio poterant Missionarii linguæ vulgaris periti suffici. Per Tucumaniam id ex quo suboluit, probatum est, & plerique civitates collegia condere pollicitæ sunt.

Alia fuit Assumptione sententia, ubi Sociorum discessus varios motus exciverat. Omnibus pro comperto fuit non redituros; pauci jacturam lacrymis & mœrore prosecuti; plerique in invectivas effusi a nota hominum consuetudine & usu alienas, vulgabant, novitium institutum municipiorum paupertatem aspernari, opulenta sectari, vel quæ Peruvii vicinitate opulentari facile possent. Si charitatis studio moveretur, non deserendam provinciam ei exercendæ opportunissimam, quæ conspicua Sociis dederat fiduciæ documenta. Spem factam supplementi e Brasilia submittendi, diverticulum esse, cum constet, Regium Indiarum Senatum non laturum, ut in Regis Catholici dictionem intrudantur exteri Missionarii (b), nec Portugallum de mittendis in alienam messem fore solicitum.

Ortega captus in S. Officio.

Verosimile est, Paezium hæc obvia licet non perpendisse. Sed nec primum objectis sententiam mutavit, dilata vero executione, retractandis per otium & recogitandis fuit locus. Et Lorenzanam latuisse videntur rumores discessu suo & Ortegæ Assumptione dissipati. Sed gravior solicitudo animum fatigabat, ex quo Socio sistendi se Limanis Inquisitoribus mandatum indictum erat.

Licet terrestre tercentum leucarum Sanctafide Saltam iter dolores acerbasset, quingentas reliquas Limam usque protinus obeundas suscepit. Nec Apostolici in Brasilia & in Paraguaria labores, nec obediendi celeritas profuit, ne illico in Sancti Officii custodiam traderetur. Ubicumque notus erat, stupore summo nuntius acceptus est. Nec heroem tot rebus in sacro ministerio gestis, nec uno miraculo cœlitus

(a) *Qui sunt isti qui ut nubes volant.* Isai. 60. 7.

(b) Ad ea tempestate minus erat incommodum, qua penes eumdem Philippum III. erat Imperium & Castellanum & Lusitanicum.

Digitized by Google

litus ſecundatum meritas dare pœnas concipi poterat, gravi præſertim valetudine affectum. Nec ipſe imputatum crimen divinabat. E regione integerrimi Tribunalis ſeveritatem damnare audebat nemo, & Rei in tanta abjectione ſilentio vulgus hærebat, nec fontem eſſe, nec infontem ratum.

Crimine purgatur.

Quinque tenuit menſes cuſtodia, nullo crimine objecto quod fatendum eſſet a Reo. Hic tamen nullius ſibi conſcius exitum tacitus ac Deo reſignatus expectabat. Exacto quinque menſium ſpatio ſuperioribus Ordinis ad Luæſitorum nutum reddendus traditur ea lege, ne domo egredi, ne externos alloqui, ne Miſſam celebrare liceat. Poſt interdictum biennale Limam e Paraguaria perlata ſunt acta, quibus criminatio plane diluebatur, juridica videlicet recantatio plurium teſtium ſubſcriptione munita Villaricani civis morituri, a quo revelati ſigilli ſacramentalis incuſatus fuerat. Addebat ille, hominis peccata retinentis firmitate, cujus æquitatem ſero noverat, motum ſe ad calumniandum.

Ut documentum accepit S. Officii Præſes, Ortegæ, cujus innocentiam ex lege notam fecit, ſtatum redintegravit. Limani cives univerſi felicem rei exitum gratulati, virum celebrabant, qui hæreſi, vitæ licentiæ, idolorum cultu oppugnatis, de calumnia triumpharat, ſanctior numquam atque ſub delinquentis habitu. D. Gaſpari de Zuñiga & Acevedo Comiti de Monte regio Peruvii Proregi talis apparuit, qualem convertendis optabat Chiriguanis, ut ſpes erat, & aſſerendæ Tucumaniæ, imo & Peruvii tranquillitati.

Ad Chiriguanos miſſio.

Supra dictum eſt ad reducendum hoc barbarorum genus, opus eſſe miraculo, quod impendere nondum Deo placuit in perfidorum ſalutem, qui pacem & fidem eo ſimulant, ut belli aut inſurgentis turbinis avertant incommoda. Sed quoniam Miſſionarios oportet ad animarum lucra invitantibus nunquam non concedere, & ſunt tempora debellandis cordibus divinitus conſtituta, quæ miniſtros præterire non decet, Ortega pio Proregis voto acquievit. Imo libens ſuſcepit iter, quo Apoſtolicis laboribus occumbendi, vel martyrii ſpes erat.

Ortegæ obitus.

Anno 1601. cum Hieronymo Villarnao profectus pacatis exceptus eſt Chiriguanorum animis; verum Chriſtianam religionem ut cum maxime barbaros aſpernari, brevi innotuit. Strenuam nihilominus operam emolliendis cordibus biennio fruſtra conferre pergunt; donec affecta valetudine Ortega juſſu prælatorum Platam deducitur a ſocio. Ibi anno 1622. extrema ſenectute confectus eſt.

Franciſcani apud Chiriguanos.

Ne ſæpius ad Chiriguanos digrediendum ſit, hic addiderim, quoſdam S. Franciſci alumnos ſui periculum poſt Jeſuitarum diſceſſum facere tentaſſe. Auguſtinus Fabius cum Fratre converſo Tarixa, Proregis, Platenſis Curiæ, & Archiepiſcopi venia in montana penetravit. Et Chronica ejus Ordinis Limanis typis edita de nonnullis converſionibus & Eccleſia conſtructa teſtantur. Sed poſt hauſtam ſpem ampliſſimam barbari, Platam profecto Fabio, ſocium exterminant, Hiſpanos qui forte aderant mactant, aditumque ſic obſtruunt, ut nunquam abſenti Miſſionario copia redeundi facta ſit.

Digitized by Google

HISTORIA PARAGUAJENSIS.

LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Litteræ Episcopi Assumptionis ad P. Romero. Mandatum Præpositi Generalis. Lorenzana & Cataldini adverso flumine naufragium, Episcopus occurrit. Ingressus in urbem. Sinistra Hispanorum affectio. Ultio divina. Paraguajenses Socii & Chileni in eandem provinciam conveniunt. Receptio Provinciæ Præpositi in S. Jacobi. Octo Jesuitæ ad Bonasauras. Hujus coloniæ status. Indi finitimi. Persecutio Tucumanica. Divina protectio. Vexantes Indos pœnas dant. Jacobopoli cedunt Socii. De urbe S. Michaelis notanda. Tigridum venatio. Sociorum ad S. Michaelis receptio. Calchaquiorum fœdus. Conceptiopoli Turriano occluditur. Regium diploma de Indis. De Guaraniis a P. Bolagnos in ecclesiam congregatis. Guairæ & Assumptionis status anno 1609. Maceta & Cataldinus apud Villaricam. De Indis cum Villaricano sermo. Violenta colonorum agendi ratio. Prima Guaraniorum reductio. Ars ad captandos Indos. Tres novæ Reductiones. Terroris exemplum. Consilium Missionariorum & perficiendi ratio. Regi probatur. Guaraniorum R. P. Hispano subest. Quid Jesuitæ in eam rem contulerint. Census Regi penditur. Reductiones Doctrinæ & Parochiæ declarantur. Numerus Doctrinarum & divisio. Decimæ. Interius regimen. Cum Hispanis commercium. Sermo Hispanicus. Indorum natura. Disciplina. Musica. Artes, & officinæ. Arma. Bonorum administratio. Oppida. Armamentaria. Habitus. Ædificia. Rei cibariæ difficultas. Regimen ecclesiasticum. Episcoporum visitatio. Prætorum. Quæstorum. Provincialis. Novi Missionarii receptio. Pœnitentia publica. Opera pia. Templa. Innocentia, pietas, modestia. Custodia publica. Officia divina. Congregationes, Adversus impuritatem cautela. Festa Corporis Christi. Camereria. Potitia. Candidatorum experimenta. Mutatio Religione inducta. Ludi publici. Neophytorum felicitas, Militia. Reductionum cœlum. Gentes, ex quibus hæc R. P. coaluit. Morbi. Indorum & Jesuitarum mutuus amor. Litteræ Bonaurensis Episcopi ad Philippum V. Chiquitorum Respublica.

1604. Episcopi Assumptionis litteræ.

DUm Assumptione de Sociis per occasionem libro præcedente narratam sermones serebantur, coenobiæ quidam Fildsium ætate gravi & valetudine resident consentiunt, ut domum vendere velit, desertam rati. Facultatem inficiatus nuntium ad Romerum misit. Sed Romerus noverat, utrumque Magistratum apud Præpositum Generalem Societatis quæstum per litteras de Paezii Visitatoris mandato. Et paulo post a novo Assumptionis Episcopo D. Martino Ignacio de Loyola, ex Ordine Franciscano, & Societatis conditoris nepote litteras accepit, quibus accepturum se negabat Ecclesiæ regimen quam præsciret Sociorum ope destitutam: ut protinus restituerentur petebat, sin aliter ad Generalem, ad Regem, ad Summum Pontificem provocaturum se; nec expectato responso litteras in eamdem sententiam dedit ad Præpositum Generalem Aquavivam. Sed scribentem Romerum prævenerat Roma & Lima simul monitus, ut Assumptionem Lorenzanam, nec incomitatum expediret. Quod ille eo impensius executus est, quod Paezii systema non probaverat, & Missio Guaranica cordi erat.

Naufragis occurrit Episcopus.

Assumptione, conspici quamprimum Jesuitas oportebat, ni vellent in posterum aditu prohiberi, & nascentem in Guaira ecclesiam excidi. Domum ut venderet urgebatur Fildsius, qui si interea naturæ concederet, nullo negotio, nullo item pretio competitores optata potirentur. Accepto majorum mandato properat Lorenzana, ut in Boniaeris, aut Sanctæ fidei portu conscendat cum Cataldino. Sed non longe a portu navem fregit, ægre cum socio servatus remigum Indorum opera. Naufragio succedit in littore deserto fames. Sed commodum apparuit Episcopus Assumptionis, qui secundo flumine Bonas Auras ferebatur, nec tam celerem sperabat adventum, in teneros ruit amplexus, large pro virili subvenit, & commeatu instructam cymbam expediri jubet, ut quantocius ire pergant. Cum extremo *vale* facultates omnimodas per diœcesim ea tempestate mari definitam elargitur.

Assumptionis ingressus.

Assumptione, ut erant in discessu, & dum nedum desperabatur, civium sensus, accepti sunt. Cataldinus brevi præclarum nomen adeptus: Lorenzana notus jam erat: neuter Apostolicos subire labores moratus. Horum fructus cœlitus secundatus præteritarum oblocutionum, quarum summa de reliquo meritorum æstimatione vertebatur, oblivionem pe-

pe-

perit. Et ſane nondum Jeſuitæ adverſitatum ullam, quibus Evangelicæ Miſſionis documenta conſtant, erant experti. Fuit tamen deinceps tum his, tum poſteris multiplex occaſio noſcendi ſe nuntios eſſe, atque diſcipulos ejus, qui ſe ſuoſque voluit perſecutionis omnigenæ ſignaculo diſtinctos.

Hiſpanorum offenſio.

Pro Indis & contra commendarum abuſum apertius egerant, quam ut eorum perennaret amor, quibus nullo contigit experimento, ut viderent quanti ſua intereſſet blandior indigenarum tractatio. Illud eſt mirandum, primum adverſum Socios offendiculum inde natum eſſe, unde longius eſſe oportebat. Indi quidam Paraguais accolæ commendati rebellarunt, & nonnullos Hiſpanos circumventos occiderunt. Auſum ulturus prodiit Pro-prætor cum armata militum manu. Sed mutato de via conſilio, immunitos alios Indos fœderatos ac fideles adoritur, latet prætextus, plures occidit, alios manu captos triumphandos ducit, & ſubhaſtat.

Ultio divina.

Factum non diſſimulavit Lorenzana. Seorſim primo authorem monet: emptores deinde, injuria captos, injuria emptos detineri. Quo dum nihil proficit, e ſuggeſto niſi captos manumittant iram Dei minatur. Silentium imperat & exitum e templo Theſaurarios Cathedralis, qui forte aderat. Obedit vultu non perturbato concionator: qua moderatione concio mota in murmur & indignationem contra Theſaurarium vertitur. Hæret ille, & in ſe receptus elata voce injurium ſe adverſus hominem ſuo fungentem miniſterio accuſat.

Nec confeſſio hæc; forſan vi timoris expreſſa, cœleſtis iræ placamento fuit. Die noctuque agitatus & inſomnis obiit phrenetico ſimilis. Diſſipatis poſt obitum rumoribus; quorum auctor ego non ſim, data eſt vulgo fides: quod plus liberandis captivis profuit, quam pathetica Miſſionarii declamatio. Sed quamquam id in Jeſuitarum commodum ceſſiſſe viſum eſt; extitit ſiniſtra quædam animorum habitudo, quæ ſubinde fermenteſcens, in abſceſſus prorupit aliquando.

Paraguajenſes Socii, & Chileni in eamdem provinciam conveniunt.

Anno 1607. P. Didacus de Torres venit Roma in Peruvium Chilenæ & Paraguariæ provinciæ rector. Sed ignoro cur ad annum 1607. diſceſſus Lima prolatus ſit (a). Quindecim Sociorum partem in Chilem præmittit, partem in Tucumaniam comites habet. Plata & Potoſio Charcarum ſuperat montes, Omaguacas viſitat, & in fide confirmat, inde Xuxuim & Saltam progreſſus, ubi collegiis rogatis Sociorum paucitatem excuſat, vota ſecundaturus, dum plures numero ſint. Salta Jacobopolim cum Sociis contendit, honorifice a D. Franciſco Treco (b) Epiſcopo, & D. Franciſco de Ribera Prætore exceptus. Socios dum exhibet Prælato ait, ejus imperio & obſequio paratos fore ex mandato Præpoſiti Generalis quotquot diœceſim eam colerent. Genuflexos levat Prælatus illacrymans, amplectitur, & confluentibus Hiſpanis & Indis in templum cathedrale deducit. Throno inſidens ſilentium indicit & ait; „ Quanto mihi ſolatio ſit, Chariſſimi, tot operariorum adventus, noveritis dum obteſter, me ſine illorum ope eſſe paſtorali muneri imparem. Si vulgatum de revocandis in Peruvium his religioſis re perfectum eſſet, Epiſcopatu ceſſurum, ne tot animarum jacturam ſpectare cogerer operarum deſiderio. Gratias ago Paſtori Summo. Ecce apoſtolicorum virorum ſupplementum. Vos fructum percipite: & mecum pro benefacto auctori gratias agite. Ad vos Patres quod attinet, certi eſtote, meam nunquam deſiderandam opem, ut labor veſter proſpere cedat. “

Nova miſſio Bonas Auras.

Iteratis acclamationibus exceptus eſt ſermo, & Miſſionarii domum deducti. Mox Præpoſitus tirocinio conſtituendo intentus Cordubam petit. Inde Chilem, ubi dum eam provinciæ partem ordinat, octo Miſſionarii a Generali Præpoſito Regis Catholici ſumptibus expediti Bonas Auras applicant. Summis a primo nuntio votis expectabantur, & aliqui ſtatuendo collegio retenti. Floreſcebat commercio portus; nam etſi exteris aditum interdixerat Hiſpanus, frequens data, fictave neceſſitate erat acceſſus, tum illorum, tum incolarum lucro. 1608.

Indi finitimi æque ſilvatici, conterraneis tigridibus feriores, non cicurabantur. Et Hiſpani, dum tertium urbs extruebatur, interfecti duo millia æquaſſe dicuntur. Giganteo aliquorum corporis habitu, vultu ut plurimum feroci, odio adverſus Hiſpanos implacabili ſic territi erant incolæ, ut nemini ad divagandum ſufficeret animus. Pauci ſubjugati erant, qui niſi perſonali ſervitute premerentur, ad fidem converti, dum ſuppetenent miniſtri, poſſent, vel ad converſionem diſponi. Spes erat, novorum operam poſt irrita experimenta felicius proventuram. Sed in caſſum ſuavitate conciliare contenderis, quos ſola vis tenet ſub jugo. Ecqua ratio Deum mitem & benignum barbaris annuntiandi, dum dura ſervitute exacerbantur?

Tucumanica perſecutio.

Jeſuitarum ſententia fuit, molliendum Indorum jugum, antequam inceptaretur converſio; ſed refutata. Tucumanenſibus refutaſſe ſatis non fuit: Provincialis incommoda inde nata expertus eſt primus. Dum e Chile Cordubam regreſſus tirocinium ordinat, Indis qui ſirenum cunctis mirantibus operam præſtiterant, mercedem ſolvit. Periculoſum exemplum rati cives Turrianum admonent, nulla facti pœnitentia. Conceſſurum arbitrantur ſubductis eleemoſynis; ſed Deo providente inopia ſub-

leva-

(a) Cauſa morarum fuit neceſſitas procuratorias reddendi rationes; nam Peruvianæ provinciæ procurator transfretaverat: neceſſitas item deliberandi de ſeparandis provinciis Quitenſi, cujus viſitatorem egit, & Paraguajenſi, cui diviſæ primus præfuit.

(b) Sunt documenta, quibus Ferdinandus de Trexo nominatur. * Et ex vero quidem. Ex Ordine Franciſcano aſſumpto Collegii Cordubenſis Fundationem acceptam retulit Societas.

levata fuit. Tunc de injuſtitia atque duritie adverſus Indos religionem injicere: quo dum nihil proficit, Dei & Regis Catholici, cujus nota erat mens, iram publice minatur.

Indos vexantes pœnas dant.

Vim comminatio eventu ſortita eſt ex parte. Subita inundatione fluctuat urbs, ut erat ea tempeſtate ſtructura parum firma: procelloſo turbine diſſipatur ager. Succedit peſtilentia, & ex ea paſſim mortui vel moribundi. Conſpicuis irati Dei documentis perculſi ſunt, qui religionis & humanitatis ſenſa non penitus abjecerant. Multo plures contra flagella obfirmati ſunt animis, & Jeſuitarum odio. Hos annona qua data via privant, & victus ad maizium, & domeſtici horti legumina contrahitur.

Non propterea Indorum cauſam Socii agere ceſſarunt. Et Cordubâ diſceſſurus Torres illud potiſſimum jubet, ut in eo fiduciam ad cujus gloriam ſumma rei ſpectabat, collocent. Morem gerunt, & Dei ope ſuſtentati ſunt; nam acceptis ex Provinciale ſcutis centum & octoginta ad familiæ ſat numeroſæ alimenta, poſt menſes octo procurator octingentos expenderat, inſcius unde ſupplementum accreviſſet.

Socii Jacobopoli cedunt.

Turbo Cordubæ motus Jacobopolim eundem ſequitur Turrianum. Vulgata jam ibi erant pro Indis in Chile, & recens Cordubæ geſta: nec ſpes erat ſententiam mutatum ire. Hinc civium univerſitatem adverſum ſe præoccupatam invenit. Non temere Jeſuitas conſcientiis infeſtos fama proditum eſſe, ſpinas ſerere, & odioſam Deo ſeveritatem: ubi latebat proculdubio cupiditas & ambitio. Indis dum adblandiuntur, quid niſi dominari velle. Regi & Regio Indiarum Senatui conſulta, quibus nitebantur, ipſos dictaſſe, ad vendicandas videlicet ſibi Hiſpanorum opes. Moderatiores ajebant, non eſſe culpandos privatos, quos moveri Provincialis nutu veroſimile ſit: ante cujus adventum omnia in Tucumania pacata erant: cujus turbulentus humor & ingenium inſtabile cuncta turbaverat.

Fruſtra Socii reſpondent, ante ſuum in Tucumaniam ingreſſum damnatam, a Carolo V. & Philippo II. Indorum ſervitutem: antequam Chilem peteret Turrianus, D. Joannem Perez Chilenſem Epiſcopum damnaſſe quod improbat ille, & damnaſſe poſt conſultos totius regni præſtantiſſimos ſapientia & prudentia viros. De reliquo a nullo Sociorum dictum factumve, quo a Præpoſito Turriano diſſentiret.

Certum erat colonis, nulla licet ratione niſi labor deſideraretur; nunc maxime cum a Guazanis, & Calchaquiis plane exterminatis nihil eſt timendum. Id ipſum dictum eſto de locis aliis ea colonia occupatis.

xis inceptæ proſequi. Et quod mireris, eo deventum eſt, ut & Epiſcopum & Clerum contra Jeſuitas acerbarent. Sic omni ope deſtituti eamdem atque Cordubæ fortunam experti ſunt, templo deſerto, penſionibus interceptis. Solum mutare oportuit in S. Michaelis, cujus incolarum votis ſummis expetebantur.

De urbe S. Michaelis.

Diu de primatu decertaverant urbes a S. Jacobo, quarum illa triennio antiquior ſitum mutaverat (a). Emigratione hac anno 1564. perfecta, novam ſedem adoritur Gualan (b) Indorum dynaſtes, Hiſpanorum plures interficit, ædibus faces admovet, in cinerem redigendis, niſi SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ, quorum feſtus dies agebatur, intra fulgurantem nubem, ajunt hiſtorici (c), apparentium conſpectu exterriti fuiſſent barbari, & in fugam acti. Extincto igne hoſtes, quorum plurimi ceciderunt, inſequuntur Hiſpani. Periit Gualan: & civitas Sanctos ſervatores ritu & cultu patronos habet.

Sæpe deinceps Calchaquii in urbis excidium conſpirarunt, ſed irrito conatu; & incolumitas nunquam non a piis colonis SS. Protectoribus accepta refertur. Michaelopolim dixi alibi (d) ad montium radicem ſitam. Addiderim, ſitum eſſe cum amœnitate, tum fertilitate nulli ſecundum. Campi, valles, regio tota prædiis, viridariis, & hortis contegitur, ubi antiqui & novi orbis germinum major pars ubertim provenit (e). Sed Promiſſionis terram quam Hiſpani vocitant, tigrides ſic infeſtant, ut inermes vix gradum ſine periculo figant.

Tigridum venatio.

Indi ante Hiſpanorum adventum carnivorum animantum genus perſequendo exercebantur. En venationis modum (f): Tranſverſum fuſtem utraque manu extremitatibus apprehenſum aſſilienti objectabant tigridi. Dentibus & unguibus fuſti mordendo affixam venator converſa manu deturbat, & in ventrem deturbati cultrum immittit, & ad guttur uſque plagam prorogat. Dexteritate opus erat & animi præſentia: ideoque apud eam gentem merita ex cæſis tigridibus computabantur: & eminendi cupido ad pericula obcæcabat.

Michaelitarum ingenium mite & ad pietatem pronum incumbentis cœli naturam ſapit. Humanitate in poſteros derivata Jeſuitas exceperunt, & ad collegium acceptandum, regio deinceps placito, munitum, Provincialem compellunt (g). Terram optime paratam colendi labor, otium utile ad Diaguitas, Lules, &

Cal-

(a) Eccleſia Cathedralis anno 1570. erecta utique in urbe principe, erecta eſt in urbe *Tucuman*: quo nomine vocatur non S. Jacobi, ſed S. Michaelis urbs.

(b) *Guazan* ſine dubio; cujus nominis gens indica Andalgalam vallem, non longe ab antiquo S. Michaelis ſitu diſtantem occupavit in loco qui deinceps ceſſit villæ D. Ludovici Diaz.

(c) Techo lib. 3. cap. 26.

(d) Lib. 3.

(e) Proveniret utique, niſi colonorum induſtria &

(f) Hæc narratiuncula & venationis ratio repugnat tigridum pernicitati & fortitudini: maxime dum ferreus culter ignotus erat.

(g) Eo tempore regia facultas erigendi Societatis domos erat penes Prætorem Tucumaniæ ex Regia Scheda 11. Mart. 1591. Matriti data: deinceps revocata lege 2. tit. 6. lib. 1. Juris Indiar.

Digitized by Google

Calchaquios excurrendi reliquit. Per Turrianum facta, & a Prætore acceptata Calchaquios pacandi sponsione, negotium P. Joanni Dario, & Ignatio Marcel committitur.

Missio ad Calchaquios.

Adeuntibus occurrunt barbarorum primores, mandata facturos ea lege polliciti, ne sibi molesti essent Hispani, & ne alii quam Socii in doctrinam mitterentur. Annuunt Missionarii pro potestate facta a prætore, & benevole ubique accepti in intimam vallem penetrant. Sacellis excitatis ad hortationes pagani frequentes accurrunt, & plerique baptismum exposcunt. Sed nota gentis levitate differtur, nec temere. Vix ducenti perseverarunt; in his tamen princeps, cui reliqui parebant. Frigore rigentem vallem ter peragrant seminudi; sed morientium infantium maxime plurimo baptismo recreati. Et auspice Virgine Matre, cujus imaginem venerantibus Indis circumferebant, idola & superstitiosi cultus obvia quæque monimenta comburunt, in mediis sæpe ebriorum turmis immunes.

Periculum ab Hispanis.

Majus incommodum extitit ab Hispanis quibusdam eo progressis, ut Calchaquios spectantibus Missionariis captos abducerent. Quo gens in furorem acta missionem tyranidi præludisse sibi persuadet. Socii rati nequidquam tempus teri, nisi extirpetur malum hoc, Saltam se conferunt, & Prætori rei incommoda exponunt. Vota secundat ille: mandata dat, & executionem urget: malo medetur brevi renascituro: & Missionariis circum Saltam distentis illud solatii reliquum fuit, ut eam ab incursionibus Guapaciorum (a) liberarent.

P. Torres Conceptiopoli repellitur.

Dum hæc in Tucumania gerebantur, Sociorum Provincialis rebus ibi compositis Conceptionem petit. Sub ingressum litteras accipit a Magistratu, quibus accessu prohibetur, ne videlicet civium pacem turbaret. Intolerandum ratus scriptum remittit ad Prætorem, qui ad Magistratum mandata dedit e re. Oppidum ingressus etiam adversantium animos miti consuetudine & usu conciliat, siniſtra præjudicia diluit: & repulsam solatur sacramentalis universorum expiatio. Frontones, apud quos jactum Evangelii semen non penitus interiisse arbitrabatur, adire voluntas erat. Sed præterquamquod cultus necessarii & cultoris deerat copia, litteris D. Ferdinandi Arias de Saavedra Prætoris, & Episcopi Asumptionem progredi coactus fuit anno 1609. cadente.

Regium diploma pro Indis.

Scribendi occasionem fecit regium diploma datum ad prætorem cum mandatis, ne Indi Paraguai vi subjugarentur, sed verbo: ni forte ipsi Hispanos adorirentur. De cætero uni reducendis adlaborarent Missionarii, quorum opera se sponte dederent post nota deditionis commoda: nolle Regem invitos subdi: non liberarum gentium servitutem expeti; sed ut barbara vitæ licentia correcta, Deum verum noverint & colant; in fidem accipiendas libenter, earumdem gratia, ut felices sint; velle omnino Regem (b) ne mancipiorum loco habeantur.

His perficiendis Episcopi, & Prætoris sententia fuit, ut P. Torres indigenarum conversionem susciperet, eo consilio vocatus. Quatuor aut quinque ante annos simile regium diploma D. Ferdinandus acceperat. Sed erat argumentum de Guaraniis, ad quos mitti jubebat Rex doctos piosque prædicatores, de regio thesauro juvandos cum necessariis ad firmandam sedem, & speciali mandato, ut Indi miti manu tractarentur.

Guaranii a P. Bolagnos collecti.

Prætor incipiendum ratus erat a Guaraniis Assumptioni finitimis, quorum jam Christiani erant plures, & P. Ludovicum de Bolagnos clarissimum inter S. Francisci Solani discipulos adegerat, ut cum aliis ejusdem ordinis curam susciperet. Horum opera & zelo in florescentem ecclesiam Indi convenerant. Quo tempore catechismum supra memoratum confecit (c) Bolagnos, quem D. Martinus Ignatius de Lojola a theologis & guaranice peritis discussum in synodo approbavit: quem D. Christophorus de Aresti successor denuo examinatum approbavit de integro: nec tantum approbavit, sed præscripsit ne in locis ubi guaranicum idioma obtinet, catechismus alter adhiberetur in usum. Quæ omnia deinde comprobabimus.

Post Bolagni discessum Jesuitis Guaraniorum curam una cum cicuratis ab Ortega & Filds commissam verosimile est. Illud est certum, junctos fuisse tandem (d). Certum etiam est, a Turriano Assumptionem profecto delatam ejus missionis provinciam Josepho Cataldino, & Simoni Macetæ & ipsi Italo, a quibus tamen non ante suscepta est, quam ampla per Episcopum & Prætorem fieret potestas in pagos cogendi neophytos, coactos gubernandi independenter a vicinis arcibus & villis, exstruendi ecclesias, & regio nomine tuendi neophytorum immunitatem ab Hispanorum servitute.

Guairæ status.

Duos omnino sacerdotes sub adventum missorum tota Guairæ provincia numerabat: alterum Villaricæ parochum, alterum Civitate-Regia. Ille professione monachus, specie vagabundus, cucullo spoliatus, ajebat, a latronibus, clerici sæcularis indumenta, non decus, circumferebat. Minima erat de parochia cura.

In-

(a) *Guachiparum* forte: quod nomen in rure & amne ditionis Saltensis permanet.

(b) Ne commendis privatorum, sed regiæ coronæ obnoxii essent Guaranii, cautum deinceps est rescripto dato 23. Febr. 1633. quod in legem abiit 43. t. 8. lib. 6. Recop. Ind., etiam post decennium a reductione contra quod universum præscriptum erat leg. 3. tit. 5. eod. libro.

(c) Catechismum Bolagnos non fecit, sed Guaranice reddidit confectum & approbatum authoritate Concilii Limani anno 1582. juxta cap. 3. act. 2. Cui Concilio & Episcopus Paraguajensis Ill. Alphonsus Guerra quippe Comprovincialis interfuit.

(d) Non temere dubitaveris, an unquam sint uniti. Sunt hodie quatuor Guaraniorum pagi circa Assumptionem Franciscanorum curæ commissi, nec unquam Jesuitarum uniti: ubi posteritatem cicuratorum a Bolagno conservari verosimilius est.

Digitized by Google

Indorum pagos circuibat, volenteſque baptizabat imparatos, linguæ fortaſſe non ſatis gnarus. De altero dubium erat, an ſatis eſſet ad ſacramenta conficienda doctus. Coloni ſervos, de baptiſmo parum ſoliciti, nominibus Sanctorum ut baptizatos appellabant: quod deinceps negotium faceſſivit Miſſionariis.

De Aſſumptionis diœceſi.

Subſidiis ſpiritualibus deſtitutam eam diœceſis partem, minus mirandum eſt, cum vel provinciæ caput eamdem, aut forte majorem pateretur inopiam. Epiſcopus paſtores parochiis urbanis & foraneis nec ſingulos ſingulis conferre poterat: & plures ne uno quidem ſacerdote conſpecto totos exegerant annos. Hinc religionis ignoratio, conjugiorum quæ mero contractuum civilium ritu celebrabantur confuſio (*a*), par in veteribus atque in novis Chriſtianis morum licentia, & plena quam plurimis in locis externi cultus abolitio. Lorenzana collegii nondum confirmati rector, defectum parochorum ſupplebat pro virili; ſed erat in ſola urbe quod totum diſtineret, nec par erat excurrendi labori, quo major vocabat neceſſitas.

1610. Cataldinus & Mazeta Villaricæ.

Cataldinus & Mazeta Aſſumptione profecti Civitatem Regiam duorum menſium itinere perveniunt Februario 1610., ibique rogati morantur ſacramentorum cauſa. Inde valetudinarii Villaricam petunt. Dum convaleſcunt, oportuit oppidanis expiandis operam dare, Parana-panem ad conſtituendam in mediis Guaraniis ſedem tranſituros. Ut Villaricanis innotuit Indorum, qui Societatis curæ committebantur, a commendis immunitas, exhibita æſtimationis & fiduciæ documenta repente conciderunt. Regis mandatorum, Epiſcopi, & Gubernatoris exemplar oſtendunt, & æquitatem perſuadere conati ſunt. „ Lege, ajunt, conſulere licet veſtris rationibus & commodis cum Indis? quos in ſervitutem redigere Regis ac Dei interdictum eſt. Ii quos cicurandos ſuſcepimus, vobis devincti non ſunt, quippe bello non ſubacti. Ex feris homines & Chriſtianos facere contendimus. Dabimus deinde operam, quam auxiliante Deo haud inutilem fore ſperamus, ut ſua ſponte commodum ſibi Regis dominatum ſubeant. Ingenium violare libertatem nefas eſt; ſed perniciabilem abuſu continere noſter ſit labor. Civilis dependentiæ commoda ſub Principe, qui patrem ſubditorum & protectorem agere amat, ſub quo verum Deum noverint, colant, poſſideant, ſic annunciabimus, ut ſibi de facta deditione gratulentur & plaudant. "

Coloni deinde perſuadere nituntur, e re ſua fore ſi cœptis faveant, depopulandam alio quin regionem cultoribus vacuam. Rogant, quo devenerint tot Indorum millia, qui poſt Paraguariam occupatam diſparuerant. Unde tanta vaſtitas niſi ab inhumano miſeros habendi modo? Aures obturantibus ſe loqui dum Socii animadvertunt, diſceſſum maturant; & viæ ducem fruſtra requirendum a colonis, ab Indis petunt.

Dux venit Caciquius ipſe, apud quem primam locare ſedem meditabantur. Sed obſtupuit, dum ſe videt ſub oppidi ingreſſum in vincula & cuſtodiam tradi, brevi quidem ſolvendum, Prætorem, Epiſcopum, Regem objicientibus Miſſionariis. Parana-panem terra petunt, navigio deinde progreſſuri. *Parana-pane flumen infortunatum* ſonat guaranice. Latet nominis cauſa, forte a caſu quopiam adverſo, ſeu naufragio impoſiti. E montibus Braſiliæ natum multis aquarum incrementis adoleſcit, Pirapoo maxime & Tabaxiba. Multigenis ripæ ſilveſcunt arboribus, cedris præſertim ejus magnitudinis, ut lintres ex ſingulis factæ vigenos capiant remos.

Prima Reductio.

Parana panem uſque ad Pirapoi confluentem ſubeunt Miſſionarii, ubi conſederant biſcentum familiæ a PP. Ortega & Fildſio baptizatæ, ex quibus coaluit pagus nomine *Lauretum*. Eccleſiis his Indicanis factum deinceps nomen *Reductiones* (*b*), quo etiam hodie vocantur Chriſtianæ Guaraniorum reipublicæ incunabulis opportune cecidit *Laureti* nomen. Octoginta leucarum ſpatio in viculos viginti tres ventum eſt, quorum incolæ jam plures erant Chriſtiani; reliqui ea maxime opinione, quod Patribus de tuenda Indorum libertate cura eſſet, ad Chriſtianiſmum conciliati. In congregandis, cum ad facilitatem doctrinæ, tum ad libertatem tuendam negotium erat.

Ars Indos captantis.

Cum pagani ſuaſionibus concedere videbantur, res tota prope evaneſcere viſa eſt. Civitatis-Regalis incolam, qui ſe comitem adjunxerat, acceptarunt Miſſionarii peritum novi idiomatis interpretem. Conſilia ſua dum tacitus fovet, animum ſimulat nullius cupidum. Mirantur principio Patres, quod nunquam non ſpoliatus aliqua indumentorum parte accederet, donec ad ſubligaria redactum de veſte porcontantur. Reſpondet ille: „ Vos, o Patres, ſermones veſtros prædicatis, ego meos. Sermo ſcientiæ vobis eſt, a non habente ſupplendus operatione virtutum. Primoribus Indorum omnia mea quæ mecum portaveram diſtribui, certus, conciliatis his reliquos nullo negotio lucrandos; neque id male ceſſurum credo. "

Pauperum commiſerationem denudatum per- ſua-

(*a*) Orta conjugiorum perturbatio non tantum ex Parochorum in conſtitutis parochiis defectu; ſed quia pluribus in locis nondum erant parochiæ conſtitutæ, nec in eis rite promulgatum Concilii Tridentini decretum. Unde Ill. Lojola ſegem eo tempore tulit inter alias ſequentem: „ Que los Indios de repartimiento, que haſta ahora no han tenido doctrina con perſeverancia de Sacerdote (aunque ſon Chriſtianos) ſon validos ſus matrimonios, como lo eran los de los Eſpañoles antes del Concilio de Trento. "

(*b*) Non his tantummodo; ſed hoc nomine vocantur etiam in Perùvio Chriſtianorum oppida ex fidelibus compacta religioſis curionibus commiſſa antequam *Doctrina* ſint.

Digitized by Google

fusum est sociis, quos imitationis impotes sua tædebat inopiæ. Brevi depositus error. Postquam omnia prodegerat, petit abeundi veniam, jam Patribus satis linguæ peritis inutilitatem causatus. Pro beneficio gratias agunt; ac de discessu liberum esse respondent. Digressum innotuit pueros pluces & fœminas fucatis largitionibus emptas abducere, & Patres tanquam facti conscios & participes traduci. Sed re tandem comperta barbari placati sunt, & Laureto magna pars incrementum accessit.

Reductionum trias.

Tunc nimium gravata numero reductione, nova alia sex passuum millibus distans, connitente Aticaja dynasta erigitur, *a Sancto Ignatio* dicta. Tertiam & quartam addere oportuit; sed principio tantum ad excipiendos proselytos quasi subsidiarias. His etiam incolarum accessione turgentibus, subiit cogitatio rem publicam excitandi, quæ nascentis Christianismi speciem referret in media barbarie. Sed apud gentem moribus corruptam & mente obtusam, in qua vix ullum religionis naturalis vestigium extaret, funditus elaborandum erat. Miraculis, ut opus erat, tanti consilii author Deus non pepercit.

Terroris exemplum.

Exemplo terroris consternati sunt primo neophyti, & infidelium plures. Lauretanam sedem, & inter primos baptismum expetiverat dynastes quidam, & conversionis sinceritatem comprobavit dimisso concubinarum grege. Sed fervore post baptismum tepescente, pœnituisse pœnitet, dimissas revocat, & clam primum, deinde palam sustinet. Missionarii frustra adhibitis hortationibus, & cœlestis iræ minis denuntiant, abscindendum a fidelium societate, nisi resipiscat. Comminationes æque atque blanditias contemnit ille, donec abusens Dei misericordia, justitiæ severitatem expertus est. Dum solus intra mapale recumbit, accenso igne, præclusa evadendi via, vivus arsit: & neophytos docuit, esse Deum zelatorem, qui ministrorum monita spernentes impune abire non sinit.

Ut ad Cataldini & Mazetæ inceptum in Guaira oblineatum regrediar, enucleandum penitus mihi est, eo namque tota referetur narrandorum series, quod nisi probe noveris, ignorare necesse est rerum gestarum causas; nec de authoribus tantæ molis, nec de scriptis pro contrave vulgatis non temere sententiam tuleris.

Rei gerendæ apparatus.

Ut exequendo consilio præludant authores & fautores, necessitatem si populi ex vero Christiani futuri sint, & proventura commoda ostendunt. Ad Regem, ad Indiarum Senatum, ad Paraguariæ Prætorem, & Episcopum referunt, notam messis evangelicæ maciem, & obliterata tot conversionum vestigia, duplici causa niti; primo, injectum christianæ religionis odium ex modo quo neophyti habebantur; secundo, sanctitatem evangelii infidelibus inculcatam a Christianis pluribus vitæ licentia, & injuriis manifestis infamari. Præmuniendos igitur, qui converserentur ad fidem, adversus tyrannidem, & adversus prava exempla.

Sed quia commoverat Hispanos plures primus de incœpto rumor, etsi res erat de Indis non subjugatis, vel qui excusso jugo reduci non poterant, addita est a Missionariis sponsio, facturos se ut Indi in fidem accipiendi, Regi Catholico jurarent obedientiam: quæ acquirendi, & amplificandæ ditionis ratio & solidior & æquior esset, nec populis qui dedunturperniciabilis.

A Rege probatur.

Philippi III. litteris a successoribus confirmatis consilium probatum est. Sed liquet satis, eo privilegio concilianda Missionariis eorum odia, quorum coercebatur cupiditas. Quodsi magnanimi est, barbarorum ferocium cultu, & animarum salutis amore, sitim & famem, labores immodicos, & perpetua vitæ discrimina subire; & magnanimum esse oportet qui gravissimas domesticorum fidei persecutiones, & atrocissimas concivium calumnias præsens animo patiatur; nec repente diruto plurium annorum labori concedat, sed frustratum alacri semper studio inceptare paratus sit.

Opere jam a quatuor memoratis Reductionibus incœpto, institutiones quædam per Socios ad eorum captum quorum susceperant coram compositæ sunt. Invalescente deinde fide in corde neophytorum, & aucto Reductionum numero ampliandæ & perficiendæ. Additæ sunt præcautiones, quarum necessitas innotuit successu, illa maxime qua neophytis permissum est, ut armis ignivomis adversum suos & Regis Catholici hostes uterentur. Quod usque adeo prospere cessit, ut centum & eo amplius annorum spatio a nemine lacessiti sint bello, & Regi miles suffecerit ad tuendos fines, ad continendos rebelles, de suo merens, & ad dimicandum nunquam non procinctus. Sed pronum ad fidem est, pulcrum adeo institutum gradatim fuisse perductum ad culmen: quod mihi ex validissimis documentis (*a*) describendum est.

Guaraniorum R. P.

Christianitatem Guaranicam non alteri subesse atque Jesuitis, error est a quo rem prope speculati, & quorum plutis erat non decipi, immunes sunt. Quantus olim invaluit ubique fere, & hodie dum apud certum vulgus viget, ortus ille est a privatis hominibus, guranicæ a commendis immunitatis tædio, & vindictæ amore calumniatis. Revera Hispaniæ Regis semper in Reductiones auctoritas obtinuit, & dominatio; non tantum qualis in reliquo Novi Orbis imperio, sed qua major nullibi sit: nec subditos habet fide & obsequio potiores.

Quæ ratione Indi in sui deditionem convenerint.

Guaraniorum submissio eo minus suspecta est, quod non vi nitatur, sed religione. Ut e silvarum tenebris in Evangelii lucem exurahuntur, id cavent Missionarii, ut in Regis Ca-

(a) Dr. D. Franciscus Xarque, libro 8. Cl. V. Muratori, *Christianesimo Felice*. D. Antonius de Ulloa, Relacion Historial. Decretum Philippi V. 28. Dec. 1743. Litteræ complurium Episcoporum, & Prætorum obita visitatione, inter documenta probationum referendæ.

Catholici fidem dedant se Regiæ Coronæ subditos & vassallos, ut in regiis diplomatis appellantur. Persuasum id est eo potissimum, quod non alia in tuto collocandæ libertatis ratio superaret. Ut eo barbari nullius imperio, nec Caciquiorum nisi intercedesset amor, assueti devenirent, palam est pedetentim fuisse parandos, nec nisi patrum in Christo & protectorum gratia, amore, fiducia, & observantia acquievisse tandem.

Regi Catholico vectigales sunt.

Bellum contra Brasiliam ad promovendum gradum pastores impulit. Ut a valido hoste tuti sint, persuadent Missionarii, ut Regi Catholico non tantum dedicionem faciant, sed illimitatam jurent dependentiam: nec esse timendum, ut qui eos filiorum loco habere testatus erat, abuteretur. Inter belli casus de vectigalibus ad inopes & oppressos sermo nullus: nec ante annum 1645., dum a Philippo IV. fidelium vassallorum titulo, & conspicuis fiduciæ documentis decorati sunt, atque Paraguariæ adversus Brasiliam recens ex Hispaniæ corona cum Portugallia recisam, & adversus barbaros Hispanorum hostes propugnaculum nominati, integrata de cætero altorius servitii immunitate, census unius numi octo regalis in singulos viros tantum octodecim annorum ætate majoribus, quinquaginta minoribus impositus est (a). Censum primus instituit Comes de Salvatierra (b) pro Rege. Verum iterata servitia, nulla mercede, imo suis Indorum sumptibus obita, cumulate superant vectigalia ex aliis Indis Hispano subditis tracta.

Confirmata sunt omnia hæc anno 1663. Philippi IV. decreto mandantis ut ex tributo deducatur pensio fiscalis Missionariis in congruam sustentationem addicta. Quodsi duo Missionarii pro uno sint, ut de more & de necessitate fit, ex collegiorum facultatibus, tam eis, quam generalibus missionum præfectis, quorum alter ad Paranam, alter ad Uruguaim residet (c), alimenta suppeditantur (d). Anno 1721. nova per oblatum libellum supplicem guaranici vectigalis tenuitate, cum Indorum reliqui quinque singuli octiregalia penderent, vetuit Philippus V. ne quid novi statueretur. Monitus deinde, neque tributum ut erat modicum exacte pendi, jussit inquiri, & falsitate comperta anno 1716. per D. Brunonem Mauritium de Zavala Prætorem, regiam Jesuitanis Indis fidem obligavit, non committendum ut majus unquam imponeretur onus.

Reductiones Doctrinæ judicantur.

Binis a Philippo IV. litteris anno 1650. & 1652. datis guaranicæ Reductiones Doctrinis adnumeratæ sunt. Sic appellantur in America Hispanienſi Curatus seu propriæ parœciæ (e). Injunctum simul Curiæ Charcarum, ut jus regii patronatus observari faciat: idque denuo inculcatum & perfectum est decreto 15. Junii 1654., ut hæ Doctrinæ reliquarum juri obnoxiæ sint: ut Jesuitarum Provincialis, vel Missionum Præfectus intra suos quisque fines, dum obitu vel discessu curatoris Doctrina vacat, tres exhibeat candidatos, e quibus Prætor pro patrono unum seligat (f). Quodsi subesse his ordinationibus Jesuitæ renuant, Prætor cum Episcopo Diœcesano sæculares, vel alius Ordinis Regulares constituat.

Verum scire oportet, statuta hæc fuisse tempore Sociis Paraguajensibus difficillimo. Hispaniam & Europam inundaverant odiosa adversus Missionarios scripta, a partibus D. B. C. Episcopi Assumptionis evulgata; nec aliam fidentius criminationem jactari solitam, quam regalia fraudasse. Strenue causam egerunt pro se; sed tempore fuit opus, quod nihil non vagum & in genere objectaretur. Præses de cætero Senatus Indici minus erat propitius: quod memoratis decretis occasionem fecit.

In duobus primis ad Charcarum Curiam datis Provincialis arbitrio permissum erat, ut Doctrinarios etiam indicta causa removeret, dum tres alios Vicepatrono exhiberet, unum ex integro selecturo. Legibus his per Prætorem Paraguarium & Bonaurensem denuntiatis Jesuitarum Provincialis pronus acquievit.

Moderatio habita.

Acquievit utique præter spem eorum, qui hæc a Rege diffidentiæ extorserant documenta. Laqueum paraverant, concedendo vitatum. Noverant Socii, & ex narrandis constabit, depopulandas Reductiones, si ut licebat, respondissent, ab Instituto laicos curatus possideri alienum esse. Silentio & submissione confecta res. Prætoribus & Episcopis morem gerunt, quibus „ Cum persuasum sit, ait D. Antonius Ulloa (g), nulli quam Provinciali subditos esse notiores, ejus invicem arbitrio remittunt pastores Reductionibus, ut pridem fiebat, præponendos. “ Nomen *Reductio* pariter ac *Doctrina*, etiam in novissimis Regis Catholici rescriptis indiscriminatim adhibitum reperio.

Missionarium ordo.

In singulis Reductionibus duos ut plurimum dixi esse Jesuitas: quorum alter recens ab Europa missus, aut a schola sacerdos, Parochi vicarium simul agit, atque linguam Indicam comparat. Tertio interdum opus est, ut

(a) Vulgo, Un peso de ocho reales * de plata. Exempti sunt præter fœminas cujuscunque ætatis Caciqui, eorumque primo geniti, & aliqui officiales R. P.

(b) *D. Garcia de Sarmiento y Sotomajor*, qui ab anno 1648. ad 1655. Peruvio præfuit.

(c) Unus Paranæ & Uruguais præerat Missionibus; quamquam de dividendis aliquando deliberatum fuit.

(d) Non de collegiorum bonis alitur, sed de pensionibus Parochorum. Scilicet pro singulis Reductionibus media sufficitur synodalis pensio, ideſt 300. octi-regalia *Ensajados*: quo victus & parochi, & Superioris, & Sociorum quotquot Reductiones colebant constabat.

(e) Doctrinæ vocantur parœciæ, cum Indorum sunt, & foraneæ.

(f) Prætor unum seligit, sed præsentandum Episcopo, a quo tantum canonice instituitur Doctrinarius etiam Regularis.

(g) Relacion del Viage a la America Merid. Lib. 1. cap. 15.

Digitized by Google

ut in frequentiſſimis contagiis : neque duo tunc ſolandis ægris, ſacramentis adminiſtrandis, mortuis ſepeliendis ſufficere poſſunt (*a*). Miſſionariorum de reliquo perfecta eſt ſubordinatio. Superior (*b*) eſt Parochus in ſua quiſque parochia: & ejus domus, quam ſex a ſacris ædibus pueri inhabitant (*c*), inſtar collegioli eſt, in quo æris campani ſonitus agenda moderatur. Ipſe licet a Rege conſtitutus Miſſionum Præfecto, & Provinciali ſtatas viſitationes obeuntibus obnoxius eſt (*d*). Nec abeſt a vero laudatus Ulloa, apud quem cuncti Miſſionarii recte ordinatæ familiæ ſpeciem referunt.

Numerus Reductionum, & diviſio.

Reductiones hac tempeſtate triginta numero ſunt, quarum terdecim ad Paranam ſpectantes Epiſcopo ſubſunt Aſſumptionis : & Prætori Paraguario ſuberant, donec anno 1726. ex cauſis deinde narrandis proviſionali Philippi V. mandato jus Prætoris Bonaerenſis ſubierunt. Haud ita poſt de augendis neophytorum vectigalibus integrata eſt apud Regem contentio, ſed refutata decreto 28. Decembris 1743., quo & condonatur ſiquid antea eſſet ea ratione debitum, præſtitæ videlicet fidelitatis & meritorum gratia.

Ex his meritis, & negotio Hiſpanis ſæpe ab Indis non ſubditis vel rebellantibus faceſſito, conſtat e re fore, ſi univerſi Americani eadem atque Jeſuitani Paraguajenſes habiti eſſent ratione, in quam tot odia collata ſunt, ſed quam immerito eo maxime liquet quod immunitas decimarum in reliquis ſive regularium curæ commiſſis, ſive ſæcularium, intacta, in ſolis Jeſuitanis oppugnaretur (*e*). Impetratum eſt anno 1694. edictum ut decimarent, ſed referente capitulo Aſſumptionis præter morem eſſe reliquorum, etiam cum facultates ſuppetunt, cenſuit Senatus, cavendum novitatis diſcrimen. D. Joſephus de Peralta deinde Epiſcopus Bonaurenſis ut ex ſeptemdecim Reductionibus ad ſuam diœceſim ſpectantibus decimas exigeret ſuggerentibus aſſentire noluit, impotentiam, quam expertus erat, novi oneris portandi cauſatus (*f*).

Regimen interius Reductionum.

Interius Reductionum regimen Miſſionariis maxime nititur proculdubio. Gentis natura, ut eſt conſilii & mentis inops, petit ut omnia temporalia & ſpiritualia negotia dirigenda ſuſcipiant. Habent nihilominus Reductiones ſingulæ eoſdem civiles & forenſes atque Hiſpana oppida Magiſtratus: Conrectorem vulgo *Corregidor* coram Miſſionario ab Indis electum (*g*): Rectores vulgo *Regidores* & *Alcaldes* pariter electos, ſed a Prætore pro Rege confirmandos. At pœnas infligere quidquamve gravis momenti ſtatuere inconſulto paſtore nequeunt (*h*). Pœnæ de reliquo neophytis non majora meritis, precibus, jejuniis, carcere, verberibus conſtant. Antequam cuſtodiæ tradantur, ſuavi ratione cavetur, ut ſontes ſe noverint : quod facilis negotii eſt. Scuticam modeſte ferunt (*i*) : nec auditum eſt quemquam animi adverſus judices acerbati ſigna protuliſſe : „ Hoc paſtoribus credunt, ait D. Antonius Ulloa, ut vel inſontes meritas dediſſe pœnas arbitrentur. “ Eſt tandem in quaque Reductione Caciquius, veluti oppidanorum caput; ſed eſt munus potiſſimum militare (*k*).

Commercium cum Hiſpanis.

Cavendum maxime neophytis viſum eſt a conſuetudine Hiſpanorum & uſu : & ne his niſi Epiſcopi vel Prætoris comitatum explent, liberum ſit Reductiones ingredi. Cavendi neceſſitas palam fiet (*l*), ſi quantum hos inter & reliquos diſtet neophytos, præ oculis habere quis velit. „ Firmitas Patrum Societatis, ait Ulloa, in prohibendis Hiſpanis, Indis, Miſtindis Reductionum aditu, multis adverſum eos calumniis occaſionem fecit, ſed prohibendi cauſas nemo ſenſatus non probat. Alioquin Indi, qua ſunt morum innocentia, perfectaque docilitate, qui unum in cœlo Deum, in terra unum cognoverunt Regem, quibus a paſtoribus nihil pravum, nihil non ſanctum tradi perſuaſum eſt, quibus injuſtitia, vindicta, & reliqua perturbationum peſtis ignota eſt, brevi degenerarent. “

Idiomatis etiam Hiſpani uſu fere uſque in præſens prohibiti ſunt (*m*) Indi, legere tantum Hiſpanice & ſcribere docti. Latine etiam legere & ſcribere ſic docentur choro addicti, ut linguam perfecte callere putaveris. Quæ non intelligunt exemplaria eleganter & caſtigate

(a) Accedit neceſſitas identidem diſcurrendi, viſitandique diſtantiſſima interdum paſcua, ubi familiæ plures ſedem habent.

(b) Parochi in Socium jus nullum eſt; ſed ex æquo ſubeſt uterque Miſſionum præfecto, videlicet quoad regularem obſervantiam.

(c) Nullus Patrum domum inhabitat permanenter præter eos & janitorem ſenem, quamquam a multis per diem frequentatur.

(d) Hæc ſubordinatio ad Superiores regulares non tollit quin Epiſcopo ſubſit Doctrinarius in his quæ ad munus parochiale ſpectant, cum illa ſubordinatio ſit in pertinentibus ad diſciplinam regularem.

(e) Revera nullus Indorum immunis eſt a decimis; nam certa tributi pars parocho cedit pro decima.

(f) Vide hujus Prælati literas ad Regem datas poſt editum Philippi V. 28. Dec. 1743. typis vulgatas. Nihilominus mandato Ferdinandi VI. Reductiones pro decimis erogant ſingulæ octiregalia centum argentea, quæ piiſſimi Regis placito promovendis novis Reductionibus erant addicta.

(g) Coram Parocho electiones has peragi jubet lex 15. t. 3. lib. 6. Rec. Ind.

(h) Quid pœnarum poſſint infligere Alcaldes Indi determinat lex 16. eod.

(i) Imo verberati ad judicem ajunt : „ Gratias tibi quod intellectum mihi dederis. “

(k) Caciquii nomen eſt, non officii nec militaris, nec civilis, ſed nobilitatis, ut *Marchio* vel *Comes*.

(l) Erant in Reductionibus paucæ moderato Hiſpanorum commercio colentes mutuos uſus. *Pueblos de abaxo* vulgo dicuntur, ſuntque Paraguariæ finitimi. Et in his fuit qui obſervaret morum diſcrimen a reliquis Reductionum pagis. Vide Epiſtolam Ill. Fixardo ad finem hujus libri.

(m) Prohibiti nullo tempore, nulla ratione ſunt; ſed nullo tempore, nulla ratione ſunt coacti ut Hiſpanice loquantur.

Digitized by Google

gate transcribunt. Nempe ad bellum, vel ad opera regia peregre profectis aderat indivisus comes Missionarius, quo utebantur & sacrorum ministro, simul & interprete: atque Indis indiscreta Hispanorum consuetudo foret periculo (a). Nihilominus Philippus V. ne quid inde siniſtrarum opinionum adversus Missionarios emergeret, cavit decreto 28. Decembris 1743. ut omnes Hispanice loqui docerentur. Sed aspernantes idioma non patrium ægre vi compuleris (b).

Indorum natura.

Indos mentis esse opilatæ sæpe vidimus, nec sensibus altiora comprehendere. Stupidos rati primi pastores de capacitate ad sacramenta dubitarunt. Consulta Limana Synodus Provincialis (c) respondit cautissime procedendum. At brevi perspectum est, spiritum intelligentiæ qui lactentibus infundere novit, eum his neophytis sensibilem in modum communicari. Quo nullum fortasse nitidius religionis quam colimus, ejusque sanctitatis & veritatis documentum sit, dum simul durissima corda sublimioribus penetrat sensis, atque mentem irradiat.

De artibus, & musica.

Traditas artes quasi instinctu didicerunt; sed traditæ sunt tantum ad extera subsidia non emendicanda necessariæ. Ad nova excogitanda rudes, facile imitantur objecta. Ostende crucem, candelabrum, thuribulum, suffice materiam: & ægre dignoveris opus & archetypum. Instrumenta musica conficiunt & tractant. Et exquisiti artificii organa, sphæras astronomicas, attalicos tapetes effingere sola inspectione visi sunt. Speciem quamvis objeceris, ære levigato cælant. Aurem habent ad harmoniam natam. Vidit Cataneus (d) duodenem pulsu certo atque citato difficillimos Bononienses modulos fidibus canentem. Vox de reliquo clara & resona: quod indigenis fluviorum aquis attribui diximus. Propterea Missionarii, cum ad divini cultus commendationem, tum ad doctrinæ facilitatem accommodatius nihil experti, musicorum choros in singulis oppidis constituerunt.

Quomodo Religioni conciliati.

Etiam ad frequentandas Reductiones valuit hæc propensio. Dum Missionarii itinerum tedium canticis spiritualibus levant, silvicolæ accurrunt, & arrectis auribus adstant. Occasione data canticorum explicant argumentum, & quasi melodia capcis, transformatisque nullo negotio persuadent, ut sequi se velint, atque ad fidei sensa, & sublimiora religionis documenta faciles experiuntur. Per eas sic silvas re perfectum est quod de Orpheo & Amphione fabulantur.

Disciplina & officinæ.

In quavis Reductione ludus puerorum est ad legendi scribendique disciplinam; alius etiam musicæ & saltatorius. D. Antonius de Ulloa quosdam ait latine doceri, & perfecte addiscere. Crediderim tamen rei summam recte legendo & pronuntiando constare. Miratus est Cataneus Bonas Auras transvectus puerulum neophytum e suggestu legentem latine & hispanice, quo non melius quisque posset vel peritissimus utriusque linguæ. Scripta dixi eleganti forma describere: & extat hodiedum Matriti justæ molis volumen Indi manu scriptum eo charactere & nitore, ut cultissimo cuique scribæ honori sit.

Sunt ubique inauratorum, pictorum, sculptorum, aurificum, horologiorum opificum, serrariorum, lignariorum, textorum, fusorum, omnium utilium artium officinæ. In has convecti pueri ex quo laboris patientes sunt, officio applicantur, in quod natura artis videlicet duce propendent. Magisterium primitus penes Jesuitas erat conversos eo consilio missos. Missionariis interdum aratrum regere, stivam premere opus fuit, ad parandam messem incitamento & exemplo. Templa tandem a neophytis, Hispaniæ & Peruvii structura, & ornamentorum opulentia pulcherrimis comparanda data forma erecta sunt.

Domus, & fœminarum labor.

Ædibus diu nihil rudius, nihil impolitius: Illitis luto cannis extruebantur, nulla fenestra, nullo camino, non sede, non lecto. Pensilibus cubabant hamachis seu retibus, interdiu convolutis. Medium tenebat focus. Ostium fumo & luci via singularis erat: nec ulla circum solo jacentibus in tota domo supellex. Hac ætate domos inhabitant, quales e grege Hispani. Stant quædam sectis lapidibus & tegulis. Fœminis atque viris suus quibusque labor est. Certum lanæ pondus & gossypii ineunte hebdomade distribuitur: quod exeunte reddunt texturæ paratum. Agrariis etiam laboribus, qui nec viros fœmineas, nec captum superent, occupantur.

De Commercio.

Peregrinis indigentes mercibus fructuum patrii soli & industriæ commutatione sibi provident, herbæ præsertim paraguaicæ commercio, cujus plantaria in singulas Reductiones deducta sunt: cujus extractio ut est ibi terrarum usus vulgaris, non fallit. Ex Maracaiu silvis semen translatum supra dictum est: quod in plantariis minimum degeneravit. Quæ omnia in memorato Philippi V. decreto explicata sunt. Commercii ratio vertitur in crimen; eam vero ratam habuit Princeps, & ejus reipublicæ conservandæ probat necessitas.

Armorum usus.

Mox narrabo causas petendi & concedendi neophytis armorum igniferum usum. Ad vindicandum eunctorum excidium vel defectionem erat plane necessarium. Et facta quidem potestas Regum Catholicorum maxime interest in præsentia. Altum Hispani novitati reclama-

(a) Nullum fere bellum ea locorum est; in quod cum Guaraniis Correntini, & Paraguajenses Hispani non conveniant. At Correntinis & Paraguajensibus vulgarior est sermo Guaranicus Hispanico.

(b) Jus Indicum leg. 18. t. 1. l. 6. præcipit, ut Indi sermonem Hispanicum doceantur; *Los que voluntariamente quisieren aprender*. Nec aliter jussum a Philippo V., quam ea lege doceri.

(c) Vide Concil. Liman. II. Constit. 58. Et Concil. III. Act. 2. Cap. 19. & 20. Lib. 6. tit 1. leg. 19. Recop. Ind.

(d) Cajetanus Catani supra laudatus.

Digitized by Google

marunt; sed privatum inuentes commodum. Nihil non ad revocandam gratiam motum est: nec est aliud quod plurium annorum spatio Indico Senatui plus negotii facessiverit, nec quod majore adversantium contentione susceptum sit; sed prævaluit tandem christianitatis commodum. Philippus V. cum probe nosset, Missionariis omnium maxime expedire, ne datis armis abutantur Indi, non aliud quam Provinciali mandata dedit 28. Dec. 1743., ut cum Sociis de cautione adhibenda deliberaret. Quodsi motuum rumor aliquis insurgat, opportuna suggerat, ut cohibeantur. Sed a neophytis eo minus timendum est, quod eorum felicitas & securitas fide nititur; fides libertate, quam soli regis & regni hostes oppugnaverint.

Bonorum administratio.

Sunt qui credant, nihil in hac republica proprium a quoquam possideri; ac per hebdomades cibos, per intervalla longiora singulis familiis indumenta distribui. Id forte usus obtinuit, dum novi nec in tuta convenerant loca, nec agri laboribus assueverant. Sed collocata jam sede, agri per familias divisi sunt, qui si rite colantur, victum suppeditant. At necdum norunt, & pronum est, quo sunt ingenio, & ut est præsens educatio, ut nunquam superflua noverint. Constat de reliquo satis, quid terra ferat; quid & quantum eorum commercium quod palam fit; nec avidos Quæstorum oculos latet, latereve potest.

Dispar est agrorum fœcunditas. Paranaenses tropico finitimi ceram, mel, maizium, & xylum procreant. Qui austrum respiciunt lanam, cannabem (a), & frumentum. Pascua pecudum & armentorum gregibus abundant: piscibus & feris nemora & amnes. Igitur quod regio propria non fert, ignoto præterquam ad aras auro argentove, commutatione quæritur. Verum præter agros singulis familiis attributos sunt communes, quorum proventus in publica refertur: promptuaria, improvisis necessitatibus; Ecclesiarum & cultus divini sumptibus, viduis, orphanis, infirmis, altari servientibus, peregre bello aut regiis laboribus distentis, Caciquiis, Conrectoribus, Officialibus reipublicæ intentis, indigentibus quavis de causa futurum levamen, & messium jacturæ supplementum, quod & in alias Reductiones prorogatur. Reliqua, si quid est reliquum, in commercium abeunt, ex cujus proventu vectigal penditur, bellica instrumenta comparantur, & apparatus a Rege non suffectus, ac tandem aurum, argentum, ferrum, æs & chalybs ad armorum fabricam, & altarium ornatum.

Oppida. Armamentaria. Indorum incuria.

Amplæ satis sunt Reductiones. Calles ad lineam sibi respondent. Forum, quod præter porticum Ecclesiæ propylæum est, medium tenet, cum armamentario, ubi arma, & instrumenta belli deposita sunt (b). Singulis hebdomadis lustrantur copiæ, & simulato certamine exercentur; sunt enim in quoque pago binæ cohortes, quarum duces vestibus auro vel argento pro gradu figuratis insigniti sunt; quibus tamen extra bellum, aut bellicam exercitationem non utuntur (c). Municipali etiam fungentes Magistratu suo distinguuntur habitu.

Vulgare tamen virorum indumentum thorace constat & femoralibus cum stragulo ex tela alba infra genua defluente. Aliquando colorem stragulum alternat, insigne meritorum. Fœminarum habitus tunica talaris non manicata (d). Hac sola teguntur dum agro dant operam. De cætero laxam cycladem superinduunt. Omnes subter genua, & capite nudi sunt (e): & fœminæ capillos tendunt pro velo. Onus portandum lori, quod fronte sustinent, extremitatibus alligant Canadensium instar.

Ædificia publica.

Secundum Ecclesiam habitant Missionarii. Promptuaria, officinæ, horrea, ubi fructus communes deponuntur, sub eadem linea sunt. In pagis ab urbe remotioribus, & in mediterraneis sæpe ob inopiam ferri ex lapide vel ligno igni durato conficienda sunt instrumenta laboris. Æs, ad tintinnabula fructuum commercio Chiles oppido Coquimbo reportatur: & quibuscumque in Hispanicas urbes mercium causa profectis sumptus itineris & cultus ager exhibetur. Rerum pretia stata sunt, ut nunquam mangonizare sit opus.

Rei cibariæ difficultas.

Quantalibet cura, Missionarii in summa rei cibariæ difficultate sunt sæpe: quod in tria Guaraniorum vitia referendum est. Improvidi, pigri, nec œconomici sunt: unde fit ut plerisque neque serendo frumentum ad annonam sufficiat. Suppeditandum tunc quidem est; sed tantumdem ex messe repetitur. Ac de reliquo providendum cominus, ne victu necessario careant. Ejus videlicet voracitatis sunt, ut esus appetentiam saturitas provocare videatur. Principio cavendum erat de bobus, ne post diurnum laborem sub jugo relinquerent pigri; nove quod iterato contigit, vorandos jugularent famem causati.

Ergo censores constituendi fuerunt: qui bipedum operas, & quadrupedum statum visitarent; quique in fontes animadverterent: quod hodie raro fit. Noxam celandi studio carent, & pœnam taciti subeunt. Puerilia peccant, nam etiam senes pueri sunt ut plurimum, & vitiis, & dotibus. Nihilominus plurium familiarum ad finem usque anni providendum est victui, nam respublica latrones ac otium verita mendicos non fert. Otiantibus agri commu-

(a) Genus est cannabis in his locis ignotum. Sed abundat *Caraguata*, carduus sponte nascens, ex quo stamen cannabino simile confici potest; sed vulgo negligitur.

(b) Armamentarium pars est ædium curialium.

(c) Imo usus est in festis solemnioribus, cum sacris, tum profanis.

(d) Imo manicata.

(e) Hac ætate sat vulgaria sunt virorum tibialia, pileus, & subucula.

Digitized by Google

munis, *Tupambae* (*a*) vocant, colendi pœna indicitur, associatis utique quibus magis fidendum sit cultoribus. Eodem patresfamilias filios, ut laboribus assuescant, mittere debent, qui nisi pensum viribus par absolverint, meritas dant pœnas.

Reductionum communio.

Eo commodissimum existit regimen hoc, quod nullus otiari sinitur, unione de cætero perfecta & mirabili, non tantum in pago quolibet, sed in tota pagorum universitate emicante. De meo ac de tuo nulla quæstio: nihil suum novit, qui rerum suarum copiam indigenti facit, qui non minus alienis, imo quandoque magis quam suis commodis insudat. Sic Indorum vitia in pretiosissimos communionis & Christianæ charitatis usus conversa sunt. Illud est quod in summa felicitate desideres, in singulis pagis, vel regionibus nosocomium & medicinæ, quales apud Moxos, ubi a Peruanis Sociis respublica instar Guaranicæ constituta est. Sed in Peruvio subsidia potiora quam in Paraguaria sunt, ubi major est inopia (*b*), & Indi soli Regi & Regiæ Coronæ obnoxii aversis oculis despiciuntur.

Regimen ecclesiasticum.

Subordinatio quoad spirituale regimen Christianæ communitatis juvat harmoniam. Utcumque res curatoribus cesserit, operam nunquam non subsidiariam primis Pastoribus contulerunt; & quidquid contra vulgatum est, vel concidit ultro, vel plane refutatum sanctissimorum in Paraguaria, Tucumania, & Bonis Auris Prælatorum testimonio. Imo nullum a Missionariis opus vel susceptum vel perfectum est, nisi auspiciis Episcoporum, nec unquam in obeundo ministerio independentiam affectarunt, privilegiis Apostolicis non aliter usi atque Regulares cæteri vel submississimi. Quin etiam Regum Catholicorum in statuendis ubivis Reductionibus, & superiorum suorum arbitrio moderandis imperio fulti, Episcopis pastores alios subrogare volentibus concesserunt, etiam prævidentes quod sæpe contigit, gregem dissipatum iri.

Visitatio Episcoporum.

Episcopi Reductiones, maxime Bonaërenses raro visitarunt, ob locorum videlicet distantiam. Iter est difficile, periculosum, & Prælatis quorum redditus modici sunt, etiam Indis sumptuum bonam partem suppeditantibus, dispendiosum. Compertum vero est, nec a Missionariis, nec ab Indis prohiberi, quin frequentius iteretur, imo summis expeti votis. Episcoporum aditum Indi exoptant, ne sacramenti (*c*) confirmationis expertes sint. Exoptant Missionarii, cum renovandi Christianitatum fervoris causa; tum quia nunquam non ex visitatione nova calumniatorum confusio, novumque a Rege ex Episcoporum testimonio documentum approbationis accrevit.

Cum Bonis Auris in Reductiones navigatio uruguaica difficilis sit, quam infideles habent infestam, nec usquam quo divertas intersit, sed vel lectus dormituris portandus sit, dum indicitur visitatio, duo treſve Missionarii cum neophytorum manu ad Episcopum convehendum Bonas Auras petunt. Alii neophytorum manipuli ad abigendos hostes, ad comparanda cibaria, ad alternandam vecturam per intervalla collocantur. Ideo magis necessarium est, quod sæpe pustularum lue, vel alio morbo simul affectis vectoribus iter intercluditur.

Appropinquantis prælati nuntium lætabundi excipiunt: & duæ equitum alæ procedunt obviam. Dum in conspectum comitatus ventum est, signa explicant, atque salutatoriis evolutionibus operantur. Equo desiliunt, prosternunt se ante Prælatum, manum osculantur, & benedictionem reverentes excipiunt. Quatuor a pago millia procedunt Caciquii, & copiarum duces, Subprætor, & Magistratus, Præfectus Missionum & Doctrinarius cum Sociis quotquot e vicinis convenerint pagis. Prælatum reverentur, qui genu flexis benedicit. Sequuntur peditum manipuli, acie sub vexillis instructa. Tympanorum tubarumque soninitu campi resonant. Episcopus per medias graditur viam insidentium alas, quæ deinde ordine ad pagum usque non interrupto comitatum claudunt. Festo organorum concentu in templum admittitur, quo fœminæ virorum concursu nunquam non prohibitæ cunctæ præveniunt. Pietate ac modestia ornantur. Sincera hilaritatis ob Pontificis adventum documenta spectatoribus lacrymas cient: nec intermissas toto visitationis cursu prælati plures testati sunt. Fœminis genuflexis, & supplicem in modum manus tendentibus bene precatus ad altare subit & orat. Præcinit deinde sequente musicorum choro *Te Deum*, ac tandem in paratum conclave succedit, & universa familia quam potest commodissimo habetur hospitio. Visitationis tempus visitando teritur, præsertim confirmandis neophytis. Alternantur ludi tamen eo ordine, & elegantia, quam vel in Europæ cultissimis civitatibus requiras. Acclamationes ubique Prælatum præcedunt & sequuntur. Quacumque via est, floribus & odoriferis vernat herbis: triumphales arcus, unde omnigeni pendent fructus & flores subit. Sed supra modum miratur neophytorum vicem, dum eos infidelibus quos forte novit, vel Christianis aliis Hispanorum servis comparat.

Mirantur Episcopi parvulos ad confirmationem

(a) *Tupambae*, res Dei sonat: quo nomine communis ager appellatur, quod proventus ad divini cultus ornatum adhibeatur, quamquam & aliis usibus deservit supra memoratis. Hæc vero bonorum communio instituta vel confirmata est lege 10. tit. 4. *De las Cauas de Censos*. lib. 6. Recop. Ind.

(b) Plus nocuit quam inopia opum opinio commentitia.

(c) Providit tandem Benedictus XIV. Constit. data 2. Mart. 1753. ut Missionum Præfectus, vel eo impotente alius sacramentum certis conditionibus impertire posset.

Digitized by Google

nem exhibitos de excellentia gratiæ ſuſcipiendæ, ac de impoſitis obligationibus conſcios. Solemniſſimo apparatu fit ritus, in quem nemo non convenit, ex quo nunquam non fervoris incrementum Eccleſiis accedit. Quam poteſt diu Prælatus immoratur; ac diſceſſus lacrymas neophytorum, quibus ipſe ſuas nequit non affundere, movet. In proximum pari comitatu pagum, & exacta cunctorum luſtratione reducitur Bonas Auras. Nec alia eſt ratio viſitationis ab Epiſcopo Aſſumptionis ad Paranam obeundæ.

Prætorum aditus.

Provinciæ Prætor viſitatoreſve a Rege Catholico ad Reductionum conſum ablegati, ritu quidem militari, ſed pari zelo & ſubditæ fidei documentis accipiuntur. Præpoſitus Jeſuitarum dum primo viſitat, inſolito populi motu gaudium animi oſtentant, multo reſutatis honoribus præſtantius. Siqui neophytorum, dum recens advenit miſſionum ſupplementum, Bonis Auris ſint (ſunt vero multi, ſi faveat nuntius;) omnia læta comminiſcuntur & feſta, quibus urbana commoratio ſit brevior. In his eſt quod ſpectacula ſapiat, quorum narratione viatores maxime proteſtantes itineraria ſucant, utique Jeſuitarum diſpendio.

Sed cum ea ſcribentes, tum plerique animi cauſa legentium, animadvertere nolunt, quo ſpiritu fiant, ideas pro varietate regionum eſſe varias, aliquid eſſe dandum barbaris recens cicuratis, benevolentiam & gratitudinem geſtientibus adverſus eos oſtentare, quorum opera e barbarie, & idololatriæ tenebris, in cœli lumen, in vitæ commoda, in libertatem maxime poſt tot adverſa vindicatam, extracti ſunt. Veterem ſuæ gentis, & hodiernum aliarum ſtatum dum recogitant, mirandum non eſt ſi Patres ament ſine modo, & amorem ritu ſuo manifeſtent.

Eos invicem Patres ut filios amant, nec eſt quod eorum gratia non ſuſcipiant onus. „ In viſitandis, inquit Ulloa, ſiquo indigeant familiis, cuncta alioquin negligentibus, toti ſunt. Adſunt macello, non tantum ad diſtributionis æquitatem, ſed nequid pereat. Valetudinarios viſitant, & ope juvant. Tria hæc plurimam diem occupant, ut vicariorum operæ magna miniſterii pars relinquenda ſit. “

Pœnitentia publica.

Indorum inſtabilitate, & innata quædam vitia extirpandi difficultate, publicæ pœnitentiæ uſum, fere ut in primitiva eccleſia conſtitui oportuit. Qui pietate præſtant, eliguntur ut invigilent, quibus dum peccatum quod ſcandalo eſſe poſſit, innotuit, reum habitu pœnitentiæ circumdant, in templo reatum confiteri palam, & in foro vapulare jubent. Correctionem taciti, imo gratiam habentes ſuſcipiunt, & relapſum cavent. Sæpe viri, interdum fœminæ, quæ non alteri atque Deo nota peccant publice fatentes pœnam depoſcunt: quod tamen cautiſſime fit. Quin imo petentibus præſertim fœminis publicæ confeſſionis copiam, difficile annuitur.

Pia opera.

Probatis per eccleſiam exercitiis neophytorum corda ſpiritu religionis foventur. Non prius ad communionem corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti admittuntur ethnicis parentibus orti, quam facto juxta mandatum Apoſtoli periculo cibum animi dignoſcant, & eſuriant. Opera datur, ut intelligant qua mentis puritate & diſpoſitione ad angelorum epulum accedendum ſit: & accedunt quidem ſic comparati, ut & duriſſima corda molliverint.

Templa & Dei cultus.

Cognitum a principio fuit, ad loci ſancti & divini cultus reverentiam Indis apparatu exteriori opus eſſe: quo conſilio ſacrorum pompæ & ſplendori non parcitur. Ampla ſunt templa, duabus præter pronaum alis, interdum quatuor conſtant: paulo quidem pro longitudine & latitudine depreſſiora, quod ſimplicibus columnis lacunar innitatur. Quæ latiſſima ſunt, quinis ut minimum altaribus ornantur, quorum medium quod & maximum eſt, auguſta & miranda eminet mole. Vel Hiſpanis eſt miraculo magnificentia (a), & linteaminum, ornamentorum, argentique copia. Non alia re vertitur oppidorum æmulatio: & aliquando templum inopia preſſi a fundamentis reædificarunt, ne ulli non eſſet magnitudine par.

Pictis Chriſtianæ religionis myſteriis, & ſanctorum veteris & novi teſtamenti geſtis quaquaverſus decorantur. Picturas dividunt zophori viridantes ſemper & floridi. Floribus etiam pavimentum ſternitur ſolemnioribus feſtis, odoriferis irrigatum aquis. Parvo ſtant hæc in regione ſemper amœna, cujus incolæ gratis odoribus delectantur. Eo reſpicitur, ut mente percipiant, innocentia morum & ſenſuum puritate ſpargendum bonum Chriſti odorem, virtutum ornatu decorandos animos, ut viva Spiritus Sancti templa ſint.

Neophytorum virtutes.

Supra ſpem ceſſit conſilium. Emicat modeſtia, reverentia, tenera devotio ſacris myſteriis & precibus adſtantium. Emicat ad catecheſim & conſuetas hortationes attentio, quæ dum actu contritionis elata voce terminantur, ſuſpirant, ſingultiunt, geſtiunt peccata publice fateri: quod ne faciant, qua valent apud eos Miſſionarii authoritate, cavendum ſæpe fuit.

Refugia.

Sic eo ventum eſt, ut vitia quædam, præſertim ebrietas, in quæ vi pene inſuperabili propendent Indi, exterminentur, & neophytis ea inſpiretur conſcientiæ teneritudo, ut vix quidquam præter levia ad pœnitentiæ tribunal expiandum deferant. Litteris ad Regem Hiſpaniæ datis teſtatur Ill. Faxardo Epiſcopus Bonaerenſis, opinari ſe totius anni ſpatio, ne unum quidem peccatum, quod mortale ſit, in his Reductionibus patrari. Tribunal ſacrum nihilominus eo dolore tacti frequentant, ut

(a) Fuit Hiſpanus, qui rebus prope examinatis animadverteret, in omnium pauperrimi S. Coſmæ oppidi templo majorem eſſe ornamentorum, & argenti copiam, quam in Cathedrali Aſſumptionis,

Digitized by Google

ut raro ſiccis oculis abeant. Nihil quo Deo diſplicendi timore corda pungantur prætermiſſum eſt: & ad vitandam vel minimam innocentiæ maculam, domus refugii viduis, & prole carentibus fœminis, quarum mariti peregre abſunt, recipiendis conſtitutæ ſunt. De communi victus ſuppeditatur, dum proprius non ſufficit labor.

Mira neophytorum ſanctitudo.

Mirandum non eſt, tanta Deum in puris animabus operari, & Indos quos, ut eſt mentis inopia, ſegregandos ab eccleſia credideranr non penitus indocti, hodiernum eſſe decus eccleſiæ, & præſtantiſſimam fortaſſe Chriſtiani gregis partem. Illud eſt certum eorum plures ad eximiam ſanctitatem provectos eſſe: pleroſque omnes terreſtrium bonorum contemptum colere quantum opedivinæ gratiæ licet, omnia indigentium ſolatio, ac domus Dei decori poſthabere paratos; conſcientiæ ducturos ſi in rerum pretioſiſſimarum uſu commodi ſui rationem haberent. Exempli gratia: Apes quaſdam eſſe narravi *Opemus* nomine candidiſſimæ ceræ opifices. Hanc totam neophyti ante B. Virginis ſigna comburendam conſecrarunt: & Jeſuitæ aliquando ut inopiæ levandæ ſubſidium reſervarent ſuadenti reſponderunt: „ Matrem optimam cui donum conſecravimus, opem indigentibus laturam non dubitamus. “

De divino cultu.

Templum frequentant, qui tempus liberum orationi dent. Prima luce parvuli utriuſque ſexus ſigno dato conveniunt, doctrinam Chriſtianam poſt preces uſque ad ſolis ortum cantu redditurі. Adſunt deinde ſacro etiam majores natu viri ac fœminæ, quo ad opera diurna ſe parant. Veſpere templum repetunt parvuli catechiſmi cauſa, quem cunctorum, qua fieri poteſt, preces cum Roſario ſequuntur. Feria ſecunda ſolemne ſacrum votivum (a) B. Virginis, aliud pro mortuis celebratur. Dominicis & feſtis ſub auroram omnes conveniunt, & doctrinam Chriſtianam canendo recitant. Matrimonia, ſi res ferat, celebrantur: nec arcentur proſelyti, nec infideles, obſervatum quippe eſt, rituum ſolemnitate Religioni conciliari. Denuntiantur feſta & jejunia per hebdomades occurrentia, & Epiſcoporum edicta leguntur. Poſt ſacrum de abſentibus, ac de quibus conſulto ſit opus inquiritur. Poſt prandium baptiſmus infantibus & catechumenis confertur. Sequitur veſperarum cantus, preces & roſarium. In ſodalitatibus autem veſpertinas preces excipit hortatio.

Sodalitates.

Sodalitates eodem vertuntur inſtituto atque reliquæ apud Jeſuitas erectæ, & in claſſes varias dividuntur. Sodalitati S. Michaelis adſcribuntur duodenni majores uſque ad trigeſimum ætatis annum. Reliquæ ſub tutela Matris Dei ſunt, quibus accenſentur qui charitate erga proximum, boni ordinis & infidelium converſionis zelo præſtant, qui in ſacramentis ſuſcipiendis aſſidui ſunt. Vel timor ne forte nomen e ſodalium albo deleatur, in officio continet. Sat eſt intemperantia, quæ cujuſvis offenderit oculos, ut quis cœtu exigatur: nec aliud potioris fuit uſus ad extirpandum hoc vitium.

Sic tantus ebrietatis vitio, quo nullum univerſalius & obſtinatius, conciliatus eſt horror, ut urbes adeuntibus perſuaderi nequeat ut bibant. Vinum, ajunt, quod Hiſpaniæ fructus eſt optimus, toxicum ſibi eſſe. Adverſus incontinentiam ebrietatis ut plurimum appendicem, non minor ſolicitudo: & noxa id genus minima a Reginæ Virginum ſodalitio alienare ſufficit.

Contra impuritatem cautela.

Fœminæ impuritatem ſic horrent, ut minimam licentiam acerbiſſimis pœnitentiis & humiliationibus ſponte ſuſcipiant expiandam: & ſæpe adoleſcentulæ ab infidelibus provocatæ occidi maluerunt quam violari. Ad majorem tamen ſecuritatem hortatio ad cœlibatum hucuſque prætermiſſa eſt. Fœminæ cum viris convenire loco non ſinuntur, etiam in templo, cujus pronaum ultro citro gradientibus vacat. Imo ſexum quemvis in varias claſſes diſcriminat ætas, quarum ſingulis intra modeſtiæ cancellos continendis certi inſpectores invigilant. Quibus de parvulis cura eſt, oblongas præferunt virgas, officii monimentum. Etiam portæ diſtinctæ ſunt, ut ne per tranſennam quidem confundantur.

Muſica.

Indorum ad rem muſicam propenſione cognita, pronum erat ut ad infideles forte accurrentes Chriſtianiſmo, & Chriſtianos cultui divino conciliandos uterentur Miſſionarii. Propterea doctrina Chriſtiana in muſicos modos & numeros, nec inauſpicato redacta eſt. Quin etiam harmoniæ guſtus uſque adeo probatus animum ſupponit vel indicat ad magna diſpoſitum: quare cantus plani & muſicæ ſchola in ſingulis pagis conſtituta eſt. Omnigena Eccleſiaſticis uſus inſtrumenta pulſare docentur: & inſtar miraculi ſit, ex mero viſu ſimilia confeciſſe, & magiſtrorum artem ſuperaſſe haud ægre. Ex notis difficillimis alternare modos didicerunt. Sonum inſtinctu verſare credideris avium ingenio. Sed muſicorum genus eſt, qui devotione, quam aliis inſpirant, penetrati eſſe videntur. Id quod argumento eſt, minima contentione mentem ad numeros applicari, & canentes æque atque audientes eſſe ad pietatem propenſos; cum muſicæ ſit affectus ciere in corde jacentes. Habitum geſtant tam muſici choro intenti, quam qui altaribus inſerviunt, appoſitum ac decentem.

Feſta ſolemnia.

Solemnia præſertim Sancti Tutelaris, & SS. Sacramenti feſta conſpicuo celebrantur apparatu. Ad quorum primum e finitimis pagis invitati frequentes accurrunt. Magiſtratus uniformi cultu veſtiti vehuntur equo. Feſtum pridie incipit a pompa, qua regium vexil-

(a) Feria ſecunda pro mortuorum requie lita-

tur. In honorem B. Virginis nonniſi ſabbatho.

xillum aquo egregie phalerato ſub umbella (a) magnifica geſtatur a ſignifero. Martio tympanorum tubarumque ſono inceſſus ordinatur per præcipuas oppidi vias, & in templi veſtibulo pedibus conſiſtitur. Vexillarius ad ſtatutam ſedem concedit. Tunc primæ veſperæ cantantur. Pueri deinde circum ſpectantibus reliquis ſaltant in foro. Tandem equeſter comitatus po redit unde pompam ducere cœperit. Nocte accenſis per intervalla ignibus pagus vicatim illuminatur. Poſtridie mane ad ſacrum ſolemne eodem ritu conveniitur quo pridianis veſperis. Meridiano epulo laute habentur exteri, & univerſis ſingula vini pocula propinantur (b). Poſt ſecundas veſperas inſtar primarum exactas iudicrum de palma certamen inſtituitur. Miſſionarii cum Magiſtratu ad continendam multitudinem, ad præmia victoribus attribuenda, ad ſignum recipiendi dandum, iudices ſedent.

Feſtum SS. Sacramenti.

Verum nihil ſupplicationi in feſto SS. Sacramenti comparandum: in qua cum nihil opulentum, nihil magnificum ſit, ſpectaculum exhibetur ſummis opibus & magnificentia non inferius. D. Antonius de Ulloa generatim tradit elegantiſſimos & multo Quitenſibus præſtantes duci choros, venuſtiſſimum eſſe ſaltantium cultum, pompam eſſe qualis maximarum urbium, ſed magis decentem atque devotam. Dixi nihil pretioſum conſpici; ſed totam ſimplicis naturæ pulcritudinem mira rerum varietas exhibet ſpectabilem, imo ſpirantem & vivam ſi liceat ita loqui; nam per flores & frondes, quibus viæ triumphalis vernant arcus, ſub quibus Dei Sacramentum vehitur, omnigeni coloris & formæ volitant aves, longioribus filis laxatæ, quaſi ſponte adeſſent voces addituræ muſicorum atque populi concentui, & eum pro modulo ſuo laudaturæ, cujus providentia in aëre ſuſtinentur.

Storeis via ſternitur affabre contextis, quas corollæ, verſicolores ramuli, frondei tapetes ad ſymmetriæ leges interpoſiti diſtinguunt. Per intervalla leones & tigrides ne feſtum interturbent catenati locantur, & piſcium pulcherrimi magnis aquæ receptaculis innatantes. Verbo: adſunt univerſæ viventium creaturarum formæ quaſi ad præſtandum Homini Deo ſub auguſto Sacramento debitum honorem, eumque dominum a Patre conſtitutum teſtificandum deputatæ. Quacumque procedit ſupplicatio, floribus & herbis odoriferis abundat pavimentum. Vel parvuli decorationi dant operam, in quam etiam carnes eſculentæ deducuntur, epulæ ſolemnes, meſſium primitiæ offerendæ Deo, & ſemina ut Dei benedictione fœcundentur. Avium cantus, rugitus leonum, fremitus tigridum, muſicorum vox, planus chori concentus, inconfuſe reſonantia, harmoniam produnt incomparandam.

Regium vexillum poſt SS. Sacramentum vehitur. Caciquius, Sub-prætor, Magiſtratus & Principes virgas umbellæ tenent. Equitum & peditum copiæ ſub ſignis inſtructa acie procedunt. Horum tamen nihil ſpectandum magis quam pietas, modeſtia, reverentia, ſanctitas omnium expreſſa vultu & habitu: ut Salvatoris mundi triumphus nullibi atque in regione hac barbarica divini cultus ante ſæculum experte, ſit clarior. Ut in tabernaculo SS. Sacramentum eſt repoſitum, cibaria ad Miſſionarios deferuntur, qui valetudinariis parte ſepoſita, reliquum popularibus diſtribuendum curant. Nocte igniferæ accenduntur machinæ: quod in cæteris ſolemniis, & in ludis publicis uſu venit. „ Hi neophyti, ait Ulloa, omnibus liberaliſſime cedunt: & acta publica nulli maximarum Hiſpaniæ urbium ordine & opificum ſolertia poſthabenda. “

De cœmeteriis & ſacris ædibus.

Cœmeteria ampla ſunt ſora ſub dio quadrata, depreſſis parietibus clauſa, & alternis conſita cupreſſis & palmis. In longitudinem pulcris malorum aurearum, & citrearum ordinibus dividuntur. Horum caput & meta ſacellum eſt, quo feria quaque ſecunda ad ſacrum mortuale celebrandum funebris ducitur ſupplicatio: cui ſuccedunt reſponſoria ſolemnia ad ſingulas cruces in quatuor cœmeterii angulis erectas. Extructæ etiam ſunt circum ſingulas Reductiones ædiculæ ſacræ ad excipiendas cum ſtatas rogationes, tum quæ per occaſionem ad implorandam in publicis calamitatibus Dei opem, & ad reddendas Deo pro benefacto gratias inſtituuntur. Singuli pagorum exitus ad ſingulas ex his ædes ducunt, via qualibet in erectam crucem deſinente, ubi pauſa fit ad modulandum per muſicos carmen, quod in ſupplicationis argumentum, vel in quemvis doctrinæ chriſtianæ articulum referatur. Inde per medios arborum cultiſſimarum ordines ad ſacram proceditur ædem alternatis cantu precibus, ubi pium carmen iteratur. Supplicationibus his nemo præter valetudinarios & neceſſitate impeditos non adeſt.

De politia.

Nihil ad conſtituendum hujus Reipublicæ regimen prætermiſſum eſt. Nocte ſignum datur ut quiſque maneat apud ſe: & extemplo vigiles deſignati per trium horarum ſpatia ad primum mane ſurſum deorſum cuſtodias agunt. Ad hæc vero deſtinantur, quibus publica tranquillitas credi poſſit, tum nequis temere noctu vagetur, tum ad cavendos erronum incurſus. His recti ordinis & publicæ ſecuritatis vindicibus par cautio atque Magiſtratibus, & Ædilibus eligendis adhibetur.

De magiſtatu deferendo conſilium.

A teneris videlicet annis informantur ſecundum cujuſque naturam & indolem. Vulgo ea ſolum docentur, quæ ad laborem, ad familiæ cultum, ad agenda quæ peculiari ſolertia non in-

(a) De parato ſolio, quadraria teſtudine acuminati faſtigii concamerato, deſumitur Regium Vexillum a ſignifero, non fertur equo ſub umbella, ſed equitantis manu geſtatur: deſtuentes vero infulas manu ſuſtinent ſtipatores.

(b) Vinum ex uva nemo libat. Suum *mate* ſibi propinant invicem. Ad manum habent & ex melle guarapum, quod vocant, & ex maizio chicham, quam tamen non ſic temperant, ut inebriet.

Digitized by Google

indigent, neceſſaria ſunt. Olim Guaranii, atque alii harum provinciarum barbari digitis tantum manuum pedumque numerabant (*a*). Ad computandum ſupra viginti voce utebantur ſuperlativa (*b*). Jam ſcite rationes ineunt quot habent neceſſarias: nec ultra exigitur quam quod noto captui par ſit. Summa eſt, hanc Rempublicam ſimplicitatis Evangelicæ regnum eſſe, quod ne turbetur, Europæorum quam poteſt maxime cavetur conſuetudo, cum experientia conſtet Novi Orbis Chriſtianitates venenum Chriſtianorum frequentatione corrumpi.

Propterea in ſuſcipiendis itineribus, in commoratione apud urbes, in bello & regiis peregrè mandatis indiviſum habent Miſſionarium, qui officii & non abjiciendæ pietatis admoneat. Et eam hucuſque quidem non abjecerunt. Scandala horrent oculis obverſantia: nihil non derens ore proferunt, & ſtata Chriſtianæ pietatis exercitia ſponte obeunt. Sed & fervor & ſimplicitas in locis remotioribus, unde rarius exeunt, dilbanior eſt: major in reliquis Miſſionarium ſollicitudo.

Induſta religione mutatio.

Illud eſt in tota Meridionali America pro comperto, de priſtino Guaraniorum ingenio ad vindictam, ad feritatem, ad turpiſſima vitia propendente nihil reſtare; ſubſtitutam humanitatem, ſuavitatem, unionem, charitatem, quibus maxime infideles chriſtianiſmo conciliantur. Prona ad ſubveniendum indigentibus affectio, gaudium dum augetur fidelium numerus indubitatum ſinceræ charitatis, & divini amoris documentum eſt. Nihil revera eſt quod ad amplificandum Dei regnum ſeu agere ſeu pati renuant: cujus exempla deinde ſubjiciam. Miſſionarios linguæ ſtudio gravatos certatim juvant: & fuit dynaſta qui ſermonem hiſpanum diſcere contenderit, ut pia ſcripta ſuis guaranice redderet. Dum de nova conſtituenda Reductione conſilium eſt, omnes concurrere geſtiunt.

Ludi publici.

Ludi publici ſubinde permiſſi tuendæ pariter ſanitati neceſſarii ſunt, atque fovendæ hilaritati, quæ pietatis inimica non eſt, imo pietatem juvat, fervorem accendit, dum lætantes exemplo Regis Prophetæ cœleſtem patriam intendunt. Inſtituti etiam ſunt, ut membra Reipublicæ arctius uniantur: quod factum experientia probat. Fœminæ ſpectatrices uſque ſunt, & Paſtorum præſentia multitudinem continet intra fines, quos Chriſtianis præterire non licet. Vel minima decoris offenſa non abiret impune.

Indorum felicitas.

Ex dictis conſtat, nullibi parem, atque in nova hac eccleſia felicitatem eſſe; nec temere Cl. Muratorium eam deſcribentem appellaſſe *Il Criſtianeſimo Felice*. Et quidem quid Chriſtianis ad felicitatem deſit, quibus neceſſaria ſuppetunt, & præter neceſſaria nihil appetunt: qui norunt pariter Apoſtoli exemplo & abundare ſine abuſu, & penuriam pati ſine querela? quibus diffidendi Deo caſus omnes providenti nec cogitatio ſubit: quorum opera & conſilia ſecundum pura Religionis dictamina exacta ſunt: qui ductum eorum ſequuntur, quibus tot accepta referunt commoda: qui denique dependentiæ & ſubordinationis percipiunt uſus incommodorum expertes?

Militia.

Utique feliciores eſſent, quos etiam belli nomen latere poſſet. Sub Reductionum vero primordia cunctas belli calamitates experti, ut mox narrabo, modo etiam vicinos habent, a quibus tunc ſolum cum ipſi timeant, non eſt timendum. Armis igitur muniendi fuerunt, & ars tradenda, quæ maximum humanitatis flagellum eſt. Non tamen ambitu bella gerunt, non prædæ deſiderio. Mandato Principis, cui fidem jurarunt, bellantur ſolum, ex quo barbari & alii olim infeſtiſſimi hoſtes Reductiones adoriri non audent. Armantur itaque vel neceſſitate, vel dominantis imperio. Quo fit ut pietati periculoſo militiæ cultu ſanctificentur.

In ſingulis pagis eſt miles equeſter pedeſterque. Pedites præter clavam, arcum, & ſagittas, funda utuntur, & catapulta. Equites acinace, & ſclopo: ſunt enim quemadmodum ſclopetarii noſtri, dimachi. Arma ſua ipſi fabricant, tormenta (*c*) ad abſterrendos vicinos, & colubrinas ſecum portandas, dum Principis mandato in aciem prodeunt. Supra dictum eſt, arma hæc adhiberi tantum, vel ad arcendum imminentem hoſtium incurſum, vel gymnici cauſa certaminis. De reliquo miles ab incola nihil diſtat: & bellatores hi quorum virtute res publica ſtat, & lauro ſæpe redimiti, depoſitis armis, pietatis & ſubmiſſionis exemplo reliquis duces ſunt.

Die Lunæ Sub-prætor in foro copias recenſet & probat. Tunc in duas acies diviſi certamen tam prope rem ſimulant, ut ad vitandam cladem ſignum receptui dare oporteat. Præmia idemtidem proponuntur ſagittariis, haſtatis, fundibulariis, & ad ſcopum collimantibus. Haſtatorum palæſtra ſpecioſa eſt; ſed fundinorum dexteritas mirabilior: nec eſt in America vis, cum his, tum haſtatis acie par. Quin etiam pari de cætero marte inſuperabilis hæc militia ſit: cui tamen fuit diu, & fortaſſis hodie dum eſt opus Hiſpano duce. Imperio flexilis, retrocedere neſcia, & quæ diſjecta primo ictu reparatur.

Invaſiones, inſidiæ quondam genti exitiales incaſſum adverſus excubantes parantur. Frequentes ad confinia mittuntur ſpeculatores qui obſervata referant, & cuſtodiæ locantur ad viarum anguſtias. Quodſi per ſilvas hoſtilis incur-

(*a*) Digitis quidem ultra quatuor; ſed citra proprios vocibus numerabant, Petei, Mocoi, Mbocapi, Irundi.

(*b*) Voce nimirum *eiò*, quæ *nimium* ſonat: quod exaggerare volentes addunt *Mateté*.

(*c*) Tormenta conflant ut plurimum ex indigena tunna, vulgo *Tagoara* corio taurino conſtricta. Fiunt etiam ex ligno *xaxá* pariter arctato. Navigantes utuntur organis, ut vocant, hoc eſt catapultarum fiſtulis pluribus ad cymbæ latera ſupra tabulam diſpoſitis inſtar tuborum organi muſici in ſemicirculum: unde & factum eſt nomen.

Digitized by Google

cursus immineat, rebus etiam sacris interfunt armati, ut dum primus arcetur impetus, in tutum se turba recipiat.

Clima Reductionum.

Distenditur hæc Respublica magno terrarum spatio, humido & temperato. Hyems qua spectat ad austrum sat frigida est; sed tellus omnia ad vitam necessaria, cum regionis, tum Europæ propria fert. Gossypina messis duo arrobarum millia complet (a) in singulos pagos. Tabacchum ubertim provenit, parce saccharum. Mel & cera silvarum aditu comparatur. Quod proprios superat usus, Sanctafidensi commercio cum herba ad merces vel commutandas vel emendas, & ad tributum solvendum traditur.

Gentes, ex quibus hæc R. P. coaluit.

Guaranii, ex quibus solis, aut fere solis hæc Respublica diu coaluit, pars major hodie sunt. Deinde Tapes eadem lingua & forte origine: quorum nomine in nonnullis Regum Catholicorum reseriptis appellantur universi Reductionum incolæ. Sed Paranam inter, Uruguaim, & Brasiliam rara est gens, quæ supplementa Doctrinis non addiderit. Missionarii cum neophytorum manipulis excursiones iterant, proselytorum accessione raro vacuas. Guenoæ, de quibus alibi sermo erit, omnium difficillime conciliantur, tum propter vitæ licentiam, & subeundæ servitutis opinionem; tum quia perfugarum Hispanorum, quorum pravis moribus alienantur, sanguine concreti sunt. Aliquos tamen curiositate, vel suos videndi cupidine attractos grata consuetudo retinuit. Id aliis etiam de feris & erronibus Charruis Bonaurensibus Hispanis olim infestis contigit. Sed post Guaranios & Tapes Guagnanarum gens, cujus receptacula media sunt inter Paranam & Brasiliam, Reductiones post pestilentias & bella restauravit. Quod agros colunt, perfugas aspernantur, laboribus assueti, facilius conciliati sunt.

Morbi.

Reipublicæ sic constitutæ, & adversus incommoda præmunitæ mirabitur quis infrequentiam. Sed præter clades antiquas, modernasque peregre & diu subeundas jussu Regis absentias complurium, nondum quibusdam morbis medicamen est, quibus media fere desideratur pars. Id multis erroris causa fuit, dum ex præteritis censibus tributorum summam æstimantes animadvertere nolunt, vectigales non auctos numero, ut opinantur, sed magnam partem diminutos esse.

Hi morbi, quos ex tempore propagatos *Pestes* appellant, frequentiores sunt variolæ, morbilli, Hispanice *Sarampion*, febres malignæ, aliusque de quo illud tantum proditur, acutissimis complicatum esse doloribus. Eo magis exitiales sunt morbi, quod Indis ægre ut sibi ab accessu vel progressu caveant persuaseris; quod medicorum, chirurgorumve loco tantum sint pauci pro cunctis Reductionibus coadiutores Socii; nec valetudinaria constituendi aut pharmacopolia hucusque fuit copia. Opitulantur pro virili Missionarii solicitudine, industria, charitate; sed duo quandoque unus ad invigilandum diu noctuque corporibus tot & animis, ad percurrenda pascua & prædia, ubi sæpe morbidi morantur & moriuntur, sufficere non possunt. Quin etiam prope miraculum est, morbidum spiritum alternantes, morituris Sacramenta conferentes, mortuis sepulturam, raro succumbere.

Mutuus Sociorum, atque Indorum amor.

Id neophytos non latet: imo non aliud eos & infideles advenas movet, atque hæc omnia sustinens, nihil aspernata charitas. Nec est mirandum, si non ignari quantum ipsos inter & servitiis personalibus addictos distet, tantus sit erga tutores & libertatis vindices amor, ut pastoribus aliis tradendi in dispersionis discrimen redacti sint: quod accidit non semel. Vicem rependunt Missionarii, quibus neophyti propter fiduciæ, patientiæ, & resignationis documenta, in morbis maxime in quibus acerbissimi dolores & desolatio raro querulam vocem extorquent, charissimi sunt. Omnia de manu Dei modeste, subinde gratulabundi suscipiunt, nec nisi cœlestis patriæ desiderium spirant.

Hominum apostolicorum solatium est, gregis a Domino decimati jacturam cœlo asserere, & rogatorum choro qui apud Deum uberiorem laborum segetem exorant. Morbis epidemicis interdum occupantur neophyti in mediis itineribus, ope inter barbaros, vel in deserto littore destituti. Cataneus, qui anno 1730. periculum fecit, factum narrat quod misericordiam commoverit.

Tale est Lojolidarum regnum, ex quo, ajunt, Societatis trahitur opulentia; sed impervium ne suboleat divitiarum usus, & ne frequentatum dispereat. Nondum prodiit in scenam Christiana Chiquitorum Respublica a Sociis Paraguajensibus ante annos ferme sexaginta condita, de qua nobis sermo erit suo loco. Nihil a Guaranica distat, nisi quod illa celerius stetit, & quod Chiquiti plus laborioli quandiu Regi vectigales conscripti non fuerunt, Missionarios sustentabant.

Guaranicæ Reipublicæ descriptionem claudere juvat litteris Ill. D. Petri Faxardo Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Episcopi Bonaerensis, ad Regem Catholicum datis anno 1721. post lustratas suæ diœcesis Reductiones.

Litteræ Ill. Faxardo.

„ Epistola quædam Assumptiopoli accepta mihi satis acerba & injuriosa scribendi ad V. M. occasionem fecit. Maledictis adversum me non moveor, dissimulare tamen nequeo falsis adversum hujus provinciæ Missionarios criminationibus refertam esse. Cum ibi dicatur, in eamdem sententiam ad Regium Indiarum Senatum scribi, sons essem nisi scribentium malignitatem notam facerem, ac V. M. de prudente & sana agendi ratione hominum plane Apostolicorum edocerem, contra quos ef-

fræ-

(b) Si hac summa gossypii semen, vulgo *la pepita* computetur, medium fere deducere oportet;

frænatus ardet furor . Me quidem tot calumniarum maxime piget .

Non nunc primum criminationes id genus contra Miſſionarios emicarunt : quas illi Dei gloriam & Miſſionum incolumitatem intuentes præſenti animo pertulerunt . Illud mihi mirandum eſt , objectis non tantum ſilentio , ſed perpetuis benefactis reſpondiſſe . Quot Aſſumptiopoli inopia preſſi illorum charitate paſcuntur ? Quo zelo obſequiis colonorum addicti ſunt ? Afflictos conſolantur ; ſalutaria prædicant ; ægris auxiliantur ; pueros docent ; lites componunt , diſcordes reconciliant , omnibus bene ſemper facere parati .

Sed ex virtutibus , quibus æſtimandi erant & amandi , fit calumniandi facultas & copia . Auſim dicere , non tot fore in Patres odia , ſi minus virtute præſtarent . Luſtratis ſæpe eorum Miſſionibus , teſtor nuſquam rerum ordinem vidiſſe me aptius conſtitutum , nec religioſos magis a cupiditate alienos , qui neque ad victum neque ad veſtitum neophytorum bonis utuntur . In frequentiſſimis pagis , Indis ad malum naturæ vitio pronis tanta eſt morum integritas , ut crediderim ne unum quidem peccatum grave patrari , ad minima etiam cavenda propagata paſtorum vigilantia . Octingentos unius pagi vidi in Deiparæ ſolemnitate ad ſacram menſam accedere . Quo non eſt mirandum , ſi adverſus opus tam ſanctum turbas excitet humanæ ſalutis oſor . Revera Miſſionarii cavent , ne Indi frequentent Hiſpanos , nec temere cavent conſuetudinem innocentibus exitialem , qua vitæ licentia & corrupti mores inoleſcerent ? Documento eſt ſat conſpicuo ſtatus pagorum (*a*) quatuor , qui hujus Civitatis finibus conſtituti ſunt .

Verum etiam eſt , Indos ſuis in Chriſto patribus obſequentiſſimos eſſe : & mirandum barbaros , de quibus ante converſionem , num eſſent rationis compotes dubitatum fuit , iis qui in matris Eccleſiæ gremio nati ſunt , obſervantiores eſſe . De præſtigioſis opibus fœdior confingi chimæra non potuit . Victus quotidianus , maizii parum & leguminum , indumenta vilia , templorum ornatus toti laboris lucro paria ſunt . Si Miſſiones Societatem opulentant ; cur tanta eſt collegiorum inopia , ut vix victui ſufficiant ?

Ego quidem quid in Sanctis his Miſſionibus res habeat expertus , non poſſum non verba Sapientis (*b*) Societati accommodare : *O quam pulcra eſt caſta generatio cum claritate !* Cum claritate zeli ardentis & puri , quo tot infideles in Eccleſiæ filios convertit , eos educat timore Dei , ad Chriſtianos mores informat , quorum pietatem ut a vitiorum corruptione ſervet immunem , atrociſſimas patitur calumnias . „ Immortalis eſt enim memoria illius , quoniam apud Deum nota eſt & apud homines . “ Apud V. M. etiam probata ſit , cui tot benefacta accepta refert .

Pro illa ſupplex oro quod Domitianum Cæſarem quidam orabat . Inimicum habeo , quem dolet munificentia erga me tua , *Da Cæſar tanto tu magis ut doleat* . Sic &c. Bonis Auris 20. Maj. 1721. Fr. Petrus Ep. Bonaur. “

(a) Id ſonat verſio gallica Charlevoixii ; ſed conſtat longe aliam eſſe Epiſcopi ſententiam ex libello ſupplici Jacobi Aguilar inter Documenta tranſcribendo , cujus verba ſunt : „ Vueſtro Obiſpo de Buenos Aires D. Fr. Pedro Faxardo , que vio y viſito caſi todos los treinta pueblos , informando à V. M. eſcribio aſſi en 20. de Majo de 1721. „ Reconoci (dice) differencia de coſtrumbres en aquellos quatro pueblos , que eſtan proximos al Paraguai . “ Y añadio aſſi : „ Porque ciertamente el comercio de los Eſpaño-les con los Indios es peſte para eſtos . “

(b) Sap. 4.

Digitized by Google

HISTORIÆ PARAGUAJENSIS

LIBER SEXTUS.

ARGUMENTUM

Regius Visitator. Guaranii Missionarios petunt. Mittitur Jesuitarum par. Indæ conversio. Missionarii imbecillitas. Indorum terror panicus. Clades in S. Ignatii. De Guaicuruis convertendis consilium. Missorum periculum. Missionis exitus. Xereeium Socios petit. Insurgunt Diaguitæ, Duo Jesuitæ obviam tendunt: quo exitu. Regius Visitator in Tucumaniam. Quid in hac re decretum. Visitator Assumptione. Occurrit Guaicurui dynastæ filius. Mox ipse dynastes. Assumptione exacti Jesuitæ & revocati. Jacobopoli restituti. Status Missionum. Excursiones. De expellendis Guairæ Sociis consilium. Montoia sanitatem recipit. Obitus missionarii S. Xaverii consanguinei. P. Gonzalez incœptum. Contra Socios calumniæ. Casus singularis. Reductio deserta, quare? Adversus Turrianum expostulatio. Successoris prudentia. Guaraniorum incursus. Excursiones Gonzalvii. Infideles a proselytis fusi. Reductiones Itapuanæ. Prætoris visitatio. A Franciscanis missio deserta repetitur. Status Guairæ. Deseruntur Guaicurui. Romeri gesta apud eos. Apostatæ Caciquii reconciliatio. Missionis supplementum. Laus procuratoris. Novæ sedes locatæ. S. Pauli de Piratininga descriptio. Mameluci nomen. Ars Indos prædandi. De bariolis & magis. Clades in Guaira. De S. Thoma traditio. Uruguaica missio. Regionis descriptio. Adventus Gonzalvii. Oppidum condit. Uruguaica navigatio. Provinciarum divisio. Bonaurensis Prætor abdicatur. Sociorum rectoris factum imprudens. Punitur. Episcopatus Bonaurensis. Novi de conversione infidelium conatus. Æthiopum saluti opera datur. De baptismo disputatio, Decisio.

1610. Regius Paraguariæ Visitator.

PRimæ Guaraniorum Reductiones in dies invalescebant incolarum frequentia; sed quod curatoribus gaudio, Hispanis erat offendiculo. Nihil non erat illis timendum, qui quot locabantur sedes, tot machinas fortunis suis adversas erigi censebant. Cum fama vulgatum est, Visitatorem ad exequenda mandata quædam regia manu munitum adesse (a). Cataldinum cum neophytorum primoribus accurrentem benigne accepit, & gesta probat. Techo (b) narrationis author tantum addit, Visitatorem quem non nominat, leges promulgasse, quibus neophytorum securitas aliquandiu stetit.

Guaranii Missionarios petunt.

Interea Guaranii inter Parannam & Assumptionem medii, qui post D. Alvari discessum, cujus humanitate cicurati erant, Hispanos percellere non cessabant, ad pacem comparati visi sunt. Quinetiam ut Hispano se traderent acturum se cum suis pollicitus est dynasta si Missionarius daretur. D. Ferdinandus Arias Paraguariæ Prætor spe lætus Episcopum D. Reginaldum Lizarragam O. P. extemplo convenit: oratque ut dynastæ satisfactum velit. At Episcopus respondit, neminem de clero ausurum se credere anthropophagis, nec in tanta operarum inopia fidelibus præferendos ancipitis fidei barbaros.

Repulsa commotus Prætor Turrianum adit, ut collatis precibus Episcopus flectatur. Referunt ambo quanti sit provinciam ea parte pacandi occasione uti, forte non reditura. Exponunt clades ab Indis supplicibus illatas, & quid timendum si rejecti bellum integrarent. Rem esse præsenti unius vel alterius sacerdotis operæ præferendam, maxime quod vis in conciliandis barbaris, verbo & religioni ex mandato Regis erat posthabenda. Pacatus Episcopus quærit a Prætore, num auxiliarem manum sacerdotibus addere cogitet; ea tantum lege mittendos.

Sociorum par mittitur.

D. Ferdinandus replicare voluit; sed Prælato dictum obfirmante, ad Turrianum convertitur, & ad sociorum zelum. Respondit ille, solius collegii rectoris copiam esse, sententiam exquisitum ire se. Collegium adit, socioque convocat, e quibus unus rector abesse poterat. Paucis acta apud Episcopum refert, & ad rectorem conversus ait: „ Quem mittam & quis ibit? “ quod ad Esajam olim dictum est a Domino (c). Rector genu flexo subdidit: „ Ecce ego mitte me. “ Provincialis prostratum elevat, & votum acceptatum ad Prætorem defert, nuntio lætandum. Magnopere commendatum fuit rectoris incœptum, quem laborum & virtutum laus oppidanis fecerat carum; sed erat timor, ne jam gravis ætas oneri portando non sufficeret. Ne incomitatus abiret, junior Franciscus de San-

Mar-

(a) Anno 1595.
(b) Techo, Hist. Parag. lib. 3. c. 12.
(c) Isai. 60. 8.

Digitized by Google

Martin, qui nondum guaranice gnarus Lorenzanam ſolaretur, & eo duce vitæ apoſtolicæ rudimenta poneret, adjunctus eſt.

Guaraniorum ſtatus.

Epiſcopo bene precante, & mandatis Prætoris inſtructi nulla mora diſcedunt, ſex leucas a pleriſque civium primoribus deducti. Triginta confectis, ad Caciquium divertunt fœderatum ejus, niſi erat idem, qui vocaverat, nam Techi narratio obſcura eſt. Æquo animo accepti ſacellum extruunt ramuloſum; deinde regionem circum luſtrant. Indigenæ longe aliter atque prænuntiatum erat inventi ſunt, ſuperſtitionibus addicti, & nunquam non ebrii. Socii inſultationibus obnoxii ſæpe in utriuſque caput conjuratum eſſe norunt.

Indæ converſio, & turbæ ſecutæ.

Sed poſt annum omnis præterquam patientiæ fructus infœcundum, Caciquio miſſionis authore, alioque duce baptizatis, reliquis doctrinæ aures accommodantibus, & aucto proſelytorum numero, in ſpem totius gentis Chriſto ſubdendæ ventum eſt. Gaudium Sociorum ancipiti caſu turbatur. Inda baptiſmi cupida deſperato mariti conſenſu ad Miſſionarios peregre confugit. Furit ille, & qua valebat authoritate, plurimos infidelium ad ultionem probri a religioſis Hiſpanis, ut ajebat, illati commovet.

Pagum, quo uxor evaſerat, adoriri non auſus irruit in Mahomas Hiſpanorum fœderatos, quibus imparatis reſiſtendi defecit animus. Multi occiſi illico ſunt, capti plures ad ingluviem deſtinati. Lorenzana, ut res innotuit, Chriſtianos Caciquios convenit, nec decorum nec tutum eſſe infideles ſinere ad pares inſultus cauſa religionis abuti. Commoti captivos repetunt. Feroces negant illi, addito non ceſſaturos donec Mahomarum poſtremi ſanguinem hauriant in cranio ſenioris Miſſionarii.

Reſponſo irritati Chriſtiani cum proſelytis, arma non deponenda jurant, donec cuncti Mahomæ manu mittantur. Aciem regere datum eſt Aniangaræ duci virtutis opinione præſtanti, qui ſermone ad fœderatos auſpicatur imperium. Poſt commendata more patrio ſua merita, & bello geſta, etiam hoſtibus ait ſe fuiſſe charum, & magni habitum, quod nec victoriis abuti, nec perdere captos amaret. Idque ex vero retulit cunctis plaudentibus & teſtantibus. Paranam petit cum ſuis, ad cujus oram conſederant hoſtes. Auxilio venit cum cohorte & Indis tercentum ductor hiſpanus: nec diu poſt ex adverſo apparet hoſtis. Oblatam pacem reſpuit ferociens; ſed parum ſibi conſtitit. Chriſtianorum impetum non paſſi diffugiunt, victorum nullo deſiderato, Mahomarum ſuperſtitum nullo non recepto. Miſſionarii, quibus ab Hiſpano, ut Aſſumptionem regrederentur, perſuaderi non potuit, frequentiorem in dies gregem in locum transferunt magis commodum. Hic condita eccleſia. Reductioni Paranaenſium primæ a *Sancto Ignatio* nomen (a), quod uſque retinet, imponunt.

Sub primordia populabundus adfuit hoſtis. Potius diſperſus quam profligatus, nec aliam paſſus quam captivorum jacturam, copias majores & vires in pugnam referebat. Inruptione improviſa perterrefacti neophytorum animi, atque Sanmartinius mente motus eſt, Deo videlicet Miſſionariis humanæ imbecillitatis documentum exhibente. In ſenſum rediit haud ita poſt, ſed objecta ſpecie ſic attenuatum, ut Aſſumptionem fuerit remittendus, ac deinde cauſaria dimiſſione votis nondum ſolemnibus abſolvendus. Ætatis erat immaturæ, inconſultis a zelo viribus, arduum & periculoſum iter aggreſſus.

Indorum terror panicus.

Imperterritus Lorenzana ſupellectilem ſacram, quam convaſare non poterat, in præſenti diſcrimine comburendam ratus, imbelles primum in tuto collocat. Reliquos ad religionis tuendæ coram Deo meritum hortatur, ſe comitem in medium diſcrimen iturum. Dum ad mortem uſque pugnandi ſacramento vires acuunt, hoſtem fuga præcipiti & incompoſita dilapſum eſſe nuntiatur.

Ex morbo clades.

Adeſt haud ita poſt hiſpanus decurio cum militum manu, qui Lorenzanam extrahere fruſtra contendit. Deinde tamen Aſſumptionem profectus Socii cauſa qui Sanmartinio ſubrogaretur, dum rediit, hoſtem ad prædam rurſus comparuiſſe novit. Calamitatis cumulo contagium acceſſit, quo decimati ſunt neophyti, alii ſuſceptam religionem eſſe rati malorum cauſam, diſperſi ſunt: quod proſelytorum nonnulli Miſſionario exprobrarunt. Sed patientia, conſtantia, ſuavitate turbatos tranquillavit, furentes reconciliavit, perfugas revocavit. Et exinde nova ſpe Reductio florere cœpit.

1611. 13. De Guaicuruorum converſione conſilium.

Interea Torres Guaicuruos reducere tentabat, tum ut hoſtiles animos Hiſpanis conciliaret, tum ut inter Paraguariam & Tucumaniam communis uſus ſtatueretur & viæ compendium. Prætorem & Epiſcopum convenit, qui conſilii probati exitum felicem ſpondere non audent. Ait ille, Evangelicæ prudentiæ non eſſe ſolum certo perficienda ſuſcipere. Cum Deos corda, quæ videt non emolliendo, ſolicitet; culpandum Dei miniſtrum, qui ejus certitudinis expers animarum lucra inſectari negligat, exitus ignorationem cauſatus.

Deſtinantur Miſſionarii.

Regens additus erat Societati ſacerdos, meritis & virtutibus præſtans, D. Rochus Gonzalez de Sancta Cruce, nobili ſtirpe Aſſumptione ortus, & Prætori ſanguine junctus. Ab Epiſcopo Generalis Vicarius conſtituendus erat, cum Societati nomen dedit: & tyro apo-

(a) Appellatur *a Sancto Ignatio-Guazu*, a loco forte ubi condita primum eſt; nam deinceps ſolum mutaſſe videtur. *Charl.* * *Guazu* majoritatis ac differentiæ nomen eſt primæ Reductioni impoſitum, ex quo alia cognominis orta eſt, dicta *a Sancto-Ignatio-Mini*; quod minoritatem ſonat.

Digitized by Google

postolico ministerio par mittitur ad Guaicuruos cum P. Vincentio Griffi. Paraguaim transmittunt cum binis adolescentibus Hispanis, & Guaranio, qui diu apud Guaicuruos moratus sermonem comparaverat. Illorum accessu solicitudo & rumor invaluit, Hispanos ad servitia expugnanda religionem obtendere. Frequentes de cavendis insidiis consulebant barbari, Assumptionem ablegato, qui veram missionis causam exploraret.

Quomodo excepti.

Obiti discriminis haud ignari, qua fiducia possent invitati, ad pagum usque primum progrediuntur. Dynastæ per interpretem denunciant, ad firmandam cum Hispanis pacem, ad impertiendam veri Dei notitiam sponte se venire. Addidit interpres de suo, Patres esse libertatis Indorum protectores. Quibus dynastæ nihilo magis probati sunt. Rem dissimulantes subdunt Missionarii, sinceritatis documentum fore, quod ei se credere velint; mansuros apud eum sermonis studio.

Hæc securitas si suspiciones non diluit, effectum suspendit: imo vetuit dynasta, nequis sacerdotibus Hispanis negotium faceſſeret. Sed brevi novus turbo succeſſit. Linguæ studium Socii non intermittebant, & barbari dum moras cum interprete necti vident, quæstiones iterari, scripto excipi responsa, tradendam Hispanis regionem & gentem obmeari putant; & qua viarum commodius introduci possint explorari. Gonzalvus id quod erat suspicatus scripta legit palam, quibus capita doctrinæ Christianæ continebantur barbarorum lingua.

Auditis pacati sunt, & dynastes, cui placuerat nominari *Don-Martin* adeo motus & comparatus fuit, ut Patres mutandi propius Paraguaim sedem consilium suggesserint; ab Hispanis nihil timendum, quandiu simul essent. Jam decreta & parata emigratione increbuit rumor, quemdam de proximis Don-Martini occisum ab Hispanis: quo Missionarii in discrimen, quod evaserant, denuo redacti sunt. Mendacium innotuit, cui paria disseminare quidam Hispanorum affectabant, exitiali qualiscumque foret causa successu. Sed D. Franciscus Gonzalez de Santa Cruz, a Rege Locum-tenens, Rochi germanus frater, conquisitos authores in vincula tradidit, & Don-Martinus rem edoctus precem cum Hispanis colere ut cum maxime paratus extitit; alterque ejusdem gentis dynasta Missionarios & ipse postulavit, promissos dum supplementum quod expectabatur adveniret.

Multum aberat, ut gens tam esset prope regnum Dei, quam apparebat: totusque Missionis fructus parvulis in articulo mortis baptizatis constabat. Don Martini & uxoris erga Missionarios bene facta, sincera Deus deinceps conversione remuneravit: quod & alteri dynastæ, ei forte cujus nuper memini, bonum contigit. Sed cum iis conversionibus non alia succederet, Missionarios sterili dissitos agro alio revocare cogitabat Provincialis, cum in Chilem ipsi proficiscendum fuit.

Haud ita pridem in angustias difficiles conjectus fuerat. *Xerez* civitatem, cui nullus diu sacerdos obtigerat, collegium oblatis sumptibus expetentem, ad expectati adventum supplementi remiserat. Advenit tandem in procinctu ad Chilensem iter; sed constabat ut plurimum scholaribus: & reliqui vix liberandæ fidei, prius quam Xerezio, Bonis Auris & Sanctafidensibus datæ, sat erant. Post hæc Torres in Chilem non diu moraturus contendit.

Xerezani Socios petunt.

Ut Cordubam redierat, nuntius adest cum litteris Tucumaniæ Prætoris D. Ludovici Quignones religiosos mitti deprecantis ad Diaguitas, qui quod ab Hispanis cæsi erant nonnulli gentis primores, arma moverant. Commodum aderant Joannes Darius a conciliandis Calchaquiis regressus, & Didacus Borúa recens ex Hispania vectus, quos illico ad mandata Prætoris excipienda Jacobopolim mittit. Socios ex hac urbe cedere supra vidimus, a cujus incolis summis votis expetebantur, ab Indis maxime circumjacentibus, quorum causa offensio cum Hispanis intercesserat. Hac animorum dispositione, & operæ intermissæ desiderio gratissimus fuit Patrum adventus, quibus Episcopi cum D. Alphonso de Ribera Ex-prætore ad Chiles præfecturam promoto reconciliatio cunctorum plausum vendicavit.

Diaguitæ insurgunt.

Prætoris mandatis instructi iter suscipiunt qua S. Michaelis & Londini regio interjacet, cujus bona pars est Algonquinca vallis (*a*). Montibus superatis, ubi complures Christo reddiderunt, ad Diaguitas perveniunt tandem (*b*), a quibus protectorum loco excepti sunt. Obortis lacrymis ajunt illi: *Si apud nos fuissetis, duces nostri viverent*. Addunt, gentis commoda Patrum arbitrio tradi, gesta condonari, dum nihil libertati & tranquillitati adversum deinceps committatur. Missionarii data fide firmatos, & servitutis metu liberos hortantur, ut Deo sponte se dedant; hujus servitutis suavitatem eorum plures expertos jam esse; ea statum comparari libertate, quam usque adeo zelabuntur, multo pluris habendum.

Missionis exitus.

Æque dociles hoc atque præcedente articulo se præstant: Quingenti baptismo abluti. Olim baptizati Sacramento pœnitentium expiati. Confracta, nullo repugnante, antiquæ superstitionis supellex & monumenta. Omnia denique faciunt, & fieri sinunt Patrum arbitrio, quibus una gentis commoda cordi esse judicabant. Ut sedem apud se locarent, operabant barbari; sed ad Episcopum & Prætorem edocendos de Missionis exitu redeundum erat. Non deserendos pollicentur, & agenda docent, dum sufficeretur pastor.

In-

(a) Forte *Ancenquixa*: quod nomen est montis altissimi, cui vallis subest propria *Andalgala* dicta.

(b) Hinc patet Diaguitas non ad meridiem Tucumaniæ consedisse, ut supra dictum est, si Tucumania non urbs, sed provincia intelligatur.

Digitized by Google

Regius Tucumaniæ Visitator.

Interea D. Franciſcus Alfaro venit in Tucumaniam Viſitator regiis mandatis inſtructus, quorum illud eſt primum, ut ſervitium perſonale in his provinciis (a) abrogaretur, conſtitueretur que modus Indis commendatis utendi, nequo gravamine premerentur, integro nihilominus Hiſpanorum jure. Sed erat difficile ut de legitimo jure circumſcribendo conveniret inter eos. Servitium perſonale moribus intruſum erat contra rectum commendarum uſum. Ex lege ut cancelletur, negotium eſt quod nec principis imperio, nec epiſcoporum clamore, nec Magiſtratuum ſeveritate potuit hucuſque confici.

Decretum.

Viſitator poſtquam Regis mandata denuntiaverat, audieratque ſeorſim rei peritos, comitia indicit, ubi omnia per otium diſcuſſa ſunt. Tunc ex ſententia omnium decretum his terminis concepit: „Nos infra ſcripti, & nominatim convocati, viſis Regis quem Deus ſervet incolumem, ordinationibus, reque tota per D. Gonzalum de Abrego olim Tucumaniæ Prætorem de ſervitio perſonali prope examinata, notum facimus hoc ſervitium, ut in hac provincia exigi conſuevit, eſſe illicitum propter rationes palam ab unoquoque noſtrum allegatas. In quorum fidem ſubſcripſimus D. Ferdinandus de Trexo Epiſcopus Tucumaniæ, D. Alphonſus de Ribera Chilenſis Prætor, D. Franciſcus Alfaro Viſitator & Regi a conſiliis, D. Franciſcus Salcedo, Eccleſiæ Cathedralis S. Jacobi Theſaurarius (b), Fr. Chriſtophorus Ajola, D. Ludovicus Quignones Tucumaniæ Prætor, Fr. Petrus Lopez, Sic. Valero, Antonius Roſillon, & alii.“

His peractis Viſitator Cordubam, ubi magis invaluerat abuſus, iter intendit: ibique Regis mandata, Peruani Proregis edicta, Platenſis Senatus conſulta cum memorato decreto promulgat. Executionis difficultas & magis proficiendi ſpes temperamenta ſuggeſſit. Quo conſtiterint illa, & quo devenerint latet (c). Illud eſt certum, nec diu in hac urbe moratum Alfarum, nec diu ſervitium perſonale ad juris normam exactum, ſi quando reformatum fuit.

Aſſumptionem venit Viſitator.

Cordubæ convenerant Didacus Marin Negronius, Paraguariæ Prætor, Jeſuitarumque Præpoſitus Provincialis, quibuſcum Viſitator Aſſumptionem petit. Non longe aberant, cum obvjam venit multo ramorum & florum apparatu inſtructus lembus, in eoque Guaicuruorum dynaſtæ Don-Martini primogenitus a patre miſſus, ut ſalutem pro ſe Viſitatori dicat, veniamque petat ſibi ad obſequia propius accedendi. Indus ætate florens tam urbano modo & eleganti functus officio eſt, ut cunctorum conciliaverit gratiam: & Viſitator cum novo Prætore & Turriano ad fiduciæ documentum conſcenſo lembo reliquum iter confecerit.

Dynaſta Aſſumptionem venit.

Pervenit paulo poſt Don Martinus cum P. Gonzalez & plurium paganorum comitatu Aſſumptionem, ubi acceptiſſimus fuit. Bimulum filium ut baptizet orat Turrianum, qui ſuſceptoribus Viſitatore & Prætore non renuit. Hos Caciquius rogatores adhibuit, ne Miſſionarii, quod ex fama verebatur, revocarentur. Preces refutare non auſus Caciquium monet Provincialis, revocandos quam primum ſi labor quam antea utilior non eſſet de cætero. Gonzalvio mox revocato ſucceſſit P. Romeruis.

Viſitatoris ordinationes.

De ſervitio perſonali regia mandata promulgata quidem ſunt Aſſumptione. Sed a colonis quorum plures a primariis Hiſpaniæ familiis deducebant genus, objicitur, ſi priventur Indorum famulatu, vel ad mandatorum normam exigatur, fore ut canonem Regi debitum (d) pendere non poſſint. Id quidem ex vero dictum; ſed major eſſet proventus, ſi mitius haberentur indigenæ, vel habiti a majoribus eſſent. Poſt Indos tamen exterminatos re non integra, in eam mentem venit Viſitator, ut & colonorum ſtatui, & Majeſtatis imperio conſuleretur. Permittit itaque Commendatariis, ut menſtruum ſervitium ſingulis annis exigant; de reliquo mercedem commendatis famulantibus ſolvant. Alia plura conſtituit Indis commoda. Rex vero non tantum uno ſed altero menſe commendatos ſervire juſſit, ut prima ferebat commendarum inſtitutio. Ex narrandis palam fiet, res eo deveniſſe loci, ubi prius erant.

Indi reſervati.

Notam deinde fecit pro Rege Viſitator Guaraniorum & Guaicuruorum a commendis immunitatem; Patrum Societatis fore, ut moribus Chriſtianis & civilibus inſtructi deditionem ſui Regi facerent; atque Miſſionariis congruam ſuſtentationem, ut Peruvii (e) doctrinariis ſufficiendam ex ærario. Sed Provincialis interpellatione factum eſt, ut in quadrantem redigeretur: quod religioſorum alimentis ſatis erat (f). Supradictum eſt, ex neo-

(a) In provinciis videlicet Tucumaniæ, Paraguariæ, & Fluminis Argentei, nominatim expreſſis tit. 17. lib. 6. Recop. Ind., in quem contractæ ſunt ordinationes Alfari, regia authoritate munitæ, data lege 18. Oct. 1618.

(b) Qui deinde fuit Epiſcopus Chilenſis.

(c) Vide librum 6. t. 17. per tot. Recop. Ind. nuper cit. litt. (a).

(d) Quem canonem? Forte militare ſervitium ad tuendos provinciæ fines; aut potius quod pro regia commendæ confirmatione ad duas ut plurimum vitas Regi penditur a Commendatario.

(e) Peruviana *Synodus*, ut vocant, ſexcentis ut minimum numis octiregalibus *enſajados* conſtat, id eſt nongentis triginta duobus regalibus quinque monetæ vulgaris.

(f) Deinde ne Regularis Doctrinarius eſſet ſine teſte & ſocio profeſſionis ejuſdem, quadrans alter canonis Peruviani ad ejus alimenta conſignatus eſt ex eodem fundo, videlicet ex tributo; ita ut in ſingulos pagos 300. octiregalia *enſajados*, ſeu 466. $2\frac{1}{2}$ regalia uſualia tribuerentur, quantolibet numero ſocii eſſent, cum in omnibus pagis eſſent bini ſaltem, in aliquibus terni, quaterni etiam.

Digitized by Google

neophytorum tributo deduci quod parochis Reductionum ad alimoniam ſuppeditatur. Provincialis moderatio valde commendata fuit; ſed ut loco ceſſit Viſitator, in Jeſuitas qui ordinationum authores credebantur, odium erupit.

Jeſuitæ ſolum mutant & revocantur.

Eo res devenit, ut ſolum mutare & in prædium ruſticum concedere coacti ſint. Nondiu poſt quidam de primoribus Prætorem adit cum Indis ſibi commendatis, & malle ſe mendicare, quam præſcriptos commendatariis fines tranſgredi ſacramento confirmat. Et ad Indos converſus, ſervos quos habuerat nolle, cunctos habiturum filiorum loco. Exemplo moti plerique ſunt, ac de Jeſuitis mitiora cogitantes eos revocant. Reliquum tamen fuit in civitate quoddam affectionis ſiniſtræ ſedimentum, ſæpe deinceps præter modum & præter meritum exaltatum & exploſum.

Jacobopolim revocantur.

Dum hæc in Paraguaria geruntur, in Tucumaniam regreditur Viſitator, reſtituendis Jacobopolim Sociis intentus: quod Prorex D. Joannes de Mendoza & Luna Marchio *de Montes-Claros*, Regiaque Charcarum Curia iterato demandaverant. Id ipſum Magiſtratus urbanus, novus Prætor, & prædeceſſor adhuc in Tucumania diſtentus, cui per miſſam diſceſſionem Rex culpæ verterat, Epiſcopus etiam admiſſam facilitatem dolens ſummis expetebant votis. E regione Socii circa reditum indifferentes ſe gerebant, ne de Indorum conditione ſententiam, quam tenere obſtirmatum erat, abjeciſſe viderentur. Sed Turriano conſulendi Prætorem gratia Jacobopolim adeunti gratum accidit, ut cuncti civitatis ordines Socios revocari competiverint.

Vota pro merito accepit, & Viſitator collegii redditus partim (*a*) ex ærario, partim ex Cathedralis fundo conſignavit (*b*). Ad educandam juventutem ſeminarium ſimul erigitur, Cordubam hac ætate provinciæ caput, & Epiſcopatus ſedem deinde translatum (*c*). Cujus, & Collegii regimen P. Joanni Romero delatum eſt. Eodem ferme tempore Hiſpani, divinæ ut opinio fuit ultionis exemplis territi, ex bono & æquo ſervos indigenas manumittunt, largitionibus etiam ſervitutis præteritæ gravamine reparato. Quo miſeri beneficio devincti Socios, quos inſtitutæ reformationis authores arbitrantur, ut ſedes apud ſe conſtituant, invitant, omnimodam docilitatem & ſubmiſſionem polliciti.

Status Reductionum.

His in Tucumania conſtitutis, ad Guairam conſilia vertit Turrianus, ſuffecto P. Antonio Ruiz de Montoja recens in provinciam advecto, qui Mazetam & Cataldinum operoſæ Reductionum curæ impares adjuvaret. In pagis quatuor jam conditis pauci erant Chriſtiani: quod proſelytorum pleroſque ſpes ſola ſecuritatis & opis contra Hiſpanos & Luſitanos, veteresque hoſtes attraheret. Sed & comportabant ſecum ad hæc aſyla barbaricam ferocitatem, ſtupiditatem prope belluinam, indocilitatem, quam præ intemperato libertatis amore roboris loco & animoſitatis habent, omnia denique ſilvicolarum vitia, & obſtinatam ſuperſtitionum tenacitatem. Sed lucro imputandum, quod erraticæ renuntiaverant vitæ, & occaſioni non intermiſſæ moribus erronum concedendi. Quod ſi qui hortantium votum fallebant, vocem ſaltem pronis excipiebant auribus. At multis acceptæ veritates ſpecie tantum, vel ſuperficie tenus erant. Quo facile inſtitutam vitæ conſuetudinem pertæſi in ſilvas remeabant.

Ad coercendam defectionem gentis moroſitas ſuſtinenda erat, diffidentiaque nulla data cauſa furentium, habentiumque temere Miſſionarios infeſtiſſimorum hoſtium loco; ortæ conatus eludendi, per deſtinatos ſatellites ad ſubruendum opus divinum concitati; providendum ſimul & reductionum ſecuritati & victui reductorum; intus tolerandum inſultari ab iiſdem, quos ab inſultibus defenderis externis. Omnia ſuperavit ſibi conſtans hominum apoſtolicorum æquanimitas. Plures qui gratiæ ſuaſionibus difficiliores ſe præbuerant, baptiſmum exoptarunt; non niſi probatiſſimis collatum: & tot alios coegit doctrinæ deſiderium, ut novæ coloniæ deducendæ fuerint.

Excurſiones.

Sæpe etiam per impervios receſſus exquirebantur. Neophytorum agmen ducebat Miſſionarius, & armis & commeatu parce inſtructum, non ignarum licet, præter ſilvarum fructus, radices amaras, aquam vix potabilem omnia defore. Poſt diurnum ſub ardenti ſole iter, ægre locus pernoctando tutus erat, nunquam certe incredibili culicum tinnulorum (*d*) multitudine non infeſtus, ubi ſiquos fame, ſiti, æſtu, pervigiliis incommoda teneat va-

(a) Ex ærario nihil, niſi quod eo tempore, & aliquandiu poſt conſignari conſuetum fuit in Monaſteriorum erectione, conſtatque ex *libro* 1. *tit.* 3. *Recop. Ind.*, ſcilicet vinum ad ſacrificium, & oleum ad fovendam SS. Sacramenti lampadem. Fundus quidem tam hujus in S. Jacobi, quam aliorum alibi collegiorum, Monaſteriorumve conſtat ut plurimum donatione regia, quam appellant *Mercede de tierras*, de qua eſt *titul.* 12. *lib.* 4. *ejuſdem Recop.* Nempe de terris vacantibus, ſive ad fiſcum devolutis Prætor pro Rege colonis de re publica benemeritis, ſeu communitatibus, aliquam partem attribuit, certo canone pendendo, vel nullo.

(b) Ex Cathedralis fundo nihil prorſus ad collegium provenit; ad ſeminarium vero ſex acolythorum quinquaginta octiregalia proveniunt in ſingulos ex fundo Cathedralis, ſcilicet ex cumulo decimarum juxta Erectionem. Hujus tamen Seminarii cura non tam brevi a Sociis admiſſa quam dimiſſa fuit.

(c) Translatum forte cum ſede epiſcopali ſeminarium acolythorum, vulgo *del Rei*; nam quod a Monte Serrato nomen habet, Cordubæ primum conditum eſt a D. Ignatio Duarte Quiros, & Societatis curæ commiſſum, antequam ſedes Epiſcopalis transferretur, ſcilicet anno 1685., quo die 15. Junii data eſt regio diplomate facultas erigendi. Imo conſtat ex eodem diplomate, nullum eo tempore ſeminarium in his provinciis eſſe. Unde ſeminarium vulgo *del Rei*, non tam translatum Cordubam, quam integratum ibi eſſe videtur.

(d) Præter culices id genus ſeu ciniphes ſunt & aliæ plagæ inſectorum volucrum. Hiſpani appellant, *zancudos*, *xexenes*, *rodadores*, &c.

Digitized by Google

valetudo, ope deſtitutis progrediendum, vel regrediendum, & incuſtodito cedendum loco.

Æſtum ſequitur pluviarum copia & inundationes camporum, quæ ſi ſtatæ forent, præcaveri poſſent, inexpectatæ tamen ingruunt, & adeo repentes ut primo impetu renes, mox humeros quandoque ſubeant. Ex facto quod de P. Ortega narrabimus, conficitur aquam ſupra caput quindecim pedibus altiorem fore, niſi arbor præſto ſit in quam aſcendere poſſis. Quare raro fit, ut caſus hos aliquorum interitus non ſequatur. Minima incommoditatum eſt, ſi terra paulo eminentior ad noctem in ſicco ducendam inveniri nequeat. Etiam dum hæc timenda non ſint, ſæpe gradus niſi per denſiſſimas ſilvas ſtrata ſecuribus via promoveri nequit: nec opus promovetur niſi quatenus exemplo præiverit Miſſionarius, qui aliquando ſolus dilapſo comitatu relictus eſt, ne ſui eſcam feris anthropophagiſve præberet, repedare coactus. Nihil tamen abigeorum contradictionibus comparandum, qui Indorum dominatum captabant. Et parum abfuit quin cœpta de reducendis & convertendis Guaraniis paucorum opera Hiſpanorum evaneſcerent.

Ad pellendos e Guaira ſocios molitiones.

Per quoſdam Villaricanos rumor Aſſumptionem delatus eſt, labores Patrum fructu vacare: idque tam multis perſuaſum fuit, ut ſuperiores ad revocandos conſilia verterint. Miſſionarii ex auditis id quod erat ſuſpicati, Montojam ad dedocendum Provincialem ablegant. Vix medium iter confecerat, cum a neophytorum comitatu deſeritur. Sub noctem arboris ſtipiti ſe admovet totum diem jejunus. Somni & quietis expertem fecit procelloſus imber, & aqua genibus altior. Pergere tentat prima luce; ſed acutiſſimo dolore crure contracto, qua terra extabat aquis, proſternit ſe.

Sanitas miraculoſa.

Dolore mitigato ad Maracajum, quo Hiſpanus quidam herbam comparatum venerat, ægre ſe trahere potuit. Lembum ad progrediendum fruſtra petit, atque binis tantum paſſuum millibus totum diem exegit. Intumuit præter modum crus acerbato dolore. Tunc ope humana deſtitutus cœlum reſpicit, Sanctum Societatis conditorem invocat, adſit obedientia iter habenti. Continuo ceſſavit dolor, & obdormiſcens vidit per ſomnium Beatum Patrem affecto cruri manum admoventem, & æquo jubentem eſſe animo. Evigilans aſſequutos videt Indos deſides, qui laſſitudinem rati moræ cauſam, geſtatorium parabant. Tumor penitus reſederat, factoque gradiendi periculo, & dolor aberat, & debilitas.

Mors Miſſionarii S. Xaverii cognati.

Ire pergit, & Aſſumptionem nullo incommodo attigit, cujus adventu & præſentia cecidit diſſipatus rumor. Monet, niſi quam primum ſubveniatur, meſſem uberem & maturescentem interituram. Cui Provincialis reſpondit, P. Martinum Uſtazum in Guairam haud ita pridem miſſum eſſe; alterum addi non poſſe. Regreditur ergo tantum patientiæ merito, & refutati rumoris lucro non vacuus. Ad hæc ut in Reductionem venit, novum operarium Uſtazum præ languore fatiſcentem videt, & deinde mortuum. Erat ille S. Franciſci Xaverii cognatus, & annos ætatis vigenos ſenos nondum expleverat.

P. Gonzalez incœptum.

Supra dictum eſt, per Lorenzanam eſſe conditam ex Guaraniis ad Parannam Reductionem a Sancto Ignatio, & iteratis infidelium impetitionibus infeſtatam. Gonzalvius, qui Lorenzanæ ſuppetias venerat, demigrandum ea ſede author fuit. Dum commodiorem locum perquirit, venit ad Xexuim (*a*) rivum in Paranam ſub gradu 24. latitudinis auſtralis defluentem. Barbarorum gentes erraticæ, quas inter medias penetravit inermis, audaciam miratæ ſunt, maxime quod Hiſpanorum nullus eo uſque progreſſus erat. Quod cum aliqui ſignificaſſent, reſpondit, probe ſcire ſe quantus eorum terror in vicinos, in Hiſpanos etiam exuberaſſet. „ Sed tempus eſt, addit, ut vero Deo, Chriſtianorum Deo deditionem veſtri faciatis. Crux hæc, quam manibus porto, munimen mihi eſt armis Hiſpanorum validius, & ſatis ut vos illius imperio ſubmittam. Ejus virtute confiſus vos hortor, ut Deum cœli & terræ Creatorem revereamini. Ejus mandata, qui ſine ferro mundum ſubjugavit, denuntiantem me audite. Legatus illius ſum, nec niſi amica fœdera vobis defero. "

Stupor audientes tenuit, nec duces eſſe viæ gravati ſunt. Centum amplius leucas peragravit, ubique prædicans Jeſum Chriſtum pro ſalute hominum crucifixum. Sed animadvertit, tempore opus eſſe, ut verbum vitæ ibi locorum germinaret. In S. Ignatii Reductionem regreditur, cui Lorenzana ad collegii regimen revocato tot addidit ſupplementa proſelytorum, ut tranſmigrationis conſilio nuntium remiſerit.

1613.-14. In ſocios calumniæ.

Interea Sociorum res apud colonos eo erant loco, ut multorum odia imminere cognoſcerent: & Regis Catholici protectio, qua ſecundabantur illorum cœpta, caro ſtabat. P. Franciſcus a Valle in judicium, quaſi confeſſionis, ſigillum & fœminam corrupiſſet, trahitur. Prope aberat, ut atræ ſuccumberet criminationi, cum delator conſcientiæ morſu ſtimulatus palinodiam ex lege cantavit. Optabat Prætor, ut meritas daret pœnas; ſed Rei precibus data eſt venia. Eodem tempore P. Didacus Holguin (*b*) pro abſente Lorenzana collegii rector, vices etiam ſuſceperat rogatus Commiſſarii S. Officii, obſtrepentibus multis vigilantis zelo. Commiſſarius redux inauditum jubet apud Limanum Inquiſitionis tribunal ſe ſiſtere. Morem geſſit Holguinus, ſed ubi medium iter confecerat, litteras accipit Majoris

In-

(a) Xexuim novi ſub gr. 24. defluentem non in Paranam, ſed in Paraguaim.

(b) Author Operis *De privilegiis Indorum* laudatus in Summario Privilegiorum Concilii Limani, apud Haroldum pag. 111.

Digitized by Google

Inquisitoris, ut longius ire cessaret, probatam esse innocentiam. Per eundem nuntium Commissario ob fidem delationibus, quas suspectas habere debuit, temere præstitam exauctorato successor datur idem Holguinus.

Vis adhibita. Severius punitus est Ecclesiasticus quidam, qui & largius peccaverat. Cum Cataldino Assumptionem eundum esset, ibique diutius immorandum, ac soli in Guaira restarent Mazeta & Montoja, spes Villaricanos quosdam incessit horum alterum post Cataldinum abigendi, alterum laboribus fractum absterrendi, ne destinatæ neophytorum obstaret prædæ. Canonici Assumptiopolitani adventu spes accrevit, qui sede vacante Vicarius Generalis renuntiatus erat, & Sancti Officii subdelegatus. Socios oderat, & post colloquia Villaricana palam adventus causam edixit, ut e Guaira pellerentur.

Somniatam authoritatem primo impetu exerere noluit, sed in aversionem solicitandis neophytorum animis primam dat operam, & complures quidem avertit calumniarum vi. Montojam deinde Assumptionem ablegat, ut ibi declaret, quid de litteris Inquisitorum egerit, quas multis extradendas acceperat. Cunctas ex debito distribuerat, syngrapha tamen opus non esse ratus; & plures a se receptas inficiati sunt. Abeundum fuit: & Mazetam solabatur non seductorum paucitas neophytorum. Desertorum tamen numerus Maraconæ Caciquii, qui nunquam non a Missionariis steterat, discessione secuta incrementum accepit.

Animum non despondet ille: in concionem advocat quotquot nondum defecerant, ad quos ait: „ Video, filioli, quod potius contra vos struitur, quem contra me socios-que meos. Illud tamen certum vobis sit, hujus molitionis authores brevi dierum spatio morituros. " Postridie mane Maracona, & duo alii principes morbo affecti, & quatriduo post mortui sunt, Deo quidem reconciliati, & a Missionario veniam deprecati. Mox Vicarius Generalis, dum Assumptionem repetebat, a vipera morsus interiit. Montoja authentico justificationis documento munitus Missionem prope sequente Cataldino repetivit: & Christianitas hæc novo post turbinem splendore fulgere cœpit.

1614. Præter iterata divinæ justitiæ monimenta opportunum ad renovandum neophytorum fervorem accidit Laureti exemplum, quod Montoja testatur, quodque ab effectis tantum fortasse miraculosum appellat. En quemadmodum ab eo narratur: „ Indus mentis compos, & bene moratus, animam agens vocavit me, ut confitentem audirem, & postrema Sacramenta ministrarem: quod & feci. Alio vocatus abii post parata sepeliendo necessaria. Naturæ concessit ille, mortuum certe non dubitarunt quotquot aderant, & regressus vidi funus aptantem, cui commissum erat.

Circa meridiem nuntiatum mihi est, mortuum vivere, & alloqui velle me. Eum reperi in media Indorum turba ore lugubri. Quæro quid post accidisset quam discesseram, & respondit speciem sibi oblatam in loco prope lectum, quem designavit, dæmonis dicentis ad se: *Meus es*. Se negasse, quod pro facultate confessus erat, & sacro viatico munitus; & dæmonem, cassam esse confessionem, quod binam inebriationem celaverat. Se oblivionem causatum sperare a Deo non imputandam. Affirmantem dæmonem fuisse sacrilegam a S. Petro duobus angelis stipato fuisse fugatum.

Rogavi, unde nosset Apostolorum principem, ac respondit sibi esse indubitatum. Et quamquam nullam illius imaginem unquam viderat, quibus vulgo depingitur notas expressit. Pallio suo, sequitur ille, contexit me, & continuo me in sublime elatum sensi. Trans amœnissima rura vidi rotundam urbem fulgidissimam. Tunc gradu constiterunt S. Apostolus & Angeli, ac ille discessurus ait: Hæc est Dei civitas quam & nos colimus; sed tibi nondum introire licet. Redeundum est animæ in corpus, & infra triduum in Ecclesiam concedes. Visum disparuit, & ecce vivo.

Ex postremi S. Petri verbis intellexi, moriturum hominem infra triduum, & quid sentiret ipse rogavi. Reor, ait, cadaver meum in Ecclesiam portandum Dominica proxima, nec dubito quin ad hortandum populares meos & Christianos omnes revixerim, ut vestris dictis audientes sint. Cibum apponi feci, quem ille non est aspernatus. Biduo confluentes populares ad bene vivendum hortari non cessabat. Et infidelibus inter Christianos accedentibus opportuna suggessit, ut Christianam religionem amplecterentur. Ad cœlestem civitatem pervenire gestiebat: negabatque verbis quæ viderat exprimi posse. Dominica, primo mane, peccata duo a dæmone in memoriam revocata publice confessus est, generalem etiam confessionem iteravit, & mox vivere desiit. "

Viri apostolici (*a*), cujus narrationem in compendium redegi, dignitas: nomen quod inter sui temporis sapientissimos in Hispania sibi fecit (*b*): res gestæ deinde memorandæ: sanctitatis ejus per Americam opinio, & Christianæ Reipublicæ, quam supra descripsi, institutio cujus pars ille magna fuit; quæ in opere se coram vulgato continentur, in dubium revocare non sinunt. Præterea quod per labores immensos operatus est, & per virtutem nullis adversitatibus infirmatam, potuit utique cœlum ad cooperandum per prodigia movere. Adde quod honorificum nimis forte sit

(a) Montoja, Cong. Espir. pag. 22.

(b) Hic videtur confundi Antonius Ruiz de Montoja cum Didaco Ruiz de Montoja Theologo in Hispania doctis lucubrationibus satis noto, qui ut ejusdem familiæ sit, longe alius est ab Antonio nostro, qui sat juvenis in Americam sæcularis adhuc transfretavit, in Peruvio Societati adscribendus.

Digitized by Google

sit mirandi operis authoribus, si dicatur cœlestibus omnipotentiæ documentis secundatos non esse. Plura exhibita sunt: certe quot sufficiunt, ut intelligant illi, irritum sine Deo fore laborem, & inutilem esse status præsentis conservandi curam, nisi Deus incolumem servare velit.

1615. Christianitas deserta.

Exemplo sint cœpta alia principio cum felicissimis comparanda. Anno 1615. Regius Visitator, de quo supra dictum est, ut trium pagorum curam Socii susciperent, author fuit. Gente dispares, sed alter alteri vicini siti erant ad Assumptionis boream juxta fluvium *Guarambare* ab ortu Paraguaim influentem sub gradu 23. minuto 30. latitudinis australis. Pagorum duo trecenis familiis constabant in singulos; tertius nongentis & nonaginta, in quibus aliqui erant baptizati. Commendatis renuebant socii Evangelii suavitatem prædicare; sed danti fidem de finienda brevi servitute acquieverunt. Et Indi ut per novos curatores libertate donandi, baptismum petunt universi. At Visitator, connitente licet Archiepiscopo Platensi, fidem liberare non potuit: & proselytorum fervor pariter atque libertatis spes intepescere cœpit: quo Missionarii post biennium revocati sunt.

Eodem anno P. Torres provinciali Sociorum regimine perfunctus successorem habuit Petrum de Ognate. Et quam provinciam septem omnino Sociis ante septennium condiderat, novendecim auctam supra centum tradidit. Ognatensi læta fluebant omnia, nisi apostolicum ministerium protegentibus Summo Pontifice, Rege Catholico, Episcopis & Prætoribus, particulares quidam obsisterent. Ingestas moribus Sociorum calumnias supra recensui, quibus ne succumberent summa opus erat circumspectione.

Querelæ adversus P. Torres.

Huic quidam nimium concesserunt, & futuro potius quam præsenti tempori providentes rati sunt, Turrianum sinistras de Sociis privatis oblocutiones non satis præcavisse. Illud maxime vituperabant, quod Sociorum inopiam causatus Missionibus addixerat viros præscriptis probationibus nondum excultos. Unde illud, ajebant, exiterat incommodum, quosdam a primo fervore defeciisse, & unum vel alterum, necui noceret exemplum, fuisse dimittendum. Hac tamen super re prædecessorem Ognatensis innoxium judicavit, respondit-que id egisse Turrianum, quod interdum pari rerum statu coactus fecerat Sanctus Societatis conditor, nec ex rerum exitu quandoque infausto taxanda Superiorum consilia.

Ægrius satisfactum est aliis, qui non satis animadvertentes, proprias esse inter difficultates ex obedientia vel ex necessitate obita gratias & auxilia, jam pridem Turriano ipsi objecta recoquebant, de Missionariis sine sorio peregre discurrentibus, vel affixis longe remotis sedibus; vel minimos Jesuitarum lapsus exaggerari, in Paraguaria maxime, ubi anxie captabatur oblocutionum occasio. Nunquam igitur quavis de causa decernendam, nec permittendam Missionarii solitudinem.

His nimium confici, ac proinde nihil respondit Provincialis. Ad vitanda quæ timebantur, non deputandos missionibus nisi virtute probatos; emancipetes vel minimum, revocandos, ut reparati ministerium obire pergant. De religiosis, qui sponte sua tot laboribus patrias commoditates posthabuerant, nimium diffidere qui semper eos velit præpositorum obtutibus subjacere. Si tot cautiones adhibendæ sint, non paucas salutis animarum promovendæ occasiones frustratum iri. Siquis, quod absit, prævaricaretur, despiciendum timorem ne totius Societatis vertereur vitio, ad Corporis incolumitatem sat esse, scabiosum membrum, dum sanari nequeat, abscindi. Peruanos, quorum laudabatur exemplum, Socios non ideo Indos curare renuisse; sed quia Peruvium clericis & religiosis, quibus Episcopi crederent curam, abundabat. Quidquid agas, sperandam haud esse in Paraguaria oblocutionum immunitatem, quibus Apostolus Paulus obnoxius fuit. Saluti animarum intentis, calumnias hæreditatem obtigisse. Mundi conversionem non operandam, si Apostoli & successores paribus terriculamentis concederent. Satis a Salvatore mundi præmunitos dum instar sui calumniandos fore prædixit. Fidei reliquias apud Protestantes in Europa difficilius quam in silvis Americæ sustineri. Indiarum Apostolum modica Sociorum manu in regiones aliam ab alia remotissimas distribuenda, Orientis conversionem suscepisse. Tandem sic esse comparatas Paraguariæ provincias, ut vel abjicienda cœpta sint, vel in instituta ratione agendi perseverandum. Hæc non latere Præpositos, quorum prudentiæ dum aspernantur nova credendum. Et Ognatensis prudentiæ fidendum erat, qui Theologiam Limæ professus (*a*) egregia doctrinæ fama, difficillimis neque & fructuosis Peruvii missionibus plures annos defunctus erat. Tranquillavit itaque quos paulo vividior timor solicitaverat.

Guaraniorum incursus.

Turrianum deinde Cordubensi Collegio & tirocinio nondum separatis præfecit, aliaque plura constituit usu probata, de Guaraniis maxime solicitus, quorum multi adhuc adversus Hispanos ferociebant. Paranam utrimque accolentium plerique maxime infesti erant, excidiumque urbis a S. Joanne *de Corrientes* minabantur, intercluſa fluviorum navigatione. Eorum, qui primitus baptizati nomere erant ardebat rabies præsertim contra S. Ignatii Reductionem tunc a Gonzalvio procuratam.

Gonzalvius iterat excursiones.

Quibusdam nihilominus cicuratis ad colligendam penitius regionem, in qua frequentem condere Christianitatem meditabatur, usus est Missionarius. Ejus bona parte peragrata constitit prope paludem, cui a Santa Anna (*b*) na-

(a) A doctrina commendatur ex editis tomis *De Contractibus*, quorum author est.

(b) Indi appellant *Appum*.

Digitized by Google

nomen est, ad Paranam exundantem. Magnam ibi reperit Indorum copiam, quos accessu intrepido ac benevolo ita conciliavit, ut in reductionem cogi enixe petiverint. Sed quia Franciscani missiones illac obierant, noluit invitis quidquam decernere, quorum alloquendi gratia Confluentiam urbem venit. Hoc officium religiosis viris acceptissimum fuit, in eamque sententiam convenerunt, ut Jesuitæ pro arbitrio agerent, si Franciscanorum nemo sex mensium spatio in S. Annæ comparuisset.

Confluentia regressus ad S. Ignatii post moram exiguam Paranam subire constituit, & commodam Reductioni sedem eligere. Indos invenit ad deditionem sui paratos, dum religiosum de Societate apud se haberent. Hunc pollicitus ire pergit. Post leucas quadraginta multi accurrunt armati clava & sagittis, & toto corpore picturati, quorum dux divinitatem ut suam affectabat. Hic ad Missionarium, „ Quis ausus, ait, adire loca Hispanis impervia? Cave ripam tetigeris Europæorum sanguine rubram. Si novum Deum annuntiare contendis, mecum rem habes, qui solus hic adorandus sum. “

Plausu a circumstantibus acceptus est sermo. Sed Missionarius nihilo motus ait: „ Minas tuas non timeo. Missus ab unico vero Deo sum, cui mortalitas universa subest. Deus hic passibile corpus induit, & pro salute hominum mortuus est. Ipse deinde semet resuscitavit, & regnat in cœlo. Ab illo missi beati sint, si ejus gratia sparsi sanguinis jacturam faciant. Si ego ad vos malus, venissem utique armis & copiis haud immunitus; veni tantum ut hominum ritu vivere discatis, ut Deo subditi vitam fine carentem adipiscamini. “

Accedentis firmitate cohibiti barbari, & mansuetudine devincti, ad amicorum colloquia deveniunt, nec fuit qui obsisteret progredienti. Post quinquaginta fere leucarum iter adverso Parana præter excursiones in mediterranea, proram retorquet, & in loco cui nomen *Itapua*, quo dynastæ quatuor cum suis quisque subditis convenerant, consistit. Animos principio infestos ita sensim conciliavit, ut ejus tandem ductui & curæ se totos crediderint. Quibus cum significasset ad cunctorum institutionem ope sibi esse necessariam, Assumptionem ad corrogandam se confert.

Infideles a proselytis fusi.

Ut discesserat, ab infidelibus datæ fidei iratis obsidentur. Proselytorum æquitas copiarum imparilitatem supplevit. Collaturi manus Deum invocant a P. Gonzalez annuntiatum, & parta victoria in sententia confirmantur. Interea Gonzalvii adventus Assumptionem replevit admiratione & gaudio; inermem vel solo armatum Crucifixo cæca repagula superasse stupebant: jamque totum Paranæ cursum Hispanis apertum & pervium nemini dubium erat. Recens obierat D. Didacus Marin Negronius Paraguajensis Prætor, cujus a Rege locum tenebat D. Franciscus Gonzalez a Sancta Cruce, cui nihil accidere potuit gloriosius, quam ut rebus a germano fratre in provinciæ commodum tam præclare gestis adita præfectura illustraretur: eoque vertit consilia, ut cœpta pro virili secundaret.

1616. Itapuana Reductio.

Ad Itapuam reditum cum instrumento ad constituendam Reductionem necessario non distulit Gonzalez. Assumptione distat sexaginta leucas, ubi palus cujus aquæ cum Parana communicantur, quamdam portus speciem refert. Ex Indis, quos ibi relictos ibidem reperit optime comparatos, pagus conditur satis frequens. Guarambarea, ut dictum est, revocati socii auxilio venerunt, quorum alter ad S. Ignatii missus Franciscus Vallensis comes, alter Itapuæ relictus. Augusto proxime sequente ad S. Annæ paludem Confluentiam inter & Itapuam ex æquo distantem iter intendit Gonzalez, ubi Franciscanis post diem condictum non comparentibus, tertiæ Reductionis plaudentibus Indis fundamenta jecit. Inde ad conferenda consilia venit cum D. Ferdinando Arias secundum Paraguariæ Prætore, qui recens Gonzalvii sororem in matrimonium duxerat.

Visitantur Reductiones. Quo successu.

Vir erat omnium rectissime affectus, & uxoris fratrem pro merito æstimabat. Sed dum bene mereri cogitat, omnia pene subvertit. Novas Reductiones visitare constituit; & quamquam monuit Gonzalez differendum consilium, nequid sinistrum suspicarentur Indi, animum ad iter obfirmavit. Ad avertendum tamen objectum incommodum, Missionarium dies aliquot præcedere jubet, ut Caciquios edoceat visitationis causam. Cum ad Itapuæ conspectum venit, prætoriani obvium proceræ crucis signum explosis tormentis salutarunt, & Prætor recta divertit in templum Deo gratias acturus, quod Hispanis loca eo usque inhospita peragrare liceret. Occurrentibus deinde Gonzalvio & socio post officiosa manuum oscula relaturum se ait ad Regem, quanta pro Deo, & pro Rege ipso perfecissent. Munia Reipublicæ qualia apud Hispanos distribuit, iis utique quos Missionarius suggessit.

Interea rumor dissipatur, Indos e vicinia Prætoris & militum adventu commotos ad intercludendum reditum conspirasse: nec ita post conspectæ sunt cymbæ armatorum plenæ Itapuam cursum dirigentes. Non id inopinato accidit Gonzalvio, quem Prætor monentem panici terroris incusaverat. Sed tandem cognovit, non ex vano timorem esse, intempestivum fuisse adventum, atque dandum quam primo receptui signum. Ut conceptam dissimularet solicitudinem, ad neophytos ait; eo tantum venisse, ut inviseret amicos protector, negotiis imminentibus revocari, mediutius, quod mallet, moraretur.

Conscendit illico ignarus a tercentis barbaris infra lapsum fluminis necessario præterendum expectari se. Sed Gonzalvius qui simul conscenderat, sermone & vultu ad authoritatis speciem composito, quorum usus prospere cessaret in paribus angustiis, barbaros continuit. D. Ferdinandus ut placatos vidit, ob-

tu-

tulit Principi nomine *Tabacambé* ſcipionem, imperii & magiſtratus inſigne, quo ſub Hiſpani Regis auſpiciis uteretur. Ferox ille donum refutat; id alteri ſervaret, ſine quo per ea loca diu dominatus erat. Quo dicto terga vertit: & Prætor diſcrimen imprudenter obitum prætergreſſus palam confeſſus eſt, ad reducendos Novi Orbis incolas militibus aptiores eſſe Miſſionarios.

Franciſcani S. Annæ reductionem repetunt.

Inde ad S. Annæ Reductionem contendit, quam æque ſtatu florentem invenit atque Itapuam. Nondum diſceſſerat, cum Franciſcani poſſeſſionem repetunt, etſi Gonzalvius non niſi poſt tempus condictum ſedem firmaverat. Ceſſit nihilominus libenter, ad evangelizandum alibi expeditior. Verebatur autem, ne Indi ſpe tuendæ libertatis attracti, in commendarum ſervitutem paſtorum mutatione redigerentur, qua ſub Jeſuitis immunes in diſperſionis & apoſtaſiæ periculum vocabantur.

Guairæ Miſſionum ſtatus.

Dum inferior Parana Chriſtianis accolis frequentari cœperat, Reductiones Guairanæ ſpem cultorum cumulabant. In dies ſingulos denuo parta computabantur: & proſperius cederet Chriſtiana res, ſi tantum ab infidelibus eſſet tuenda. Sed tum Hiſpani ejus provinciæ, tum Braſilienſes Luſitani ad mancipia quovis impendio, moxque videbimus quanto, religionis diſpendio, comparanda conjuraverant. Spem aliunde de Guaicuruorum converſione conceptam effecta fallebant: quo Miſſionis vacatio decreta fuit. Aliquandiu poſt P. Romerus & Antonius Moranta rem de integro experiri tentarunt. Sed moto gentis & Hiſpanorum bello, Miſſionarii protecti licet a dynaſtis D. Martino & D. Joanne, qui fideles perſeveraſſe videntur, in vitæ diſcrimen ſæpius adducti ſunt.

Guaicurui deleruntur.

Periculo liberandos Aſſumptione tandem judicatum eſt, eo maxime quod ſi cædes eorum patraretur, bellum nullo fine committendum erat cum hoſte vi æque atque benefactis indomabili. Revocantur ergo. Extemplo ad interpellandum Prætorem profecti Chriſtiani dynaſtæ, veriti acceſſum, trans amnem conſiſtunt. Eo Torres nondum egreſſus Aſſumptione convenit. Colloquio utrique ſatisfactum eſt parti, & conſtitutum ut Miſſionarii in pagum, qui Don Martino ſuberat regrederentur. Ibi conſedit P. Moranta, parvulis & ſiquos tempus offerret proſelytis educandis intentus. Romerus in ulteriora regionis penetrans ita ſe probavit, ut adoptione gentis, & antiqui dynaſtæ nomine, cujus memoriam venerantur, donatus ſit non invitus: authoritate per adoptionem parta ad plurium quam poſſet ſalutem uſurus.

Mira apud Guaicuruos geſta.

Deus nonnullis omnipotentiæ documentis emolliendis infidelium cordibus addidit efficacitatem. His perſuaſum erat, baptiſmum eſſe ſuſcipientibus mortiferum, eo deceptis quod principio Miſſionarii tum ibi, tum alibi gentium ſolos abluerent moribundos: nec evellendo errori contraria, ut plura objicerentur experimenta ſat erant. P. Romero cœlitus datum eſt, ut multi baptiſmo ſanarentur. Error alter magis inveteratus & communis erat, animam male viventis in corpus alicujus belluæ pernicialis poſt mortem tranſmigrare. Hinc, cum fœmina ſtrigis famam adepta Deo dante baptiſmum expeteret, obnitebantur barbari, quod ſi Chriſtiana moreretur, & cum reliquis ſepeliretur, anima forte in corpus tigridis abiens popularium excidio cruentanda erat. Sed in gentem ſuperſtitioſam, immitem, & feram, odio ſimul Hiſpanorum æſtuantem, indocilem, & præter modum ſuſpicacem, ſemperque lucroſæ rationi bellandi aſſuetam, præoccupationum difficultates exundabant.

Prætoris cœptum imprudens.

Spes itaque trans Paraguaim proficiendi ſenſim cadebat; citra vero ad Paranam ex immaturo Prætoris conſilio timor ingruit. Itapuani itineris ſucceſſu Fernand-Ariæ Prætori perſuaſum eſſe oportuit, Miſſionariis utendum ut Indi conciliarentur Hiſpano: cum conſilium quo haud ita pridem fruſtratus erat, repente ſuſcipit, vicinos Uruguais accolas vi ſubjugandi. P. Gonzalez ad hæc vocatus Aſſumptionem, quantumvis objecerit gentes efferandas & obſtinandas, & Indis Hiſpanos non infeſtantibus abſtinendum vi & bello juxta regia mandata, irritus adfuit dehortator. Sed Prætorem abſterruit, quod compellatus ad hoc iter provinciæ miles comparere renuit. Ad compellendum vis deerat, & ipſe conſilio omnium ſententia reprobato, & imperii dignitate perculſa mœſtus retrocedere coactus eſt.

Caciquii defectio reparatur.

Ea ſolicitudine liber Gonzalez Paranam repetit, ubi novam quatuor Itapua leucis Reductionem condidit. Mox vero defectione dynaſtæ, qui ad conſtituendam S. Ignatii ſedem plurimum contulerat, hanc pene diſſipatam vidit. Inopinato accidit, ut cum aliis neophytorum ſeductis ad Tabacambem, quem Prætori Paraguajenſi ferocem reſtitiſſe ſupra dictum eſt, transfugeret: & pronum erat, ut in gente natura inconſtante, & fide nondum adulta, ſerperet contagio. Sed P. Joannes de Salas, ejus eccleſiæ curator, opportune cavit, ne malum immedicabile foret. Poſtridie quam defecerant, transfugas ſequitur. Dynaſtam ea vi alloquitur, ut conturbatus & infidelitatem deprecatus poſt paſtorem cum ſeducto grege ad ovile redierit.

1616. 17. Religionis progreſſus.

Per has viciſſitudines res erat Miſſionariis. Superanda difficultas ſuperatam excipiebat. Nunc vita, nunc fama impetebatur. Interdum neophytorum fidiſſimi ſubita fuga diſparebant. Sæpe furentium aut ebriorum afficiebantur probris, imo & pugnis. Tranſverſis mentibus innoxia ſiniſtre vertebantur dicta & facta: nec raro ab addictiſſimo quoque erant traditi, & ope neceſſaria deſtituti. His contradictionibus & adverſitatibus virorum apoſtolicorum virtus adoleſcit, & radicata labores e cœlo fœcundat. Atque divinum opus eo magis augetur & invaleſcit, quod crucibus & tribulationibus innititur.

Non tantum ingenti jam numero neophytorum conſtabat recens nata eccleſia, ſed con-

spiculs virtutum exemplis, quæ vel pastores in admirationem raperent, & labores susceptos abunde compensarent. In Guaira maxime, cujus universæ conversionem sola operarum paucitas morari videbatur. Mitti poterant qui apud Guaicuruos distinebantur. Sed indefessi expectabant, ut barbarorum cor divinitus emolliretur, nec audebant de eorum salute desperare, nec eos deserere, qui pauciſſimi quidem numero gratiæ concesserant. Cumque infantium salutem, imo & adultorum in baptismi innocentia decedentium in turo collocarent, suum non esse censebant electorum ex hac gente numerum coarctare; cujus erat culpa si a Domino reprobaretur.

Missorum supplementum.

Delectus tandem diu ex Hispania desideratus ductu P. Vianæ Bonaëris portum ex alto tenuit. Romam missus Viana ad Præpositum Aquavivam de Paraguajensis Missionis necessitatibus edocendum, mortuum invenit, & P. Mutii Vitelleschi interfuit electioni, qui primas expediendæ Missioni curas admovit. Per litteras qui Paraguariæ messem uberrimam pollicenti operam conferrent, invitavit: eamque plures quam qui mitti possent obtulerunt. Septem supra triginta delecti sunt. Exiis obvii cum Viana profecti, alii per Italiam adjuncti, & per Hispaniam, ubi Rex Catholicus eos donis cumulavit, & mandatis, ut nave donarentur (a).

Vianæ agendi ratio.

Mira de hoc itinere narrantur; sed præcipua sunt exempla virtutum a duce sociis exhibita, quorum unum tantum referam. Natus erat Vianæ Navarræ oppido, cujus nominis communicati causa latet. Prope iter habentem Magistratus rogat per nuntium, ut eo divertat. Respondit ille, immerenti sibi honorem impendi; sed conterranei Indiarum Apostoli in re simili exemplo proficiendum sibi esse. Iteratis precibus additum est, posse si votis annuat, de sua familia benemereri nepotem reum e custodia liberando. A judicum æquitate, subdit ille, expectet insons libertatem; sons vero pœnam subeat, qua humanæ atque divinæ justitiæ satisfactum sit. Sibi constitutum esse primi Societatis Missionarii exemplum sequi, dum Indiam petens matrem superstitem convenire noluit.

Novæ sedes constitutæ.

Ognate Præpositus tot operarum, quas tandiu expectaverat, otium momento non tulit. In collegiis Bonaurensi, Sanctæfidei, & S. Michaelis, quibus nondum professores potuerant suffici, classes aperuit. Esteco urbi, situ quidem ad communem Chaqui & Tucumaniæ usum opportuno, sed cujus cœli gravitas subsidii spiritualis tam Hispanis quam circum jacentibus Indis inopiam fecerat, quos diu expetiverat, dati sunt sacerdotes duo. Tandem Provincialis quacumque messis abundabat operas multiplicavit, quatuor ad inceptum quoddam ministrorum penuria eo usque suspensum destinatis.

Irritum ad Calchaquim iter. 1618.

Calchaquenses toties pacati novas ciebant turbas: & erat per Tucumaniam opinio, facile continendos, si Jesuitis in eorum valle permanendi copia fieret. Ubi de tot novorum adventu nuntiatum est, Ognatensis rogatus provinciæ votis acquievit. Quatuor mittit reservatos, qui peragrata valle bina templa spe reductionum extruxerunt. Mox penetrant hinc Londinum, illinc Saltam usque, sed ne unius quidem proselyti fuere. Calchaquenses bello fracti, & imperium Hispanorum aspernati, spe amovendi periculi & utendi tempore, non inviti missos exceperant; sed ut recesserant Hispani, loca illi communiunt, rursus ob duritiem cordis deserendi.

Nova Reductionum offendicula.

Dum hæc per Tucumaniam gerebantur, Rocus Gonzalez non aliud quam sursum deorsum Paranam lustrabat, ad novos Christo conciliandos adoratores; haud ignarus plures in sui perniciem armatos, & nullo sæpe neophytorum audente se comitem dare. Nunquam tamen animo præsentior, quam cum humana ope destitutus erat: quo fere semper hostium concidebat furor. Guairanis Missionariis minus repugnabant indigenæ; tria tamen experiebantur adversa, quorum minimum erat epidemica lues mortalibus per intervalla temporum exitialis, sed immortalitatis seges.

A Villaricanis major metus. Indorum prædas agebant, quorum fides jactura libertatis periclitabatur. Ad vitandam persecutionem procul ultra Paranapanem & Pirapoum transmigratum est. Sed patuit brevi, unius mali distantiam alterius fecisse propinquitatem, universæ huic Christianitati funestam; nempe colonorum Sancti Pauli *de Piratininga* oppidi in provincia a Sancto Vincentio in Brasilia, quorum origo & mores, quoad narranda spectat, compendio describendi sunt.

Colonia ad Piratiningam.

Brasiliæ debellatores, condita S. Vincentii urbe maritima, colonias ad interiora terrarum deduxerant. Oppida extruunt, in quibus quod a Sancto Paulo nomen habet in regione, quam indigenæ *Piratininga* nominabant, ex qua nomen & oppido accessit. Sub exordia P. Emmanuel de Nobrega, in Brasiliam a Sancto Ignatio missus, primus Societatis Provincialis, spe Brasilianos reducendi dociliores, ut putabat, quam ad S. Vincentium, eo transtulit hujus urbis collegium: & quia accesserat pridie festi Conversionis S. Pauli anno 1554., ecclesiæ collegii illius nomen inditum est, quod usus oppido commune fecit deinceps appellato a *Sancto Paulo de Piratininga*.

Unde Melucci nomen.

Incolarum pietas, aliquandiu ministerio Jesuitarum obtinuit: & Indi mitius habiti certatim Christo nomen dabant. Mox tamen res

eo

(a) Non tantum mandatis instruit & expedit Rex Catholicus Missionarios, sed largitionibus & commeatu. Quid singulis singulorum Ordinum in singulos dies conferri jubeat ad annonam præter indumenta, ex quo collegio vel conventu cedunt usque quo domum in America vel Missionem subeunt, habes in Indiar. Recop. lib. 1. tit. 14.

Digitized by Google

eo devenit, ut colonia cui Miſſionarii maxime fidebant, repagulum Miſſionibus objecerit inſuperabile. Ex colonia Paulitanæ contermina lues derivata eſt, in qua ſanguinem Luſitanum Braſilianus nimium infecerat. Hinc generatio perverſa, cujus omnimoda corruptio mixtindos hos *Mameluccos* appellari fecit ſimilitudine Ægyptiorum, quibus mancipiis Soldani uſi ſunt.

Fruſtra obnitentibus præfectis, magiſtratibus, & Jeſuitis per Superiores eccleſiaſticos ſecundatis, licentia morum exundavit, excuſſo legum humanarum divinarumque jugo. Proſcripti diverſarum gentium ex Luſitania, Hiſpania, Italia, Batavia, ſeveritate Judicum elapſi, neque divinam veriti apud eos collocati ſunt. Braſiliani plures conſpirarunt, & effræni prædæ cupiditate capti immenſa terrarum ſpatia devaſtarunt. Hiſpanæ rei æque ac Luſitanæ, quæ tunc unius ſuberant imperio, magnopere refersbat ſi exterminarentur. Sed S. Pauli oppidum inacceſſæ ſuper impoſitum rupi ſola fame expugnari poterat a copiis, quibus & Braſilia & Paraguaria pariter indigebant. Quidquod modica robuſtorum manus obſidioni ſolvendæ ſatis erat, nec res ad exitum perduci poterat, niſi collatis utriuſque gentis conſiliis, quod minime ſperandum eſt?

Illud eſt mirandum, & quo forte in Paraguaria principio de ſubdendis Paulitanis prætermiſſa eſt cogitatio, quod rerum copia & vitæ commodis affluentes domi, nihil erat quod procul exquiſitum irent. Aura ſpiratur in S. Pauli puriſſima ſub cœlo ſemper ſereno, & climate valde temperato, etſi ſub gradu vigeſimo quarto latitudinis auſtralis. Pinguis ager, & frumenti optimi ferax, ex canna melliſer, & paſcuus. Sola intemperantia, & prædæ amor per tot diſcrimina & caſus Paulitanos adegerit in regiones incolis ad vicies centena millia devaſtandas (a). Maxime cum peregre errantes vitam perpetuis plurium annorum ærumnis plenam traherent, plures deſiderarentur, alii reduces remaritatas uxores invenirent: diuque fuiſſet inculta regio niſi Indi fœderati, vel capti, in locum non redeuntium colonorum importati ſuccederent.

Paraguajenſes Hiſpani non leviora quam Indorum natio a prædatoribus paſſi ſunt. Quod ſibi imputare debent, ſi enim Reductionibus contra Mameluccos tuliſſent opem, hi Paraguariæ fines violare non poſſent. Cupiditate obcæcati ſunt, ut Chriſtianitates has rebus ſuis adverſas judicarent: nec niſi poſt finium vaſtitatem commoda norunt inde provenire nata. Nihilominus cum Mamelucci reſiſtentiam a neophytis opinione majorem principio experirentur, nec vellent extenuari vincendo, ad artes converſi ſunt.

Ars Mameluccorum.

Ea potiſſimum aliquandiu proſpere ceſſit, qua in plures partes diviſi, ſub ducibus Jeſuitarum habitum mentitis, loca adibant per Miſſionarios frequentari ſolita. Conſpicuas primum erigebant cruces, Indis munuſcula, ægris medicamenta diſtribuebant: & ut guaranice loquaces ad Chriſtianiſmum hortabantur, cujus capita compendio explanabant. Dum his decipulis plures collegerant, hortabantur ut in commodiorem locum, ubi nihil eſſet quod deſiderarent, transferri vellent. Lapis ovina pelle tectis plerique concedebant, donec depoſita larva vincula explicabantur; qui obnitebantur jugulatis, abductis reliquis. Rari fuga elabebantur, divulgandæ conſternationi ſatis. Priuſquam doli innoteſcerent authores, veri Jeſuitæ putati ſunt, quorum excurſiones his artibus inutiles diu fuerunt, nec citra periculum.

De Veneficis.

Neſcio an Guaranicæ Chriſtianitatis hoſtibus adnumerandi ſint factitii Magi, qui ad ſeducendum & ſuſpendendum vulgus, gentis exotice ſuperſtitioſæ ſimplicitate abutebantur. Illud eſt certum, fidei negotium gentis vanitate, & impoſtorum audacia diu retardatum eſſe, quin dæmoni poteſtate a Domino permiſſa fuerit utendum, quam interdum ut ſub Pharaone communicari non eſt dubitandum. Ea peſtis obtinuit, donec Sociorum in neophytos authoritas invaluit, qua factum eſt ut tandem extirparetur, & ea tempeſtate Reductio quædam de primis ab excidio ſervaretur immunis.

Indus e Braſiliæ finibus cum juvene famulo, & fœmina pediſequa ad Guairam contendit, ac de via lucroſum rerum viliſſimarum mentitus vires commercium fecit. Lauretum venit, ubi Cataldinus aderat. Indorum turbam ſecundum flumen cogit. Tunc pallio plumis intertexto indutus, quo ſortilegiis operans utebatur, & lapillos quos intra capræ quod manu tenebat cranium immiſſos verſans, hoc organo pſallere ſimul & canere cœpit. Per intervalla convulſionibus agitabat ſe, & quaſi ſuperno correptus ſpiritu, ſe vitæ & mortis arbitrum prædicabat, agrorum, ſementis & meſſis præſidem, qui buccarum crepitu poſſet æque deſtruere atque rurſus extruere univerſum; ſe unum in tribus perſonis eſſe Deum; oris ſui fulgore genitum adſtantem juvenem illum, & fœminam eſſe utriuſque prolem.

Figura, vocis tonus, & actio neophytos primum exterruit. Quod ille dum animadvertit, ut rem eo deduceret quo deſtinaverat, di-

(a) Ex lege data Ulyſſipone a Fideliſſimo Rege, & ſubſcripta a Regio Miniſtro Carvallo 6. Junii 1755. conſtat, per colonos illarum partium multos milliones Indorum eſſe captos: qui numerus ſic evanuit, ut rari ſint & pagi, & pagorum incolæ, quorum uſque adeo miſera vita eſt, ut reliquos longius avertat, abſterreatque a fide danda: ac neceſſaria deſint ſervitia cum Reipublicæ, tum privatis. Horum cauſa ibidem in libertatem ablatam refertur. Ut non inveroſimile videri debeat quod hic & alibi de hoc argumento narrat Author.

Digitized by Google

dira minatur, nisi præeuntem sequantur. Accedente tunc Cataldino, altius intonat, subversurum se funditus pagum, siquis manus insicere sibi tentet. Quidam de robustioribus Christiani Missionarii jussu ad collum involant; spoliant, aptant cancios verberandum, ad primos licet ictus clamantem se non esse Deum. Postridie eadem correctio, & perendie rursus iterata est, ut nempe trinitatem præsumptam abjuraret. Fœmina & juvene seorsim in cuto collocatis, alio ipse custodiendus deportatur. In sensum postquam rediit, Lauretum reducitur. Ibi mitius jam habitus, & præterita vexatione docilis instruitur, baptismum petit post congrua experimenta impertitus: vixitque morum & religionis exemplar.

Ex morbo vastitas.

Eodem anno pagus alter in solitudinem fere redactus est morbi contagio. Montoja cecidit cum primis prope ad interitum, sed præter spem convaluit: & cum morbus in pagos finitimos serpens repente cessasset, cum Didaco de Salazar & neophytorum manu regionem late percutrit proselytos collecturus mortuis supplementum. Ad Paranam usque ventum est, & neophyti per silvarum invia penetrantes in admodum feram ejusdem linguæ gentem incidunt. Labia perforabat inductis lapillis venustanda. Tuguria incolebat stantibus humiliora. Nullum erat verbum quo Divinitatem exprimeret, nec nisi tonitruum adorabat (*a*). Christianis additi sunt septuaginta tres; sed insolitis escis morbo affecti, & omnes quatuor exceptis intra annum extremum diem obierunt, Deum quo accepta fidei gratia laudantes.

Prima Indorum communio.

Eo primum tempore ad sacram mensam præterquam in articulo mortis admissi sunt neophyti, & ii tantum qui a baptismo septem probationis annos exegerant. Dilatio hæc necessaria visa est ad constantiæ securitatem, ut augusti Sacramenti dignitatem mente conciperent, & ad arcendam cœlestis equi famem. Ne deinceps privarentur, egregia ediderunt virtutum exempla. Cum genti nihil difficilius accidat contemptu, hoc præcipue facto periculo se probarunt. Moniti, ut ad panem vitæ libandum se componerent, exercitamenta pietatis & pœnitentiæ multiplicarunt, jejunio etiam ad biduum prolato. Quo ut sunt vorages, & ad vorata digerendum faciles, nihil luculentius ostendit quantum esurirent manna cœleste. Unde fructum uberem vel pastores mirati sunt.

De S. Thoma traditio.

Jam diu per finitimas provincias fersebatur traditio, cui fides fortasse merito major in nonnullis relationibus adhibetur; sed quam refellere haud facilius quam probare potuerim. Ex quo Socii Cataldinus & Munoa proc. Hispanorum oppidis conversionis Guaraniorum obstacula vitabant, a Maracana quem supra nominavi, & aliis Guaranionum primoribus nuntiatum est, accepisse se a majoribus, virum sanctum nomine *Pay Zama* seu *Pay Tuma* ea locorum fidem a cœlo, sic ajebant, prædicasse: plures ejus ductui se tradidisse, quibus ille prædixerat, eos & posteros a noto veri Dei cultu defectum ire; sed post sæcula plura mittendos novos a Deo legatos cruce, qualem ille portabat, armatos, qui amissum cultum in posteris renovarent.

Aliquot post annos Montoja & Mendoza in regionem *Taiati*, de qua mox, penetrantes Indis dum crucem præferri vident tripudiantibus excepti sunt. Mirantibus respondent id ipsum quod Maracana nuntiaverat. Addunt-que, sanctum advenam etiam appellatum *Pay-Athare*, quod *Cœlebs* sonat. Traditioni Guaranicæ consonat Brasiliana cum auctario, Sanctum ab ako portum, qui modo *a Sanctis* appellatur, tenuisse; tradidisseque incolis rationem excolendi mandiocam, ex eaque macerata conficiendi cazavem (*b*).

Est via quæ ducit in Guairam e Brasilia, nonnisi tenui herbescens gramine, licet minimum frequentetur (*c*). Eam indigenæ appellant viam *Pay Tuma*. Eminet prope Assumptiopolim rupes (*d*), summitate plana, in qua credulitas est, hominis stantis impressa esse vestigia, & esse Patris Zumæ legem divinam ex eo loco prædicantis Iodi ferunt. Paria referunt Peruani apud quos eodem vocatur nomine, vestigia ibi reliquisse, & miracula patrasse. Hispanorum multi fidem traditioni præbuerunt, & ajunt, *Pay* seu Patrem Zumam esse S. Thomam Apostolum.

Paranaenses Reductiones adversis exercitæ sunt, non minus quam Guairanæ. Ex fame & insalubri cibo morbi & funera ingruunt, & ex contagionis metu dispersio. P. Valle prope ad interitum ægrotavit; sed infidelium errantium plures quam Christianorum desiderati sunt. Observatum etiam est, cecidisse ple-

(a) Ex Catechismo Limano Majore, part. 2. constat ab Americanis cultum esse tonitru. Sed crediderim per tonitrui causam tonitrui, seu Tonantem a barbaris intelligi, maxime qui guaranico utuntur idiomate, in quo nullum est verbum, quo potestas agentis ab actione distinguatur. Tonitru de cætero ad Dei notitiam perducere natum esse palam fit testimonio Ciceronis, dum ait (1. De Divin.) „Nonne perspicuum est, ex prima admiratione hominum, quod tonitrua, tactusque fulminum extimuissent, credidisse ea efficere rerum omnium auctorem Jovem? Unde & est illud: Primus in orbe Deos fecit timor.“

(b) Cazavem, quem Lusitani vocant *Farinha-do-pao*.

(c) Ad Peruvium usque via protendi fertur, innascentium herbarum colore distincta. In valle Salinarum Peruvio & Paraguariæ affini, & Tarixam inter & S. Crucem media, est crypta libere circumvagantium armentorum nunquam stercore fœdata, in qua fama est, crucem ligneam a S. Apostolo Thoma depositam, translatam deinceps ad S. Francisci de Tarixa. Hujus vestigii ex parte meminit Calancha Chron. S. Aug. lib. 2. cap. 3.

(d) Eminet rupes alia quasi ad teli jactum a *Paraguarii* prædio cum crypta, quæ a Sancto Thoma nomen habet, quo S. Apostolus divertisse fertur.

Digitized by Google

plerosque ex iis qui magiam profitentes Evangelio nocebant.

Uruguaica missio. P. Romerus, cui Guaicurui aures occluserant, opem tulit Gonzalvio: quorum consilium ad Uruguaim progrediendi, quo nondum Hispani penetraverant, a Provinciali secundatum est. Romero, cui Reductionem condere in *Jaguapue* mandatum erat, comes additur Thomas Uruegna, cui novæ sedis curam reliquit ille, dum circumjacentem regionem lustraret. Tot proselytos hac excursione collegit, ut ex tempore frequentissima extiterit Reductio, & universi per circuitum barbari centum leucarum spatio Christianismo conciliati sint.

Regio describitur. Eodem tempore Gonzalez totius Uruguais cursum conficere suscepit. Ortus e montibus Brasiliæ finitimis intra gradum vigesimum septimum & vigesimum octavum latitudinis australis tenuis est rivus prope fontem, sed torrentibus utrimque set amplis, quorum aliqui prope Paranam nascuntur, innumescens biscentum leucarum spatio perpetuis montium jugis angustatur, & rapidissimus fluit. Deinde sic dilatatur, ut sexcentum & nonagintà passuum millibus ante Paranæ confluvium decem remis transnavigandus sit semi hora. Tunc vero silvescentibus & amœnis ripis tranquillus interfluit, ubi arbores & animantia, quæ ad Paranam eadem sunt.

Uruguais navigatio. Quantum arenosis vadis Flumen Argenteum, tantum scopulis abundat Uruguais, quorum plures prope superficiem subsident. Non igitur ventis navigatur (*a*), sed vehiculis, sed ratibus, quas *Balsas* appellant, coalitaque duobus monoxylis, seu canois (*b*), quas transversæ pertica jungunt, & alteram ab altera binis cubitis separant (*c*). In medio tabulato exigitur camera seu tentorium, a ventis & sole tuta vectoribus statio. Piscibus abundat Uruguais, qui etiam sagittis sauciati supernatant, & facili negotio capiuntur. Inter littorales aves frequentissima est avis-muſca (*d*), in Canada notissima, & totius fere naturæ pulcherrima. Sunt & aliæ omnigeni coloris, de genere maxime psittacorum. Tigrides eximiæ molis, pelle subter maculas aurata. Perquisæ percutientem in globo dignorum appetunt. Venationi dabant operam aves Indi Reductionum, quorum alter tigridem missili glande confodit. Regredienti balduæ lanceas objiciunt socii, & in eum qui sclopum explosarat insilientem transfigunt. Olim campi leonibus, struthiocamelis, cervis & capreis pleni erant, quorum pars cessa, pars reliqua ad infrequentia loca recessit.

Regio sub Hispanorum adventum erat frequentissima, hodie deserta, nisi qua Reductionibus occupatur. Dixi, Fernand-Arian Paraguariæ Prætorem eam anno 1610. voluisse partis addere. Sed conspirantes Indos debellare non potuit. Crucis virtute provincia Deo & Regi Catholico subjicienda erat. Vir adorando humanæ salutis signo, cujus præferebat nomen (*e*), armatus consilium suscepit, & coloniæ Christianæ Novi Orbis speciosissimæ fundamenta jecit. Nec tota rei summa alio quam suo, & duorum sociorum sanguine stetit. En suscepti consilii occasionem.

P. Gonzalez Uruguariam petit. Uruguaitæ quidam de Paranaensium felicitate famam visu probaturi, Itapuam petunt: & P. Gonzalvii, qui solus aderat, munificentia sic conciliati sunt, ut se amice apud eos exceptum iri speraverit. Monitus Provincialis Itapuam per eam occasionem concessisse videtur, ut supra dictum est. Certe Gonzalvio copiam fecit, quam expetiverat. Et Missionarius cum delecta neophytorum manu ad Aracanam amnem in Uruguaim sub gradu vigesimo septimo aut vigesimo octavo latitudinis australis defluentem venit.

Accedenti nuda penitus turba paganorum occurrit, & quam longissime exaudiri poterant, clamant, ne progrediatur si vitam amet. Ire pergit ille simul atque respondet, non venisse tam procul se, ut re propter quam venerat infecta redeat. A cœli & terræ creatore & domino se missum venire, indignum si mortis metu retrocederet. His verbis & intrepido gradu stupentes cognitis sunt. Quibus ille summam christianæ fidei exponit. Nihil eis persuasum fuit; resedit tamen furor, & minis conventi disnedunt.

Tunc neophyti certam æque atque inutilem progredientibus esse mortem admonent, obtestanturque ne mora reditum intercludat velit. Ille cunctos abire jubet, præter puerorum par, qui incomitatum relinqui passi non sunt. Noctem intera modicam silvam exegit, ubi mane primo pro infidelium salute, quorum conversionem susceperat, rem divinam fecit. Eodem die visitatus est a dynaste opem contra adversantes pollicito. Et alios principes circum cursans impulit, ut nonum hominem, cujus pacifica erant consilia, convenire & audire vellent. Adductis vir apostolicus causam Missionis explanat audientibus probatam, quorum potentissimus Nieru secum ut concederet invitavit.

Pa-

(*a*) *Ventis etiam navigatur ex parte.* Bonaerensibus scilicet lembis, quos *Lanchas* vocant, quorum Uruguais patiens est usque ad Jucherii confluentem infra cataractam, quam Itú vocant Indi, Hispani *Salto*. Inde etiam longe altius navigatur ventis, sed tantum dum amnis alluvionibus augescit.

(*b*) Canois etiam tribus, & pluribus si lubet. Sunt canoæ simplex arboris truncus excavatus. Singulis balsarum canois quatuor sunt vel esse possunt remigum ordines, duo videlicet ante, & totidem post cameram, quorum alii ad dextram, alii ad sinistram remigant, vel pro remo, si xada ferant, utuntur conto. Porro in balsis demonstratur possibilitas multiplicis remorum ordini contra quod habet Guion (Histor. des Pers. lib. V. ann. 351. in Not.)

(*c*) Perticas arcte stringunt restes ex corio bubulo contortæ.

(*d*) Hispani vocant *Picaflor*.

(*e*) P. Roque Gonzalez de Santacruz.

Digitized by Google

Condita Reductio.

Pagum habitabat binis ab Uruguai amne distantem leucis, in quo repente circumdatus Missionarius barbarorum turba, Christum annuntiavit. Audientium reverentia animos addidit, ut crucem erigeret, ante quam illius exemplo universi prosternuntur. In locum *Ibitaragua* dictum procedit, ubi 8. Decembris 1620. Reductionis a Conceptione fundamenta locavit. Proselytis per avios recessus ægre quæsitis frequentari cœperat, cum igni traditam esse crucem, quam erexerat, & sui perniciem decretam esse nuntiatur. Adversus Niezuum etiam turbas concitari, qui tamen cœpta tueri destinaverat omnino. Nuntio respondit Missionarius: „ Tot adversantibus impar est dynasta: nec velim res suas in discrimen adducat bello, cui vereor ne succumbat. "

1620. 21.

Hæc ait, & iter ad eum intendit, a quo noverat combustam crucem, & concitatos contra Niezuum animos. Eum alloquitur qua, dum erat e re, consueverat oris & animi firmitate: donis deinde supersedendi fidem extorquet. Conceptionem regresso nuntiatur, exercitum barbarorum contra Niezuum effuse procedere. Sed dum obviam venit, audit terrore panico dissipatos. Tunc demum nullo prohibente firmandæ sedi dat operam, lento tamen progressu, quod Proselytis infideles inculcare non cessabant, Hispanum sacerdotem id agere clam, ut Hispanis tradantur. Nec potuit diu ea suspicionum umbra dissipari.

Provinciarum divisio.

Hoc tempore Paraguais & Fluminis Argentei præfecturæ (*a*) divisæ sunt Tebiquari amne Paraguaim sub gradu vigesimo sexto & sex minutis latitudinis australis influente. Prima nomen retinet; secunda cujus caput est Bonusaër, a Flumine Argenteo nominatur. Deinceps Guairanæ Reductiones & Paranaënses Paraguajensibus Prætori & Episcopo; Uruguaicæ Bonaerensibus addictæ sunt. Primus Paraguariæ Prætor D. Emmanuel Frias, Fluminis Argentei D. Didacus de Gongora renuntiatur in Hispania degens, qui mare transgressus non diu provinciam obtinuit.

Prætor Bonaerensis abdicatur.

Ulyssipone conscensurus rogatus est, ut suo nomine merces quasdam exportari permittere. Vetitum id erat, sed quia sæpe dissimulatum annuit. Ut ventis vela data sunt, seu æmulorum invidia, seu quod incaute transacta res erat, ad Indiarum Senatum defertur, a quo Judex *Mellonné* nomine mittitur qui causam in jus vocaret.

Jesuitarum Rectoris imprudentia.

Melonne Bonas Auras appulsus cunctis acceptissimum Prætorem invenit. Et monetur, ex odorato commissionis argumento, de cassando suo munere, & se in navim reponendo, & in Hispaniam remittendo consilia versari. Mox in offendiculum nescio quod cum Jesuitis impegit, quod cum acrius ut apparet persequitur, exigendi molestum quæsitorem arrepta est occasio. Gabrieli Perlino collegii Rectori quidam authores sunt, ut judicem conservatorem eligat, cujus imperio & ipse a timendis Commissarii cœptis esset tutus, & hic processu contra Prætorem instruendo inhiberetur. Alibi sermo erit de jure nominandi conservatorem, ac de potestate muneri addicta.

Erat Perlinus rerum inexpertus, nec distinguere doctus quid privilegium a Sede Apostolica concessum, a Rege Catholico permissum ad sui usum requirat, neque admotæ sibi machinæ introspexerat animam. Suadentibus annuit, non consulto Provinciale, cujus exquirere debuit sententiam. Conservatorem igitur elegit, & elegisse videtur aliquem de infestioribus commissario. Sententia certe coactus hic est Hispaniam repetere, ubi apud Indiarum senatum de Rectore conqueritur. Senatusconsulto conservator majestatis reus judicatur, Generali Societatis requisito, ut in Perlinum animadverteret.

Pœnas dat.

Illico & plene animadvertit Vitelleschius: factum reprobat, rectorem deponit, & inhabilem ad prælaturam quamvis declarat, atque in Peruvium unde venerat, exulare jubet. Perlinus qua simplicitate peccaverat, pœnas luit. Cedit confestim, & noxam virtutibus, & obitis animarum salutis causa laboribus expiavit. Moliminis tamen authoribus satis non fuit ut supplicio boni hominis cœpta improbarentur. Bonas Auras cum potestate mittitur Judex, cujus sententia LXXX. aureorum millibus in solidum sontes mulctati sunt.

Episcopatus erectio.

Ab Episcopo forte potuisset factum seu vitari seu reparari. De constituendo Rex Catholicus consilium suscepisse videtur, cum provinciarum divisionem indixit. Id tamen verbo, illud multorum consilio peragendum fuit. Erectionem nihilominus Sedes Apostolica non diu morata est; quandoquidem P. Petrus de Carranza Carmelitanus ad novam sedem promotus est 6. Aprilis 1620., possessionem diu post aditurus.

Denuo intenta conversio.

Interea Assumptiopolis a Guaicuruis infestata, Jesuitas ne gentis cederent obstinationi consolicitabat: & pro Romero alibi distento P. Josephum Orighium impetravit. Benigne a Guaicuruis acceptus Don-Martino dynastæ morituro eo usque procrastinatum baptismum contulit. Successit parenti filius jam diu Christianus, cujus authoritatem & exemplum ad subditorum conversionem, dum profuturum credidit, deceptus est plane. Gentis ferocitas & durities blanditiis augeri videbatur: quo tandem Missionarius ad mitiora excolendum ingenia revocatus est. Eadem tunc sors Calchaquios excepit, ad Jesuitas pacate admittendos semper faciles, maxime cum ab Hispanis ti-

(a) Eodem tempore quo præfecturæ, divisæ sunt diœceses, & quidem eisdem finibus ex lege ... tit. 7. lib. 1. Recop. Ind. Divisæ vero sunt, non Tebiquari amne, qui finis est agrorum ad Reductiones hinc, illinc ad Hispanos Paraguajenses spectantium, sed Paranâ, aquisve Paranam influentium. Anno vero 1726. ex causa suo loco referenda etiam pagi Paranam & Tebiquarim interjacentes Bonaurensi præturæ addicti sunt.

Digitized by Google

timor erat; ſemper æque prædicationi & gratiæ ſuaſionibus ſurdos.

Æthiopum ſaluti datur opera.

Alterius gentis Americæ extraneæ, ſed quæ cadente Indorum numero vel ſervitio multiplicatur, eo tempore vacabant cultui omnium Ordinum Miſſionarii. Atricolores Afri ſunt, ad quos per univerſas fere Novi Orbis colonias decurſum eſt indigenarum deſiderio. Faxit Deus nequando Afri, quos certe ſui neceſſitas non latet, immitius habitos ulciſcantur Americanos. Illud eſt ſolatium, Æthiopum ſervitutem gentis ad ſerviendum natæ ſaluti opportunam eſſe, quæ docilior eſt manu capta quam manu miſſa.

De illorum baptiſmo.

Nigri ad Hiſpanienſem Americam ex Angola ut plurimum abducebantur. Saltem diſceptationis impenſius olim agitatæ argumentum de ſolis Angolanis erat (*a*). Cum Nova Carthagine quotannis multa Æthiopum millia per Hiſpanorum colonias diſtribuenda exponerentur, P. Torres quem ſæpe memoravimus, ex Quito anno 1605. P. Alphonſo de Sandoval eam Peruvii partem ſortitos erudiendi provinciam commiſit. Strenuam ille operam contulit, & luculenta ſcripta duo de hoc argumento vulgavit.

Quæſivit primo, num mancipia antequam ex Angola ſolverent, baptizarentur: & poſt indaginem multam confecit, baptizanda ſub conditione. Voluit tamen conſultum Archiepiſcopum Hiſpalenſem, ad quem rationes de validitate dubitandi baptiſmi eorum qui baptizati dicebantur, ſcripto dedit, quod examinandum tradidit. Archiepiſcopus Theologis: & horum omnium judicio Sandovalii ſententia comprobata fuit. Hiſpalenſis mandata dedit, in cunctis ſuæ juriſdictionis, cui univerſæ tunc ſuberant (*b*) Occidentis Indiæ, locis conſtituerentur qui Nigros examinarent, baptizandos ſub conditione ſi res ita ferret, ut a Sandovalio exponebatur.

Omnes Novæ Hiſpaniæ, Peruvii, & Novi Regni Granatenſis Epiſcopi in eamdem ſententiam convenerunt. Et Torres, qui ex Quitenſi Chilenæ Paraguariam tunc capientis provinciæ rector devenerat, voluit eam pariter in uſum per Tucumaniam deducere, ubi Hiſpalenſis Archiepiſcopi mandatum accepit. Clerus hujus provinciæ difficilem primo ſe præbuit. Sed litteris P. Hieronymi Bogado, Loandæ, quæ caput Angolæ eſt, collegii Rectoris vulgatis, conceſſit tandem (*c*). Erat litterarum ſumma, Loandæ Nigros in Americam tranſvehendos baptizari quidem, ſine inſtructione tamen; navi imponendos Epiſcopi Generali Vicario exhiberi, qui in commune rogatos, num Chriſtiani eſſe vellent, & pauca allocutus non intelligentes baptizabat, ſingulis impoſito alicujus Sancti nomine.

Addebat Bogadus: „ Sæpe coram Epiſcopo de abuſu Vicarium interpellavi, penſi nihil habentem. Prælatus conſcientiæ ſuæ ſatisfactum eſſe arbitratur, monito Vicario non curante, vel pœnitentia impoſita non obedienti. Baptizandos igitur eſſe reor ſub conditione Chriſtianos hoſce univerſos. " His litteris a Turriano exhibitis Clerus ad ſententiam Sandovalii, & Hiſpalenſium Theologorum acceſſit.

(a) Angolani dicuntur vulgo *Angolas*, ſaltem in Tucumania & finitimis provinciis, Æthiopes omnes trans mare nati, ex quacumque Africæ regione ſint, dummodo nigri-colores.

(b) Diu ante hoc tempus Eccleſiæ Indicanæ ſui juris erant, ſcilicet ab anno 1548., quo Eccleſia Hiſpano-Americana in tres provincias trium metropoleon erectione diviſa eſt.

(c) Ad concedendum valuit magis edictum Ill. Cortazar Epiſcopi Tucumanenſis, quod cum aliis de hoc argumento vide-ſis apud Morelli in *Breviario Ord. Ap. ad Ind. pertin. pag.* 120. *& ſeq.*

HI-

HISTORIA PARAGUAJENSIS.

LIBER SEPTIMUS.

ARGUMENTUM.

STatus Miſſionum anno 1623. Epiſcopi immoderata agendi ratio. Romeri iter. Guaicuruorum legatio. Provincialis iter. Religionis in Guaira progreſſus. Reductio a S. Franciſco Xaverio. Indorum copiæ fugantur. Novi conatus Miſſionarium. Indi proditi ab Hiſpanis: quo ſucceſſu. Montojæ diſcrimen. Incolumis ſervatur. Sociorum ſedes Ribogiæ. Indi facile ſeducti. Gonzalez apud Bonas Auras. Prætoris religio. Facultas Sociis collata ad Uruguaim. Prætoris factum imprudens. Novarum Reductionum par. Tertia vix condita ruit. Tape deſcriptio. Amphibium exoticum. Avis ſonora. Tapenſes arbores & lapides. Incolarum natura. Copiæ barbarorum diſſipantur. Nova Reductio. Alterius incolumitas. Dynaſtæ converſio. Bellum ab Hiſpanis. Juvenis neophyti caſus. Quorumdam Hiſpanorum perfidia. Conſilium diſſipatur. Novæ Reductiones. Montojæ conſilium, & ſucceſſus. Res geſtæ in Chaco. Guadalcazar urbs. P. Oſorius in Chaco. Sociorum ſupplementum. Qua ratione excepti a neophytis. Batavi ad Bonas Auras. Pietas neophytorum. Gonzalvii nova cœpta. Niezui defectio. Caró regio. Conjuratio in Miſſionarios. Catechumeni martyrium. Puerorum fortitudo. Miraculum poſt Gonzalvii cædem. Romerus ultionem probibet. Corpora Martyrum tolluntur. Cordis Gonzalvii integritas. Infideles arcentur. P. Caſtillo martyrium. Niezui impietas. Satellitum error. Templum ab igne illæſum. Niezui ſors. Chriſtianorum victoria. Pœna de reis exacta. Converſio plurium. Honor martyrum. Gualachorum regio, & natura. Miſſionarios invitant. Reductio in Gualachia. Montojæ & dynaſtæ colloquium. Novæ Reductiones. Paraguajenſium eccleſiarum ſtatus. Reductio labat. Servatur. Reductionum par in Caroo. Dynaſtæ converſio. Mameluccorum contra Reductiones apparatus. Prætoris agendi ratio. Reductio diruta. Sociorum periculum. Tres Reductiones dirutæ. Martyres chriſtianæ. Mazetæ & Manſillæ in Braſiliam iter. Infecta res, & quare. Nobilis Luſitani generoſitas. Neophyti contra Miſſionarios præoccupati. Ab apoſtata defenduntur.

1623. Miſſionum ſtatus.

LIbertatem Indorum a Rege factam, quippe neceſſariam ad Reductionum firmitatem, ſtudioſe tuebantur Miſſionarii. Cataldinus anno 1623. Guairanis præerat, Gonzalvius Paranaenſibus, & ei quam recens ad Uruguaim locaverat. Erant præterea in tribus Paraguariæ, Fluminis Argentei, & Tucumaniæ provinciis collegia & domus, ubi cuncta Societatis munera exercebantur: nec erat Socius, cui labor non eſſet duplex, etiam ſupra vires. Quæ omnia comprobata videſis in litteris Epiſcoporum ſuo loco referendis. Aliorum Regularium inſtar privilegiis utebantur ex Prælatorum ſententia, quibus operam ſubſidiariam præſtabant. S. Franciſci alumni Miſſiones Indicas, quæ identidem Reductiones vocantur, obibant; ſed quod Chriſtianos curabant commendis obnoxios, bene pro voluntate facere nequibant. At ſimul contradictionibus erant liberi, eorum videlicet qui paſſim Jeſuitas invocabant, vel ad arcendos agrorum populatores, vel ad comprimendos rebellantium ſubditorum motus.

Ab Epiſcopo vis illata.

Is erat Miſſionum ſtatus, cum P. Nicolaus Duran Maſtriglius Marcelli avunculus, miraculis & Japonico martyrio clari, Ognatenſi ſucceſſit anno 1623. Bonas Auras ingreſſo nuntiatum eſt, complures Uruguaitas Aſſumptione ſolemni ritu baptizatos, & e baptiſmo ſuſceptos a Prætore D. Emmanuele Frias. Gaudium acerbavit orta inter Epiſcopum & Prætorem eundem de patronatu Indico concertatio, quem Epiſcopus diuturni uſus parum conſcius ſuo regere modo contendit. Prætor, dum juri ſuo conſulit, excommunicatur. Jeſuitæ ab Epiſcopo diſſentientes interdicuntur, claſſibus ad alterius Ordinis profeſſores translatis. Rei ſumma ad Regium Indiarum Senatum delata, Epiſcopus apud eundem de Jeſuitis per litteras conqueſtus damnatus eſt. Factum expiavit, jura læſa reparavit, Prætorem carum habuit, Jeſuitis ablata reſtituit & gratiam.

P. Romeri iter.

Ante Maſtriglii adventum Romerum vocaverat Prætor Bonaurenſis ad perficiendum quod de Uruguai ad fontem uſque luſtrando meditabatur: quod non paſſuros Indos pro comperto erat. Omnium infeſtiſſimi erant Yaroſii & Charruæ, quorum ille mos eſt exoticus, ut in propinquorum funere ſingulos digitorum articulos a manibus incipientes recidant: quo ſæpe fit ut digitis omnino careant, nec propterea pedum manuumve uſu prohibeantur.

Romerus Prætori morem geſſit, & Uruguaim uno tantum Hiſpanorum comite ſubit. Paſſim obviam facti ſunt barbari feroces, nudi, toto corpore picti, capillitio ad lumbos

uſque

Digitized by Google

uſque producto. Veſcuntur cervis, ſtruthiocamelis, lagopodibus, quæ candidarum avium ſpecies eſt, magnitudine columbi, cruribus inſtar leporum piloſis. Qui in Miſſionarii conſpectum venerant primi terrifico ſtridore vociferantur, ut retrocedat ni malit mori. Sed nihil horum moratus ille, venit in primas Guaraniorum ſedes a confluente Uruguais & Paranæ centum leucis diſtantes. Conceptiopolim cogitabat. Sed qui viæ duces eo uſque venerant, crebra pertæſi diſcrimina fruſtra reluctantem Bonas Auras reducunt, ubi novum Provinciæ moderatorem recens a Peruvio advectum invenit.

Guaicuruorum legatio.

Deſperato apud Yaroſios & Charruas fructu, Guaicuruos mittitur Romerus, ubi non contemnendum gregem in ovile recipiendi nova ſpes affulgebat. Et quidem poſt tres ab illius adventu menſes dynaſtarum quidam Provincialem rogatum miſit, ut ad ſe veniret. Legatorum caput fuit fœmina, quæ ſalutem peroravit cantu, addens lætum fore ſuis ejus adventum, quem loco parentis habebant. Eadem & eodem tono a comitatu reliquo repetita ſunt; & poſt diuturnam moram, cantabant quippe nunc alternis, nunc ſimul, geſticulantes interloquebantur vel non auditi, Provincialem rogant, ut ſecum eo ſe conferat ubi ſacellum conſtructum erat, a multis expectari.

Iturum ſe libenter ſpondet, ea lege tamen ut injuſtis bellis & populationibus abſtineant. Omnia polliciti ſunt qua ſolet facilitate qui verbo ſe nullo teneri credit: & munuſculis ad iter inſtructos ſequitur. Quantumvis advotum exceptus pervidit facile nihil ab ea gente ſperandum. Illico Miſſionarios revocaſſet (nam Rodriguez (*a*) & Orighius vel nondum diſceſſerant, vel cum Provinciali redierant), niſi Hiſpanos vereretur qui remotis Miſſionariis rebus ſuis timebant. Tres ibi conſtiterunt annos, utilius apud Guairam exigendos, ubi leges ſub meſſorum falce exuberabat.

Religionis in Guaira progreſſus.

Hanc provinciam in latiſſimas diſtendi ſilvas & campos, ſupradictum eſt. Frequentiſſima utrobique eſt, & quod mireris, ſilvarum incolæ campeſtribus mitiores ingenio ſunt. Illarum quædam in montem deſinit altiſſimum, cui nomen *Itirambara*, quod caput hominis ſonat, figuræ ſcilicet affinitate, dum e certo conſpiciatur loco. Indis immanitate famoſis frequentabatur, qui anno præcedente neophytum *Piripé* nomine jugulaverant, per quem eos invitaverat Cataldinus, ut miti & amabili Chriſtianorum Deo ſe cum ſuis gentilibus dederent.

Ut Miſſionario factum innotuit, montem ſubire conſtituit cum Montoja, Salazario, & aliquot neophytis viæ ducibus. Appropinquantibus obviam fit monticola, minas ſi progrediantur intendens. Exterriti primo duces ſunt; ſed in ſe recepti ſpondent, ad infideles præituros ſe de pacifico adventu Patrum edocendos. Præuntes aſſequitur Cataldinus cum id adnitente Montoja, monito Salazario, quem ad lemborum cuſtodiam cum cæteris neophytorum reliquerat, ut primo de ſui cæde nuntio conſcendat, & regrediatur.

S. Xaverii Reductio.

Cum monticola poſt jactatas minas diſparuiſſet, lateretque qua montis parte conſiſterent infideles, in errores deviarunt duces. Tunc obvius barbarorum quidam ait, ſi non prænuntiati pagum introirent, occidendos procul dubio; ſi liberet, ſe præiturum. Annuit primum Cataldinus; ſed quia forte intererat montanis tempus deliberandi præripere, præeuntem proxime ſequitur: idque auſpicato ceſſit. Pagum cum ſociis ſine offendiculo ingreditur. Quin etiam ſignificatum eſt, nihil de vita eſſe timendum, diſcedendum tamen ne Hiſpani ſuccederent. Egreſſos recepit Dynaſta vicinus ad quem Salazarius cum neophytis venire jubetur. Et ſuperior Cataldinus non invito Dynaſta Reductioni locum deſignat, in quam tot illico proſelyti convenerunt, ut non dubitaverint Miſſionarii cito montanos omnes Chriſto nomen daturos.

Barbari fugantur.

Cæterum primi pagi dynaſta commotis vicinorum animis, copias contra religioſos tres, & Chriſtianos aliquot inermes ducit, experturus, ajebat, num caro ſacerdotum Chriſtianorum melius quam de cætero ſaperet. Leuca diſtabat non amplius una, cum Montoja nuntium ad Superiorem ædis ſacræ ſtructuræ ſuperſtantem defert; qui pacate reſpondit: *Fiat voluntas Dei, mi pater*, & fabricam promovere pergit. Aderat loci dynaſta, qui animi æquitatem miratus, ac ſervum Dei reverſus hoſtibus occurrit, & quæ viderat ac audierat nuntiat. Ne homines eos offendere vellent perſuadere parabat, cum præter ſpem exterritum & fuga diſſipatum videt exercitum. Et objicienti deinde fugæ celeritatem, reſpondent, & Miſſionarii tranquillitate, quam nuntiaverat, obrui validiore manu timuiſſe.

Quidquid fuerit, nova Reductio, Indiarum Apoſtolo tutelari, hoſtium diſceſſu firmata eſt, & ex tempore quatuorcentum amplius familiis frequentata, ex iis ut plurimum qui ad ſubvertenda fundamenta conjuraverant. Cataldinus ibi conſtitit ad ſtabiliendam in nova ſede jam probatam reliquarum formam, ſociis ad incœptum aliud perfecto difficilius expeditis. Ut de rei ſumma conſtet, altius petenda eſt narratio.

Novi Sociorum conatus.

Villaricam dixi ad Guibaim eſſe locatam tricenis a Paranæ confluvio leucis. Ulterior erat regio octo pagis littoralibus conſtans, juxta quorum poſtremum fluvius aquarum lapſu ita in præceps agitur, ut canois Indorum navigiis ſuperari nequeat. Ibi Tajaoba dynaſtarum princeps ad tuendam libertatem cum reliquis totus conſpiraverat. Incolis tanta eſt humana carnis fames, ut hoſtium defectu in populares ſæviat. Hoc cibo infantes ab ubere ine-

(*a*) Pro *Rodriguez* forte legendum *Romero*.

Digitized by Google

ineſcant. Injuria ſcriptum ſit, ait Techo, carnivoris feris vacuam eſſe regionem, cum homo homini ſit lupus & tigris.

Hiſpanorum proditio & effecta.

Jam pridem Guairanis Tajaoba formidandus toti regioni dederat apud Hiſpanos nomen; ſed non immeritis damna intulerat. Eum Prætor quidam Aſſumptione miſſus cum dynaſtis aliis tribus Villaricam attraxerat fide data; ſed pro muneribus propinatis in cuſtodiam & vincula conjectus eſt, ut certum Indorum de ſuis numerum traderet. Socii fame confici maluerunt quam quidquam paciſci. Tajaoba æque difficilis, felicior tamen vincula fregit, & ſuo ſe pago reſtituit, certus & Hiſpanorum nulli ſui copiam facere, & proditionis pœnas de quovis deco ſumere. Facta ſubinde ſatis commoda qui proponeret miſſus eſt, nunquam non finibus repulſus. Per Indos eadem mittuntur, quos ille ad ſe venire ſinit, mactandos & devorandos.

Montoja in diſcrimen actus.

Ad efferatam hanc gentem miſit Cataldinus Montojam & Salazarium. Confinia primo perluſtrant. Deinde Villaricam petunt, ubi Salazarius conſtitit, dum Montoja cum lecta quindecim neophytorum manu pagos omnes viſitabat. Cum in primum ventum eſt, furentium barbarorum obſidetur turba. Chriſtianos ad mortem parat abſolutione generali, Infidelibus appropinquat, & cauſam adventus exponit. Infeſtis animis auditum, traditorem, ſeductorem, morte dignum appellant.

Dei munere incolumis.

Tunc neophytorum unus Joannes Guirai recedendum ſuggerit, dum reſidat furor. Annuit Montoja, ſed ubi repedare cœpit, ingruit ſagittarum turbo, quibus ſeptem neophyti ceciderunt. Elabuntur reliqui, in quibus & Guirai tectus licet Miſſionarii pallio atque galero, ut nempe jacula in ſe provocaret, ab eo averteret. Veſtigiis inſtant barbari ad oram uſque fluminis, quo duo ſenes cum cymba prævenerant, quaſi inſpirati, nam eos etiam latuit adventus cauſa. Quinimo teſtati ſunt, altera hora iter feciſſe vix a robuſtiſſimis remigibus conficiendum biduo.

Prudentiam deſideraverit humana ratio id rurſus adniteatis, ut in ea loca penetraret: & ex præſentia Numinis receſſum ſecundantis confici potuit, cor gentis induratum & abjectum cœlitus eſſe. Sed longe alia fuit Montojæ ſententia. Certus, non eſſe labores apoſtolicos regendos prudentia carnis, aliter militis atque apoſtoli eſſe definiendam temeritatem, & agrum fidei martyrum ſanguine fœcundari, inceptum proſequi ſtatuit: quod exitus comprobavit.

Sedes Ribogiana. 1624.

Anno ſequente Ribogiam appellati ſunt Socii: urbem conditam triginta ante annis a Prætore D. Joanne Ramirez de Velaſco, ad oram camporum, qui Chilenis montibus definiuntur, ſub gradu trigeſimo latitudinis auſtralis, non longe a ſitu *Omnium Sanctorum* (a) oppidi, S. Franciſci Solani prædicationibus culti, ut in illius Actis legitur. Conditoris conſilium fuit, ut illac Indi cohiberentur: & Jeſuitis locum feciſſet illico, ſed operarum paucitate prohibitus eſt. Denuo contenti D. Joanni de Quignones anno 1624. Tucumaniam moderanti, acquievit tandem Maſtriglius. Fundationis ſumptus majorem partem Prætore ipſo, reliquam ſuppeditantibus oppidanis, brevi collegium ad culmen perductum eſt. Alibi ſtatum hujus urbis hodiernum, & vinetorum pretium notum feci.

Indi ſeduci faciles.

Id contigit haud ita poſt, ex quo pajam fiat, quam ſint ſeductioni obnoxii Paraguajenſes Indi. Impoſtores duo magorum opinione, quorum ars tota minacibus præſtigiis, in fœdam vitæ licentiam deſinentibus conſtabat, univerſas Paranæ & Uruguais Chriſtianorum ſedes pene in defectionem præcipitarunt. Nonnulli jam infecti erant neophyti: nec mirandum, nam quantumvis ante baptiſmum conſtantia adverſus gentis levitatem exquireretur, nondum parta tentationum immunitas erat, nec poterat uſque adeo parentum ethnicorum filiis invigilari. Ut primum res ſuboluit, ſeductores in cuſtodiam traduntur, & ſeorſim interrogantur. Eorum alter non tantum mali fontem aperuit, ſed pro virili retractavit. Obſtinatior alter, & plurium ſcelerum convictus Judicibus traditur, & ſuſpendio tollitur Aſſumptione.

1625-26. Gonzalez apud Bonas Auras.

Eodem tempore innotuit Paraguariæ P. Joannis Romeri, cujus geſta principio hujus Hiſtoriæ narravimus, in Chile obitus. Ejus ſanctitatem & fama, & miracula plura comprobarunt. Filds de primis Guairæ Apoſtolis in extrema ſenectute defunctus eſt plenus meritis. Sterilem campum colere non ceſſavit, niſi viribus plane deſtitutus. Eum lætus antequam excederet ubertim fructificare vidit. Nec minus læta Uruguaicæ provinciæ ſpes erat, quam Guairanæ.

P. Petrum de Romero anno 1623. Uruguais fontem aperiendum ſuſcepiſſe narravi, & qua ratione retroceſſerit. Duobus vel tribus poſt annis D. Ludovicus de Ceſpeces Bonaurenſis Prætor, cui cordi erat inceptatum iter, P. Gonzalez venire juſſit ad deliberandum de perficiendo. Ut litteras per Ferdinandum de Sajas Hiſpanum accepit, viam aggreditur, comitantibus Niezu Conceptionis dynaſta, & aliquot neophytis.

Prætoris religio.

Quingentis Indis armatorum habitu conſpectis obviam ſolus Gonzalez, miranteq; Sajas, occurrit, ac perſuadet ut in ſua ſe recipiant. Reliquum iter pacatiſſimum fuit, & dierum viginti quinque navigatione apud Bonas Auras deſcendunt. Obviam exivit Gonzalvio Prætor equo vectus cum nobiliſſimo comitatu, & duobus filiis, quorum alter peditatum, alter equitatum ducebat. Hi aciem evolvunt, & varie figurant coram Indis, qui præcinentibus tubis in prætorium laute reficiendi primum, deinde in Epiſcopium deducti ſunt. Simul atque in Epiſcopio conſpectum

(a) Civitas *Omnium Sanctorum* & *Ribogia* eadem eſt, nomine duplex.

Digitized by Google

ctum ventum est; Prætor ut Hispanorum cultus erga Ecclesiæ Prælatos esset neophytis exemplo, genu flectit, & pauca hoc habitu allocutus Antistitis manum osculatur.

Potestas facta Jesuitis ad Uruguaim.

Factum is proxime fructus secutus est, ut Niezu Regis & Prætorum mandata facturum se polliceretur, & ubicumque valeret imperio, daturum operam ut perficerentur: Ea tamen lege duplici, ne alii pastores atque Socii sufficerentur, ac nequis suorum cogeretur Hispanis servire. Utrumque ex voto concesserunt Episcopus & Prætor: eumque constituunt Uruguaitarum omnium, qui religionem Christianam amplecterentur, caput. Prælatus deinde Jesuitis suas omnes facultates delegat. Et Prætor Gonzalvium instruit diplomate, quo tum ipse, tum sociorum præpositi possent in præfecturæ finibus universis Reductiones condere cum facultatibus, quas Reges Catholici, ut Sedis Apostolicæ delegati, & Indicarum Ecclesiarum patroni possunt Evangelii ministris conferre. Quorum omnium tabulæ ex lege confectæ sunt, subscribente, pro absente Provinciali, collegii Rectore.

Post hæc Prætor Conceptionis, & S. Nicolai Reductioni recens a Gonzalvio trans amnem conditæ e regione primæ, instrumentum necessarium, & sacram supellectilem suppeditavit. Scripsitque ad Regem, ut res erat, Uruguaim totum Christianis frequentatum iri, dum P. Gonzalvii cœpta secundarentur; sed triginta requiri Socios. In eandem sententiam Episcopus ad Regem litteras dedit, quarum exitus ad votum cessit. Tandem Didacus de Vera gente Lusitanus, fortuna dives, qui ad Bonas Auras negotiabatur, non modicam æris summam ad perficiendam Reductionum fabricam contulit.

Prætoris factum imprudens.

His ita constitutis, Gonzalez cum P. Michaele de Ampuero, & Indis ecclesiam suam repetit (a). Cum binas tribus in reditu conciliasset, ut Conceptionem tenuit, ad collocandas situm commodum exquirit. Pactis Niezuo concessis, sui deditionem fecerant. Sed Prætor datam fidem oblitus, Hispanos sub-prætores, Bravo & Paiva nomine, quorum subdantur imperio, mittit. Et Sajas cum Missionariis regressum jubet pari jure Conceptioni præesse.

Gonzalvius rem miratus, nec imminentis ignarus mali, Prætoris nihilominus decreto acquievit. Munus suscepit Subprætorum trias, quo Sajas & Paiva pessime defuncti sunt. Et neophytis quidem tunc non id ingratum accidisse videtur. Sed infidelibus ad quassandas Hispanorum fasces armatis, ægre novi homines evadere potuissent, nisi Gonzalez ad Paranam absens, duo Socii, & Provincialis accurrissent.

Factum emendat. Novarum Reductionum par.

Conceptionis pagum exacerbatum inveniunt. Aberat Niezu, ut pronum ad fidem est, quippe a Prætore delusus. Timendum erat exemplo: & neophytorum plures, fide per dynastem ad Bonas Auras dedita liberos, se esse Provinciali protestati sunt, ex quo Prætor fidem fefellerat ipse suam. Maltriglius respondit missurum se, qui cum Prætore de facto expostularet, nec de audiendo dubitare. Mittitur Ampuerus, cui non solum datum est, ut Subprætores revocarentur; sed nova addita promovendis Reductionibus subsidia. Nuntio læti Christiani, repugnantibus licet ethnicis, binis pagis constituendis adlaborant, quorum alter a *Tribus Regibus* (b), alter a *S. Francisco Xaverio* nomen accepit.

1627. Reductio caduca.

Gonzalez ea parte tutus novam excursionem intendit. Ibicuim ingreditur, qui inter austrum & orientem defluit in Uruguaim, centum a Bonis Auris leucis. Quadraginta confectis a confluvio constitit apud Tabocam dynastam, a quo benigne exceptus, facile ut in eundem cum suis locum conveniret impetravit. Reductio continuo oblineata & habitata fuit, *Candelaria* nomine: citius circumjacentium barbarorum impetu dissipatis incolis absente Missionario ruitura. Pari fato suberat Tri-regia, nisi Gonzalvius a curatore Romero monitus opportunam tulisset opem.

Turbine disjecto ambo Ibicuim repetunt, cujus adversi alveo viginti quinque leucis enavigatis accolæ monent, nihil ultra progredientibus esse tutum. Quo Gonzalvius Romerum ad suam remittit Ecclesiam, & solus ire pergit. Nihil impervium, sed Candelariæ loco ruinas offendit. Taboca & alii dynastæ obviam facti nuntiant, hostes arcendi copiam minus potentibus defuisse. Missionarius malum ratus, tunc certe immedicabile, Tapem, quæ Uruguariæ terminus est ad orientem & Brasiliæ contermina, lustrare constituit. Dynastæ, ut viæ duces sint oranti, paucitatem excusant, ne regionem sola hominis Hispani specie commovendam adirent. Sed vir apostolicus nunquam his difficultatibus absterritus tandem evicit sermone & gratia, ut se comites adderent.

Tape describitur.

Tape sunt proprium perpetua montium juga bis centum leucarum longitudine ab ortu ad occasum. Extremum occidentale ab Uruguai octo, orientale a Mari Brasilico quindecim distat diebus itineris. Fertiles & pascuæ valles sunt, & ager omnigenum granorum ferax. Regio irrigua; qua nulla limpidioribus aquis nobilitatur. Inter alia communissimum est animal amphibium in locis paludibus ad orientem, cujus nomen non proditur (c). Dentes habet & ungues instar tygridis, quam superat feritate: de reliquo arieti simile. Indis est visu terrificum. Extra paludes incedit turmatim: nec impetum evadendi via est, nisi conscensis arboribus, quas etiam interdum ferum animal eradicat (d), aut ad radicem consistit, donec præda fame debilitata concidat.

Amphibium exoticum.

(a) Latet quid de aperiendo Uruguais fonte deliberatum sit. Forte curiositas utilitati cessit. Forte dilatum est iter; aut tutius judicatum si pedetentim, quam si raptim obiretur.

(b) Triregiæ vulgare nomen *Tapeiá*.

(c) Nomen est *Ao*, a vocis, quam edit similitudine.

(d) Non eradicat, sed grex totus truncum corrodere certat.

Digitized by Google

dat. Dum aliquod occiditur, pellem venator induit: quod indumenti genus Guaraniorum sermone, qui & Tapensibus communis est, dicitur *Ao*, fortasse de belluæ nomine (*a*).

Ales sonans. Frequentissimus alitum est *Guirapè*, quod *Avis tinnula* sonat. Alba est & parva, sed cantu valido, & campanæ sonitu non absimili. In silvis Tapensibus est palma, junco indico non altior, e cujus cortice filum extrahitur serico suavitate comparandum, ex quo arcuum nervi conficiuntur. Ezapis arbor est alia nobilis, sed non solius Tapis. Oriente sole dicitur ubere pluvia stillare proximis arentibus. Sunt tandem lapides transparentes, ut additur, suo pretio in Europa valituri.

Arbores, lapides.

Incolarum indoles. Tapes sunt Guaraniorum colonia, sed antiqua, & omnium incorruptissima. Mites ingenio sunt, quibus nulla totius Meridionalis Americæ gens ad suscipiendum Evangelii lumen melius comparata, nec in suscepto constantior, nec quæ Christianismo magis honori sit. Exteros amore libertatis aspernati vim infestam montium propugnaculis arcebant; sed Paraguai apostolis tota conversionis difficultas constitit accessu ut audirentur.

Gens in plures pagos distinguebatur, quorum alii in montium declivitate, alii secus fluenta, in mediis alii silvis constituti erant. Omnium frequentissimo nomen erat *Tape*, quod in gentem propagatum est, & in regionem quam prius coluit, quam Uruguaicis Reductionibus aggregaretur. Hispani Reductionum incolas Tapes & Guaranios nullo discrimine vocant. Reliquas gentes his additas, singularum paucitate contempta vel confusa, pensi non habent. Ut-ut res sit, Gonzalez eo tantum consilio in Tapem penetraverat, ut generalem gentis statum cognosceret. Et quamquam incolas minus quam prænunciatum erat infensos expertus fuit, nondum salutis diem adveniisse comperit; & qua sterni posset aditus noviisse satis habuit.

Barbarorum turba fugatur. De ratione fidem Christianam introducendi secum consultabat, cum turbam Indorum ad prædam adventare nuntiatur; Et cogitanti quid agere oporteret superveniunt, nec erat evadendi locus. Dynastæ comites accurrunt, & primum quidem impetum continuerunt; sed novis Tapensium succedentibus copiis, impari pugna decertandum erat. Tunc Gonzalez stratagemate utendum ratus librum altera manu capit, altera ferram, quam ad secandas arbores, & cruces erigendas portare solitus erat: & in primam procedit aciem. Ejus armaturæ conspectu barbari perculsi sunt, ferra se discet pendos rati, & verbis ut ex libro prolatis vim esse occultam, cui resistere non possent. Omnes in fugam præcipitem conversi; & Missionarius successu confirmatus ulteriora regionis, quantum destinaverat, investigat.

Nova reductio. Ad Ibicuim cum rediit, Piratini accolas eum admittere paratos esse proditur. Adeunti cum Romero viam intercludere nituntur bis centum barbari, quibus ille progrediendi consilium firmatum esse significat. Addidit, eo locorum se veniisse, ut bene de universis mereretur, nec quidquam eis esse timendum a se, neque ab Hispanis quandiu secum commorarentur. His pacati Missionarium ad mapalia deducunt, hortanturque populares, ut se homini dedant, de cunctis benemerenti. Ex his novam condidit Reductionem nomine *Candelariam*. Brevi ordinata fuit a Romero curatore, coactis ex eadem gente ad tria milia. Nomen gentis *Cazapaïminas*.

Reductio ab excidio servata. Sanctæ Mariæ Majoris pagum ad Iguazuum Paranam, ut supra dictum est, adlabentem recens conditum extrema fames occupaverat. Incolæ per silvas victus causa dispersi periclitabantur, nec plures quatuor centis a P. Claudio Ruïer id adnitente reduci potuerant. Ex reliquis circum errantibus puellam post dies aliquos tigris devoravit. Laqueum parat Rujerus, in quem bellua incidit: quo grex totus in ovile se recepit.

Auspicatior cessit ejusdem pastoris ad reformandum gregem severitas. Proselytorum quidam infestam gentem adorti, partem occidunt, partem servant, & ex ea clam epulum parant. Adest Rujerus indignantis specie, & imperioso habitu, qui si certa lege condiatur, apud eam gentem vix unquam fallit. Compedes authoribus & vincula decernit, contumaces, inhumanos increpat, & parem delicto pœnitentiam imponit: quam illi taciti subierunt. Firmitatis & vigilantiæ fructus extitit eodem anno mille & bis centum proselytorum baptismus.

Novæ Reductiones. Hæ conversiones, & aliæ numero & claritatem majores spem fecerant, Guairam totam sub Evangelii legibus recensendi. Guiravera dynasta potens, & mortalium sceleſtissimus in Sociorum caput conjuraverat, & nominatim Mazetæ, qui haud ignarus, ac ne putaret ille se timeri, Reductionem ex ejusdemmet subditis & addictis condere constituit: quæ nequidquam obsistente Guiravera convaluit auspice Doctore Gentium, octingentis familiis, & quatuor capitum millibus sub initium frequentata. Lætum eventum alius præter spem excepit, qui primitias apostolatus nobilitavit Missionarii cujusdam, de quo deinceps redibit sermo: nempe Tajaobæ, & totius tractus, inquem fere supremo jure dominabatur, conversio.

Tajaobæ conversio. Ex Christianismi progressu Missionarios magni habere cœpit Tajaoba. Virtutem miratur, & vulgatam vitæ integritatem. Ut rei veritatem exploret duos filios cum dynasta sibi subdito in S. Xaverii pagum submittit. Clam aliquandiu morati. P. Francisco Diaztaño curatori a famulo produntur. Ad se invitanti concedunt, & gratissime habentur. In forum deinde, quo incolas convocaverat prolatos de ad-

(b) *Ao*, quod belluæ nomen est, vocant Guarani omne vestimenti genus, seu quod nomen æquivocum sit, seu quod tempore pristinæ auditatis non alio uterentur quam *Aoi* pelle.

Digitized by Google

adventus causa percontatur. Ad explorandos, respondent, se venisse Christianorum mores, ut patrem suum certiorem faciant: ad experiendum num vera de Patrum sapientia & sanctitate fama vulgasset. Quærit Missionarius: Et vos quid de nostra religione judicatis? Nobis quidem, respondent, mirabilis visa est: neque fiet per nos quin a parente nostro apud suos inducatur.

Captus Diaz sermonis ingenuitate discedentes donis prosequitur: & ad Montojam ea tempestate Missionum præfectum nuntium mittit. Montojæ ad S. Xaverii venienti Tajaoba cum uxore, tribus puerulis ejus filiis, & frequente comitatu obviam procedit. In amplexus ruit, rogatque ut se inter discipulos recensere velit, ac rationem docere eam gratiam demerendi. Uxor tres filios exhibet eandem illis & sibi gratiam precata. Filiis ætate valde teneris adblanditur Montoja, & parentibus consilium gratulatur veritati cedendi; non tamen usque adeo provectam, ut res erat, arbitrabatur.

Eum Tajaoba invitat apud se, paratis omnibus ad magnifice pro more gentis excipiendum. Arcuum triumphalium per intervalla species non prætermissa, nec instrumentorum sonus. Missionarius primum ad Guibais ripam crucem erexit. Deinde fundamenta reductionis locat. Tajaobam potestate sibi a Prætore Paraguajensi facta pro Rege subprætorem renuntiat: ejus primogenitum constituit armorum præfectum, atque subditorum addictissimis reliqua munia distribuit. Tandem infantes viginti octo, quos Tajaoba ex pluribus susceperat uxoribus, baptizat.

Adultorum donec probarentur, baptismum differre decreverat; sed bello imminente Tajaoba ut in subita incursione viribus impar, & milites id volentes baptizati sunt. Ut ritus confectus erat, hostis apparuit. Montoja petebatur, quem Tajaoba in proximam silvam cedere jubet cum imbelli turba. Eodem ille mox cum bellatoribus convenit, hoste postquam Missionarium in tuto esse cognovit, acie digresso. Tunc dynasta Reductioni adversus similes incursus communiendæ dat operam, nec Montoja quidquam prætermisit, ut novam ecclesiam, quæ protinus florere cepit, solide collocaret.

Hispanorum acies. Male Villaricanos habebat, quod Indorum conversione adolesceret immunitas a servitute. Sed quia fidei propagatione adversari dedecebat, ex memorato Tajaobæ discrimine, infideles infectandi occasionem specie legitimam arripiunt. Quasi conversum ulturi dynastam militem concribunt adversus grassatores, prædam rati nullo jure eximendam jugo. Montojam (a) consilium non latuit, quod ut disturbaret, incommoda religionis, & regia mandata, ne Guairanis inferretur bellum, frustra objecit.

Reliquum erat ad evitanda qua posset mala, ut bellatores Hispanos ipse comitaretur. Addidit & Christianorum auxilia, & P. Salazarium. Hispani re licet odorata obsistere ausi non sunt. Agmen prodit, & prope futurum erat, ut cum hoste congrederetur, cum Hispani in rectum specie desertum se recipiunt. Ibi sagittarum grandinem invisa manu passi sunt. Tormenta explodunt, & barbari in proximam delapsi silvam sagittare obvium quemque necdum visi pergunt.

Junioris neophyti casus. Aliqui tunc de receptu cogitant. Sed obstitit Montoja; recedentibus nihil esse tutum, persequendos ab hoste; locorum expertum ignaris viam facile occludere posse. Addidit, quantum ipse putabat, castra esse tuenda vallo, dum auxilium Villarica exquirendum mitteretur: quod consilium probatum, & executioni mandatum est. Neophyti commeatus inopia pressi caldarium maizio plenum in deserto tugurio offendunt; catinum Montojæ offerunt, quo vires inedia fractas reparavit. Sed in exhausti caldarii fundo manus & pedes hominis cocti reperti sunt: quos illi incertum quo signo Christiani adolescentis Patrum ad altare ministri exuvias esse intelligunt.

Hic cum a Tajaoba signum receptui datum erat, immemor imaginem B. Virginis reliquerat, quam colebat. Ad recuperandam, ne ab infidelibus profanaretur, postea regressus, eam videt a barbaris discerpi. Obnitenti manus injiciunt, vinctum torquent, ut susceptam religionem abjuret. Inde procul in devium trahunt tugurium, ubi denuo diu tortum jugulant, in frusta concidunt, & igni cum maizio coquendum apponunt. Sed irruentibus tunc Hispanis, lebes negligitur. Hæc deinceps a bello captis accepta sunt.

Beneficium perfidia rependitur. Interea Hispani intra teli jactum arcta obsidione premebantur, infidelibus subinde auxiliorum vi & numero ad quatuor millia invalescentibus. Facile poterant impetu simul undequaque facto Christianos opprimere. Nec hos id latebat, propterea ratos, displosis primum sclopis, ense viam salutis aperiendam. Postquam in hac sententia confirmati sunt, neophyti Montojam conveniunt, illius tantum & Salazarii causa castris contineri se; suum esse utrumque in tuto collocare; utendum tempore destinatæ eruptionis ad captandam silvam, & inde domum.

Haud decere, respondit Montoja, in medio discrimine Hispanos deserere; ad extremum simul esse decertandum spe in Deum firma; silvam patere desperatis rebus; jubere se quam impense poterat, ne præterquam authore se discedant. Ut acquieverant, vallum hostis circumdat. Sed post omnium sagittarum in cassum jacturam, propius sclopetorum metu accedere non ausi recedunt persequentibus neophytis, quibus Patres mandata dederant, ut jactas sagittas colligerent usui futuras.

Hostium recessu, qui ad fallendum potuit simulari, a persequentibus in fugam præcipitem converso, Hispani receptum parant. Sed Deo

(a) Montoja, Conq. Espir. §. 32.

Deo ingrati pro infidelibus Christianos qui opem tulerant, manu capere constituunt. Perfidiam ut dissimulent, eosdem conspirationis adversus Missionarios accusant, quos in discrimen tam præsens conjecerant. Consilium caute patribus celare student, atque reis, ne purgando crimini locus fieret. Sed secretum solicitudinem fefellit.

Consilium eluditur.

Montojæ suboluit pridie quam executioni mandaretur. Indorum duos suspendio tollendos; in servitutem reliquos Villaricam abducendos. Reliquum diem Missionarius egit ignoranti similis. Vespere tamen clam monuit neophytos, ut prima nocte ad montes, quos designavit, se conferrent, dies octo permanerent occulti, quibus exactis, ad eum locum ubi castra tunc erant regrederentur. Taciti, nec de exotici mandati causa soliciti obediunt. Hispanorum ductor postridie, dum prima luce militem ad perficienda destinata mittit, miratus audit cunctos avolasse. Quo devenerint a Montoja quærit, qui respondet, ex quo Hispanis erant inutiles, authorem se fuisse, ut discederent. *Consulto fa[illegible]m mi Pater*, ait ductor; reliqua silentio pressit: nec diu moratus Villaricam repedat elapsis opportunitatibus æger.

Nova Reductio.

Missionarii causa mendicata eodem consistunt loco, unde neophytos ex præscripto regressos domum referunt ad S. Pauli. Hinc rursus Montoja novam sedem conditurus eggreditur, quam a *SS. Archangelis* nominavit. Instar miraculi fuit; quod Hispanorum, Indorum, ac etiam Patrum non superanda imminerent obstacula. Palam fuit divina protectio, maxime postquam adversantes miser interitus occupavit. Incœptata res fuit authore Tajaoba, qui ad religionem promovendam pronus & expeditus vice Missionarii defunctus est. Superior rebus novæ coloniæ ex illius sententia constitutis, & P. Petri Espinosa curæ commissa, ad nova cœpta, quæ diu mente versaverat perficienda convertitur.

Montojæ cœptum, & exitus.

In regione Tajaobæ propinqua campestria sunt ampla, Indis habitata quos *Coronatos* & *Capillatos* appellabant, quod mares atque fœminæ capillitium promittere consueverant, rasis tantum extremitatibus in gyrum. Reductio ab *Incarnatione* propè constituta erat, ut in reliquam planitiem fieret gradus. Sed gens indomita nihil non experta reliquit, ut coloniam quam velut arcem contra libertatem intuebatur, subverteret. Mirum in quanto discrimine versaretur Mendoza illius curator, qui solers & constans, insidias vitavit, superavit adversa.

Non diu post Indi Brasiliæ confines iterato hunc & S. Xaverii pagum impetunt: & nonnullos neophytos mox receptos abducunt. Expilaverant primum Capillatorum pagum, captis pluribus. Prædatorum vestigia sequitur cum valida suorum manu Mendoza, qui prædam recuperavit, & captos in libertatem restituit. Cujus operæ pretium extitit, quod intendebatur. Decem Capillatorum dynastæ doctrinam petunt: quo nuntiato Montoja cum Diaztaño, ac triginta neophytis eo ad consultandum de summa rei se conferunt. Duo dynastarum obviam eggressi nuntiant, Indos acie ducta conspirare, ut aditum intercludant: nec se, nec amicos dynastas esse resistendo pares; dissipandum vero proculdubio turbinem; paulisper cunctandum dum evanesceret; deinceps in sententia quam nuntio significaverant, constantes se probaturos. Consilio cedendum fuit: & Missionariis innotuit mox, non temere conceptum fuisse, ut deinde narrabitur.

Gesta in Chaco.

Guaranitorum conversionis tot licet adversitatibus impeditæ progressus documentum esse potuit methodi alibi locorum & in Chaco observandæ. Sed perpetua his gentibus erat suspicandi causa, jugum Evangelii prætendi jacturæ libertatis. Sæpe deinceps tentatum est, ut conceptam opinionem deponerent; sed præpostere & sero. Spes fuit aliquando uberem hanc provinciam Regi Catholico subdendi vi simul & amore; spes tamen evanuit. Et rebus ea tempestate gestis persuasum Hispanis esse oportuit, vel utendum majore vi, vel viam armorum abjiciendam.

Didacus Fernandez de Cordoba Marchio de Guadalcazar Peruvii Prorex nobilem Bœticum Martinum Ledesma de Valderrama Tucumaniæ Prætorem renuntiaverat ea lege, ut Chacum subderet, oppida duo conderet. Ægre poterat Ledesmâ dignior assumi, qui a prudentia & virtute bellica se diu probaverat. Ad Xuxuim ut venit, litteris Mastriglium rogat, ut de Sociis aliquos mittat in Chacum, qui castra sequantur, & Reductiones constituant Guaranicarum instar. Optabat Provincialis eo locorum Christianam religionem inducere; sed prædicatores Evangelii dedecebat armorum apparatus. Prætori respondit, desperandam Sociis cum exercitu ingressis barbarorum gratiam. Cum provinciam pacatam occupasset, paratos adfore, ut impositum infidelibus jugum Christianæ legis suavitate lenirent.

Guadalcazar urbs.

Gratissima fuit D. Martino responsio, qui non alio sacerdote stipatus præter Joannem Lozanum Ordinis de Mercede, mox a Mataguaiis interfectum, penetravit in Chacum. Minimam resistentiam a barbaris expertus arcem condidit & urbem de nomine Proregis *Santiago de Guadalcazar* appellandam. Sed quamquam totus incubuit, ut miles in officio contineretur, & barbarorum conciliaretur amor miti consuetudine & usu, id tantum confectum est, ne vicinos Hispani haberent infestos. Tunc ad Mastriglium scripsit, ut fidem datam liberaret: & missus illico est P. Gaspar Osorio de Valderabano, Castellanus.

P. Osorius in Chaco.

Guadalcazariam tenuit Augusto 1627. uno tantum Æthiope viæ comite. Indos ingenio mites invenit, qui Chiriguanorum metu sponte se dederant Hispano protegendi. His facile se probavit. Et gentes aliæ plures non ægre Christianismo conciliandæ visæ sunt, dum excolerentur. Prætor ad Proregem de cœptis edo-

edocendum, & de promovendis conſulendum redituros, Reductionum condendarum commendat ſtudium, opem ſe laturum quam poſſet maximam. Conſtantem operam Oſorius polliceturque, ac dum media comparat, moribus Hiſpanorum reformandis incumbit, ne infidelibus eſſent ſcandalo: qua in re ſupra ſpem profecit.

Novum Sociorum ſupplementum, 1628.

Non diu fore ſolum in Chaco putaverat Maſtriglius, qui copioſum ex Hiſpania ſociorum ſupplementum expectabat, Bonis Auris tandem quadraginta trium numero expoſitum 30. Aprilis 1628. Eo ſe ipſe contuleratque, & convenire juſſerat P. Petrum Comantel cum viginti e S. Ignatii ad Paranam pago neophytis: quod & deinceps fieri conſuevit. Reductionum finitimarum, ſi nuntius faveat, cum vehiculis & commeatu adſunt multi, exſcendentibus ad deſtinata loca deducendis: quibus amoris & reverentiæ præterquam exprimi poteſt, documenta præbent. Feſta & concentus alternant in portu: nec quidquam prætermittunt, quod ad levandum navigationis obitæ faſtidium, aut obliviſcenda patria commoda requiras.

Batavi ad Bonas Auras.

Poſt quindecim quam deſcenderant dies, navis cataphracta ſine vexillo comparuit, cujus ſcapha circum profunditatem fluminis bolide explorabat. Innotuit illico, nec Hiſpanam eſſe, nec ſolam. Et paria Batavi moliti haud ita pridem erant apud Braſiliam, cujus caput occupaverant (a). Prætor colonos, Guaraniis qui aderant adjunctis, ad arma vocat. Sed poſt triduum naves videri deſiit, & ad fluminis ripam qua octo leucis diſtat ab urbe, complura Hiſpanici, ſed in Batavia typis editi, ſcripti exemplaria reperta ſunt, quibus Paraguajenſes ad excutiendum Papæ & Hiſpani jugum ſpe magna concitabantur.

An in vulgus oporteret ſpargi deliberatum eſt: & multorum quidem ſententia fuit, nihil eſſe ad commovendam contra Batavos auctores indignationem opportunius. Sed conſuleni reſpondit Maſtriglius, multitudini, cujus aliqui amaro animo ſint, perniciosam ſemper eſſe novi dominatus propoſitionem; & hæc ſententia prævaluit. Alia deinceps de peregrina nave nuntiata ſunt, ex quibus pro felici novorum adventu grates eſſent habendæ Deo. Scilicet, fluvium antea ingreſſam inſidias Miſſis paraſſe in loco, ubi Hiſpani anchoram jacere conſueverant; præſidii nautici partem inter virgulta latuiſſe, in eos qui terram legerent impetum facturam, dum Hiſpanica navis ab hoſtili impeteretur. Vento compulſum navarchum ut inſidiantes revocaret, & eodem Hiſpanos vento, nec moratos, nec non ſpectos præteriiſſe.

Ejus Miſſionis erant novitii plures, & nonnulli ſcholares; nam quod illæ provinciæ nondum poterant alumnos ſuppeditare Societati præter pauciſſimos, omnis ætatis mittenda erant; ut collegia profeſſoribus, & Univerſitas Cordubæ (b) magiſtris & auditoribus non vacarent. Erant aliqui non Hiſpani, & Galli duo (c), de quibus deinde ſermo nobis erit. Alter Nicolaus Henard, ephebus olim Henrici IV. aulicus, alter Natalis Bertholdus Lugdunenſis, cujus nomen in Emmanuelis Alvarez commutarunt Hiſpani. Præ manibus habeo plures poſtremi hujus litteras, quarum aliæ nomine proprio, affecto aliæ ſubſcriptæ ſunt.

In prima ex quo portum tenuit data ait, ingens jam inter Reductionum & Indos alios emicare diſcrimen; hos belluis quam hominibus ſimiliores eſſe, in illis nihil conſuetudine & uſu barbarum; hiſpanice & latine ad collegii menſam legentem, perinde atque ſi utriuſque ſermonis peritus eſſet, miratum ſe; novæ Miſſionis adventum feſtis, choreis, duplici muſicorum choro ad caſtum Gallorum uſum celebraſſe; Jeſuitam coadjutorem natione Gallum fuiſſe primum inſtitutorem; & quia cantu potiſſimum & muſica Indorum greges ſua ſede conſtiterant, vulgo dici bonum illum fidibus canentem multis Miſſionariis utilitate comparandum; barbaros poſt ſuum Orpheum cucurriſſe; eaque propter ejus reipublicæ authorum inſtituto Guaranios muſicam artem, & omnigenum organorum uſum diſcere; quos cum infideles canentes audiebant, pingentesve intuebantur, totas horas quatuor immobiles, ut ecſtaſi raptos permanere.

Fervor neophytorum.

Ut eo redeam, unde digreſſus ſum, opportuniſſime accidit tot operarum adventus. Reductiones in dies multiplicabantur, & zelus animarum ſalutis corda neophytorum inſederat. In præſentiſſima pro infidelium converſione diſcrimina læti conjiciebant ſe. Peregre ad animarum, ut aiebant, conquiſtam profecti invios penetrabant receſſus, unde ſupplicem & veri Dei cultoribus adnumerari cupidam ſilvicolarum extrahebant turbam. Sed paſtores paſſim deſiderabantur, & veteranorum fractas vires ſuperabat onus. Gonzalez & Romerus in media ethnicorum multitudine ſæpe ſoli, undique vocati, invitantibus ſine conſtitutarum jam ſedium diſpendio adeſſe non poterant.

Nova Gonzalvii cœpta. Nexui defectio.

Sed de ſubſidio ſecuri liberiore zelo diſputare incipiunt. Et Gonzalez quidem in vaſtas Caroi ſilvas, ubi dynaſtæ ſexaginta dominaban-

(a) Occupata per Batavos fuit Bahia Braſiliæ caput anno 1623. recepta biennio poſt.

(b) Univerſitas ſine temporis teſtimonio non ante annum 1634. 29. Martii conſtituta fuit. Antea vero per decennia gradus ſcholaſticos in ejuſmodi Studiis conferendi Pontificia & Regia facultas erat, ultimo confirmata anno præterito 1627. 7. Januarii.

(c) Tempore quo hæc ſcribo, fertur Gallorum par, quibus & nomen mutatum eſt, Paraguaicis Miſſionibus operam dare. Hæc Charlevoix. * Horum nomina ſunt N. Guinet, & Jacobus Bec. His tamen nec nomen mutatum eſt unquam, niſi quatenus Hiſpani pronuntiant *Santiago Becio*; nec erat cauſa cur his aut aliis nomen mutaretur. Vide Decretum Philippi V. 28. Decembris 1743. inter Documenta relatum, Articulo finali.

Digitized by Google

bantur, penetravit. Horum pluribus conciliatis, novæ Reductionis fundamenta locat, cui data pastoris quam primum mittendi fide, ad rivum Yiuim contendit, quatuor a Piratini leucis Uruguaim influentem. Ad illius oram, & in mediterraneis sub diversis principibus Niezui, qui plurimum in tota regione valebat, imperio subditis quingentæ familiæ confederant. Sed Niezuus ipse ab instituto defecerat cursu. Tumidus prosperitate circum jacentibus late populis se omnipotentem esse repetendo persuaserat. Præstigiis & naturali eloquio deceptos vi exterritos adegit, ut sibi honores & cultum Numini debitum exhiberent.

Novit Gonzalez, ejus ingenii hominem in media gente ad seductionem prona magno religionis detrimento fore; non tamen desperavit reconciliandum, imo reconciliatum esse credidit facilius quam erat e re. Eum convenit, & consueta occupatum intrepiditate movet ut se ad *S. Nicolai* sequatur: ubi tam liberaliter habitus est, ut penitus gratia devinctus videretur. Et quidem apud se regressus sacellum & casam Missionario sibi promisso disposuit. Sed cum mores non mutaret, persuasum tandem est Gonzalvio, solidam hominis conversionem tempore, prudentia, & constantia esse parandam.

His præditum esse cognoverat juniorem Socium recens missum Joannem Castillo: quocum decima quinta Augusti Reductionem ab Assumptione firmavit apud Niezuum, qui utrumque excepit amicissime. Non tamen celavit Gonzalez Castillo valedicens discrimen quod imminebat. Inde ad Tibatavim amnem contendit, quo novæ sedis constituendæ causa vocabatur: quam re nondum matura designavit tantum. Mox ad Paranam vertitur, ubi tres Socios sortitus est, e quibus Alphonsum Rodriguez Caroo præfecit.

Caroi situs.

Religionem ibi firmare summis votis optabat, tum quia centrum Uruguariæ tenet regio, tum quia viam aperit, sternitque ad mare. Eo pridie Kalendas Novembris ventum est in locum, quo a dynastis pluribus expectabatur. Sequente luce crucem erigit pro concione, & locum templo seligit *Omnium Sanctorum* invocatione construendo. Postridie eruta sunt fundamenta, infantes a parentibus oblati baptizantur, & rei publicæ distribuuntur munera. Sed cum apostolico viro Caroum totum Christo subigendi spes erat, non aliud quam legit sibi martyrii palmam.

In Missionarios motus.

Miserum Reductionis Xaverianæ apostatam nomine Potiravam odium contra Missionarios occupaverat, quod illorum sanguine satiare ardebat. Ad Niezuum, quem satis noverat, spem convertit. Eum adit, & quærit, annon animadverterit, totum quo valebat imperium ab Hispano sacerdote supplantari, cujus arbitrio vilem atque duram servitutem serviret. „ Quo abiit magnus ille Niezu universi terror, & divinis cultus honoribus? An catenas expectas Hispanorum? An subditorum risum? Evigila aliquando. Esto qualis eras. Et maculam tuo nomini affusam lava seductoris sanguine. “

Martyrium Gonzalvii & Rodericii.

Forte Potirava aliter quam res erat paratum Niezuum existimabat, quem larvæ deponendæ occasionem captare pronum ad fidem est. Illud est certum, Potiravæ sermonem proxime sequuta esse de Patrum cæde mandata. Dynastas duos ad Reductionem *Omnium Sanctorum* decima quinta Novembris mittit Niezu: qua die Gonzalez postquam ad Romerum scripserat, ad perficiendam templi fabricam quædam tantum desiderari ferramenta, sacra mysteria celebravit. Post quæ Indos convocat, ut collocandæ campanæ præsentes adsint. Convenerunt omnes, & Caarupe dynastarum alter, quibus cædes commissa erat, omnium maxime solicitam contribuit operam. Sed inclinante se ad aptandam campanæ linguam servo Dei, Marangoa signo a Caarupe dato clavam in caput impegit bis, quo concidit exanimatus.

Tunc conjurati clamores inconditos attollunt: & Rodriguez dum prodit ad videndum unde rumor, capitur & ligatur. Novit illico quid rei agitaretur, dumque significat velle se mori, ubi sacrificium incruentum offerre parabat, iterato clavæ ictu prosternitur. Cadavera nudant carnifices, & tracta circum ecclesiam discerpunt. Matris Dei iconem, quam Gonzalez undique circumferre solitus erat, plurium mirabilium instrumentum, raptant & comminuunt, Crucifixi imagines in flammam conjiciunt, sacra vasa confringunt, altaris ornamenta profanant. Omnia denique sacrilegia committunt, quæ in furorem barbaricum cadere possunt.

Martyrium catechumeni.

Sanguinolentam scenam epulum excepit, in quo singuli acta pro libertate recuperanda magnificant. Senex catechumenus factum exprobrare ausus clamavit: Cur tantum nefas in homines nulli non beneficos? Sed zelo stetit gratia proprio sanguine baptizati, dum facto impetu occiditur. Pueri duo Paranaënses Gonzalvio addicti dum animos non minus audaces ostendunt, in custodiam traditi. Deliberatur quid agendum: & plerisque sententia fuit, ut remitterentur ad suos. Alter vindictam e cœlo carnificibus minatur; alter de manibus impiorum abripit sacrorum oleorum ampullas profanis usibus destinatas. Liberi nihilominus dimittuntur. Et iis accepta referenda est facta narratio cum aliis, ex quibus non omittenda quæ multorum oculato testimonio ex lege comprobata fuit.

Miraculum in morte Gonzalvii.

Conjurati post epulum ad locum regressi, ubi Gonzalvium interfecerant, & in ingentem rogum conjecerant cum ejus tum Rodericii membra, pene intemerata mirantur. Eo maxime quod vocem ut corde Gonzalvii prolatam audiunt diserte pronuntiantem: „ Tenero amore dilexi vos, quem sæva nece compensastis. Secundum potestatem vobis factam in corpus meum sæviistis, sed anima in cœlo Sanctorum gloria lætatur. Vobis caro stabit

Digitized by Google

bit parricidium. Et filii mei injuriam Matri Dei factam vindicabunt. Non tamen vos deseram: adhuc meus vestri amor experiendus vobis est. " Prodigio fremens Caärupe satellitem Marangoam jubet martyris pectus disrumpere, & cor in medium extrahere: quod manu tenens adstantes circum ait: En quod nobis minas intentat Cor. Et spiculo sagittæ perfossum in integratum ad comburenda cadavera rogum iterum conjecit.

Vindicta neophytorum prohibetur.

Interea pueri dimissi Candelariam veniunt, ut Romerum de Sociorum cæde certiorem faciant. Jam prævenerat nuntius tristi & lugubri silentio a neophytis exceptus. Sed adjunctis quæ pueri narraverunt, in fremitus & immodicos clamores abeunt. Pœnas deinde sumere ut permittat a Romero petunt, qui respondit, martyrum sanguinem sanguine non rependi: Religionis votum esse persecutorum non mortem, sed conversionem. Illud optare se, dum citra violentiam fieri posset, ut Christi confessorum exuvias colligerent.

Protinus ductorum unus bis centum robustos eligit, quibus ait: „ E carnificum manibus, fratres, patrum nostrorum reliquias tollere vitæ etiam periculo oportet. Ipsi nos dæmonum servitute liberarunt, sanguinem pro animarum nostrarum salute profuderunt. Ne patiamur corpora diutius penes carnifices sint. " Romerus iterum de vi procul cavenda monitos contra horrorem ex infectione cadaverum præmunire voluit. Sed exclamarunt una voce: Non usque adeo delicati sunt filii qui parentes amant. Mox profecti eodem die in pagum *Omnium Sanctorum* perveniunt.

Tollunt cadavera, & P. Gonzalvii cor integrum.

In silvas seorsim conjurati cesserant, & cadavera sub cinere semiusta jacebant. Quibus reverenter acceptis læti Candelariam repetunt. Romeri monitis parent, licet in dispersos & incautos facile animadvertere potuissent. Hi tamen re vulgata conveniunt, & pretiosa onustos præda secuti sunt, non assecuti. Romerus Gonzalvii cor, quod simul cum sagittæ spiculo confossum Indi servaverant, igne non ulla parte læsum miratur. Utrumque servat Romam anno 1633. mittendum. Cadavera deinde humari curat: & funus magis pie quam splendide neophytorum planctu celebratum est.

Hostes Candelariam adorti, & repulsi.

Mox neophytis rure distentis Caärupe cum tercentum de suis venit Candelariam Romeri caput petens, apud quem soli erant pueri decem & senex, qui præsens animo pueros in aciem ducit, & cunctando & velitando dispersis otium fecit in pagum recipiendi se. Tunc in acre certamen ventum est, quo infideles ne uno quidem Christianorum desiderato dissipantur. Additur, Romeri cum duobus Christianis equo accurrentis, & ante primam aciem neophytos hortantis, ut fiduciam in Deo collocarent, licet inermis præsentiâ barbaros consternatos & fugatos.

P. Castillo mors.

Nondum ad hujus notitiam pervenerat tota clades. Nuntio de Gonzalvii & Rodericii cæde ad Niezuum perlato, pallio plumis inter texto induitur, subditos convocat nocte, ignem extinguit, & manu cucurbitam lapillis semiplenam volutans, per intervalla quiescens, gutture primum informes quosdam sonitus edit, quibus concio in ebrium furorem concitatur. Et ipse mente commotus post pausam intermissam voce tonat: Tigrides silvarum accurrite, acuite dentes, hominem discerpite me convitiatum. Quid hoc morarum est? Et vos præstigiator compeditas tenet?

Post hæc vocem submittit, & eos appellans qui propius aderant, ait: Operam requiro vestram, filii, si juratam fallitis fidem, e cœlo vos perdam. Peribitis simul, nisi hunc qui cultores meos partem absterruit, partem absterrere non cessat, de medio tollatis.

Sermo ad Castillum spectans communi motu acceptus est. Potirava & alter Quarabai nomine, Niezui socer, enthusiastæ mandata perficere pollicentur, quos ille monet ne cui se immaturius prodant, ne prædam elabi sinant. Tunc forte superveniunt Indi quidam P. Gonzalvium, cujus ignorabant casum, requirentes: quibus Niezui satellites Castillum præoccupandi spe se viæ duces offerunt. Ad Yuim contendunt Missionarii sedem, qui rerum apud *Omnes Sanctos* gestarum ignarus, dum proselytos accipit, amplectitur, nomina exquirit, munusculis conciliat, a tergo capitur, brachiis ligatur, alapis, probris, & flagello impetitur. Ab alio pede apprehensus in terram dejicitur.

De præda tantummodo consilium esse dum putat ille, ait, quidquid libitum esset efferrent. Moriendum esse, respondent illi, parcendum nemini sui simili; a Gonzalvio & Rodericio incœptum; post ejus cædem ad Aragonam ventum iri. Ait ille: Id saltem date ut moriamur simul. Illico moriendum respondent. Bene nudum longa reste per spinas raptant, & saxa: contumelias ingeminant: os tundunt, luto conspurcant, pungunt sagittis, ventri clavas identidem impingunt. Oculos extrahunt, ac tandem caput saxis ingentibus conquassant. In cadaver etiam aliquandiu sævitum est, quod deinde in silvam abjiciunt, ferarum pastum. Ætate annorum triginta & octo martyrio functus est 17. Novembris 1628.

Niezui impietas.

Niezuus, qui satellites proxime secutus erat, ignem admovere templo, & sacra vasa confringi jubet. Sacerdotum deinde vestibus indutus eam superimponit, qua præstigiator utebatur, & eo habitu pronuntiat pro concione, ex eo jam timendam non esse agrorum vastitatem, uxores quam plurimas quis amaret duci posse, ac neminem fore putare se, qui Niezuo Numen inesse dubitaret. Cogit deinde pueros baptizatos, calida lavat singulorum caput, linguam arena fricat, testa radit quasi baptismum aboliturus, ac eos super multa oris distorsione gesticulatus mysteriis ut suis initiat. Tandem satellites in S. Nicolai ad Piratinim mittit, qui PP. Alphonsum de Aragona, & Franciscum Clavigium

de medio tollant; sed eos neophyti prima luce in tuto collocaverant.

Templum ab incendio incolume.

Non quod ad tuendos essent impares si convenirent una; sed imminebat hostis, nec quominus locum occuparet prohiberi potuit. Missionarios primum quærit, quos dum abesse novit, domum subvertit, in Ecclesiæ tectum paleis siccis stratum faces immittit, ardentem admovet papyrum conatu mirantibus ethnicis irrito. Prodigium in omen vertere faustum interpretando procurant. Sed nemini persuasum est. Dum studia & manus, ut sacra ædes in cineres redigatur, conferre pergunt, armato neophytorum manipulo superveniente dissipantur, cæsis pluribus, Christianorum nullo desiderato, paucis leviter vulneratis. Prosper eventus ad majora animos addidit. Missionarii Conceptiopolim se receperant, quo P. Alfarus rector dynastas convocaverat, ex quibus Neanguiré (a) ait, ut res erat, domandos bello infideles; & in eandem sententiam convenientibus reliquis, bis centum electi sunt, quos ad continendos hostes, dum plurium delectus habetur, ad Piratinim ille ducit.

Niezui clades.

Invaluit tunc rumor, a Niezuo maris accolas ad armorum communionem solicitari. Quod si verum esset, Romerus omnium proxime periclitabatur. Ad extrahendum ergo mittitur armatorum manus; sed obstiterunt neophyti, se vivis protestati, Patrem esse tutum. Haud ita post in conspectum Niezuani exercitus venit primo mane Neanguiré cum fœderatis, qui licet pauciores facto impetu hostium plures cædunt, reliquos in fugam compellunt. Niezuus ductor ante pugnam discesserat cum manu suorum Uruguaim versus, quem nuntiata clade trajecit. Quo devenisset, diu latuit. Sed proditum tandem ex vero est, post errores varios in manus silvicolarum incidisse a quibus interfectus est. Hujus exitus ignoratio, & fama identidem dissipata, cum magno fœderatorum exercitu adventare, solicitam diu tenuit Christianitatem. Sed ejus clades victoriæ nobilioris præludium fuit.

Christianorum victoria.

Dum Neanguiré cum modica robustorum manu caput conjuratorum fugat, delectus in Guaira & ad Paranam majoris exercitus habebatur. Emmanuel Cabral gente Lusitanus, conditione nobilis, sede Correntinus equitum Hispanorum turbam conscripserat suis sumptibus. PP. Gregorius de Osuna & Joannes Gamarra Franciscani Indorum suæ curæ quatuorcentum armatos addiderant. Et P. Boroa Assumptionis ope frustra petita Guairana cogit auxilia ad Piratinim ex Cabralis condicto ducenda.

Cabralis ipse cum equitatu in Candelariam Romero tunc periclitanti adfuturus venit 21. Decembris. Et postridie quingenti barbari Hispanorum adventus ignari Missionarium abducere constituerant. Eos appropinquare occultus Capralis sinit, inopinantes adortus primum turbat, turbatos sequitur in silvam propinquam ubi circumcincti sunt undique; nam & Neanguiré qui prope aberat, audito scloporum bombo accurrit, assilit, & pluribus interfectis capit quinquaginta, in quibus Caärupem, dynastem alium, & eorum plures, qui in trium sociorum cædem propius conspiraverant.

Postridie Cabrel copias ad *Omnium Sanctorum*, movet ubi duces convocat ad captorum judicium. Intercedunt Socii pro iis, quorum conversioni & saluti se totos devoverant. Sed a pietate sui status propria laudatis responsum fuit, justitiæ legum observantiam cæteris permittendam. Obsistere dum illi perguot, a sententia steti t Cabral, qua religio & pietas justitiæ conciliari visa est. Duodecim magis sontes capite damnat: cæteris post fidem præstitam arma contra Christianos non movendi pepercit. Caärupe primum suspendio tollitur: deinde Marangoa ibi ubi P. Gonzalvium interfecerat. Potirava primus malorum author evaserat, sed ab infidelibus ipsis traditus pœnas dat, haud aliter atque novem reliqui diversis locis sublati.

Plerique convertuntur.

Illud Missionariis reorum impunitate frustratis solatio fuit, præter Caärupem, qui Deo Christianorum maledicens suffocatus est, reliquos pœnitentiam egisse. Marangóa ad restim compositus vocem editam a Gonzalvii corde, & prophetiam opere completam testatus est. Omnes professi sunt, odio Christianæ religionis ea patrasse quorum merito pœnas dabant. Et Actis ad trium primorum Paraguariæ martyrum canonizationem ex lege confectis fides fit, manus horum sanguine cruentatas, justitiæ divinæ documento quod illi fatebantur, pustulis repente natis, & supra modum fœtidis fuisse deformatas.

Honor martyrum.

Supplicio exacto, P. Boróa honorem Christi confessoribus debitum Conceptiopoli habendum curavit. Eo tria cadavera ordinata fœderatorum acie portata sunt. Neophyti per intervalla viarum triumphales arcus erexerant, Hispanis ducibus & Indorum principibus humeros per vices piæ sarcinæ supponentibus. Sacrum solemne fit, & post elogium a Boróa peroratum, gratulatorium carmen *Te Deum* concinitur. Assumptione Gonzalvii patria justa persolutæ sunt solemni officio, quod hymnus *Te Deum* excepit, præcinente Canonico P. Gonzalvii germano fratre. Trium heroum reliquias Episcopus & primores civitatis magni æstimarunt: & ægre Gonzalvii cor miraculosam servare potuit integritatem. Huc exiit Paraguajensis Indorum Ecclesiæ prima persecutio, latius propagandæ, si tantummodo infideles habuissent infestos; mirum est enim, quantum fœcundaverit terram fusus martyrum sanguis.

Gualachorum regio.

Dum hæc ad Uruguaim gerebantur, Montoja & Diaztagnus Tajaobana Christianitate ordinata, ad Gualachos, quos cum Guanois confun-

(a) Alias *Neënguiré*, de cujus stirpe ortus est Nicolaus Neënguiré hac ætate aliunde notus.

Digitized by Google

fundunt aliqui, consilia vertunt. Origine eandem fuisse utramque gentem, pronum est ad fidem; sed hac tempestate diversa erat, Guanoiis propius ad austrum spectantibus quam Gualachi, qui Tajaobæ contermini Brasiliâ dissentiebantur ad orientem. Utrosque de reliquo stirpe Guaranica ortos, indubitatum fere est.

Gualachis cum finitimis gentibus nulla consuetudo: & popularium infrequentiam bella fecerant intestina, nata ut plurimum ex ebrietate. Vulgaris erat toxicorum usus, quem magicæ operationis nomine celant circulatores. Agrorum cultus fere nullus. Venatione victum comparant, & pagos ex umbraculis minimum inter se distinctis inhabitant. Sui terrorem in viciniam injecerant, nec ad eos penetraverant Europæi. Nonnulli quidem ferri fodinis adlaborare visi sunt, quas juxta Pequirim Paranam (a) influentem aperuerant Hispani.

Jesuitas invitant. Tajaobæ conversio, quem acerrimum hostem experti erant, eximiam de Christiana religione opinionem indidit, ex qua Montojam ut ad se divertat iteratis nuntiis invitant. Erat ille tunc apud Incarnationem cum Diazagno: & utriusque sententia fuit, utendum opportuna gentis dispositione. Villaricam iter intenduut, de Gualachis, ac de via tenenda sciendi cupidi. Gentis ingenium minime commendatum est, dum tamen viam esse duplicem ex occurrentibus Indis cognoverunt, separantur. Octo dierum Montoja, longius Diaztagnus plura passus, & pluribus per medios barbaros errantes & anthropophagos periculis obnoxius confecit iter.

Reductio apud Gualachos. In Gualachiam peste afflictam venit uterque: ex qua morituros aliquot haud ægre dispositos Christo pepererunt. In diversa primo discurrunt, deinde conveniunt, & Reductioni fundamenta locant *a Conceptione* vocandæ. Tunc Zurita dynasta, qui negotii multum Hispanis facessiverat, Montojam adit, ut se incolam admittat novæ Reductionis, vel novam aliam instituat apud se. Ad suos regredi jubet ille, cito de se nova resciturum. Inde cum Diaztagno Villaricam repetit, cum ad comparanda novæ ecclesiæ necessaria, tum ad promovenda cœpta quædam, quæ non minus cor insederant. Gestis apud Gualachos fidem superantibus stupebant Villaricani. Nempe fidem superabat, religiosos duos inermes tanta reverentia apud ferocem populum exceptos, maxime apud Zoritam, cujus nominis terror ea parte conquirentium iter occluserat. Obstupuerunt magis, dum Villaricam redeundi causa vulgatur: consilium videlicet agitatum diu, quod Gualachorum conversioni usui fore credebatur.

Montojæ cum celebri dynasta congressus. Guiraveræ jam memini primæ apud Guaranos authoritatis, sed Christianis infestissimi dynastæ. Apud Hispanos *Exterminator* audiebat a feritate. Humana carne vescebatur ut plurimum velut escarum delicatissima, & a veneficis universis magister colebatur. P. Mazetæ, qui nonnullos illius subditos Christianis addiderat, carnes esuriebat maxime: sparseratque in vulgus, gratissimam sibi fore illius cædem, qui proinde in summo discrimine versabatur, cunctis ad barbari nutum paventibus. Socios nihilominus sæpe a virtute & intrepiditate commendabat. Sed qui summi sacerdotii, Guairani primatus, & prope divinos ambiebat honores, religionem oderat, qua prævalente de gradu se returbandum certus erat.

Montojam videre cupiebat, quem supernæ conditionis hominem judicabat, in cujus corpus transmigrasse vulgaverant Indi *Quarutuci* cujusdam animam. In pagum S. Pauli aliquando digresso nuntium mittit, adfuturum se salutis dicendæ gratia, sed amare prius scire qua ratione accipiendus sit. Responsum non expectavit, & insperatus adest. Pagum ingressus intonat, se magnum esse Guiraveram, qui dignitati cedere voluisset, ut prior exteris honorem deferret. Fallum depressit Montoja, ut intelligeret se quantumvis a latere stipatum non timeri.

Sedebat in foro cum Mazeta, nec accedenti assurgunt. Mazeta non aliud quam indigitavit podium ut sederet. Guiravera ut re inopinata paullulum turbatus primo, in se rediit. Vocat aliquos de suis, qui podium sternant detractis vestibus. Postquam sederat, Patribus salutem dicit. Illi respondent. Mox tacitus surgit, & pagum obambulat. Montoja incomitatum præterquam a suis circum vagari sinit; binos tamen boves occidi jubet, & magnis caldariis coqui. Guiraveram deinde & comites invitatum mittit ad paratum epulum. Annuunt ut qui famescerent. Sub epuli finem cum animadverteret Montoja, dynastem vinculà vereri:

„ Ne time, ait, Guiravera. Cum hominibus res est, qui mori optant Dei causa a quo missi sunt. Non latet quid egeris ut nos manu, carnes nostras dente caperes. Sed en vides, qua inermes inter armatos tuos fiducia versamur. Nos scilicet tuetur Omnipotens; nec mori timemus. Nostri venimus in hæc loca ministerii causa, ut veri Dei cultores æternam felicitatem adipiscantur. Potest ille nos ab universi rabie defendere; insigne tamen decus, & amoris ejus erga nos summi foret, si pro sui nominis gloria cadere digni essemus. Hæc tuum in præsentia captum superant. Magni nominis hac locorum opinione vales, usque adeo cæcus ut numen tu ipse tibi esse videaris: Aliquando sapere oportet. Homo es perinde mortalis atque ego sum; nam dæmonum de mea divinitate oraculum rideo. Nihil sumus, ac cito corpora nostra in pulverem resolventur. Alii ante & de divinitate opinionem captarunt. Quid illi in præsentia sunt? Sed animæ nostræ sunt immortales, & i-

(a) Pequiri Uruguaim influit, non Paranam, nisi aliter sit amnis ejusdem nominis.

& imago Dei Creatoris. Quem Creatorem habuerunt, habebunt Judicem, qui moribus pravas instar tuæ æternum perdet. Te jactas universi conditorem. Proh stultitiam! Scin' quanta sit universi orbis amplitudo? Numquid eorum, quæ præ oculis sunt, creasti? Deus est sanctitas ipsa. Quot fœditatibus sordidatus es tu? Justitia & bonitas est. Quot iniquitatum reus es tu? Sed cave: gloriæ suæ, quam usurpare voluisti, zelator est: nec potes non in manus ejus incidere. Sed & est æque misericors atque justus semper ad condonanda eorum peccata qui filiorum instar ad offensi patris brachia confugiunt. Si sapis, verba mea non despicies, nec amabis irato Deo æternas dare pœnas."

His barbarus frigide respondit, cogitaturum se. Sed de comitatu plures dedituros, se spondent, si Sociorum aliquis mitteretur. Spem fecit Montoja, discedentem Guiraveram, ne quid ad conciliandum prætermitteret, magnis honoribus prosecutus: quos ille eo magis acceptos habuit, quod inopinanti facti sunt. Officium etiam barbaro visitando reddere parabat, cum Mameluccos Tabaxivam prætergressos non longe a S. Xaverii fano Guairanis imminere reductionibus nuntiatum est.

Prima Mameluccorum irruptio.

Fama & opinione malum majus erat. Mameluccis Incarnationis pagum vastantibus, incolas occupaverat pavor. Plerique proselytorum evaserant: neophyti plures rure dispersi manu capti erant, & toti Reductioni præsens instabat exterminium. Adest Montoja, & consternatos animos erigit. Christianis author est, ut armis hostem compellant ad restituendam prædam. Prius tamen PP. Mendozam & Domenechium cum primoribus ad latronum caput ablegat.

Ut in hostium conspectum ventum est, glandium & sagittarum grandine, qua neophytorum unus ante Mendozam cecidit, excipiuntur. Et Mendoza ipse vulnus accepit, sed leve: quo cum socio progredi prohibitus non est. Eos aliqui arcere tentarunt; sed pervadunt tandem ad usque turmæ ductorem. Ut quam primum loco abscedat monent, ni velit omnium Indorum Reductionum sustinere certamen. Captos repetunt, quos eo licet negante requirunt, vinculis absolvunt, & reducunt, copiis quasi stupentibus.

Mameluci discedunt.

Successu, qui præter spem fuit, & ipse Montoja prædones convenire constituit. Iras cœli & Regis Catholici, (a) cui subserant minatur. Sed res erat cum hominibus neque cœlum veritis, neque Regem. Pro responso Reductio oppugnari jubetur. Sed vana fuit verbi jactatio. Iter namque alio vertitur, rumore disseminato, infideles tantum exquiri. Montoja etsi parum fidendum ratus, cum neophytos tranquillari animadverteret, assensum simulavit. Revera de Mameluccis aliquandiu nullus sermo: nec sine pretio securitas fuit.

Novæ Reductiones.

Sex ante mensibus tentatum a Sociis in Capillatorum gentem aditum narravi. Eosdem post Mameluccorum discessum missionem postulare monitus Montoja, eo cum Mendoza se confert, remque optime comparatam invenit locandæ Reductioni, quam a *S. Michaele* nominavit. Inde mittit Mendozam ad Ibiangues undique Brasilianæ pestis metu dispersos. Centum ex his familiæ Michaelipoli, quam P. Justus Vansurk Mansilla curabat, aggregatæ sunt. Denis duodenisve ultra leucis condidit Montoja ipse Reductionem, quam a *S. Antonio* vocatam credidit Petro Molæ. Diaztagnus plurium dynastarum Guiraveranæ ditionis legatos accepit, ut apud eos sedem firmaret. Eos in clivo congregavit qui *Payzume* cœmeterium ab indigenis dicebatur ex supra memorata traditione, Christianorum complures a Sancto Thoma ibi olim humato. Unde Reductio sub S. Apostoli Thomæ protectione collocata est, quæ primo familiis octingentis coaluit.

1629. Missionum status.

Sub anni sequentis initium loco Mastriglii in Peruvium regressi venit in Paraguariam Franciscus Vazquez Truxillo. Viginti & una in Guaira, ad Paranam, & Uruguaim, Reductiones erant; sed major pars recens natæ & nonnullæ oblineatæ tantum. In plerisque Christiani erant, & candidati, & proselytis multo pauciores. Deformiora quidem vitia deposuerant; sed ingenita populorum levitas, educatione, habitu, & ingenio fluxa pastores solicitabat. Nullibi frequentia virtutum heroicarum exempla deerant. Sed præter paucos antiquiores in cæteris consistentiam requirebat directorum securitas. Quinetiam de iis, quibus magis credebatur, fuit Reductio, nempe cui a *Sancta Maria* nomen erat, sub novi Provincialis adventum pene deserta.

Reductionis periculum.

PP. Claudius Rujer, & Vincentius Badia, quorum suberat curæ, proselytos quosdam novos concubinas pro uxoribus habere moniti sunt. Re comperta interpellatis denuntiant, ut separentur protinus, si Christianis convivere velint. Plerique obtemperant; alii in silvam propinquam digressi, amplum illius tractum cedunt, & culturæ accommodant. Per proselytos alios ad regrediendum invitantur; sed missorum delectus inauspicatus fuit, nam exaggeratis per transfugas in ea vitæ licentia commodis, non solum tentationi succumbunt, sed defectionem cunctis proselytis persuadendam in se recipiunt: eo successu, ut & neophyti nutare viderentur.

Præsenti periculo moti curatores ad desertorum stativa convolant, quo tempore viris venatum, lignatum, rusticatumve dilapsis, solæ cum pueris aderant fœminæ, quibuscum, admoto per Christianos de comitatu ma-

(a) Hispano tunc cum Portugallia & Brasilia suberat.

Digitized by Google

mapalibus igne, regrediuntur. Sub veſperum, dum domum vagi ſe recipiunt, fumantia mirantur habitacula, cineres, titiones. Quid rei ſit ex vero ſuſpicatos amor filiorum & matrum reſtituit ovili. Benigne accipiuntur, amice increpantur, defectionis conſilium in tentatorem ſpiritum humanæ ſalutis oſorem derivatur, melius ut in poſterum ſapiant admonentur. His reconciliati emendationis promiſſa faciunt, & perficiunt.

Converſiones non expectatæ.

Eodem tempore reſcitum eſt, a Niezuo ſeductos factorum pœnitere. Romerus præveniendum ratus accurrit cum Alfaro. Intimo dolore compunctos inveniunt, & omnia facere paratos. Ut Dei miſericordiæ confidant hortantur, qui parcere quam punire mavult. Ad ſe quod attinet, magis ſociorum invidere ſortem, quam illatam cædem dolere. Crucem erigunt, quam univerſi flentes adorant. Ajunt tandem per ſe non ſore quin cuncta in ſtatum quo prius erant redigantur.

Monitus Provincialis eo ſe contulit; quem Indi ſic excipere conſtituunt, ut pœnitentiæ ſinceritatem perſpectam habeat. Obviam procedunt, dynaſtis præeuntibus. Ut quam longiſſime in conſpectum venit, humi proſternunt ſe, & eo perſeverant habitu donec eo ventum eſt ut exaudiri poſſent. Tunc Guarabai dynaſta, Illuſtre „ ait, patrum noſtrorum caput, en arma demittimus ante te, omnia quæ mandaveris facere parati. Id petimus, ne ſcelera noſtra paſtorum privatione puniantur. Inopiam vides. Id ego eo peto fidentior, quod commiſſorum expers ſum. Etiam alii hic mecum ſunt effuſi ſanguinis inſontes crimine. Spero innocentum gratia reis quos reſipientes vides, veniam daturum. “

His dictis iterum ſe proſternit cum reliquis in fletum effuſis. Fœminæ & pueri, quorum ſuſpiria ſingultuſque vocem intercluſerant, in clamores & lamenta tandem erumpunt: & maritorum atque parentum culpam deprecantur. Provincialis nec ipſe lacrymis temperare potens, duces amplectitur. Eam converſionem, ait, martyrum interceſſioni acceptam referri oportere: cor P. Gonzalvii, cui tam chari fuerant, non eſſe deſerendos pollicitum fuiſſe meminiſſent: ad liberandam præſtitam fidem ſe venire; nec dubitare, alieno potius impulſu quam ſua ſponte conjuraſſe. Ex hoc integratis ſingultibus cuncti voce prohibiti dilabuntur.

Rina Reductio apud Caroum.

Poſtridie Truxillus rem ibi divinam fecit, ubi cecidit P. Gonzalez. Quinque deinde parvulos ſupra triginta baptizavit, quos ſtrenuus Neanguiré de fonte ſuſcepit. Ex hujus dynaſtæ ſententia in libertatem reſtituit bello captos. Ducibus donaria diſtribuit. Guarabajum pro Rege Reductionis in exciſæ locum ſubrogatæ ſub prætorem renuntiat, & paſtorem pollicetur. P. Orighium ad novæ eccleſiæ curam vocat, trium Martyrum Japonenſium, quos Urbanus VIII. haud ita pridem canonizaverat (a) advocatione dedicandæ. Aliam eodem tempore condidit Boróa ad Tabati & Uruguais confluvium, operam duobus dynaſtis conferentibus, quorum alter apoſtolico ſpiritu a baptiſmo plenus, ſimul cum uxore & ipſa recens baptizata, ad conciliandos Chriſto animos late circumcurſabat.

1630 Guiraveræ converſio.

Anno ſequente Montoja & Mazeta ſedem conſtituunt apud Guiraveram non invitum; qui tamen, dum ſibi devotiſſimos videt gregatim confugere ad Reductionem, furere cœpit. Monitus Mazeta, qui unus remanſerat, ut ſibi caveret, acrius ex eo zeli nervos intendit; & disjectis ſæpe Caciquii molitionibus, eo tandem res exiit, ut Guiravera ipſe proſelytorum numero adderetur. Mazetæ diu probata converſionis ſinceritate, in Chriſti fidem accipitur nomine Paulus.

Mameluccorum motus.

Haud ita pridem D. Ludovicus de Ceſpedes (b) Paraguajenſi præfectura donatus, ex Hiſpania portum in Braſilia tenuit, Aſſumptionem terra profecturus. Interdictum hoc etiam Prætoribus erat ne quidquam in tranſitu committerent Hiſpani, quo neophyti offenderentur (c). Verum Ceſpedes peculiarem ſibi illac eundi poteſtatem factam eſſe contendit. Illud aliunde certum eſt, Prætores poſſe Reductiones intra præfecturæ fines conſtitutas viſitare. Sed viſitantes caute ſeligunt comitatum. (d). Utcumque res habeat, Prætor in S. Pauli de Piratininga eo tempore venit, quo nongenti Mameluccі, ac de Indis fœderatis biſmille duce Antonio Rapoſo in Guairam iter parabant. Inde pergit ire terra, donec in amnem ventum eſt, qui Lauretum alluit, ubi a Montoja honorifice exceptus eſt.

Prætoris agendi ratio.

Officio reſpondit ſermone minime officioſo, quem Miſſionarius modeſte & ſilentio tulit. Non potuit tamen Prætor ordinem eo loci conſtitutum non admirari. Sed de ferenda adverſus imminentes Mameluccos ope interpellatus facultatem negavit: cujus negationis cauſa deinceps apud Regium Indiarum Senatum in judicium vocatus eſt. De imminente latronum adventu famam eventus probavit. Et Mola S. Antonii curator, ſe primum aggrediendum haud temere cenſuit.

Tataurana dynaſta a Simone Alvaro prædatorum duce captus evaſerat in S. Antonii. Reclamanti Alvaro reſponderat Mola, hominem natura liberum, regia protectione munitum tradi nec honeſte, nec jure poſſe. Reſponſum Alvarus ad Rapoſum, cui ſuberat, defert, qui protinus aciem dirigit ad S. Antonii. Rem veritus Mola, nec effugii compos, par-

(a) Miſſa & officium, donec ad ſolemniorem canonizationem deveniretur, 15. Sept. 1627. conceſſa erant.

(b) Incertum mihi eſt, utrum Prætor hic a cognomini Bonaurenſi ſupra memorato ſit alius. *Charl.*

(c) Non aliud mihi notum eſt interdictum præter contentum ſeq. legg. 27. t. 3. lib. 4. Rec. Ind. data 26. Jun. 1595. „Por muchas conſideraçiones de nueſtro real ſervicio conviene que los Governadores de S. Cruz de la Sierra no hagan deſcubrimientos parhazia el Braſil, ni ſe pueda introducir por a quella parte algun genero de comercio. Y mandamos, que los Virrejes no den lugar à que ſe comuniquen eſtas provincias. “

(d) Si Lauretum intra fines erat præfecturæ Paraguariæ, & hac ratione a Prætore viſitari poterat; non illa Tebiquarí definitur, ut ſupra narrat Hiſtoricus, cum ad lævam defluentis Paranæ ſpectaret etiam tunc Lauretum.

Digitized by Google

parvulorum nondum baptizatorum salutem in tuto collocare constituit. Septem horas implevit opus, cui perficiendo manus aliorum brachiis fulciri oportuit.

Reductio diruta.

Postridie mane pagum invadunt Mamelucci, reluctantes gladio transfodiunt, nec ad aras confugientibus parcitur; principes in vincula trahunt, templum expilant, & aliqui Missionarii domum ingressi, dum præter detritam togam, & lacera quædam indusia nihil vident, ea Indorum oculis obtendentes, stultos ajunt se tradere exulibus pane apud suos carentibus; in Brasilia rerum omnium copiam affluere, nec ibi opus esse pastoribus victum suppeditare.

Intempestiva post injectas miseris catenas, & proximos coram jugulatos promissa jactabant. Dum nihil suadendo proficiunt, vi coepta promovere pergunt. Frustra Mola supplex innocentiam captorum & simplicitatem objicit. Per quidquid sacratissimum est, ducem obtestatur, ut furentem militem cohibeat, cœli vindictam interminatur. Qui precibus & lacrymis sæpe anthropophagos mitigaverat, Christianos qui semel divina & humana conculcaverunt jura, infidelibus & barbaris immaniores expertus est. Post tot injurias & sacrilegia spem salutis non esse denuntianti respondent, se baptizatos Deo etiam invito paradiso potituros.

Ab Indi pericula.

Postquam excesserant, dilapsi captorum aliqui ad ovile redunt cum iis, qui se in silvas receperant. Pastor erat in mediis oppidi ruinis acerbo mœrore mersus: quo præeunte ad Incarnationem concedunt. Sed prope abfuit, ut a Mameluccis liber manu caderet eorum, quos servare contenderat. Pluribus in mentem venit, non invito factum contigisse. Hi suspicionem vulgant, & pene in caput ejus involarunt. Mansuetudo, oculis objecta rei disconvenientia, & fidelitas adhærentium periculi fecit immunitatem: exquo tamen in aliud præsentius incidit. Paganorum turba rerum gestarum ignara venit altero postquam excesserat die in S. Antonii, utque ruinas undique vident, & cadavera, Missionarium authorem esse rati iræ devovendum sequuntur, brevi tantum horarum spatio non assecuti.

Reductionum dirutarum trias.

Ad S. Michaelis brevius erat iter, cui tamen idem imminere fatum existimabat. Et quidem ut prima clades innotuit, neophytis authores sunt Mendoza & Mansilla, ut ad Incarnationem confugiant, a Mameluccis, ajebant, incolarum frequentia & adhibita cautela tutam. Plures acquieverunt, quos Mansilla inconstantiam veritus continuo deduxit. Regressus suadet sequi nolentibus, ut in silvas se recipiant. Ipse solus cum socio, ac duobus Christianis exitus videndi causa remanet. Ibi eo majus a neophytis erat periculum, quod suspicio contra Molam in alias etiam Reductiones emanaverat. Eamque a Mameluccis ortam fere indubium est, qui parem sæpe fraudem ad alienandos a pastoribus Indorum animos moliti sunt.

Utcunque res habeat, Incarnatione mittitur ad S. Michaelis ad extrahendos siqui essent reliqui, armatorum manus, quæ tota incidit in Mamelucorum vincula. Hi deinde ad S. Michaelis Reductionem concedunt, quam penitus subruunt, Mendoza jactu sagittæ vulnerato. Tunc terror universam Guairam occupavit. Sed cum Reductio a *Jesu-Maria*, ubi Guiravera post baptismum sedem firmaverat, esset frequentissima, neque ab hoste crederetur invadenda, undique ut ad immunem locum accurritur. Sed spem novæ populatorum alluvionis ignoratione conceptam fefellit eventus. Emmanuel Morato ductor adventus famam antevertit. Eoque processit fiducia perinacia, ut dum primo apparuit, nuntii missi obviam sint ad percontandum, hostilis ne, an pacificus esset adventus.

Oratores pro responso tradi jubet in vincula. P. Mazeta sacris reverentiam habendam ratus, obviam venit habitu sacerdotis indutus, imagine crucifixi præmonstrata. Sed religionis apparatu, fortassis importuno, non aliud quam lucrifecit probra. Zurita dynastes, qui comes accesserat, majus detrimentum fecit. Cum enim Morato iniquam erga sacerdotem Christianorum agendi rationem significasset, plumbea glande ab alio contorta cecidit. Missionario, qui notatum jaculatorem severe increpabat, strictum ferrum ostenditur. Eo graditur imperterritus sacerdos: & aliqui dixerunt, aggressorem frustratum destinato ictu; alii, intrepido gradientis habitu absterritum, gladio vaginæ reddito discessisse.

Castitatis martyres.

Oppidum tandem parem dirutis fortunam sortitur. Christianæ adolescentes jugulari, quam vim illatam pati maluerunt. Quotquot fuga non evaserant, in vincula conjecti sunt: in quibus Guiravera & uxor. P. Espinosa cum neophytorum manu a Reductione Archangelorum auxilio venerat, sed sero venit capite casu fauciatus. P. Diaztagnus cum tercentum subsidiariis a *Sancti Thomæ* non aliud quam captorum aliquot recepit, Mameluccos secutus. Iis ad Incarnationem conductis, ad Præfectum Brasiliæ Generalem ablegantur Mazeta & Mansilia, de patratis per ejus subditos in ditione regia conquesturi.

Mazeta & Mansilla apud Brasiliam.

Eadem luce profecti Mameluccos non diu post assequuntur. Ut ventum est ad catenatos neophytos, zeli & amoris impos Maceta in amplexus ruit, non sclopis in faciem intentis arcetur, non ad gradus singulos repulsus. Tandem elata voce ductorem interpellat, ut vel charissimos in Christo filios patri reddat, vel se simul in vincula tradat. Amentis loco habetur; & dum propius accedit, repulsus iterantur. Aliquis tamen nonnullos ex iis, quos erat sortitus, pacto lytro, manumisit.

Successu in spem erectus alio se vertit, & catena, qua plures trahebantur, collo imposita, deponendam negat, nisi liberos recipiat. Erat in his Guiravera, & ejus uxor. Missionarius, quem ille ante conversionem

nem oderat, osculo catenæ impresso ait, charum sibi tempus accidisse cor ostendendi omni amarore purum; nihil se prætermissurum ut liber abeat. His corda vel saxea mollire natis cedere oportuit captivorum ducem. At primo in majorem exarsit iram, & sæpe minæ Missionarii capiti, ut inde faceſſeret, intentatæ sunt. Sed vicit tandem constantia duritiem hominis, Guiravera, uxore, & sex aliis manumissis, quos redemptor illico Incarnationem cum auxiliari manu expedivit.

Ad Mansillam redit, quocum & trium Indorum comitatu captos eminus sequitur. Fructibus silvarum vescebantur, ad colligendos, qui deserebantur, neophytos cunctantes, fœminas adversa valetudine prostratas, quibus sublevandis prohibebantur mariti, senes frustra filiorum opem & naturæ jura implorantes. Hi omnes semivivi relinquebantur inter tigridum antra, a quibus in silvas victus causa reptantes plures forte devorati sunt. Catechumenos baptizabant, baptizatorum excipiebant confessionem, omnes patientiæ bonis cœlestibus remunerandæ spe solabantur.

Nihil impetratum.

In Sancti-Pauli de Piratininga ventum est, ubi Jesuitarum collegium stabat adhuc. Sed nulla mora, nulla post tot labores & tantos datur quies. Spem fallentibus iis, penes quos erat imperium vel imperii umbra, Januarium properant. Uno & altero libello supplici in summa Curia exhibito postulant & neophytorum libertatem, & immunitatem Reductionum. Sed responsum fuit, ab uno Generali Brasiliæ Præfecto expediri rem posse. Ad Sinum *Omnium Sanctorum* iter intendunt, Societatis in Brasilia Præposito, quocum Januarium venerant, comitante.

D. Didacus Luisius Oliveira, Generalis Brasiliæ Præfectus, a quo benigne excepti sunt, justissima censuit postulata, Judicem Commissarium constituit, quocum ad S. Pauli redirent, & qui jus petitum audiret, judicatum faceret. Sed cum nullus de auxiliari manu sermo esset, propter formam acta, Missis persuasum est. Oliveiræ fano consilio obstabant duo. Primum, quod Batavi parta jam Pernamburi ora toti Brasiliæ imminebant, nec vires hosti arcendo necessarias distrahere poterat. Alterum, Guairanorum quindecim millia a Mameluccis deportata jam sub hasta venisse, alios alibi a magnatibus emptos, quos si ad restituendum captos compelleret, alienare verebatur ratione temporis conciliandos.

Lusitani generositas.

Hæc tamen gentis honori, & religioni ab Oliveira nihilominus posthabenda, multorum sententia fuit: & per Hollandos illata deinceps Brasiliæ damna, in Mameluccorum excursiones, in eorum cupiditatem, qui Paraguajensium Christianitatum vastitate profecerant; in sævitiam qua tot neophytorum millia gravi servitute premebantur, esse referenda. Hieronymus Vega nobilis Lusitanus author Mazetæ fuit, ut ad Regem provocaret, itineris sumptus facere paratus. Sed de nova prædatorum in Guairam incursione nuntius reditum maturare coegit. Januarium socii repetunt, ubi neophytorum duodecim recuperarunt. Inde ad S. Pauli regressi velut in custodia detinentur.

Sinistra neophytorum opinio.

Eodem Judex Commissarius venit haud ita post; sed dum mandatorum urget executionem, ad necem quæritur exploso tormento: ac per oppidanos palam denuntiato, baptismo prius quam prædæ renuntiaturos se, solum mutat. Eo cedente Missionarii ad collegium e custodia connitente Rectore transferuntur, confestim ad loca Missionum profecturi, ubi ad incrementum doloris illud accessit, neophytorum pluribus persuasum esse, eo consilio in ovilia cogi, ut manu capiantur.

Guiraveræ officia.

Temere conceptam opinionem, sumptus a pastoribus factos, susceptos labores, & discrimina pro eorum incolumitate inclamantibus: ecquod proditionis emolumentum ab exteris esse posset regentibus, ne crederent, aures & mentem occluserat desperatio. Plerique apertam rebellionem, & pastorum perniciem moliebantur, cum Guiravera religione jam vacillans, quam deinceps penitus abjecisse proditur, eorum suscepit patrocinium. Quod contra Missionarios vulgatum erat, jurat esse calumniam; oppida circum cursat, Mazetæ merita extollit, qui pro se liberando caput exposuerat; nihil ab eo, nec a Mansilla prætermissum, ut capti omnes liberarentur.

HI-

HISTORIA PARAGUAJENSIS.

LIBER OCTAVUS.

ARGUMENTUM.

PRava Reductionis mutatio. Qua ratione emendatur. Sedes apud Gualachos. Tucumaniam invadunt Calchaqui. Damna illata. Caaiguarum natura. Ad hos convertendos P. Alvarii conatus. Pauci convertuntur. Novæ ſedes ad Uruguaim. Reductio reſtituta. Duæ per Mamelucces dirutæ. Conſilium imprudens. Prætor opem ferre detrectat. Ad Uruguaim progreſſus. Peſtilentia. Epiſcopus diœceſim luſtrat. Reductio deſtructa. Neophytorum motus. Guaira deſeritur. Salazar a neophytis impetitus. Paſtorum mœror. In deſerendis pagis fervor. Mamelucci inſtant. Lapſum Paranæ tranſmittunt. Fœminæ ſalus miraculoſa. Bina Reductio ex deſertarum reliquiis. Civitas-Regalis, & Villarica dirutæ. Miſſio ad Itatim. Bellum Calchaquinum. Arma repetunt. Tape converſio. De conjugiis controverſia. Romæ deciſa. Itatina regio. Pilæ. Siniſtra de Jeſuitis opinio. P. Ranzonier cœlitus defenſus. Apud Itatim Reductiones quatuor. Pajaguarum defectio. Irrita conſilia. Mameluccorum proditio. Henard apud Mameluccos. Qua ratione exceptus. Reductionis binæ vaſtitas. Mamelucci a Jeſuitis ſe vocatos mentiuntur. Paranæ Reductiones periclitantur. Prætoris conſilium. Epiſcopi contentio. Reconciliantur. Mamelucci contra Paranam. Geſta apud Itatines. Hiſpani imprudentia. De commendis diploma. Litteræ ad Proregem. Miſſio ad Chiriguanos. Hiſpani generoſitas. Miſſio ſera. P. Eſpinoſa occiſus a barbaris. Novi Mameluccorum incurſus. Neophytorum vigor. P. Mendozæ obitus. Mitis agendi ratio. Chriſtianorum pugna contra barbaros. Perſecutio. Clerici apud Itatim. Mamelucci contra Tapem. Fœminæ auſum. Reductionum excidium. Provincialis Jeſuitarum ſolicitudo. Undique negatur auxilium. Ad Regium Senatum ſcripta. Litterarum jactus. Ad Ulyſſiponem repertæ. Diaztagnus Romam miſſus. Montoja Matritum. Litteræ Epiſcopi Tucuman. D. Stephani Dabila. Montoja, & Diaztagnus ad Flumen Januarium, & ibi geſta.

1630. Prava Reductionis mutatio.

PAulo ante geſta præcedentis libri fine narrata, res apud Guairam contigit, quæ Miſſionarios principio tenuit ſolicitos, cujus tamen exitu religio profecit. Pagus ab Incarnatione quingentis primum familiis coaluit, ab extrema ferocia in eam ingenii facilitatem repente translatis, ut ægre non alios homines eſſe crederes. Sub primos de Mameluccorum adventu rumores, pleroſque aures rebus occludere divinis notatum eſt, eccleſiæ aditum cavere, filios ne baptizarentur occultare, & paſtorem Diaztagnum, quem prius tenere amaverant, non tantum caute, ſed effuſo curſu vitare.

Cauſam inquirenti puer ad altare miniſter aperit, circulatorum præſtigiis, qui in pagum irrepſerant, ſeductos incolas fere omnes; templa duo in montibus extructa, quo magorum duorum, qui haud ita pridem obierant, translata erant cadavera, a quibus reſponſa dari, multis erat perſuaſum, his divinum reddi cultum; utriuſque ſexus initiatos Sacerdotes; catechiſtas etiam ſuos eſſe phanatiſmo irretitos. Addidit, horrendas viſu a ſacerdotibus nova numina invocantibus fieri contortiones; furiarum ſpeciem referre fœminas, quarum erat ignem in templo perpetuum curare; deceptis, ne reſiperent, perſuaſum eſſe, piaculum fore maximum Miſſionariis appropinquare, nedum tangere; Dominicas & feſta ad conveniendum in ea templa conſtituta eſſe, nequis videlicet tunc eccleſiam adiret.

Qua ratione emendatur.

Nuntiata retulit Diaztagnus Montojæ ſuperiori, & Sociorum conſilio conſtitutum eſt, ut hinc Montoja & Mendoza, illinc Diaztagnus & Domenecchius cum fida neophytorum manu ad deſtruenda templa concederent proxima nocte. In altero anathemata complura tecto ſuſpenſa erant, & lectus penſilis: in eo cadaver pannis involutum, & varii coloris plumis ornatum. In altero lectus tantum cum cadavere ſimili. Utrumque primo rumore convaſant & exportant cuſtodes Indi. Sequuntur neophyti, duos tantum aſſecuti reluctantes. Hos jacula in Miſſionarios intendentes capiunt, & ligant. Reliqui curſum tardantia cadavera abijciunt, quæ ſequente luce Incarnationem deferuntur.

Erat Dominica SS. Trinitati ſacra: & Indos complures in eccleſiam contraxerat rei fama. Cataldinus verba fecit de apoſtaſiæ & idololatriæ malis, pronis auribus & proditis reſipiſcentiæ notis excepta. Oſſa deinde Diaztagnus in plateam produci jubet vulgo conculcanda & contemplanda. Dum mos geritur, ex unius cranio mus ingens in medium prodit: quod tandem cultus ridiculis numini-

Digitized by Google

minibus exhibiti consortes rubore suffudit.

Aliquot post dies Montoja monitus, in tugurio non nimium distante alterius magi, cadaver adorari, adest illico, ignem admoveri jubet, quo res & rei memoria in fumum abiit. Reliquum erat idolum Missionariis ignotum; hominis videlicet monstrum, in quo vivente nihil non deforme & visu horrendum. Pejus divinitatis simulacrum eligere nec angelus tenebrarum poterat, nec aptiorem sibi sedem. Hominum convictu desperato, se Deum facere induxit animum miserabile caput. Nec est mirandum, a stupidissimis mortalium esse creditum, cum alias numina turpiora incerata sint. In montis culmine mapale sibi & sanctuarium extruxerat, & e proxima Reductione concursus frequentari cœperat. Sed vivum numen mortuis, quorum memini, degradatum est facilius. Ut Missionariis innotuit, in pagum ducitur, & puerorum exponitur ludibrio. Dum vident imbecillis manibus impotentem expediri, vel devotissimos suæ cæcitatis puduit. Et ipse facto periculo in sensum rediit: & instrui primum, deinde baptizari voluit.

1630-31. Reductio apud Gualachos.

Montojæ cordi erant Gualachorum res, & datam liberare fidem necessitate prohibitus, Cataldino cœpta perficiendi provinciam committit: qui volentes barbaros in Reductionem coegit. Vix erat constituta, cum ab aliis ejusdem gentis pagum Conceptionis obsideri nuntiatum est, & Salazarium rectorem atque neophytos fructibus silvarum, & colubris vitam tolerare. Cataldino expostulante proselyti, ut obsidio tollatur, perficiunt. Mameluccis de cætero apud Guairam non comparentibus, ad reparanda damna consilia vertuntur; non diu tamen a turbis cessatum est.

Tucumania invaditur.

Dum hæc ad ortum Paraguariæ geruntur, diuturnam in Tucumania pacem bellum excepit, primo felix, deinde funestum Hispanorum rei. Reductionem unam & alteram a Sociis oblineatam vidimus in *Calchaqui* valle. Sedibus his pax provinciæ constabat; sed male habebat Hispanos servitii privatio: quasi non inimicos servos esse oporteret. Murmur contemnebatur: & quamquam longe spes aberat gentis ad Christianismum convertendæ, proderat tamen & provinciæ populatores contineri, & religioni infideles curari & conciliari. Baptizabantur præterea parvuli morituri: nec dubium erat, quin his in cœlum admissis primitiis, benedictio in totam gentem emanaret.

Hoc obtinuit quandiu Missionariis in valle consistendi copia fuit. Saltenses deinde & Ribogiani ad austrum & ad boream contermini Indos nullo obsistente percellere. Et quidam *Urbina* nomine villam in confinio condidit propugnaculo similem, quam Calchaquii cum vicinis adorti sunt, Ædes igni tradunt, Urbinam & uxorem jugulant, filiam abducunt, quam caro redimere oportuit. Postea quam possunt plurima prædia devastant.

Prospero primæ molitionis exitu hostes invalescunt numero & audacia. Etiam Hispanorum servi rebellarunt, & aliqui interfectis heris ad Calchaquios deficiunt. Tucumaniæ Prætor, Cardinalis Albornozii germanus frater transfugas insectatus profligavit, arcemque constituit præsidio munitam. Sed haud ita post, dum longius sequitur hostem, præfectus cum præsidiariis omnibus & interceptus ipse cæsus est, & arx diruta. Londinum fors eadem excepit, Saltæ suburbana vastata sunt, & universa Tucumania incursionibus patuit hostis per ludum excitati. Decem annos tenuit malum, cujus pertinacia prædicatorum consilia de plurium gentium conversione disjecit.

Caaiguarum gens.

Ad Paranam, quo Mamelucci nondum penetraverant, hæc damna reparata sunt, Missionariis novæ gentis exitu licet iniquo conversionem adnitentibus. Per silvas Uruguaim inter & Paranam interjacentes, fixa nunquam sede, vagatur Indorum natio sat infrequens & incultissima, per familias ut plurimum dispersa. Caaiguas appellant, quod silvarum incolas sonat (*a*). Sermo ad comparandum difficillimus, & pronuntiatio valde rudis. Aspirationem dixeris tam parce articulatam, ut verba non aliud quam in gutture rotare videantur.

Habitacula excitant ex arborum ramis. Cibaria non servant. Sagittas adhibent æque ad venandum & ad piscandum. Vermibus ut plurimum, formicis, viperis, & reptilibus aliis vescuntur passim obviis. Tigridibus etiam, quas occidere possint, & simiis quas in altissimas etiam arbores pari pernicitate sequuntur. Sed a bestiolis deluduntur sæpe in arborem proximam, dorso etiam imposita prole, transilientibus. Elani (*b*) carnes, quocum luctantur, & in terram dejectum occidunt, in deliciis habent. Et mel silvaticum usus est præsentissimi, cujus hydromeli sic incalescunt, ut hyemis rigidissimæ sensus expertes esse dicantur. Gentis infrequentia in tigridum copiam, & fœminas & prolem passim strangulantium refertur.

Vix quidquam eos inter & belluas distat: ita rabide ferociunt. Plerique sunt gibbi, & collo arcuati; sed nonnulli sat eleganti forma. Fœminarum color bætico non magis pullus, proculdubio quia silvarum meditullio nunquam excedunt. Semicinctio tantum instar reticuli ex quarumdam urticarum filo, ab imo ventre ad genua velantur. Mares induuntur pellium frustulis nihil fere tegentibus. Sic indure-

(c) Hispani vocant *Montefes*, tam hos quam qui ad boream Paranæ silvas inhabitant. Et ex his *Caribes* nomine alitunde communicato vocari consueverunt qui humana carne vescuntur.

(d) Hoc animal idem esse videtur quod *Aota*: de quo supra dictum est.

Digitized by Google

dureſcere dicuntur, ut per ſenticoſa nullo detrimento virgulta ſerpant (*a*).

Nullum unquam cicurare potuerunt Hiſpani: in quorum manus ſiquis incidit, ferrum dentibus appetere, ore ſpumare rabientium inſtar, & inedia confici viſi ſunt. De cætero ſat pacati. Media inter eos gens eſt altera, ſermone & uſu diverſa, quamquam eodem nomine appellatur. Bellatrix audit, feris quam homini ſimilior. Expeditiones ejus militares ſunt viatores aggredi, mactare, devorare. Siquis ex ea capitur, cibum detrectat, & vulnera ſi qua accepit obligari non patitur: fame perit, rabie ac deſperatione.

P. Alvarez conatus.

Horum aliques aſſecuti Miſſionarii, ne unum quidem incolumem ſervare potuerunt. Intra pagum arctatos mœror & languor occupat & perimit. Ægritudine & curatorum blanditiis ſatis dociles inſtruebantur pro captu, & baptiſmo candidati moriebantur. Forte conſtituta apud eos ſede cicurari & ſervari poſſe judicatum eſt: & P. Petrus Alvarez periculum facere induxit animum. Per ſilvas eundum fuit uſque adeo denſas & ſpinoſas, ut undique cruentatus evaſerit. Amnes & paludes aqua ad collum immerſus tranſmiſit. Sæpe trames aggrediendus fuit tigridum recentibus veſtigiis ſignatus, vel idem ad cubandum ſeligendus, nec ſemel calcanda hominum ſtrangulatorum oſſa. Ubi tandem in prima gentis diverſoria ventum eſt, cunctos vidit recens devoratis duobus Indis, & totidem fœminis morſu viperarum interfectis, conſternatos.

Reductionis ibi ſtatuendæ conſilio abjecto velut impoſſibili, miſeris ut ſe in tutiora loca ſequantur, perſuadere nititur. Octodecim tantum acquieverunt, quos in ſuam deduxit Eccleſiam. Ægre potuit ea rerum divinarum notitia inſtillari, quæ ad baptiſmum ſat eſſet, mortis nimium feſtinantis articulo omnibus collatum: nec ulli diutius ſervando quantalibet profuit ſolicitudo. Conatus hos alii deinceps pariter irriti ſequuti ſunt (*b*). Nec aliud Miſſionariis fuit reliquum, quam ut miſericordias Domini in eos, quorum ſalutem in tuto collocaverant, & profunda in cæteros judicia laudarent: atque ſe teſtimonio conſcientiæ ſolarentur, quod nihil ad derivandum in miſerimam gentem redemptionis fructum prætermiſerant.

Novæ Reductiones ad Uruguaim.

Gratiæ de reliquo habendæ Domino meſſis pro ubertate ad Uruguaim parata, Romerus anno 1630. Reductionem ab Aſſumptione condidit ad Acaraguaim, præfecto Chriſtophoro Altamirano ſub quo eggregie floruit. In eadem provincia qua reſpicit ad meridiem non nihil turbatum eſt a quodam Niezui partes ſecuto, dum dynaſtarum conſilium, qui Romerum de Reductione interpellaverant, palam oppugnat: poſt cujus cladem nihil obſtitit, quin Reductionum par oblinearetur.

Reductio reſtituta.

Eodem tempore Mazeta e Braſilia redux coloniam a *Jeſu-Maria* reſtituit, propius tamen ad Guibai cataractam. Guiravera, moribus licet depravatis, ſtrenuam ſuo ſervatori contulit operam; proſelytis in eorum locum ſubrogatis, quos Mamelucci deportaverant. Hos in uſus vertebatur tranquillitas a Mameluccis facta, parum tuta de reliquo. Nihil non timendum ab hoſte, cui impunitas animos addit. Et poſt fruſtra petitam a Generali Braſiliæ præfecto Paraguajenſium neophytorum incolumitatem, miraculo erat Prædatorum ceſſatio, quibus Tupii Braſiliæ ferociſſimi recens fœderati erant.

Bina Reductio diruta.

Ad Sancti-Pauli denique tam inopinato conſpecti ſunt, ut P. Joannes Suarez a duce primum, quem manu ſclopulum præferentem ante ſe vidit, certior factus ſit. Ad ejus pedes provolutus, & obortis lacrymis orat, ut a Chriſtianis nihil male meritis manum abſtineat. Pro reſponſo ſclopulus ad pectus ſupplicantis intenditur. Pectus denudat Miſſionarius, & ait, mortem pro gregis ſalute paſtori eſſe caram: illa ut contentus ſit orat. Dux ſtupenti ſimilis, tacitus evaſit domo, ſed mandata daturus, ut reluctantes occiderentur. Ad Suarem deinde regreſſus, officioſum valde ſe præbet: & tandem vale dicto, per jocum bono animo eſſe jubet, cito fortunæ ſocios habiturum. Suarez mœrore præſſus, & captorum conſpectu prohibitus Incarnationem petit, cujus evacuatæ pars major ad S. Xaverii, reliqui ad Jeſu-Mariæ pagum deducti ſunt. Dum vult Suarez, antequam longius diſcedat, Eccleſiæ ſuæ ruinas viſitare, non nullas de ſuis oves, quæ latronum manus evaſerant, obvias habet, & ſecum adducit.

Ab Hiſpanis geſta.

Montoja noto apud Gualachos hoſtium adventu, quo majus erat periculum accurrit. Et poſtquam Reductiones incolis deſtitutas invenit, errantium neophytorum reliquias Villaricam verſus congregare conſtituit. Jam eas præoccupaverant Villaricani. Clade Reductionum profecturi catenis elapſos manu ceperant. Villaricam iter intendit ille. Coram Magiſtratu de facto queritur in caſſum. Aſſumptionem Diaztagnum ad Prætorem mittit, ut Reductionum ſecuritati conſulat.

Prætor negat auxilium.

Ceſpedes Prætor vix auribus miſſum dignatus ait, Villarica nuntiari, Jeſuitas nimium obſtrepere levi de cauſa. Addidit, nimium odioſos undequaque devenire. Silentio diſcedit Diaztagnus; ſed eadem vel ſequente luce libellum ſupplicem ex lege conceptum exhibet ipſi Prætori, quo requirebatur, ut Guairanis ferret opem. Non reſpondente; ſuæ Societatis Præpoſitum Provincialem adit, edocendum de geſtis, de gerendis conſulendum.

Eo-

(*a*) Hac ætate viſus eſt horum ſilvicola in altiſſimam & ſenticoſo ſtipite palmam nudum aſcendere impune, daſtylos legere, & ſumma deſcendere pernicitate.

(*b*) Omnium recentiſſima memoria iterati ſunt conatus hi ab Antonio Planes, & a Martino Droviſofer.

Digitized by Google

Eodem tempore venerat a Romero nuntius Alfarus, interdictum ab eodem Prætore nequis nisi peculiari facultate munitus a Reductionibus Uruguais ad Guairam iret, aut inde remearet per Paranam: quo Missionariis & Provinciali crebro properantibus centum leucarum circuitu deviandum erat. Frustra objecta sunt incommoda ex tarditate, maxime quando exterorum rapinis Guaira suberat, oriri nata. Mandatorum nulla modificatione indicta est observatio. Nec latebat eo collimari, ut Indi Sociorum curæ traditi commendarum supponerentur servituti. Truxillus per Diaztagnum Platam missum ad Regiam Charcarum Curiam provocavit.

1631. Ad Uruguaim progressus

In tot adversis non omni penitus solatio destituti sunt Missionarii. Detrimenta iis imputanda, quos Guairam vi & authoritate tueri oportebat, ad Uruguaim compensabat Religio. Binas ibi sedes hoc anno collocavit Romerus: alteram nomine Apostolorum Principis, alteram S. Caroli Borrhomæi, cujus patruellis Illustrissimus Cardinalis Fridericus Archiepiscopus Mediolanensis fuit, quandiu vixit, Missionum harum protector & benefactor.

Ingruit pestilentia.

Pestilentia universam regionem ad Paranam usque eo tempore depopulata, & novam pastorum zelo materiam, & copiosum paradiso neophytorum delectum addidit, quorum desiderium nova in terris supplementa cumulate repararunt. Erat prodigio par, homines plurium sententia rationis expertes, divinæ voluntati perfecta resignatione concedere, ecstatice loqui, & virtutum opera consumatam sanctitatem indicantia perficere; neophytos recens a baptismo, imo & proselytos casus & labores Apostolicos cum suis in Christo patribus volentes partiri, viam sternere, gentes suscipiendæ fidei præparare.

Visitantur Reductiones.

D. Christophorus de Arestì ex Ordine S. Benedicti Episcopus Assumptionis Paranæ Reductiones visitare voluit. Immodicis ubique gaudii significationibus exceptus est, quas jam pridem opinione præconceperat. Alia tamen se vidisse professus est, quæ præhabitam spem multo ante verterent. Viva neophytorum fides, etiam miraculis eorum precibus patratis, remunerari meruit. Sed & quædam Deus operari voluit, ut divina judicia timere pergerent, ut primitivus ardor, sicubi intepuisset, integraretur; ut ex nationibus Christianismo infestissimis electi in ecclesiam convenirent. Contigit etiam nec semel, ut pertinacissimi fidei persecutores, ejus & ministrorum, quorum perniciem juraverant, patrocinium susceperint.

Mameluccorum irruptio.

Interea Diaztagnus regium a Curia retulit diploma; quo Paraguajensis Prætoris interdictum, de quo supra, nullum & Regi inobsequiosum censetur: quo protinus in Guairam Provincialis iter intendit. Dum Villaricam venit, Mameluccos esse in S. Xaverii nuntiatur. Villaricanis pluribus author fuit, ut suppetias irent. Sed Reductionis jam destructæ ruinis hostis vallatus erat, & Christiani omnes vincti. Vallum oppugnant Hispani, quorum altero cæso, altero vulnerato, receptui dant signum. Virtute præstantior Silveira ejus ecclesiæ Curator ex quingentis familiis totidem capita servavit.

Prope distabat inde S. Josephi fanum, cujus incolas metus occupavit. Silvas multi petunt, alii numero quatuorcentum cura Provincialis servati P. Suario traduntur, qui utriusque pagi reliquias in novam non longe a Laureto sedem deduxit. Truxillus Tajobam contendit, cui hostis imminere dicebatur. Tres ibi Reductiones frequentissimas finitimarum gentium accessione spes erat augendi. Sed sub Provincialis adventum de Mameluccorum propinquitate nuntius adest.

Missionarii consulti in diversas abeunt sententias. Alii armandos neophytos rati, etiam infideles subsidio adversus communem hostem venturos esse pollicebantur: nec esse reliquum, quo gregis Christiani dissipatio vitetur. Censebant alii, Indos armis imparibus, & nulla disciplina militari, contra copias belli expertas, armis ignivomis & strenuis ducibus munitas, atque inutili resistentia in furorem agendas, stare non posse: transferendos alio quotquot persuaderi se sinerent, paucos licet; bello iniquo pauciores fore superstites.

Neophyti tumultuantur.

In hanc sententiam concessit Truxillus. Trans magnum Paranæ Saltum duci jubet, ut contra Mameluccos si sequantur, transmisso flumine vallare se possint. Neophytos deinde convocatos hortatur, ne a pastoribus, quibus eorum salus cordi erat, discederent. Mox præit ad receptum parandum: nec longe aberat, cum imminente periculo fugam accelerare oportuit. Nemo non acquieverat; cum tamen maturandum fuit iter, docilitas neophytorum præconceptam opinionem fefellit.

Multi domi se continent, alii difficultate viarum absterriti postquam exierant retrocedunt. Quidam palam rebellarunt, quorum pervicacissimus, dum a P. Mendoza coerceri jubetur, in ejus caput involat, disrumpendum nisi cohiberetur. Non diu fuit quin pœnas darent. Reside, & qui in recessus diversos confugerant, a Mameluccis vel a Gualachis errantibus occisi sunt vel capti. Nec abstinuerunt manu Hispani quidam, quos excidii ecclesiarum pœnitere minus, quam erectionis pœnituisse visum est.

Guaira deseritur.

Eos qui pastorum ductui se crediderant, Mameluccì qui sequantur expediunt. Non assecuti eos tantum deportant qui pigri resederant. Reductioni a *S. Petro* præda rerum contenti, de cætero parcunt, quod Gualachi minus apti ad serviendum haberentur. Sors eadem *Conceptioni* contigit, nisi quod raptum fœminarum par culpæ verterunt Salazarii Rectoris.

Salazarius insultatur.

Tumultuantes ecclesiam petunt, ubi rem divinam operabatur, neque finem præstolati, in eum maledictis invehuntur. Non respon-

Digitized by Google

denti altius inclamant, raptum fœminarum, niſi eas recipiat, ſanguine luiturum. Furentium alter lanceam, alter ſagittam intendit, ictu quidem prohibiti, non impetu quo ſacra veſte ſpoliatur & toga. Domum expilant. Calicem ex altari abripere nituntur; ſed utraque apprehenſum manu ſacerdos ſuperſtiti avvellendum negat: & ceſſatum eſt. Ut diſceſſerant, per avia ſilvarum cum duobus pueris quærit Socios eccleſiis inſtar ſui viduatos: & fuerant aliqui apud quos ne unus quidem reliquus erat neophytus.

Sociorum mœror.

Cunctos mœror oppreſſerat, & omnium rerum inopia. Nec circum aderat, quin patrem deſleret, matrem, aut filiorum aliquem vel jugulatum, vel catenis obrutum. Sed quoniam de victu ante omnia providendum erat, quantulum granorum ſervari potuit, ſeminant; dum Provincialis auxilia in præſens exquirebat. Mox ad nova conſilia mentem advertere oportuit. Iterato Montojæ nuntiatur, Mameluccorum copias e regione Villaricæ conſpectas eſſe; alias e locis Braſiliæ meridionalibus adventare etiam Hiſpanorum agris & oppidis perniciem parari.

Id ipſum Salazario apud Conceptionem proditum erat a Mameluco. Villaricæ præfectum Montoja de præſtando auxilio ex regio mandato convenit. Quo facultatem negante primitivis Reductionibus Ignatianæ & Lauretanæ, quæ ſolæ de Guairanis ſupererant, indicitur emigratio. Optimis Paraguajenſium Hiſpanorum oppidis de cætero comparandæ, templorum magnitudine, & apparatu cuncta ſuperabant: neque novi ab antiquis Chriſtiani, niſi pietate & innocentia diſtabant. Bovum peregre per Miſſionarios advectorum greges nutriebant. Ex ſato & culto goſſypio, non tantum indumenta ſibi, ſed aliis Reductionibus, imo & Hiſpanis indigentibus parabant. Florebat res agraria: & ſpes erat, pagos recentiores ſtatum brevi parem nacturos.

Pius neophytorum ardor.

Verum ex hoc timor erat, nunquam perſuadendum neophytis, ut eas ſedes, & tot annorum laborem, quo primo tunc ſui cœperant, cum incerti exitus exilio, cum certo extremæ penuriæ diſcrimine commutarent. Sed gratum accidit Montojæ, primo nutui de abjiciendis quæ non poſſent exportari, reſpondiſſe: Vos, Patres; bonum nobis inæſtimabile fidei procuraſtis: Veſtra ad conſervandum operam indigemus: Quocumque duxeritis ſequemur. Si fame, vel ſiti, ſi viarum incommodis fracti conciderint noſtri ſenes, uxores, & filii, ſolatio erit, hæc nos pati ſervandæ religionis gratia, ac Deum noſſe remuneratorem. Pro corporali cibo, angelorum panis, quo apud vos cibabimur, alimentum nobis erit & robur.

Reductione excedunt.

Neque hæc fugacia ſenſa fervoris erant. Ut proficiſcendi ſignum a Montoja & Mazeta fit, ad convaſandum quidquid rei familiaris & ſacræ hoſtium cupiditati ſubtrahi poterat concurritur. Dum Pueri Jeſu, & B. Virginis imago, quæ plurium mirabilium inſtrumentum fuerat, aptatur, nihil laboris & exilii eo comitatu non æquo animo ferendum exclamant. Per Paranapanem & Paranam aquâ deſcendunt ad magnum uſque Saltum, fruſtra ut in vicinia conſiſterent adnitentibus Civitatis Regalis incolis. Eodem conveniunt ex aliis Reductionibus qui Miſſionarios ſequi decreverant: numeratis omnino familiarum duobus millibus & quingentis. (a)

Hoſtis a tergo.

Itineris obiti lævitiam acerbabat miſerandus viatorum habitus, deſperata reſidum ſalus, & Chriſtianæ religionis in Guaira depopulatio. Ad angoris incrementum accedit, Mameluccos ſpe fraudatos Lauretum & S. Ignatii circumveniendi, veſtigia ſequi magnis itineribus: nec poſſe reliquias ſervari, niſi tranſmiſſo citra quem convenerant Saltu: quod laboris erat difficilis & diuturni.

Saltus Paranæ ſuperatur.

Opus erat cymbas ab alto demittere, & horridum tniginta leucarum iter ab hominum, fœminarum, puerorum, ſenum, & languentium turba confici ad obtinenda campeſtria. Sed neque hæſitandum erat, nec immorandum. Cymbæ omnes collabentibus aquis traditæ fractæ ſunt. Neophytorum alii merſi, alii octo dierum itinere, nunc per torridam arenam ſub ardentiſſimo ſole, nunc per præruptа ſcopulorum faſtigia, ubi gradus nec latum unguem fallit impune, deſiderati ſunt. Ad hæc nemo non onere preſſus: hi re familiari, illi morbo languentibus, parvulis fœminæ, & Miſſionarii ſacro inſtrumento, & ſolicitudine paſtorali. Metam denique attingunt ſemivivi, mox inopia premendi, quamquam a Reductionibus Paranæ quam potuit annonæ plurimum corradi, ſuffectum fuit.

Poſt dies aliquot ad curanda corpora datos progrediendum erat. In quatuor ordines diſpertiti ſunt. Primus P. Eſpinoſa duce oram Paranæ legit. Duo, quos ſingulos ſinguli ducunt Suarez & Contreras, per medias utriuſque littoris ſilvas ad Acarais & Iguazui Reductiones aciem dirigunt. Quartus impotentium pedibus ire cum Montoja & duobus Sociis cymbas e Reductionibus modo nominatis advectas conſcendit: quæ cum non omnes caperent, Salazarius & Mazeta ad utramque Saltus oram cum ſingulis remanent turmis, quarum alteri tribus, alteri quatuor menſibus victum præbuerunt nemorum fructus.

Fœmina miraculo incolumis.

Fluviale iter incommodiſſimum fuit. Cymbæ exiles, & oneri impares plures ſubmerſæ ſunt, undis hauſti vectores, & commeatus pars magna corrupta. Rates cannis tam debili ſtructura confectæ, ut impoſito ponderi fractæ ceſſerint. Tot adverſis ne fides neophytorum vacillaret, verebantur Miſſionarii. Deo tamen placuit eam miraculo confirmare. Ratem diſrumpi & incumbentes concidere vidit Montoja. Non procul eberant

(a) Poſt primum tranſmigrationis annum vix erant reliqua capita quatuor millia ex tredecim Guairanis Reductionibus, ait Techo coævus lib. X. cap. 6. pag. 272.

Digitized by Google

vant a littore, quod omnes natando tenent præter fœminam quæ duos amplexa natos, nec ipſa nare potens diſparuit. Montojam, ut collabentem vidit, Dei Matrem invocandi cogitatio ſubit. Imaginem ſacram, cujus ſupra memini producit: cum Chriſtianis qui præſentes ad erant, genuflectit & orat. Tunc fœmina caput aquis extrahit, & per adnatantes neophytos capillis apprehenſa in littus exponitur. Parvuli, quos illa brachiis uſque ſtringebat, corridebant invicem ſibi, quaſi non aliud quam luſiſſent ſub aquis temporis ſpatio ad præfocandos plus ſatis.

Fame & morbo multi cadunt.

Terrâ iter habentium cecidiſſe quemquam non conſtat. Sed poſtquam hi ad Reductionem Nativitatis ad Acaraim, illi ad Sanctæ Mariæ ad Iguazuum convenerant, fames ibi meſſis jactura jam ingruens augetur. Hinc morbi, quibus in altera ſexcenti, in altera quingenti deſiderati ſunt. Reliqui per nemora diſpecti ad corradendum fructus & radices paſſim examinantur: nec in paſtoribus & ipſis extrema paſſis quidquam opis præterquam ad moriendum erat.

Reductionum par ex Guairanis.

Poſtquam ceſſavit calamitas, ex centum mille Guairanis duodecim fere mille capita (a) apud Miſſionarios reſtabant. Ex his Montoja binas Reductiones ad Jabebirim (b) rivum ab ortu Paranam influentem conſtituit, quas Lauretum, & a S. Ignatio (c) nominavit. Sed cum major procurandæ habitationis neceſſitas (d) nec ſationem, nec agrorum cultum pateretur, decem millia boum (e) penſionibus a Rege Guairanis miſſionariis deſtinatis, & venditis defertarum Reductionum quæ ſervari potuerant bonis emit.

Hiſpanicarum civitatum excidium.

Nondum Hiſpanis perſuaſum erat, Reductionum firmitate ſtare provinciam, poſt illarum excidium Mamelucorum incurſionibus obnoxiam. Perſuaſum id tandem eſt, cum Civitatis Regalis & Villaricæ fines prædatorum alluvione, & infidelium ſoederatorum copiis inundati ſunt. Mamelucci, cum Chriſtiana in Guaira mancipia fruſtra requirunt, agros primum, deinde oppida, Epiſcopo qui ſuppetias accurrerat contempto, populantur. Incolarum pars Paraguaim verſus confugit, pars apud hoſtes aſylum emendicat. Alibi ſermo erit de nova Villarica per veteres colonos deinceps condita.

1632. Miſſio ad Itatim.

Interea nova Chriſtianitas ad Aſſumptionis boream coaleſcebat. Et en ex tempore occaſionem. Dum neophytorum tranſmigratio ad Paranæ Saltum in ſtativis erat, litteras accepit Montoja a Magiſtratu Xerezii, quibus preces anni 1610. de ſtatuenda ſede Societatis iterabat; ab eo tempore ſacerdotem nullum ibi conſpectum præter Socios qui per intervalla quadrageſimalia celebraverant, eo ſucceſſu qui vota civium accenderet.

Ut rei ſumma Montojæ probaretur, additum eſt, plures Indorum gentes ad fidem pronas Xerezium circumſedere: & Itatinam nominatim appellabat, ex qua multi ad ſuburbana conſtixerant. His præcipue motus Miſſionum præfectus, & quia Guairanis Sociis a Provinciali mandatum erat, ut ad Itatim interdum excurrerent, extemplo Xerezium mittit Joannem Ranzonier in Belgio natum patre Burgundo, & poſt eum Manſillam, ut gentis habitum ſpeculentur, nec conſtituant quidquam antequam ſe monito reſponſum accipiant. Xerezii comiter excepti ſunt, & Itatines quales eſſe Montojæ ſignificatum erat, reperiunt. Ad præfectum redit Manſilla, ut coram certiorem faciat: iterum expeditus cum Henard, & Ignatio Martinez. Mox narrabo Miſſionis exitum.

Bellum Calchaquinum.

Inter Hiſpanos & Calchaquios continente bello omnium Tucumaniæ civitatum premebatur maxime Ribogia. Ad arcendum incommodum hoſtem conſcripto militi ſtrenuum ducem præficit Prætor D. Hieronymum de Cabrera, qui niſi comitante Jeſuitarum aliquo profectuum ſe negavit. Repugnantiam Sociorum in acie adverſus Indos ducta comparendi authoritati cedere oportuit: & datus eſt comes P. Franciſcus Hurtado. Proſpere primum decertatum eſt, fuſis ſæpe Famatinæ vallis incolis, & Calchaquiis aliis Ribogiæ conterminis, qui Jeſuitam apud Hiſpanos adeſſe moniti, negatorem pacis interpellant.

Pax conciliatur, mox violanda.

Res erat difficilis. Indi erant olim ſubjugati, qui non ſolum rebellaverant, ſed diris devoverant Hiſpanos omnes, præter Patres, ajebant, Societatis de ſe non male meritos, & qui maritorum libertatem & uxorum decus qua poterant ratione tuebantur. Quinimo eos apud ſe invitare non ceſſabant, doctrinæ quod baptizati ut plurimum erant cupidi. Operam contulit Hurtadus, ut Hiſpanis conciliarentur. Ad frænandam tamen gentis levitatem, in mandatis habuit Cabrera ut in Valle Famatinæ conderetur arx, ubi Miſſionarius aliquandiu conſtitit Indorum & præſidii commodis intentus.

Pax ad univerſos ea parte fines provinciæ prorogatur: & Salta cujus agros Calchaquii vaſtaverant, inſtaurari cœperat: cum barbari improviſo neque ulla injuria provocati cladibus & incendiis omnia depopulari; ut e Peruvio copias a Prorege auxilio mitti oportuerit. Hoſtium impetus fracti quidem ſunt, non mutata corda. Jeſuitæ de reliquo nec Indos poterant de-

(a) Hæc ſumma forte etiam eorum eſt, qui ex Tape paucis poſt annis ſervati ſunt, ut cum ſumma conveniat, quam ex Theco nuper notavi.

(b) *Jabeburyus* ait Charlevoix: *Jabebirius* Techo lib. x. c. 7. Utroque verius nomen eſt *Jabebiri*.

(c) 6. *Ignatio-Mini* additur vulgo, ad diſcrimen *S. Ignatii Guazu* Paranaënſis.

(d) Forte præterierat ejus anni tempeſtas ad ſerendum opportuna. De cætero merito dubitaveris, num major ſit habitationis quam ſationis neceſſitas. Et ita omnino paranda erat habitatio, ut tempus eſſet ſerendo: maxime ubi gens in climate minime rigido habitatione facile parabili contenta eſt.

(e) Viliſſimo nempe duorum in ſingula capita regalium, ſeu drachmarum pretio comparabantur aliquando boves a Reductionibus inter ſe. Sed & conſtat, Aſſumptionis collegium de ſuo ſymbolam contribuiſſe gratis.

Digitized by Google

delibertate ſecuros facere, nec Hiſpanis ut ſecuritatem præſtarent perſuadere. Quod magis mirandum eſt in ſumma vitandi clades impotentia.

Tape converſio.

Documento eſſe potuit quod interea contigit in Tape regione. Anno præcedente Romerus & Andreas Rua de Tapenſibus moniti, ad accipiendam fidem magis, quam olim Gonzalvio ſe exhibuerant paratos eſſe, ut rem propius explorarent, eo ſeorſim advenerant. Uterque plures dynaſtas reperit amicos, & ſedis apud ſe conſtituendæ cupidos. Tunc non aliud quam verba dederant. Sed hoc anno 1632. Romerus Mendozam & Bertholdum Ibicuim adverſum ſubire jubet; & Emmanuelem Ernot, atque Paulum Benavides Tapem ingredi. Primos ipſe prope ſecutus eſt per viam quam anno proximo tenuerat.

Comiter excepti ſunt ubique, & Romerus illico Reductionem oblineat, in quam frequentes conveniunt proſelyti. A S. Michaële nomen habuit adultorum ſeptuaginta, puerorum ſeptuaginta & octo ſupra quatuorcentum a primo anno baptizatis. Felicius Benavidi & ſocio res ceſſit, qui & pagum a paganis ædificatum inveniunt, & templum, quod S. Thomæ Apoſtolo dedicarunt. Id eo magis novum & mirandum fuit, quod Indi eo congregati P. Gonzalvio ne ultra progrederetur obſtiterant: cujus interceſſionis fructum eam eſſe converſionem nec ipſi dubitarent.

Has inter ſedes binis itineribus diſtantes erant Indi non antea noti. Quos in locum, cui *Itaquatica* nomen, congregatos mapalia ſibi, eccleſiam Deo, Miſſionario domum extruxiſſe nuntiatum, & quidem ab ipſis eſt. Nam poſtquam tria hæc ædificia ad culmen perduxerant, ad Romerum mittunt qui doctorem petant. Miraculi teſtis ipſe adeſſe voluit, & rerum divinarum ignorationis impatientes reperit tercentum & quinquaginta familias. Altam in medio foro crucem erigit, quam cuncti proni adorant. Aliquos deinde exhibitos infantes abluit, & pago nomen a S. Joſepho facit.

Eodem ferme tempore nuntium accepit, Joſephitarum exemplum ſecutos plures alios ſupra vicinum montem *Araticam* conſediſſe. Sedem a Nativitate dictam devovet Dei Matri. Populis his Spiritus Sanctus incubuiſſe videtur, quorum fides adverſis probata purior & clarior extitit. Peſtilentia tactis tot erant languentes quot cives. Cadunt & Miſſionarii, lecto ſæpe ad ægrotantium auxilium ægrotantes portati. Peſtilentiæ fames ſuccedit, poſt illam utique non inexpectata. Non tamen vacillavit neophytorum pietas, quibus Deo placuit de ſubſidio ſupra naturam providere.

Scandala, cum in fide novitii infidelium conſuetudine abſtinere nequeunt, ægre vitaveris. His etiam a Deo conſpicua ſeveritate punitis, & pietas inſontium roborata, & debilium fides renovata fuit. Origo mali in cæcam principum quorumdam erga concubinas affectionem referenda: quæ Reductionum conditoribus plurimum negotii faceſſivit. Ut tamen perſpecta ſint per eam occaſionem geſta, altius oportet narrationem petere, vel pridem narratorum memoriam, gentis Guaranicæ principes tot uxores ducere conſueviſſe, quot alere poſſent.

De conjugiis Guaraniorum.

Ad fidem ſincere converſis facile erat unitatem ſponſæ perſuaderi. Difficultas erat, an ad eam quam primo duxerant retinendam eſſent cogendi: an potius permittendum, ut ex omnibus quot ante baptiſmum duxerant eam retinerent quam mallent. Hac ſuper re variant Theologorum opiniones (*a*). Et primo Miſſionarii ſequuti ſunt quam quiſque ſolidioribus innixam fundamentis cenſebat. Sed prælati uniformitatis ſtudio de re tanti momenti Sedem Apoſtolicam conſuluerunt. Et P. Joanni de Lugo tunc Theologiæ profeſſori in Collegio Romano, ac deinde Cardinali, a Præpoſito Generali Societatis negotium datur, ut ab Urbano Octavo petat, quid a Paraguajenſibus Sociis tenendum ſit.

Deciſio.

Libello ſupplici Lugo ad Summum Pontificem retulit, apud Guaranios principes uxores ancillas eſſe potius quam ſocias: tædio habitas facile dimitti: plures ſæpe, nec raro matrem ſimul & filias duci; ductarum aliquas interdum amicis & ſubditis dono dari, ad libitum repetendas: eſſe tandem aliquos, qui uxorum gregem cum domicilio mutarent. Inde concludebat, hoc Indorum genus vera conjugia non celebrare: & periculoſum eſſe, cum baptizantur, ad retinendam primam compelli. Quod pluribus rationibus ſuadebat.

Primo, ob ſciendi difficultatem quænam eſſet prima uxor; pronum erat enim, ut interrogati verum interverterent. Secundo, quod prima hujus uxor potuit eſſe alterius etiam prima. Tertio, quia ſæpe accidit, Indum in facie eccleſiæ conjugatum aliam retinere clam, ab ea quam coactus duxit, nec jam amat, diverſam (*b*). Quarto quod impoſita retinendi primam obligatio tam dura viſa eſt, ut plures hac ſolum ratione abſterriti Chriſtianiſmo ſint. Tandem, quod conjugia Guaranica contractu vacant, nec quidquam intercedit, quod inter uxorem & pellicem diſtet.

Reſpondit Urbanus, ſtante duarum in re propoſita opinionum æqua probabilitate, diſpenſatione opus non eſſe (*c*); ſed cuique ope-

(a) Infideles ſi pluribus conjugati ſint vero contractu, dum ad fidem convertuntur, primæ adhærere debent, reliquis dimiſſis. Neque hac ſuper re variant Theologorum ſententiæ. De Guaraniis autem dubium erat, an eorum matrimonia vera eſſent conjugia, an veri concubinatus.

(b) Hæc ratio parvi eſt, nam accidere poteſt, ut quis poſt legitimum conjugium alienam amet, propriam oderit: nec propterea de contractu diſſolvendo agere licet.

(c) Id tantum reſpondit Urbanus, diſpenſatione opus non eſſe. Reliqua ſupplicantis; & ſupplicationis ſucceſſum referentis verba ſunt. Vide *Breviar. Ord. Ap. Ord.* 306.

Digitized by Google

operandum, prout ex circumſtantiis expedire putaret, ne infidelium ſalus in diſcrimine laboret. Ex eo per provinciæ præpoſitos cautum eſt, ſic eſſe procedendum in re data, ut baptiſmum poſtulantium ſalus non periclitaretur, ſed prudentiam, prout argumentum uſque adeo delicatum exigit, adhibendam.

Itati regio. Itatines interea ſpem de converſione facere pergunt. Ut tamen oculis pateant de his Indis narranda; & ſcire, gentem non uni adhærere loco, & eorum de quibus hic agendum naturam deſcribere oportet. Inter Paraguaim & Paranam ubi ab euro decurrit, perpetuum jacet montium dorſum, unde rivi plures oriuntur, quorum alii Paraguaim ſubeunt, alii Paranam, eo diſcrimine, ut qui ad orientem defluunt, leni & quem vix perceperis aquarum tractu ferantur, reliqui majore impetu in campeſtria paludoſa labentes, limum in Paraguaim convolvunt, quo illius aquæ longe turbantur. Sæpe etiam exuberant; quo regio tota pelagi, cui montes pro aggere ſunt, ſimilitudinem refert (*a*).

Gentis natura. Hujus aquoſæ regionis mediterranei Itatines occupant inter decimum nonum, & vigeſimum ſecundum latitudinis auſtralis gradum. Sermo Guaranicus, & forte origo. Sed antiquam valde eſſe oportet, ſi colonia quidem Guaraniorum eſt. Latet qua occaſione in tribus diverſas abierit, nulla conſuetudine inter ſe mutuantes humanos uſus. Hi de quibus loquimur perpetua cum vicinis bella gerebant, agiles, & robuſti. Curſu certabant palma victoriæ propoſita; ſed curſoribus ingentia ſtati ponderis ſaxa portanda imponebantur. Fœminæ toto fere corpore punctæ ſe noto pulvere fricabant, quo luteus conſtabat color, & non inventa deformitas.

Pilæ Itatinenſes. Mortuis propinqui certo numero præcipites ab alto parentabant: quo & morbis aura non bona contractis fat infrequens erat regio. Vulgaris eſt arbor, ex cujus gummi pilæ luſoriæ in Hiſpania notæ fiunt. Leviſſimæ ſunt (*b*), & in ſphæriſteriis adhibitæ; ſed majoris pretii ſit vis medica, præſentiſſimum, ut ajunt, dyſenteriæ remedium.

Siniſtra de Sociis opinio. Hi erant Indi, quorum converſio P. Ranzonier primo facilis, rem propius examinanti difficilis viſa eſt. Eum ſæpe diffidentia gentis & præoccupatio in diſcrimen vitæ conjecit; neque opinionem ſiniſtram temere conceptam eſſe fatendum eſt. Luſitanus quidam presbyter nomine Acoſta aliquot ante annis plures congerat, ſpecie quidem ut barbaros ad civilem uſum conformaret, legeſque divinas traderet; ſed eos cum popularibus ſuis negotiatus erat. Re tamen intellecta miſerum præoccupatum interficiunt. Exemplo fat recente Jeſuitam novum advenam gentis libertatem ſubhaſtaſſe ſuſpicabantur eo maxime quod Europæus alter coram protulerat, iis qui Socios ſequerentur, ſervitutem imminere.

Jam quaſi Hiſpanis ingruentibus ad arma conclamatum erat, fruſtra nitente Miſſionario errorem diſſipare. Sed divinitus factum eſt, ut evaneſceret. Cum dynaſta quidam Patri & Religioni Chriſtianæ procacius malediceret, guttur repente gangræna occupatur: nec diu poſt dire tortus moritur. Convitiator alter, qui ſe ſuæ gentis doctorem Miſſionario magis idoneum jactaverat, fulminis afflatu concidit ſenſu & motu exanimatus. Paululum maizii, quo extreme indigebat, petenti qui negaverat, agrum vidit nube locuſtarum ita vaſtatum, ut ne granum quidem meſſi relictum ſit. De Ranzonier divina protectio.

His ultionis divinæ documentis gens mota odium fidei cum amplectendæ ſtudio commutavit. Dum omnes ſimul doceri cupiunt, Miſſionario labori non intermiſſo pene ſuccumbenti opportunus accidit Henartii & Martinii adventus. Reductioni, cui a S. Joſepho nomen eſt inditum, conſtituendæ operam primo conferunt: cui tres alias infra annum adjungunt, ab Angelis, a S. Petro, & a S. Paulo nominatas. Hæc poſtrema ad Paraguaim ſita fuit e regione Pajaguarum receſſus, gentis Hiſpano infeſtiſſimæ. Reductiones ad Itatim.

Vicinitas hæc & refugii facilitas principio funeſta Reductioni, & proſelytorum inconſtantiæ fuit, quorum aliqui de immunitate ſecuri evaſerunt. Eadem tamen lucri non contemnendi fuit occaſio. Rogantibus Pajaguais, quo loco Socii ſibi creditos haberent Indos, omnia transfugæ proparunt: atque Miſſionarios tot laudibus ornant, ut barbari ejus famæ viros coram experiri voluerint. Ranzonerium plures adeunt, cum Itatinibus eo duce vivendi deſiderio. Non longe a Reductione ſedem conſtituunt, quam citius deſerunt, inconſtantis naturæ vi, & latrocinandi amore in priſtinam vitæ licentiam revocati. Pajaguæ Jeſuitis creditи deficiunt.

Novarum interea Reductionum frequentia ſpem fecerat Chriſtianam Religionem longe latequ ad boream propagandi. Xerezana Sodalitatis ſedes ab incolis expetita juvare poterat; dilatione tamen concidit, ut ſuo loco narrabimus. Nempe latebat Hiſpanos, quanti erat Xerezium urbem conſervare & munire ad dominandum in totius Paraguais ad Xarajes (*c*) curſum. Nec ſatis adverſus Mamelucos cautum eſt, qui popularibus ſuis viam & loca illac aperuerunt, Hiſpanis vitio ſuo ignota. Sociorum conſilium fruſtratur.

Improviſus illorum cum auxiliaribus Tupiorum copiis adventus hæc animo verſandi tempore de quo loquor occaſionem fecit. Prædatorum conſilium latebat adhuc, cum duo miſſi pagum S. Joſephi, unde curatorem Henartium abeſſe noverant, ingrediuntur. Conrectori ut a Ductore denuntiant, nihil ſuo pa- Itatis a Mamelucis vaſtata.

go

(*a*) Nec aliud eſt celebre Xarajeſanus lacus quam ſic ſtagnantium aquarum congeries.

(*b*) Levitate ſcilicet deſultoria, & mira vi elaſtica.

(*c*) Pluris erat certe curſus Paraguais ultra Xarajes dominatio, ubi Cujabæ fodinæ ſunt.

go timendum; ad caſtigandos vicinos quosdam Patri Ranzonier injurios venire ſe; ſi cum ſuis ire vellet, experturum quam chari ſibi eſſent & Miſſionarii & neophyti. Decipula captus eſt Conrector Indus. Bellatores ſuos convocat ac ducit in caſtra Mameluccorum, captis adjungendus una cum ſuis.

Henart apud Mameluccos.

Ad capiendos mox Joſephitas reliquos dux mittit. Et Henartius poſt dies aliquos redux pro incolis perfidiæ tantum veſtigia, & crudelitatis invenit. Re nota ad caſtra Mameluccorum properat. Nomine Jeſu Chriſti petenti ſibi filios reddi, probris reſpondent. Ad Ducem progredienti eminus inclamat ille, procul abeat, arceatur importunus, faceſſat illinc. Ecquidem, reſpondet Henartius elata voce, Pro meis ovibus caput devoveo. Pœnam deprecor. Tantum Chriſtianos redde non talia meritos. Inhumanum cor flectere non potuit. Indigno loco habitus vir apoſtolicus, cui etiam toga convellitur. Atrocibus ipſe cum ſua Societate injuriis impetitus caſtris extrahitur. Cuidam inter conviciatores canina feritate præſtanti prænuntiavit domum non reviſurum; qui ab Indo de via interfectus eſt.

Reductiones deſtructæ.

In Angelopolim fit ſimul a latronibus impetus. Sed Martinio fuit otium incolarum partem in tuto collocandi. Reliqui coram paſtore triduum nequem ſervaret cuſtodito, capti & deportati ſunt præter puerum novennem qui ad aras miniſtraret relictum. In Petropolim irruperat tertia cohors, quæ partim dolo, partim vi, cunctos præter ſeptuaginta circum Patrem Ranzonier in aciem ordinatos, vinctos abducit. Illi vero ſtrenue pugnarunt, & totidem quot ipſi erant Tupios atque triginta Mameluccos longe repellunt. Inter Petropolitanos pugiles catechumenus quinque vulnera capite accepit, aliqua tam profunda, ut cerebrum cruentatum, ac deinde vermibus ſcatens appareret. Baptiſmum petens abluitur, eumque Ranzonier alio vocatus Angelo Cuſtodi, & Indiarum Apoſtolo, cujus erat feſtum, commendat. Poſt dies octo regreſſus perfectæ ſanitati & innato robori reſtitutum invenit.

Curatio miraculoſa.

Itatinum ſuſpicio.

P. Henartius primo repulſu non abſterritus in caſtra Mameluccorum redit: & iteratis precibus duorum dynaſtarum libertatem impetrat. Quinetiam Tupiorum aliquos ſanctitate, & amoris erga neophytos præſtitis documentis conciliato in fidem accepit. Mox tamen triſti nuntio certus fit, dynaſtas reliquos, & principes omnes Itatines una vinctos catena in Paranæ trajectu periiſſet. Tandem Miſſionariis innotuit, Mameluccos ut Indorum odium in Jeſuitas moverent, antiquam denuo calumniam diſſeminaſſe, a Patribus vocatos ſe veniſſe. Aſſentientibus nonnullis, ſacra vaſa præ ira profanata ſunt, & Patris Ranzonier deſtinata cædes. Sed ſiniſtra tandem opinione cadente, ad reparandas proſelytorum ſupplementis Reductionum clades cura vertitur.

Paranaënſes diu tranquillæ periculo in ſuam vicem, & quidem novo probatæ ſunt. Procul obſtrepens turbo fuit, brevi diſſipandus: nec aliud quam fecit metum, ne ſubverterentur ab iis quos protectores eſſe oportebat, Paraguajenſibus videlicet Epiſcopo & Prætore. Epiſcopus is idem erat, qui poſt viſitatas eas eccleſias elogiis cumulaverat paſtores & oves. A Prætore, ut erant cœpta, nihil Reductionibus his ſperandum favoris erat: quin etiam mirum ſit, non ulterius fuiſſe progreſſum. 1633. Paranaenſium Reductionum periculum.

Recens converſo dynaſtæ certum imperaverat lintrium numerum, protinus exhibitum. Sed quia lintres optato minores inventi ſunt, motus ira dynaſtam & Indos convectores in cuſtodiam tradit: & Chriſtianis Paranaenſibus ſervitium perſonale minatur. Ægre Miſſionarii ingruentes his factis & minis neophytorum motus continuerunt; ægrius quos Epiſcopus intempeſtive prorſus excitavit. Prætoris geſta.

Repens inceſſit Prælatum cogitatio, vel indita perſuaſio, redditus eccleſiaſticos augeri poſſe, ſi Reductiones paſtoribus ſibi magis obnoxiis donarentur: & cauſatus Jeſuitanos Indos neque decimas, neque quartam (a) terræ frugum partem ſolvere, Miſſionarios omnes interdicto ſubjecit. Vndique ex fulminatione ſtupor: nec fuit qui Epiſcopum exiſtimaret eo veniſſe primo impetu, ut ibi conſiſteret. Nihil aliunde prætor de vibrata comminatione remittebat, & dum rerum exitus vulgo expectatur, Aſſumptionem tenuit Romerus ex Uruguais fundo. Epiſcopi petitio.

Prætorem primum convenit, & monet a Rege vetitum vi adverſus Indos uti, & tributis gravari, maxime Jeſuitis creditos; ſuavi ratione adigendos, ut ſua ſponte optata perficiant. In ſententia principio obfirmatum conſtantia tandem, & eloquentia virili ſimul & blanda movit. D. Luiſius de Ceſpedes Reductionum neophytos ſecuros eſſe jubet, & captos e cuſtodia dimitti. Pacatur uterque.

Epiſcopus difficiliorem ſe præbuit. Fruſtra Romerus, qui nihil ſermone confecerat, oculis objectat Pontificum bullas, & Regii Senatus conſulta, ut perſuadeat Miſſionarios præter poteſtatem interdictos. Suum eſſe reſpondit de parochis diœceſanis ſententiam ferre. Replicat Romerus, Reductiones Jeſuitarum non eſſe parochias proprie tales. Epiſcopus affirmat, eos quibus incumbit cura, eſſe curatos Ordinario ſubjectos inſtar reliquorum. Aſſumptionem interea Provincialis venit, & Epiſcopo exhibet regium diploma, nequis cujuſcumque dignitatis Socios neophytorum cura prohibeat clam Rege, neve eos miniſterio operam dantes quovis prætextu diſturbet.

Prætor, qui jam ceſſerat, Provincialis partes ſuſcepit, quo & Prælatus acquievit. Idque tam æquo fecit animo, ut diſcedentem Romerum proxime ſequutus ad viſitandas ſecundo Reductiones, neophytis adblanditus, fiduciam erga paſtores a prudentia laudatos commendaverat. Forte res erat de quarta canonica ſeu funerali.

(a) De quarta frugum parte lis eſſe non pote-

Digitized by Google

verit. Anno 1635. Bonas Auras translatus Jesuitas quandiu vixit charos habuit. Eum *Moralis Practicæ* compilatores sua sede pulsis per Jesuitas adnumerant, authore D. Bernardino de Cardenas. Sed animadvertere non libuit, non Bonas Auras pellendum Jesuitarum opera, ubi mallent quam Assumptione Episcopum habere non infestum (*a*).

Mameluccicontra Paranam. Mox quam hic turbo quieverat, rumor de Mameluctis in Paranam contendentibus vulgatus accolas universos exterruit. Neque rumor erat ex vano. Compertum deinde fuit, hostem Paranæ jam superato Saltu magnis itineribus appropinquare. Pagus itaque a *Nativitate* ad Acaraim situs, cui primus imminebat impetus, evacuatur (*b*) incolis Itaquam translatis. Hac emigratione Iguazana Sanctæ Mariæ Majoris Reductio primis impetitionibus obnoxia cum maneret, Romerus accurrens transferendam censuit ad Uruguais oram; quod triginta leucas a reliquis sejuncta resistendo par esse non poterat. Transmigratio ordinatim peracta est, delusumque hostium consilium, qui in regionem parum notam penetrare non ausi repedarunt.

Novæ sedes in Tape. Romerus ad Uruguaim redux Reductioni a *Sancta Theresia* anno præcedente oblineatæ manum extremam imposuit. Situs est propter fontem Igais in campis per intervalla silvescentibus, ubi palmæ (*c*) centenos vicenos pedes altæ eo ab allis differunt, quod pro incremento ramos proferunt, quibus tanquam sertis redimiuntur. Ultro rami cadunt, & nodi ad radicem sic indurescunt, ut ossis potius quam ligni speciem referant. Nuces sunt Europæis suppares, quæ indigenis certa anni tempestate pro cibo sunt. Abundat ea locorum herba paraguaica. In ovile primo anno convenit opera Francisci Ximenez & Joannis de Salas tercentum familiarum grex.

Eodem tempore Romerus superatis Tapensibus jugis dynastem invenit in Christi fidem pronum, affirmantemque finitimarum gentium plures in sui deditionem esse paratas. Longe erat ut abnueret qui nihil expetebat ardentius. Ximenium novæ sedis a *S. Joachim* nominatæ curatorem constituit. Missiones tunc circumlustrabat Jesuitarum Provincialis, qui crure licet dum Theresianam peteret confracto, gestatorio vectari voluit in reliquas. Montes etiam Tapenses transgressus binas sedes a *Jesu-Maria*, & a *SS. Cosma & Damiano* constituit.

Apud Itatines gesta. Vix damna reparare cœperat Itatinum Ecclesia, cum novum ab Hispanis subiit discrimen. Assumptione nuntiato Mameluccorum adventu, duplicem peditum cohortem auxilio miserat Prætor: post cladem videlicet. Prætori Cespedes in reditu suggerunt, ferendum non esse, ad Itatines extendi Guaraniorum privilegium, revocandos Jesuitas, subrogandos sæculares clericos. Placuit consilium, & actum erat de Itatinum libertate, nisi Truxillus, qui forte aderat, juris & injuriæ patrilitatem ostendisset. Ostendit, non alium ad Itatim atque ad Paranam Missionarios mutare posse: Reductiones quascumque Jesuitarum esse juxta regia mandata servitiis personalibus immunes; nec profuturum Hispanis Itatines excipere, pastorum mutatione, velut servitutis præludio, in silvas, & in defectionem abituros. Provincialis sententiæ tandem concessum est. Prætor Ranzonerio amplissimam sedes ubicumque juvaret constituendi copiam fecit, qua ille confestim usus alteram ad Tobatim, alteram centum milliaribus Assumptione distantem erexit.

Hispani dictum imprudens. Recens erectas ægre servavit, ne corruerent: quod secum reliquarum ad Itatim traxisset ruinam. Hujus gentis dynasta nobilem Hispanum frequentavit, cui illud excidit imprudenti, tandem, tandem fore ut commendis subessent. Id joco protulisse, vulgatum & verosimile est. Rem tamen seriam cum Indis agit qui libertatem indigitat. Hispani pronuntiatum dynasta undique vulgavit. Idque maxime Itatines commovit, quod a Pajaguais paulo post disseminatum est, Hispanos eo consilio ad se debellandos comparari, ut Itatines deinde subjugarent. Tunc hi adeo consternati sunt, ut totius gentis dynastarum princeps, & præcipuum Reductionum novarum columen cum CCCC. de suis in montes defecerit inaccessos.

Nec

(a) Cum Reductiones ad Uruguaim, Paranaensibus plures, ad Bonas Auras spectent, abs re est a Jesuitarum consilio pellendum Assumptione Bonas Auras.

(b) Ad Acaraim, ubi Reductio fuit, ubi silva tantum est, eremus, & ferarum habitatio, opulentissimum omnigenarum mercium emporium somniavit cyclopum nescio quis; somniato videlicet Regno consentaneum. En quam late vagatur imaginatio: *Acaraè ou Acaray place de l'America Meridionale dans le Paraguay, bâtie par les Jesuites en 1624. Long. 26. 55. lat. merid. 26. Les Anglois, les Holandois, les Danois sont établis à Acaraè, ce qui les rend maîtres de la traite des Negres & de l'or: Celle de l'or y étoit jadis considerable; celle des Negres y étoit encore bonne. Les Marchans Maures du petit Acaraè sont entendus. Ils achetent en gros, & detaillent ensuite. Le traite de Lampy & de Juda est considerable pour l'achat des Negres. En 1706. & 1707. les Vaisseaux de l'Asiente en eurent plus de deux.cents cinquante pour six fusils, cinq piéces de perpetuanes, un baril de poudre de cent livres, six piéces d'indienne, & cinq de tapsels: ce qui, valeur d'Europe, ne faisoit pas 45. à 50. livres pour chaque Negre. Les Negres à Juda étoient plus chers. On voit par une comparaison de marchandises avec une certaine quantité de Negres obtenue en echange, qu'on portoit la des fusils, des piéces de perpetuanes, de tapsels, des bâsins de cuivre, des bougies, des chapeaux, du cristal de roche, de l'eau de vie, du fer, de la poudre, des couteaux, des pierres à fusil, du tabac, & que le Negre revenoit à 88. ou 90. livres, valeur réelle de cette marchandise. Encycloped. Edit. Liburn. tom. I. pag. 59. Verb. Acaraè ou Acaray.*

(c) *Palmiers* habet Charlevoix. Forte dicendum *Piniers*. Illorsum certe locus est etiam hodie a Pinetis dictus, vulgo *los Pinares*: & infra fructus earundem arborum ab Historico appellatur *Pignons*. Etsi species etiam palmarum est, cujus fructum, vel fructus nucleum pineis nucibus similem non inepte eo nomine appellaveris.

Digitized by Google

Nec nisi partem revocare licuit proxime sequenti.

De servitio personali.

Sæpe inclamaverant Missionarii, consilia de convertendis ad Christum Indis, & in fidem Catholici Regis accipiendis imprudentia pari subverti. Regium Indiarum Senatum de remedio efficaci interpellare non cessaverant, cum aliis quibus cordi erat infidelium salus. Novit Philippus IV. abusu commendarum originem mali constare: quo Indi contra prædecessorum mandata servitute premebantur. Et remedium redacto ad juris normam personali servitio, adhibere constituit. Regiam schedam ad Ludovicum Hieronymum Fernandex de Cabrera Bobadilla & Mendoza quartum Comitem *de Chinchon*, cui Peruvium pro Rege parebat, hujus anni 14. Aprilis dedit. En latine redditam ex Montoja, Opusculo de Rebus Paraguariæ Matriti edito (a).

Litteræ ad Peruvii Proregem.

„ Comes de Chinchon, Cognate, Sanctioris Consilii Senator, Nobilis a Camera, Prorex, Prætor, & Generalis Peruvii præfecte.“ Ei vel eis, penes quos imperium sit. „ Probe nostis, sæpe mandatum esse, ut istarum provinciarum indigenis tuta sit libertas, ingenue instar regnicolarum civium servituris. Nec vos latet, cum libertati male conveniat servitium personale taxæ commendatariis solvendæ subrogatum, decretum iterato esse ut supprimatur, & cum censu commutetur, qui argento, frumento, radicibus, avibus, piscibus, telis, murice, melle, leguminibus, aliisve terræ fructibus, ab Indis solvi possit; cum nulla tellus non ferat aliquid venale, quo cuique de rebus necessariis consultum sit. Proditum nihilominus est, post tot mandata personale servitium obtinere ingenti miserorum damno, quos commendatarii mancipiorum habent loco, nec vitæ necessaria quærere sinunt, quos laboribus premunt nunquam intermissis, ut effræni indulgeant cupiditati. Unde fit, ut in desperationem acti fugiant, & in dies numero cadant, exterminandi penitus nisi remedium efficax adhibeatur. Cum igitur ad hunc Indiarum Senatum de plurimis virorum, quibus divini obsequii, rei publicæ, & Indorum salutis rationes cordi sunt, scriptis petitionibus, & votis relatum sit, auditis Fisci patronis, & re tota cujus est momenti mature considerata, vobis injungendum censui, & his litteris injungo, ne servitium personale ubicumque & quacumque ratione isthic inoleverit, penitus extirpare cunctemini: ut cum Indis, tum commendatariis persuasum sit, hac lege utrorumque commodis, obsequi divini debito, & rei publicæ provideri; ut quam mitissime rem peragatis: ut Regios Quæstores, Ordinum Præpositos, aliosque viros expertos, & nullis addictos partibus, in consilium adhibeatis de censu juri patronorum consentaneo statuendo, ac de ratione eum argento vel fructibus exigendi. Quo novum conficiatur album, & taxarum ratio: ut intelligant commendatarii patroni, nihil ultra quam constitutum sit, exigere posse secundum ea quæ in Peruvio & in Nova Hispania consueta sunt. Hæc omnia sex mensium ab his litteris acceptis spatio perfecta volo. Si tamen improvisum incomodum, vel quidquam obstiterit quod superari non possit, id licet prius notum faciatis, dum simul differendi causas edixeritis. Si qua commenda vacaverit interea, quæ servitio personali constet, non conferatur, donec reformetur taxa, nec quisquam possessionem adeat, nisi reformata contentus. Edoceri volo quam primum, & de confecto Indorum commendatorum albo, & de nova taxæ ordinatione. Tandem animadvertite, offensatum me iri mandatorum vel levissima transgressione, atque executionis mora: ac præter rationem mihi reddendam, conscientiam vestram Indorum damno gravandam, quod vestro reparabitur. Matriti. 14. Aprilis. 1633. Rex. Regis mandato D. Ferdinandus de Contreras. “

Mandatorum executioni obstacula nata, authoritati & prudentiæ vitanda, quæsitamque Regis Catholici vota secundandi commodiorem viam, verisimile est. Illud est certum, rei summam ab eo tempore eodem ferme constare loco, & nondum post funestissima exempla Hispanos Paraguajenses mente comprehendisse, quanti ad sua commoda interfit, in Regis sui sententiam convenire, præter religionis & justitiæ debitum.

1633-34. Ad Chiriguanos missio.

Eodem tempore spes eluxit Chiriguanos Christo conciliandi. Cum P. Diaztagnum apud Charcas distineret petitio supra memorata, a quibusdam ejus gentis Indis significatum est, si Patres Societatis eo mitterentur, dociles & officiosos animos expertum ire. Monitus P. Didacus Torres, qui forte aderat, opulentum civem nomine Guzman alloquitur, qui largam numum summam ad sumptus illico exhibet, aureorum D. censum pollicitus ad sedium firmitatem & Sociorum alimenta. Diaztagnus, cui Torres dona & promissa retulit, ad Chiriguanos iter intendit, qui quo proditum erat animo, comparati visi sunt.

Missionarii statim sufficiendi requirebantur. Sed P. Boroa Truxilli successor vix potens constitutis Missionibus providere, impotentiam excusat. Ad Societatis Præpositum Generalem Torres provocat, ne Provincialis gentem deserat, qua nulla magis fidei negotium vel retardare, vel promovere posset. Procul auxilium; sed quo præsentius nullum erat. Mandatum pervenit. Et Auditorium Platense cœpta promovere constituit. Provincia datur Petro Alvarez & Ignatio Martinez extemplo profectis. Sed quia longe alia quam amplectendæ Christianæ Religionis mens Chiriguanis erat, missio alibi locorum utilior revocanda fuit. Nec quantalibet accursus celeritate major fuisset profectus, ut ex narrandis constabit.

Boroa tunc provinciam & reductiones lustrabat. Iter obliquandum erat necessario bis-

mille

(a) *Conquista Espiritual, &c. En Madrid, en la Imprenta del Reino. 1639.*

Digitized by Google

mille leucarum: & in laboribus missionum consequisse oportebat, ne tot viarum absterreretur periculis quæ probe noverat. Navem fregit in Uruguai, a neophytis propriodiscrimine servatus. Sed octingenti adulti, & parvuli multo plures visitationis discursu baptizati: floreſcens Reductionum status, ubi anno præcedente baptismi tredecim mille octingentos compleverant: novæ quæ undique extruebantur ecclesiæ: neophytorum conspectus, qui salutis animarum studio cum, & sæpe sine pastoribus nemora vitæ periculo percurſabant, ut infidelibus fidei fructum communicarent: hæc omnia Provincialis testis & compartis casus & laborem compensabant abunde.

Espinosæ cædes.

Sed & operarum desiderium augebant. Et nunc quidem eum amisit, qui ut virtute, dotibus animi, & experientia præstabat, magis erat necessarius. Reductionum a Mameluccis destructarum, & ad Paranam translatarum incolis indumento destitutis, quod gossypina messis defecerat; Montoja Espinosam ad comparandum in Sanctæ fidei misit quinque stipatum neophytis. Medium iter confecerat, cum Guapalachis, qui ab Hispanis perculsi vindictam meditabantur, in conspectum venit. Noctu cum densiores esse tenebræ cœperant, foco accedunt a neophytis accenso. Eos primo confodiunt, nudatum deinde Missionarium tamdiu contundunt, ut mortuum crediderint. Mox Jesum & Mariam invocantem repetunt; frustra Deos non audientes, nec opem ferre potentes appellare ajunt, & interficiunt. Brachia scindunt, corpus in frusta discerpunt, & feris carnivoris pabulo spargunt. Errat Alegambe, dum casum Missionarii refert ad annum 1637. Sed Techo, qui Alegambem corrigit, satis fuit annum 1634. subrogare, tacitis, quod loco præsens scire potuit, mense & die.

Nam refert ipse, nocte quæ Espinosæ postrema fuit, apud Itatines visum a Socio splendentem, auditumque pronuntiare: *Dominus tecum, dilecte Pater. Mihi in cœlum iter est.* Excitatum apparitione, quam prius somnium esse putaverat, notasse diem & horam, qua deinde novit narratam consigisse cædem. Bæticus erat Biatiæ natus, & tres germanos fratres professione socios numerabat, quos *Bonilla* Poeta Hispanus cantu decoravit, Paraguajensis Missionarii non immemor. Etimas in Hispania tulit Augustinus de Espinosa *Viris Illustribus* Societatis accensitus a Nieremberg.

1635. Mameluccorum incursus.

Innotuit anno sequente, Mameluccos & Tupios ad maritimam Brasiliæ oram mancipiorum mercaturas facere, ad portum a *Sancto Petro*, ostio sinuatum fluminis a *Sancto Spiritu*, quod etiam *Flumen Grande de Tebiquari*. e Tape montibus ortum appellant, potissimum consistentes. Tupii tota ora vagantur. Christianos se dicunt, a primis fortasse Brasiliæ Missionariis conversi; & Mameluccorum usu & consuetudine corruptos verisimile est. Illud est certum, neutris ea tempestate quidquam præter baptismum esse quod Christianum saperet: nec Americæ scelestiorem, & moribus magis depravatam stirpem esse notam.

Cum Indis undique prædandis & divendendis toti essent intenti, non diu latuit Tapenses infesta vicinitas. Et probe norunt Missionarii, nisi mature provideretur eamdem atque Guairanis, Tapensibus fortunam imminere. Sed indolentes neophytorum animos periculum non movit, donec eorum quidam in prædonum manus inciderunt. Tunc ad arma conclamant, accitis in societatem itineris PP. Mendoza & Mola. Abigeos insecuti assequuntur, nec tantum populares recuperant suos, sed hostium plures capiunt, qui ad Paranæ Reductiones translati ad meliorem plerique frugem conversi sunt.

Mendozæ cædes.

Bifariam inde profecit religio. Non solum in Tapem restituta tranquillitas est, sed infidelium plures Patrum de tuenda neophytorum libertate studio conciliati, deditionem sui fecerunt. Communem Christianitatum lætitiam, ejus qui plurimum ad earum felicitatem contulerat casus acerbavit. Mendoza, cujus nuper memini, pagum a *Jesu Maria* curabat, cujus incolæ duo millia familiarum explebant. Non procul erat dynasta imperio potens, magiam professus, divinitatis apud adoratores ostentator. Ad eum mittit Mendoza neophytum *Antonium* nomine solidæ probitatis, & prudentiæ supra vulgarem. Auditorum dynastæ addictissimus fuerat Antonius, cujus ille conversionis ignarus, ad sumificandum venire ratus benigne accepit. Sed non diu Antonius barbarum aberrare sinit. Christianum se professus ait, apud Patres Societatis illum acceptum & gratum fore hospitem, nec dubitare se quin hominum eorum officiis respondere vellet.

In iram actus dynasta quærit, an ea quæ loquitur præmeditatus sit. „Me, ait, miseros advenas convenire, meæ divinitatis contemptores? Insolentes isti næ pœnas mihi dabunt. Terram ista fœce purgabo, non hospes ero. Et te etiam, fili mi, deceptum teneant? „Neophytus qui ipse dynastæ erat, replicavit, non satis illi notos quibus ita maledicere: esse doctos, nulli non beneficos, & libertatis Indorum maxime propugnatores. Colloquii non ultra prolati eventum Antonius ad Mendozam retulit.

Missionarius deinde ad Coäguapem ubi reductionem condere meditabatur, se confert. Mons propter viam erat, sortilegorum recessus, quorum princeps erat Tajuba Tapensi Christianitati infestissimus, quem proselytos in defectionem sollicitantem Michaelitæ Christiani intercœperant, & apud Mendozam ejus etiam ecclesiæ rectorem, ut apparet, custodierant. Probri impatiens ultionem machinabatur, cujus perficiendæ commodam occasionem obtulit Mendozæ transitus. Benevolentiam obtendit factus obviam, & dies aliquot apud se retinet. Discedentem rogat, ut ad se divertat in reditu, interea quam posset Indorum plu-

rimos coactum ire, ſecum Patrum fidei dedendos.

Præſtitit fidem Mendoza, qui Caiguape amiciſſime acceptus incolas ad amplectendam Chriſtianorum religionem pronos invenit; ac de collocanda Reductione deliberabat. Interea Tajuba parabat laqueum. Indos concitat, inſidias tendit, & regredienti occurrit. Tot molitionibus non erat opus ad occupandum, qui barbarum Chriſto conciliatum eſſe ratus, fiducia lætus, & fere incomitatus ibat. Perfidus dum in occurſum venit effuſam ut ex corde ſalutem dicit, & incautum deducit in inſidiarum locum.

Tranſmittendus erat amnis tunc exundans, & pluvia ſupervenit denſiſſima. Indi de Miſſionarii comitatu, dum quærunt opacarum arborum tegmen, inſidias detegunt, & par major dilabuntur. Pauci ad paſtorem redeunt, contra vim tuendum vel ad commoriendum. Equo vehebatur ille, & haud ægre potuit evadere. Sed adſtantium aliqui erant catechumeni, quos baptizare voluit in anteceſſum. Inſtabat hoſtis, quem dum fugit cum poſtremis neophytorum, veſtigia currentis equi molle ſolum fallit & intercipit. Clamore ſuos in fugam concitat, & manet ſolus ad hoſtes verſus incondite frementes, eminus tamen. Parmam neophyti reliquerant qua ſe protegit; eam poſt breve ſpatium ſagittis horridam & gravem vix tenere poterat. Dum vellendis ſagittis intentus ſe detegit gravia vulnera tria, temporum altero, & alibi accepit. Accurrit tunc barbarus, & impacta capiti clava ſenſum ſtupefecit. Stabat adhuc nemine barbarorum manus injicere auſo; ſed labitur tandem, & facto impetu multo contunditur clavarum ictu. Mortuum rati nudant, & auriculam ſcindunt. Crucifixum ad pectus dum vident, blaſphemiis frendent in Deum Chriſtianorum ... Ventrem diſſecare parant; ſed imbre tunc forte invaleſcente, in craſtinum rejiciunt opus nunquam ab hoc barbarorum genere prætermiſſum, quod crederent alias ventris tumorem interfectoribus obventurum. Ut receſſerant in ſe rediit Dei ſervus, qui dum ſe nudum, & in luto volutatum videt, inde abire nititur. Surgere potuit, non procul ire: & noctem doloribus ut in eo ſtatu tranſegit immerſus. Prima luce graſſatores eodem ubi jacentem reliquerant, redunt, & non longe dimotum ſparſi cruoris indicio reperiunt. Tunc cæcum, ajunt, oportet eſſe Deum, ſi talia patientem famulum non videat; impotentem qui non defendat.

Id impietatis zelum excitavit, & increpare non ceſſanti dentes ore conſpingunt. Loqui dum pergit, labra, nares, & auriculam alteram, iteratis probris & blaſphemiis concidunt. Cruciando defeſſi ſude transfoſſum in vicinam bajulant ſilvam, poſtquam linguam ſubter mentum aperto vulnere revulſerant. Pectus deinde diſrumpunt, & cor extractum ſagitta pungentes ajunt: Videamus, an anima iter ad cœlum habeat. Nempe audierant paulo ante dicentem: Optare ſe eorum animas abluere baptiſmo, & ſuam ſperare, ipſis in corpus furentibus, cœlum ſubituram. In torrentem denique conjecto ad epulum conveniunt ex carnibus duorum adoleſcentum, qui ad aras operanti miniſtrare ſoliti pridie occiderant.

Mendoza cujuſdam de primis Peruvii expugnatoribus nepos erat, natus in Sanctæ Crucis ad Montem patre illius provinciæ prætore. *Ruiz* nomen baptizatus habuit, *Chriſtophorus* dictus deinceps, tacito familiæ cognomine, cum vocationis obſtacula veritus, furtim e paterna domo in Tucumaniam conceſſit. Voti compos ibi factus Itaraguajenſi provinciæ inter primos adſcribitur. Nemo ſibi diffidentior, nemo laborum magis patiens, & in cruciatibus conſtans. Illud in eo potiſſimum elucet, fortitudinem Apoſtolicam Dei quidem eſſe donum: quod tamen ſingulis inditur, prout quiſque ſibi minus credit. Aprilis 26. 1635. vitæ ſacrificium conſummavit.

Carnifices pœnas dant.

Ut per Tapem cædes vulgata eſt, Chriſtiani & proſelyti, quibus paſtor charus erat, pœnas exigere conſtituunt. Eos ut a ſententia dimoveret nihil prætermiſit Mola; ſed M. armatorum manum per ſpeciem exuvias colligendi, & juſta ſuo patri ſolvendi profectam tenere non potuit. Hoſtium fines ingreſſis occurrit cum exercitu Tajuba. Præoccupati principio cedunt; ſed acie reparata congrediuntur, & ne uno quidem deſiderato ingentem hoſtium ſtragem ediderunt. Michaelitarum dynaſta ad notum Tajubam accurrit, apprehenſumque interrogat ubi patrem occidiſſet. Præire coactum eodem loco interficit. Extractum deinde de torrente martyris cadaver in *Jeſu-Mariæ* defertur, ubi pietate & lacrymis pro pompa parentatum eſt.

Mitior agendi ratio.

Mox adſunt aliunde Mendozæ mortem ulturi Joſephitæ, qui hoſtium copias diſſiparunt captis pluribus, in veram deinceps filiorum Dei libertatem aſſerendis. Illud mirandum infidelibus accidit, ex Chriſtianis in utraque pugna vulneratis nullum periiſſe. Tempus erat Tapem impoſtorum grege purgandi, qui gentem præſtigiis ſeducebant. Et quidem fatendum eſt, Miſſionarios neophytorum ardorem fortaſſe præcipitem coercentes, non ſatis animadvertiſſe, hoſtes Dei quoſdam eſſe, qui minime conciliantur, imo abuntur manſuetudine; & contagioſum eſſe quoddam impietatis genus, in quod tota anathematum ſeveritas apprime cadit. Tot experimentis noſſa oportebat, impunitis, dum jure belli non tantum juſti ſed neceſſarii plecti poterant, quorundam ſcandalorum auctoribus, totius provinciæ fidem, & Chriſtianitatis ſtatum in diſcrimen adduci.

In hanc denique ſententiam ventum eſt, ſerius tamen. Hoſtis venia facta ad reficiendas vires uſus, Chriſtianorum poſt victoriam ceſſatione prævaluit. Diaztagnus Mendozæ ſubrogatus Reductionem invenit pene perditam, partem incolarum cæde, partem fuga: & par-

Digitized by Google

parvulorum amplius tercentum execrandis ritibus jugulatos ac devoratos. Cum sors eadem reliquis per Tapem ecclesiis instaret, iis servandis, illis reparandis, bellum anceps repetere, & belli casus dubios experiri oportuit.

Christianorum bella.

A fidelibus sortis Dominus exercituum, qui unam sanctuarii reverentiam, & adorantium salutem bello tuebantur. Nec tam hostibus stragem inferre novi Machabæi decreverant, quam jugum imponere, & mitissimum, & tollendum Evangelio subdi paratis. Difficilius fuit illatas ecclesiis ruinas reficere; sed supra quam spes erat refectæ tandem sunt. Hoc anno Societati Paraguajensi multis nominibus charus adolescens, & concepta ex eo spes concidit: Ignatius de Lojola in collegio S. Michaelis desideratus. Natus est Cordubæ in Tucumania, Fundatoris Societatis ex fratre abnepos, & in mores deduxerat virtutes a Sancto Patriarcha maxime commendatas, præsertim perfectam sui abnegationem, & cæcam voluntati superiorum utcumque significatæ obedientiam.

1636. Ab Hispanis persecutio.

Anno sequente D. Martinus de Ledesma Paraguariæ post Cespedem Prætor, visitatis Curiæ Blacensis mandato Reductionibus ad Paranam, duas e translatis Guairanis propius Assumptionem rursus transtvere, & colonis commendare constituit. Armis scilicet ante Jesuitarum adventum, ut ajebat, subjugati, Hispanorum servituti erant obnoxii. Perspicuis de subjecta falsitate documentis dum concedere renuit, ad regium Auditorium provocandum fuit. Plataam itorum profectum Diaztagnus interdictum impetrat, ut Prætor supersedeat.

Non melius ex sententia cessit D. Stephano de Abila Fluminis Argentei Prætori petitio non potiore jure susceptæ. Eum inter & Jesuitas offendiculum intercesserat, quo acerbatus urbem ad Uruguaim condere constituit. Ejus momenti consilium in se uno recipere non ausus, Regem & Indiarum Senatum interpellat, ad neophytos nimium numero auctos in officio continendos sedem esse necessariam. Rei novitatem miratus Philippus IV., cui Reductiones ea parte propugnaculum esse, non propugnaculo continendas, persuasum erat. Prætorem jussit coeptis abscedere.

Presbyteri sæculares ad Itatim.

Tertium eodem tempore nec tam procul ingruentem turbinem inauspicatus finis excepit. Assumptione visi sunt Itatines commendatum servituti subdendi, & privilegii Jesuitani expertes. Nec armis illi subjugati erant, nec alio titulo rei libertatis. Sed ii quorum intererat, utrumque suis partibus conciliaverant Magistratum, Urbanum & ecclesiasticum, cujus utriusque sententia Jesuitis presbyteros sæculares, subrogandos esse primo constitutum est. Adhuc agebat Platæ Diaztagnus, quem adventitiæ non indormiturum causæ facile credunt. Apud eam igitur Curiam libellus supplex, quem plures colonorum principes subscripserant, exhibetur: quo ad excitandum in Socios odium, cum facta tum ficta profundebantur.

Dejectio & clades.

Id omnino causam tradidit: nam eorum qui subscripserant quidam conscientiæ stimulos aliter sedare non potens, dictum ex lege apud Senatores recantavit, atque volum rei publicæ ab iniquitatis mysterio revulsit. Nequid apud Itatines innovaretur cautum est Senatus consulto; sed serius denuntiato. Consilium Hispanorum Indis subolueraat; & motus servitutis ita neophytos occupavit, ut plures ad infideles defecerint. Ad hæc pestilentia supervenit, qua pars cæsa, pars dispersi. PP. Henart & Ranzonier laboribus & mœrore fracti in unum Mansillam gregis curam difficilius secundo quam primo cogendi deponunt.

Mameluci ad Tapem.

Apud Tapenses etiam sæviit pestilentia & famos: & complures jam neophytorum extulerat, cum rumor invalescit de imminente Mameluccorum adventu. Quod sano a *Jesu-Maria* proprius instabat periculum, Romerus a Prætore Bonaurensi petit munimenta quædam extruendi facultatem. (a) Quam ut impetravit, ad urgendum coram opus profectus est. Nondum orat perfectum, cum hostis MD. Tupiis, & multa diversorum alluvione comparuit. Cuncti præter fabros venationis aut agrorum causa procul aberant: CCCC. numerum præsentes cum imbellibus explebant.

Fœminæ virile facinus.

Spem superavit resistentium vigor, quos inter fœmina virilem habitum induta Mameluccum multorum clade ferocientem impetit & occidit. Jesuitæ duo conversi Antonius Bernal & Joannes Cardenas, dum in media pugna Christianis animos addunt, graviter sauciati sunt. Et P. Mola vulnus accepit, cum sacri ministerii functionibus dat operam cum Romero. Ad hunc maxime collimabant Mamelucci. Sed licet plumbeæ glandes aures abstare non cessaverint, illæsus evasit.

Destructæ Reductiones.

Tandem Mameluccis templo, quo imbelles confugerant, faces admoventibus, cedere oportuit, pactis fas æquis, sed ex templo violatis. Pars pugilum jugulata, reliqui vincti etiam quos Romerus redemerat. Per agros inde digressi plures manu capiunt, Reductionis igni absumptæ vix incolumi quadrante. P. Techo pago, qui ex reliquiis coaluit, præpositus testatur, per captos eximia religionis documenta fuisse præstita; defecisse tamen quosdam, rei Christianæ deinceps infestissimos, ut fit.

Provinciæ moderatoris solicitudo.

Sedes a *Sancto Christophoro*, duas tantum leucas ab ea quæ arserat distans, incolis ad S. Annæ translatis cum reliquis do prima, deseritur. Pauci resides in prædonum manus inciderunt. Servari posse ratus sexcentos hinc inde collectos auxiliares inerodixerat Romerus. Sed validior hostium cohors eodem tempore irruit. Fugâ salus quæritur; sed multi amissi de via. Annapolim Orighii cura florenpus est seram procul petere facultatem ad se, & sua tuenda?

(a) Similem facultatem rogatus Prætor quidam recentior (Don J. A.) respondit: *Stulti?* Quid o-

rentem ad Nativitatem ultra Igaim transmigrare oportuit cum advenis. Hæc transmigratio ordine recto perfecta est, copiis ad singulos Igais trajectus, & littorales silvas appositis: cujus consilii necessitas nota deinde fuit. Mameluccorum agmen amne per vadum de industria immunitum transmisso, in insidias incidit, & profligatur.

Interea consternatio invalescebat undique, eo maxime quod hostes ad Uruguaim appropinquare vulgatum est, & Jesuitarum jam plures ab incurrentibus manipulis occisos. Et Montojæ quidem usque adeo persuasum est, ut universas ejus provinciæ Reductiones flammis tradi jusserit. Fieri cœperat, cum Provincialis re penitius nota supersedere jubet, donec in loca ipse veniat. Profectus illico Reductionum desertarum incolas obvios habet. Quibus in superstites proximas distributis, Prætorem Paraguajensem de subsidio interpellatum adit.

Subsidium negatur.

Monet, si sedes Christianorum intercidant, Mameluccorum rapinis Hispanorum patere prædia. Ledesma Prætor respondit, satius fore veteres firmare, quam novas condere sedes. Boróa replicat, destitutis Tape & Uruguai, tam perviam hostibus fore Paraguariam, Paranam, & Assumptionem, quam Chiriguanis, Calchaquiis, & aliis barbaris Tucumaniam. Exempli vis Ledesmam, qui & Tucumaniam gubernaverat, non latuit; sed auxilium præstare noluit.

Uruguais conservatio propius ad Bonas Auras spectabat. Ad Prætoris filium, tribunum militum, qui & urbanum gerebat magistratum, litteras in eandem sententiam dedit Provincialis, æque irritas atque ad Confluentiam urbem. Sed periclitantibus subventurus, quam potest plurimos neophytorum nondum fixa locatos sede colligit, proximarum Reductionum auxilia petit, Igaim transgressus supplementum accipit, & copiosum satis exercitum ad loca vastata ducit, ut hostem quem ibi commoratum credebat, ad restituendam prædam compellat: Sed Mamelucci id quod erat suspicati discesserant.

Litteræ ad Regium Senatum.

Provincialis non aliud quam sepelivit mortuos, nam cadavera in præliorum locis jacebant adhuc. Mox quod ab Hispanis nisi a Rege coactis nihil sperandum erat, ad Curiam de rebus gestis, & de misero Paraguajensium neophytorum statu refert. Litteras navigio per Lusitaniam portandas vectori, cui plurimum credebat, tradidit. Sed biscentum Ulyssipone leucis projectæ in mare sunt, minimo utique dispendio, nam litteræ (*a*) Ulyssipone repertæ sunt, & Matritum delatæ.

1637. Diaztagnus & Montoja ablegantur.

Anno sequente Diaztagnus Romam, Matritum venit Montoja. Hic, ut Regium Indiarum Senatum de Religionis in Paraguaria obstaculis certiorem faceret, & validam contra Mameluccos imploraret opem, ille ut Societatis Præposito coram explicaret provinciæ statum, & supplementum requireret operarum. Episcopo Tucumaniæ D. Melchiori Maldonado & Saävedra, ex Ordine Eremitarum S. Augustini assumpto, exponendi Regi Catholico miserandum diœcesis illius statum occasio fuit. Litteras refert Montoja in Opusculo memorato hic latine reddendas (*b*).

Litteræ Ill. Maldonado.

D. Vestra Majestas meis prædecessoribus sæpe mandata dedit, ut Religiosorum necessitatem, qui convertendis in Tucumana Diœcesi Indis dent operam, notam facerent, ut per Indiarum Senatum provideatur. Cum pene totam triennio & eo amplius quo præfui, lustraverim, satis nota mihi est, ut de præsente illius statu V. M. certiorem faciam. Quatuor centum leucis latior est provincia (*c*). Octo numerat urbes (*d*), & plures Indorum pagos, quorum infrequentiores duodena aut quatuordena millia capitum colunt. Omnes baptizati sunt, sed plerique apostatæ. Quod in levitatem ingenii, & inopiam doctrinæ referendum est. Patres Societatis Jesu plures quinquaginta millibus quos converterant, deserere coacti sunt, nempe Hispanorum culpa & bello Chaquensibus illato, qui dociles vulgo sunt, neque nudi ut Indi de reliquo incedunt, & in pagos consociantur. Octo ex his pagos Christiani inhabitant; sed carent pastoribus, quos mihi sufficere non licet, cum vix unus vel in Hispanorum parœciis sit sacerdos ministerio par. Eo dum copia suppetit, bis singulis annis mitto ecclesiasticos viros, a quibus visitentur. Sed ne id quidem possum aliquando. Hinc mœror ex tot animarum jactura, quæ mihi commendatæ, Jesu Christi sanguine redemptæ, & sub T. M. protectione sunt.

In pagis Indorum, qui rectores habent presbyteros sæculares, multa essent reformanda; sed qua id ratione faciam, prorsus non video. Omnia ignorant, nec obeundo muneri, nec docendo sibi creditos pares sunt. Regulares sunt pauci, & Religiosi Franciscani vix ecclesiarum suarum cultui sufficiunt. Soli ergo Societatis Patres possunt T. M. & Episcopi conscientiam levare. In cunctis eorum domibus operarii sunt, die noctuque ad omnium vota parati. Pueros docent, ægrotos visitant, moribundis adsunt, & Æthiopum præsertim atque Indorum gerunt curam. Provincialem hic Cordubæ, quo & ego visitationis causa convenI, comitia cum religiosis aliis celebrantem, de mittendis in Chacum prædicatoribus nomine V. Majestatis interpellavi, ut hi populi qui doctrinæ rudimentis initiati sunt, Christo subdantur citra vim: de mittendis etiam prædicatoribus in magis indigas diœcesis plagas, ut

(a) Litteræ fortasse duplices erant, ut de more sunt.

(b) Ex legalizato exemplari gallice redditæ dicuntur a Charlevoix.

(c) Provinciæ seu sæcularis præfecturæ a *Tucumania* dictæ iidem sunt fines atque cognominis diœceseos ex lege . . . tit. 7. lib. 1. Rec. Ind.

(d) Octo videlicet erant urbes, dum stabant Londinum & Estecum. Nunc septem cum S. Ferdinandi Fano.

Digitized by Google

ut reformandis Hiſpanorum, Guſitanorum, & miſtindorum moribus, quorum licentia ſcandalo eſt Indis, & ſacramentis, quæ illac ignota ſunt, adminiſtrandis dent operam. Objecit ille, Socios niſi ut in Paraguaria ab Hiſpanis, a Paulitanis & Tupiis perſequendos votis meis obſecundare non poſſe. Revera Hiſpani adverſum eos valde præoccupati ſunt, quod Indorum libertatem V. M. legibus conformem pro virili tuentur. Ex quo tamen V. M. nomine locutus ſum, & quod divini obſequii res erat, totus in meam ſententiam conceſſit, & per omnia collegia congrua mandata dedit. Sed hi pauciſſimi ſunt. Veſtram Majeſtatem igitur per Jeſu Chriſti viſcera, per tot animas, quarum ſalus a divino Salvatore mihi commiſſa eſt, pro quibus ipſe crucifixus mortem ſubiit, obteſtor ut quadraginta Societatis Patres mittat, quibus extra Tucumaniam operam præſtare non liceat; nullam quippe univerſalis eccleſiæ diœceſin ſpirituali ope indigentiorem eſſe crediderim. Profiteor, meis ſumptibus convehendos, niſi expenſis neceſſariis redditus, qui quatuor mille aureos non ſuperant, abſumerentur. Sed conſcientiæ meæ ſatisfactum eſſe reor V. Majeſtati, harum provinciarum domino, & eccleſiarum patrono, hujus inopia, & ope qua ſublevari poſſit, expoſita. Deus V. M. ad Religionis tutelam ſervet incolumem. Cordubæ in Tucumania. 11. Octobris. 1637. "

Litteræ Prætoris Bonaurenſis.

Litteræ Prætoris D. Petri Stephani de Abila deputatis ab ipſo traditæ ad Bonas Auras conſcenſuris, datæ ſunt 12. Octobris ejuſdem anni. In his hæc ad Regem ait: „ Mala per Braſilienſes Paulitanos Reductionibus ſeu Miſſionibus intra fines hujus præfecturæ a Patribus Societatis ad Uruguaim & Tapem conſtitutis illata nuntio acceperam. Dum veni Flumen Januarium, ex vero nuntiata eſſe novi; vidi etenim ſub haſta venire Indos ea libertate a Paulitanis captos, ut ſi V. M. mandato caperentur. Compertum deinde mihi eſt, ab anno 1628. (a) ad 1630. plus ſexaginta millibus Indos, cum hujus provinciæ, tum Paraguariæ ex Reductionibus abductos eſſe per eoſdem; eaque præſtitiſſe crudelitatis & inhumanitatis documenta, ut Chriſtianos & catholicos eſſe incredibile ſit. Ut nefaria ceſſarent latrocinia, ſcripſi ad D. Martinum de Saa, ejus provinciæ Prætorem, ut ea faceret, quæ V. Majeſtatem oro ut fieri jubeat juxta adjunctam petitionem & narrata, quæ cum reſponſo mihi reddito mittere juvat. Regiæ pietatis & religionis eſt, ſcandalum coercere, aditu in has provincias Paulitanis interdicto, facile viam ad Peruvium uſque ſtraturis. De quo P. Ruiz (de Montoja), qui Hiſpanicum obſequii divini & regii cauſa ſuſcepit iter, latius V. M. certiorem faciet. Bonis Auris. 12. Octobris 1637. "

Prætoris hujus opinione præſentius erat malum. Sed deputatis quantumvis ſolicitis non ante ſex menſes Januario ſolvere licuit, navis forte ad transfretandum deſiderio. Morâ uſi ſunt, ut Luſitanis Indorum a Mameluccis raptorum commercii indignitatem & turpitudinem perſuaderent: reddendam Deo & Regi rationem obteſtati. Sæpe Montoja ex ſuggeſtu, nec incaſſum peroravit; nam plures mancipia a Mameluccis vendita manu miſerunt, & Magiſtratus infame commercium ſectari prohibuit. Sed Miſſionarius, cui perſuaſum erat, malum his non extirpandum, efficacius alibi Paraguajenſium ſecuritati conſulendum cenſuit, eo ſucceſſu qui ſequenti libro narrabitur.

(a) Hoc anno 1628. data eſt lex 6. tit. 2. lib. 2 Recop. Ind. tom. 2. fol. 194. ſic habens: „ Los Portugueſes de la Villa de S. Pablo, queblo del Braſil, que diſta diez jornadas de la ultimas Reducciones de Indios de la Provincia del Paraguai, contra toda piedad Chriſtiana van cada año a cautivar los Indios de ella, y los llevan y venden en el Braſil, como ſi fueran eſclavos. Y por lo que conviene reprimir todo deſacato, y exceſſo en deſervicio de Dios Nueſtro Señor, ordenamos y mandamos à los Governadores del Rio de la Plata, y Paraguai, &c. "

HISTORIA PARAGUAJENSIS.

LIBER NONUS.

ARGUMENTUM.

Reductiones vastatæ. Indi rebellant. P. Henartii obitus. Missiones per Tucumaniam. Osorius apud Oclojas. Mors ejus & Riparii. Honor ab Episcopo habitus. Reductiones excisæ. Prælia varia. Mameluccorum clades. Indorum transmigratio. Arma ignifera. Excursiones. Duorum juvenum facinus. Prætor Paraguajensis contra Mameluccos. P. Alfari cædes. Casi Mamelucci. Capti. Quo deveniunt. Adversus Caracaras iter. Hujus nominis lacus. Insulæ mobiles. Neophytorum vigor. Contra Calchaquios iter cassum. Diaztagni Romam adventus. Audientia Sanctissimi. Ulyssipone conscendit. Venit in Brasiliam. Jesuitæ Piratininga pulsi. Gesta Montojæ in Hispania. Obitus in Peruvio. De Calchaquiis. In Chacum expeditio. Mataraas natio. Missio ad Abipones. Mameluccorum acies. Indæ adolescentis fuga. Liberatæ familiæ casus. Reductionum status anno 1642. Dispar persecutorum Religionis sors. Hispani pietas. Operarum paucitas. De D. Bernardino de Cardenas. Dum magistratum gereret, abdicatur. Missionibus vacat. Limam vocatus clauditur. Episcopus renuntiatur. Potosii gesta. De Bullis solicitudo. Expeditas affirmat. Saltensium consultum. Cordubensium. Rectoris litteræ. A Tucumanensi Episcopo consecratur. Hujus Prælati protestatio. Cordubensis commoratio.

1637. IN Missionum præfecturam Montojæ discessu vacantem, & inter Tapenses motus difficilem, a Præposito Provinciali subrogatus est Didacus Alfaro. Vir erat consilio prudens, animo præsens, virtute probatus, & veteranus licet in Missionibus obeundis, summis laboribus non impar ætate. Hominem experiendi haud tarda venit occasio. Stridebant Mamelucci contra Tapenses, quorum solæ stabant Reductiones a S. Joachimo, a S. Theresia, & a S. Anna. Harum prima, quod hosti utraque belli fortuna furenti diu resistere non poterat, propius Uruguaim transferenda fuit.

Indi tumultuantur. Ægre potuit hoc neophytis persuaderi. Transmigrationem fieri ajebant in loca non magis hostibus impervia: neque ulla rationum vi de sententia dimoveri potuerunt. Præter modum acerbati sunt, multi dilapsi paucis in Sociorum caput conspirantibus. Pars major ad permanendum obstinati, quibus compellendis ignis oppido admovetur. Tunc cedere oportuit, sed alii alio divertunt. Quosdam sequitur ad Caapis seu Caapaguas P. Christophorus de Arenas. Romerus, Suarez, & Ximenez reliquos ad S. Theresiæ ducunt.

Reductio destructa. Non eos ibi relicturi; sed novam posituri sedem haud procul inde oblineatam, & familiis sexcentum frequentandam. At novo superveniente metu longius migrare oportuit, capto S. Theresiæ pago, & incolis universis abductis. De redimendis a Salas & Ximenez interceditur; sed lytrum exigitur facultate majus. Gesta sunt hæc paulo ante Natalia: quo festo Mamelucci manibus funales cereos præferentes in ædem sacram, triplicem Ximenii Missam audituri concedunt: Ab altari Sacerdos in suggestum procedit: latronum iniquitatem & duritiem carpit: quem illi audiunt, tranquille ut si nihil attineret. Descendenti binos pueros ad altare ministros, quos ceperant restituunt: Sermocinato donum: Dum non aliud pastores impetrare possunt, sacro instrumento, quod exportari nequit, humi condito, Uruguaim petunt.

Neophyti per devia vagantes obvios habent, quos Ximenez ad Paranam ducit, passis ulnis excipiendos. Non diu post incolas S. Annæ, non expectatis hostibus, in diversa dissipatos esse nuntiatur. Majori ex parte proselyti notæ ab infantia vitæ repetunt errores. Multis persuasum fuit, non alio congregatos se consilio, quam ut Mameluccis id ipsum undique mentitis traderentur: Quæ opinio sic etiam inter Christianos invaluit, ut nihil esset pastoribus tutum. Alfarus sæpe insultatus est, & aliquando sacra supellectile coram violanda vi spoliatus. Repente sedes destituebantur: & aliquas Paranam admovere oportuit, quo etiam turbo deinde prorogatus est.

1638. Henartii obitus. Ad Itatines etiam in binas sedes Mameluccis, ut videbatur, inaccessas iterum congregatos consternatio penetravit. Henartius eo licet languore, de quo supra dictum est, gravatus solus tunc utramque sedem procurabat. Sed oneri succubuit tandem, & occubuit paleis pro lecto, humana destitutus ope; lætus tamen dum moritur, ut mundi Salvator natus erat. Unus hic est, quem Paraguariæ cultorem devoverit Provincia Franciæ, cui spem magnam fecerat. P. Techo, cui notus fuit, eum cum primis ejus Missionis laborioſum operarium laudat.

Re-

Digitized by Google

Missiones per Tucumaniam.

Religione apud Tapenſes vacillante, Tucumaniæ fines percurrebant Socii, eo magis ſibi, quo aliis minus frugiferi; tum propter Indorum diffidentiam de Hiſpanis conceptam, tum quod ſervitii perſonalis immunitas privilegium erat non Tucumaniæ, ſed Paraguariæ & Flumini Argenteo conceſſum. Zelus tamen & labor non penitus fructu caruit.

1638-39.

Ill. Maldonado Chriſtianam religionem in Chacum propagare ardente, Gaſpari Oſorio ea provincia committitur. Ad Oclojas iter intendit Xuxuim verſus, juxta rivi cujuſdam & Rubicundi confluvium ſedem habentes, ſub gradu quadrageſimo quarto latitudinis auſtralis. His olim Chriſtum annuntiaverant Franciſcani: & ejuſdem gentis aliquos alterius Ordinis alumnus baptizaverat. Sed & fœderis baptiſmo contracti, imo etiam Chriſtianiſmi notio exciderat genti. Cum Peruvium illac iter in Chacum eſſet, D. Joannes Ortiz de Zarate, cui Oclojæ commendati erant, converſionis cupidus ſimul atque utilitatis commendæ, Oſorio, Chacum cogitanti perſuaſit, Oclojas ad cœpta promovenda adjutores fore, ſi Chriſtianos habeat.

Oſorius apud Oclojas.

Conſilium Miſſionario probatum eſt, quem cauſa latebat. Xuxui urbem cum P. Ignatio Medina Tucumano in S. Michaelis ex Ortizii ſorore nato venit ad Oclojas, qui ingenio miti & facili viſi ſunt. Poſt aliquorum converſionem in finitimos, pariter mites & quorum infidelitas doctrinæ defectu conſtaret, excurrunt. Mox valetudine affectus Medina Saltam ſe recepit, & Oſorius Xuxuim ad Officia quadrageſimalia vocatus. Ad Oclojas deinde regreditur, quos optime comparatos invenit. Eos tunc in gregem eundem contrahere conſtituit, nam longe disjunctos niſi temporis diſpendio viſitare non poterat. In locum ternis quaterniſve a Xuxui diſtantem leucis conveniunt non inviti. Ædes ſacra conſtruitur ab aliis etiam Indis frequentata, ubi amplius ſex centum brevi baptizati ſunt. Medinæ in ſanitatem reſtituto cura data, Oſorius cum P. Antonio Ripario ad interiora Chaqui conſilia vertit.

Gregis incrementa Medinæ ſpem fecerant univerſam Oclojarum gentem Chriſto dedendam: & jam duas addere ſedes meditabatur, cum Franciſcani Jeſuitas falcem in ſegetem non ſuam immittere queruntur (a). Epiſcopi ſlices atque Prætore conſentibus, litem differendam ſaltem in tempus aliud; cœpta de Chaco, quibus religionis æque & rei publicæ cauſa vertebatur, intercipi; in ſe recipientibus, Jeſuitas de Chaco ſecuros Oclojarum curam, quam vacantem crediderant, demiſſuros; palam profeſſi ſunt, in Tucumania non auditos ad Metropolitani forum, & ad Regium ſi e re foret, Indiarum Senatum provocaturos.

Oſorio derelictos Oclojas rato, ad curam ſuſcipiendam conſenſum & veniam petere, ne in mentem quidem venerat. Et Jeſuitæ, ut ſupra dictum eſt, Indos ſervitio perſonali obnoxios, niſi coacti vel ad tempus curare renuebant. Quin etiam documenta dederant, paci cum religioſis familiis nihil non poſthabere ſe velle. Itaque renitentibus licet Oclojis Medina juxta Provincialis mandatum loco cedit.

Ut erat prævifum res habuit. De Chaco deſtinata concidunt miſſorum ſanguine. Oſorius & Riparius alio ſe vertere coacti, cum adjunctis Indis progrediuntur nullo viæ duce: cujus exquirendi gratia Oſorius Xuxuim repetit. Sub redeuntis amplexum, quamquam neutri quidquam adverſum tempore abſentiæ contigerat, ſibi invicem præſagos mortis proximæ ſenſus revelarunt.

Mors a tribus obita.

Ut ire pergunt, obviam fiunt Indi gente diverſi viæ levamen polliciti. Major pars Chiriguani; ſed & Palomi erant, & quos Hiſpani vocant, *Labradillos*, *Pintadillos*, qui in fidem accepti commeatum exhauriunt. Ad comparandum mittit Oſorius Xuxuim adoleſcentem Hiſpanum Sebaſtianum de Alarcon, qui ut vocationem in Societatem probaret, & apoſtolicæ vitæ rudimenta poneret, volens Miſſionariis comes ibat. Sebaſtiano ſponte adjuncti ſunt Chiriguani duo, Patribus quod omnibus illis barbaris ſermo de Chriſtiana religione ſpecie non diſplicebat, ut jam proſelytorum loco haberentur, non repugnantibus. Sed aliud machinabantur barbari. Alarconem adjuncti comites altero poſt diſceſſum die occiſum devorant.

Inde regreſſi ad Socios prima nocte perveniunt. Non diu id quod erat Miſſionarios latuit, quibus neophyti authores ſunt, ut per noctem ſaluti conſulant. Fugæ locum non eſſe rati, felices ſe dicunt, ſi Superiorum mandatis obſequentes occumbant. Mox ad preces ſecedunt & ad quietem. Inſonat barbarorum rumor ſarcinas expilantium: quod mortis eſſe præludium certi reliqua nocte ſe parant.

Prima luce dum obambulando recitant Breviarium alter, alter coronam precatoriam, ſagittis & clavis armatos Chiriguanos adventare vident. Neophyti qui non procul aberant, in ſilvam confugiunt, ſecuturos Patres rati. Ad oram ſilvæ conſiſtentes reſpiciunt, eoſque vident barbaris primum obſeſſos, iteratis deinde clavarum ictibus concidere, decollari, ſpoliari, diſſecari ventrem: barbaris poſt hæc recedentibus. Spectatores ad ſepeliendos accedunt. Sed quo humum effodiant non habentes, arborum folis & ramentis cadavera contegunt. Inde Saltam accedunt viſorum nuntii; quorum & P. Franciſcum Xarque Xuxuim tunc forte euntem certiorem faciunt.

Media circiter Quadrageſima, quæ hoc anno

(a) Techo, lib. 12. cap. 12. & 25.

no 1639. excidit prima Aprilis, curſus apoſtolici metam ſic attigit Miſſionarius uterque ſimul. Sed dies certus ignoratur. Saltæ plures teſtati ſunt, auditos dum eo diverterant dicentes, ad moriendum pro Chriſto ire ſe. Et P. Xarque, qui mox valecudinis cauſa Jeſuitarum ſocius eſſe deſit, author (*a*) Operis ſupra laudati & ſæpe laudandi, ait ſibi ab Oſorio dictum mortis genus quod eum manebat. Nadaſius Operis Alegambe (*b*) continuator, præ manibus habuiſſe affirmat ſe Epiſtolam Oſorii ad Cardinalem de Lugo, illi olim a confeſſionibus, qua tamquam id de quo nec dubitare poſſet, diſerte ſcribit, moriendum ſibi eſſe barbarorum manu.

Honor confeſſoribus habitus.

Ut nuntium accepit Epiſcopus Tucumaniæ, ad omnes diœceſis urbes mandata dedit de celebrando Chriſti confeſſorum, ſic eos appellat, triumpho. P. Hieronymus Delgadillo Dominicanus Martyres (*c*) vocans elogium coram Prælato pronuntiavit. Id ipſum alibi a PP. Mercedariis & Franciſcanis factum eſt. Et ab Epiſcopo de cædis illatæ cauſis inſtituta quæſtione confectum eſt, eo conſpiraſſe Chiriguanos ne in Chaco prædicaretur Evangelium. Documenta ad juris formam exacta Romam ab eodem Epiſcopo miſſa ſunt. Indi denique Chiriguanis aſſociati, & nominatim Palomi, omnes proditionis compartes ſubita morte fuiſſe correptos, & plura mirabilia in loco cædis geſta divulgarunt. Et ex vero divulgaſſe ſuadetur, quod nihil deinde prætermiſerint, ut Jeſuitæ Chacum Evangelii cauſa repeterent. Repetivit P. Medina cum P. Ferdinando de Torreblanca. Sed iter procraſtinatum fuit, cujus exitum mox narrabo.

Reductiones deſtructæ.

Hac locorum, ſi oppoſita Religioni obſtacula removerentur, poterant detrimenta ad Uruguaim per Mameluccos illata reparari. A menſe Januario 1638. Reductiones a *S. Carolo* & *ab Apoſtolis* in ſolitudinem erant redactæ. Non quod incolæ earum & finitimarum collatis viribus reſiſtere non poſſent; ſed cunctos occupaverat pavor, neque paſtorum voces audiebant. Acriter aliquando pugnatum eſt, Chriſtianis qui adverſus hoſtem auſi erant ſtare, initio prævalentibus. Sed panico terrore repente perculſi in pagum ſe recipiunt, quem nullo perſequente igni tradunt. Aliquot poſt diebus auxiliis additis pugnam repetunt. Hoſtem, qui & ipſe receſſerat, provocant & profligant; ſed victoria uti neſciunt, & inſidiis circumveniuntur incauti. Pauci quidem deſiderati ſunt: imo & poterant inſidiatores acie reſtituta fundere. Sed abjectis ſignis præcipiti fuga ad Piratinim uſque dilabuntur.

Vulgatum deinde eſt, Mameluccos in Braſiliam repedaſſe: quo neophyti plures in ſuum quiſque pagum regrediuntur. At dum collapſa reparant, hoſtis apparuit. Eum præſenti animo expectant, concurrunt, & utrinque ſeparantur ancipiti ſucceſſu. A vi ad dolos ſe convertunt Mamelucci; ſed incaſſum nihilominus. Concurſus iterum fit, & neophyti a ductore traditi in fugam effunduntur, non niſi Uruguai interpoſito ceſſaturam. Acceptam cladem ſequitur S. Nicolai excidium, & regionis Uruguaim & Piratinim interjacentis depopulatio.

Tunc reliquis ejus provinciæ neophytis & Paranaenſibus perſuaſum eſt, connitendum, ut ultimum vitetur exterminium: & exercitum conſcribunt, qui ab Uruguai ubi convenerat, ad Piratinim contendit. P. Alfaro, qui ſigna ſequebatur admonito, Mameluccos Braſiliam repetere, Indorum copiæ veſtigiis inſtant. Prælium anceps plures dies obtinuit, donec Romerus MD. armatorum ſupplementum adduxit. Tunc Mamelucci cedere, & actum erat de re, niſi vallum ducerent, quod neophyti obſident oppugnare non auſi: & hoſtis ad incitas redactus impetu deſperatorum in obſidentes facto ſaluti conſulit. Mameluc. corum clades.

Prope aberat ut neophyti ſuccumberent, cum opportunum adeſt auxilium. Undecim omnino Hiſpanos miſerat Bonaurenſis Prætor, ut quo ſtatu res eſſet ad provinciæ fines explorarent, qui poſt bis centum itineris leucas in conſpectum valli forte veniunt. Neophyti cedere & elabi cœperant, ſed Hiſpanorum conſpectus animos addidit. Inſtat advena decurio, & prælium integratur. Tunc Mamelucci auxilia forte majora eſſe rati, deponunt arma, & ſe quibus liberet pactis dedunt. Propius accedit Alfarus, ac primum excommunicatos declarat poteſtate ſibi ab Epiſcopo Bonaerenſi facta. Sacramentum exigit Reductionibus Chriſtianis non nocendi: quod illi proni jurant. Sed nec excommunicationibus arcendos, nec ſacramentis certus, efficacius providendum cenſuit. Hiſpanorum ductori id perſuadere nititur; qui tamen immunes abire permittit. Effugium permittitur.

Imprudens conſilium Alfari opinione infauſtior eventus ſequitur. Novis prædatorum turmis Igaim tranſgreſſis, imminebat iterum exhauſtus labor & horror, niſi connitente Boroa copias neophyti denuo contraherent; ſed diſſipatis hoſtibus, nec cupido nec ſpes ablata. Tandem in eam ſententiam ventum eſt, imprudentis eſſe neophytos in locis relinqui bello iniquo obnoxiis, quod armorum inæqualitate in ejus Chriſtianitatis excidium deſinere oportebat. Itaque quidquid neophytorum poſſet

(a) Vide Authorum Catalogum. * Catalogus hic, ad quem Lectorem remittit Charlevoix, nullibi extat. Eum forte deſtinaverat, qualis eſt in Hiſtoria Novæ Franciæ. Tom. VI. a pag. 378. Sed dilatus excidit. Ad Xarquem quod attinet, ſuſpicatur V. Cl. Nicolaus Antonius, Operis ejus authorem eſſe Antonium Xarque; ſed oppido fallitur.

(b) *Mortes Illuſtres*, &c.

(c) Martyres appellare potuit ante judicium Sacræ Congregationis, Martyres videlicet conſummatos, nondum vindicatos, juxta ea quæ ex Optato Milevitano lib. 1. & Tertulliano lib. *de Anima* notavit Joannes Fileſacus in Defenſione Vulgatæ. Quod & a Benedicto XIV. probatum eſt in alloquio habito de novis Martyribus apud Sinas.

Digitized by Google

ſet colligi transferendum in tutiora loca provinciæ Præpoſitus cenſuit.

Transmigratio. Aſſenſum extorquere difficillimum erat, pleriſque malle ſe omnes incurrere caſus, quam aſylum exilio conparandum emendicare proteſtatis. Tempore & arte ad perſuadendum, firmitate ad perficiendum opus fuit, id ut agerent quod ſuæ ſaluti neceſſarium eſſe nullus dubitaverit. Inter Paranam & Uruguaim, ubi anguſtiſſimo quatuordecim aut quindecim leucarum ſpatio terra conſtringitur, deſtinatur locus, ut flumina pro vallo eſſent (a), & auxilia facilius mitti poſſent. Conſilium pluribus interceptum obſtaculis expeditur tandem: & en qua ratione perfectum opere eſt.

Virorum, fœminarum, & puerorum multitudo trifariam dividitur. Pars prima Chriſtophori de Arenas ductui traditur, cujus ſolertia & animi præſentia opus fuit ut integra in deſignata deducerétur loca. Aliqui via delapſi ægre recepti ſunt. Alii ſedes amant inacceſſas priſtino ſilvicolarum mori opportunas. Hos per invia ſequitur, & reducendis adlaborat; etſi rebellantes palam minas intentant quemque minus intrepidum abſterrituras. Trans Paranam tandem perventum eſt, ut in ejus provinciæ Reductiones hoſpitio reciperentur, donec proprias haberent ſedes. Ad hujus fluminis trajectum maxime tumultuatum eſt, Hiſpano tradi ſe vulgo exiſtimantibus.

Secundæ diviſionis ductoribus difficilior extitit migratio; difficillima poſtremis, quibus illud verendum fuit, ne plura capita emigrando amitterent, quam quæ Mamelucci perdiderant. Maximus fuit Provincialis Boroæ labor, cujus potiſſimum conſtantiæ, prudentiæ, & manſuetudinis ſemper æquabilis fuit, ut arduum incœptum ex ſententia ſuccederet. Indi duodecim mille præter fœminas & parvulos in tuto collocati, ubi capi non poterant, unde & poſſent priſtinas repetere ſedes, dum tempus ſecuritati faveret, ut mox contigit. Miſſionarii deinde diverſi ad quærendos & revocandos diſperſos expediuntur: quibus receptis plures etiam infidelium charitate & ſolicitudine paſtoritia conciliant. Turbæ dum de habitatione conſulitur, cavetur ſimul ut quiſque congruo labore vitæ neceſſaria ſibi paret.

Arma ignifera. Satis non erat neophytos a repentinis belli caſibus liberaſſe. Eorum principes Provincialem admonent, niſi paribus armis cum Mameluccis congredi liceat, fieri non poſſe quin ſuccumberent tandem. Id Boroæ & Sociis certum erat; ſed erat in Hiſpania maxime ſanctum, ne Indi armis uterentur ignivomis, & conſultiſſime quidem quoad Indos inter Hiſpanos agentes, & commendis obnoxios: quorum ancipiti fidei, deditioni violentæ, dum jugum excutere poſſent, erat timendum. Sed voluntate deditis, & ſpontaneæ deditionis commoda expertis, nihil erat quod ad rebellandum concitaret, dum libertati, quam Rex incolumem ſervari juſſerat, parceretur.

Ad hæc non aliud provinciarum Paraguariæ & Fluminis Argentei finibus reliquum erat præſidium contra Luſitanos & Braſilianos Indos; qui non ante Xerecium, Villaricam, & Guairæ caput exciderunt, nec viam per Paraguariæ boream in Peruvium ſtraverunt, nec opimas Cujabaæ & Montis-Craſſi ſuo loco memorandas aurifodinas occuparunt, quam Reductionum excidium toleratum ſit. Mirandum eſt, ab Hiſpanis Gubernatoribus contemptos uſque adeo iteratos de hac re Sociorum clamores. Sed illos adverſum hos ſiniſtra præoccupaverat opinio, ab iis indita qui propria ex vano & falſo commoda religioni & rei publicæ præferentes, ex Chriſtianis mancipia, quam ex indigenis Chriſtianos habere mallebant.

In re præſenti arma ignifera neophytis permitti a Prætoribus etiam præjudicio liberis ſpes nulla erat. Et Boróa conſilium ſtudio celavit, ne præmature diſſipatum in vulgus difficultatibus obrueretur. Illud tamen Montojæ Matritum profecto enixe commendavit, qui ad Regium Senatum de difficultate retulit, Chriſtianas Reductiones a Braſilianis incurſionibus tutas conſervandi, niſi neophyti armis æqualibus inſtruerentur.

Objiciendam utique præviderat & difficultatem rebellantes coercendi ſic armatos, quandoquidem vel inermes aut telis ſuis & clavis armati vi non potuerant ſubjugari. Id offendiculi ut removeat, ait, arma & armorum animam, inſtrumentumque, apud Miſſionarios retinenda (b), nec permittenda neophytis niſi dum hoſtium immineret incurſus. Imo Aſſumptiopoli deponendum quidquid vim ſubitaneam repellendi neceſſitati ſupereſſet. Addidit, arma & apparatum, ſi Regi placeret, ex piorum largitionibus, non ex ærario comparanda: uſumque docendum a Converſis, qui ſtipendia meruiſſent e Chile vocatis.

Rex Montojæ votis annuit, & ex ſententia mandata ad Proregem Limanum, & Paraguariæ Prætores expedita ſunt. De revocanda permiſſione ſæpius interceſſum eſt. Sed Regibus Catholicis ſumma rei convenientia perſpecta, nihil unquam innovare placuit, haud pœnitendo ſucceſſu. Nam & Mamelucci cum fœderatis Chriſtianitates adoriri ceſſarunt, imo & in fines impune penetrare; & ſtat neophytorum militia adverſus hoſtes intus & foris valida, nullo Principis ad ſuſtentandam, nullo ad armandam ſumptu: cujus rei documenta deinde dabo. Illud eſt mirandum, rerum vin-

(a) Præſentius ibi extiterit auxilium, at fluminibus Parana & Uruguai vallari non poterant adverſus hoſtes, quibus e Braſilia inter utrumque flumen via eſt, & via fuit ad devaſtandas Guairanas Reductiones, quarum pars major locata erat inter utrumque flumen.

(b) Si rebellio ſuccederet, quid juvaret arma apud Miſſionarium retineri, viribus deſtitutum ad retinenda contra rebellantium vim? A retentis veto Aſſumptione Hiſpanorum urbe nimium diſtante ſero venerit auxilium, contra hoſtem tunc maxime aggredientem cum minime expectatur.

Digitized by Google

vincendo gestarum gloria; tumultus pridem ingruentium calamitatum occasione frequentes, quievisse penitus. Tantum abest, quod pronum erat, ut libertatis & independentiæ spiritum afflarent: mirandum, nunquam pastorum dicto magis audientes fuisse, quam post operam asserendæ tranquillitati armorum usu datam; eosque, quorum virtute constat omnium securitas, cunctos fide & pietate antecellere.

Excursione. Mira hæc mutatio tunc emicare cœpit, cum Patrum de reprimendis hostibus solicitudo innotuit Indis. Murmura repente cessarunt: qua serenitate usi Jesuitæ ad transfugas qui Mameluccorum metu in silvas & montium latebras diverterant conquirendos, Tapem & confinia percurrunt. Complures omnis sexus & ætatis ad Itapitam ducti sunt. Tunc de supplendo mortuorum, apostatarum, & captorum numero deliberatum est. Et P. Antonius de Palermo cum Christianorum manu adversum Paranam terra subit usque ad Mondais confluvium. Parvulos plures morituros abluit, & in ovile retulit C. L. proselytos.

Duorum juvenum captorum fuga. Venia nihilominus Mameluccis anno præcedente facta, & elabendi facultas neophytis congregandis obstabat belli timore dispersis. Nec ex vano timor erat, nam subinde circa deserta Reductionum loca hostium turmæ comparebant. Quædam ex iis juvenes duos, qui Missionarios colligendis dispersis intentos sequebantur apprehendit: nec aliud quam ligavit manus. Nocte dum in media undique stertentium turba soli vigilant, foco accedunt, & manus applicant, donec funes disrupti sunt. Clam secedunt, & obliquis tramitibus sibi notis pastores assequuntur post continens quatuordecim leucarum iter.

Prætor contra Mameluccos. Per hos nuntiato Paranam intendere Mameluccos, Paraguajensis Prætor Petrus de Lugo, cui recens a Rege mandatum erat, ut Reductionum quas eo tempore visitabat, securitati provideret, quatuor mille Indos ad Caarupa Guazum, ubi duo juvenes hostes reliquerant, ducit. P. Alfarus cum aliquot Sociis castra sequebatur: & dum ante, incertum quare, cedit, a latente Mamelucco plumbea glande trajectus equo & vita dejicitur.

Mameluccorum clades. Eo dirigit aciem Prætor monitus, & hostem impetu adortus cædit reluctantem, cedentem capit. Captos neophytorum custodiæ, dum sors judicaretur committit; Tupiis eorum arbitrio permissis. Hi comiter habiti Christo conciliantur, & baptismo in libertatem restituuntur. Mamelucci Assumptionem octoginta distantem leucas deportantur, velut puniendi supplicio latronum armis infestantium sui Principis loca; sed Prætor interminatis sermone multo, si infesti esse pergerent, cœlestibus iris, captos dimittit. Bonas Auras, quarum Prætor amicorum precibus liberos abire sinit.

Ad Caracaras expeditio. Corpus Alfari Conceptionem ad Uruguaim defertur, ubi splendide pro neophytorum inopia justa persoluta sunt; Claudio Rujero Borgundo in locum Præfecti Missionum subrogato. Vix munus subierat, cum literas a Petro-Stephano de Avila Bonaurensi Prætore accepit, ut octoginta neophytos expediret ad inceptum, quo Reductionum, ajebat ille, securitas vertebatur.

Lacus a Caracaris. Scilicet ad Fluminis Argentei ortum sub gradu vigesimo octavo aut vigesimo nono ad austrum, est lacus quadraginta leucarum longitudine, latitudine varia. In antiquis tabulis a *Caracaris* (*a*) nomen habet; in recentioribus *Iberá* dicitur (*b*). Figura irregularis est, ad meridiem bifariam acuminatus, unde bini amnes effluunt, alter in Flumen Argenteum Mirignais nomine, alter a Confluentibus, vulgo *de Las Corrientes* in Uruguaim (*c*). P. Techo (*d*) non aliud quam communicari, ait Lacum cum Parana. Alibi notatum est, Paranam sæpe vocari Flumen Argenteum inter Paraguais & Uruguais ora seu confluentem.

Insulæ mobiles. Addit Historicus hic, stratum esse Lacum (*e*) fluctuantibus insulis, quales in lacu apud Audemarum sunt, quo diversarum gentium Indi confugiunt, maxime Caracáræ (*f*), gens perfida, quæ anno 1635. Hispanos auxilio vocatos prodita fide mactavit. Rapto vivunt, & eo convenerant Annapolitani apostatæ, & Espinosæ carnifices. Ex recessus inaccessi difficultate impunes, ex impunitate insolentes circa lacum grassabantur. Nec ita pridem ecclesiæ parochiali *Sanctæ Luciæ* faces admoverant.

Vigor neophytorum. Ea fæce provinciam purgare constituit Prætor, ad quem Rujerus Indos misit cum Romero. Ductor designatur D. Joannes de Garai, qui post centum leucarum iter in Lacum venit incolis ad resistendum procinctis. Cum milite nihilominus conscendit: & quamquam hostis recessuum commoditate profecit, ea vi & consilio in singulas insulas exagitatus est, ut nullus non cæsus vel captus sit. Tunc innotuit demum, quid a Reductionum milite sperandum esset, ducibus & æquis armis non destituto: igniferis enim jam tunc instructus fuisse videtur.

1640. Adversus Calchaquios expeditio. Expeditionem hanc excepit alia minus auspicato. Calchaquiorum quosdam in provincia Fra-

(a) *Caracára*, alias *Carancho* nota ibi terrarum avis est carnivora.

(b) *Iberá* guaranice *Paludem* sonat.

(c) E converso res habet, ut Mirignais Uruguaim influat, Corrientes in Paranam & Flumen Argenteum.

(d) *Lib.* 1. *cap.* 4.

(e) Similem insulam esse in Cutilia agri Reatini lacu scribit Plinius l. 2. cap. 95. & l. 3. cap. 12. Et in territorio prope ora Padi vulgares esse videntur ex recentibus Novis publicis (*Notiz. del Mondo, Dat. di Firenze. 9. Maggio 1772. Venezia*), ubi habes: *Il Polesine* e in gran parte affondato .... Veggonsi sollevate l'Isole *natanti*.

(f) Forte ex more rapto vivendi; & avi & genti memoratis *Caracáras* nomen commune factum est, nam & Caracára avis, & carnivora est & rapto vivit.

Digitized by Google

Fluminis Argentei Bonas Auras verſus divertiſſe narravi. Hiſpanorum odio, ut in Tucumania, Sanctæfidei Fanum devaſtabant. Eos perſequi conſtituit Prætor. Copias deligit, & a Reductionibus ſexcentos petit Indos per PP. Romerum & Alphonſum Arias confeſtim exhibitos. Exercitum Prætor ipſe ducit contra Calchaquios, quorum tamen poſitionem examinare negligit: nec Belgico bellatori perſuaderi potuit, aliter bellandum in America eſſe. Dum cum barbaro ut contra ordinatum agmen pugnare nititur, deluſus eſt. Intra paludum receſſus ſic ſe continuerant Calchaquii, ut non prius in conſpectum venerint quam Hiſpanis defecerit annona. Igitur receptui ſignum dare oportuit, [non alio belli egregiis ſumptibus adornati fructu, quam tercentis per neophytos captis hoſtibus.

Diaztagni adventus. Interea Diaztagnus Bonas Auras attigit cum copioſo Sociorum delectu. Montojæ Matritum uſque comes Romam conceſſerat. Viteleſchius Præpoſitus Generalis Societatis, nuntiatis Paraguajenſium Chriſtianitatum malis indoluit, nec aliud habens ſolatii Diaztagno collacrymatus, eum ad Urbanum VIII. Summum Eccleſiæ Paſtorem detulit. Ex illata per Braſilianos clade non minor quam Præpoſito Summo Pontifici dolor accrevit, & data lege Eccleſiæ fulmina in authores & fautores contorſit, niſi ceſſarent (*a*).

Sanctiſſimi audientia. Voluit deinde de Paraguajenſium Sociorum laboribus edoceri latius: nec erat qui experto Diaztagno melius edocere poſſet. Miſſum tenerrimæ erga operarios evangelicos affectionis documentis cumulavit. Addidit & pretioſa munera (*b*), cum illi, tum Sociis. Nominatim P. Oreghium veterem amicum appellavit, cujus germanus frater ea tempeſtate Purpuratus erat, cujus ex fratre nepos haud ita pridem eadem dignitate auctus obiit. Nihil denique detrectavit, quod ad neophytorum tranquillitatem referret: imo vota prævenit oratoris, nec optandum quidquam reliquerat, ſi conſici poſſet, ut narrata mala fulminibus Vaticani ceſſarent.

Ulyſſipone conſcendit. Matritum regreſſus Sociorum delectum reperit a Montoja paratum. Ulyſſiponem properat, navigium parat. Cum Miſſionariis conſcenſurus monetur, D. Michaelem de Vaſconcellos Statui a ſecretis, qui deinde Luſitanicæ defectionis ſcenam ſuo ſanguine cruentavit, ad Bethlehemiticæ Turris Præfectum mandata dediſſe, ne navim eam portu exire pateretur. Ad viduam Mantuæ Ducem pro rege gubernantem recurſus fit, cujus imperio navis expeditur.

Iter uſque ad gradum 35. latitudinis auſtralis ſatis proſpere habuit, niſi quod duo Miſſionarii Joannes Sollier, & Antonius Manſilla morbo ſublati ſunt. Inde navis ad Fretum uſque Magallanicum ventorum a borea vi pellitur, nec ad oſtia Fluminis Argentei flecti potuit, nec ſuſtineri, niſi cedendo retro ad Januarium uſque, ubi Miſſionarii a Prætore Emmanuele Saa honorifice habiti ſunt.

Aliquot poſt dies ex ſententia Judicum Eccleſiaſticorum Papæ mandata promulgari fecit: quo magna civitatis pars in tumultum erupit. Jeſuitarum collegii & templi violatis foribus, nihil a commota multitudine non timendum erat, niſi Prætor & Magiſtratus armatam tuliſſet opem. Civium principes convocat D. Emmanuel, & Diaztagnus in comitia venit rogatus: ubi lectis litteris apoſtolicis actorum rationem exponit. Omnium ſententia probatur illa; ſed invaleſcebat tumultus, ad quem pacandum illud excogitatum eſt, ut ad Papam melius inſtructum ſimulate provocaretur. Proditum eſt, id conſilium omnium primo ſubveniſſe Miſſionario. Illud eſt certum, vulgata provocatione motum quieviſſe. Feſtinandum fuit, nam populi furor in caput Diaztagni, & Petri Mota Jeſuitarum viſitatoris proximus imminebat.

In Sanctorum oppido (*c*) difficilius ſedatus eſt? facilius tamen quam in S. Pauli de Piratininga. D. Ferdinando Rodriguez, qui Vicarium ibi Generalem agebat, pontificia decreta mandato D. Petri Albornozii Epiſcopatus (*d*) adminiſtratoris promulganti obſtitit quidam, & elata voce ait, ad Regis Fiſcum appellare ſe. Illico a Rodriguez excommunicatur: quod oppidanorum partem in furorem egit. Qui rei publicæ cum imperio præerat de ferenda ope interpellatus abnuit. Tumultuantes in eccleſiam concurrunt, Vicarium probris, deinde manibus illatis adoriuntur, in terram dejiciunt, & ſtricto ferro minantur, niſi edicta recantet. Hominis firmitas ſacrilegos abſterruit. Inſtrumentum appellationis, ut ſubſcribat, exhibentibus reſpondit, ratum habere ſe quidquid eccleſiæ legibus & conſcientiæ ſuæ non adverſetur. Breve petentes ad Jeſuitarum rectorem remittit.

Accurrentibus obviam fit rector ſacris veſtibus indutus, & præ manibus ſacram pyxidem geſtans. Furentes alloquitur de reverentia & obedientia debitis Chriſti Vicario. Aliqui genua flectunt, & proni Chriſti corpus adorant. Stantes alii adorare ſe ajunt SS. Altaris Sacramentum; ſed mancipia tolli non laturos. Exclamaſſe fertur quidam, ſacerdotem confodi-

en-

(a) Datum eſt Breve 22. Aprilis 1639. Incipit *Commiſſum*.

(b) Sanctorum nempe reliquias, quarum tamen pars magna incendio Ulyſipone caſu exorto periit. Unde difficultas in provincia ad authenticam comprobationem, & celebritatem.

(c) Duo ſunt in Braſilia *Sanctorum* oppida & ſinus: nempe ſedes Archiepiſcopalis, *a Sancto Salvatore* etiam dicta: & urbs alia de qua hic ſermo eſt, infra Januarium ſub gradu 24. latitudinis auſtralis condita.

(d) Epiſcopatus Januarienſis non ante 1676. erectus fuit; ſed ab anno 1575. fuberat ditio Preſbytero adminiſtratori; quales ætate noſtra inſtituti ſunt nomine Prælatorum in territorio Cujabaenſi, & Gojaſenſi Januario diſmembrato.

Digitized by Google

endum. Petentibus datur Brevis exemplar. Ad Vicarium regressi, ut censuris, quas forte incurrissent, absolvat, repulsi sunt.

Jesuitæ expulsi Paulopoli.

Religiosos quosdam adeunt, qui ex narratione judicarunt, absolutione opus non esse, cum ex Brevi constet, promulgandum (a), nisi quid ex lege obstet. Hac responsione majus in Jesuitas odium exarsit: fitque per compita rumor, pellendos libertatis Indorum patronos. Hic ubi alii cessarunt, Paulitani de Piratininga orsi sunt. Nuntium expulsionis, dum Januarium pervenit, onerariæ ad anchoram subsistentis navarchus lætis clamoribus, & omnium tormentorum bombo celebravit; a Prætore severe punitus, qui & seditiosum in Jesuitarum templo insolescentem sustuario subjecit.

Properus e Brasilia discessus.

Dum hæc gerebantur, venit in Brasiliam fama, Ducem Bragantinum esse Regem Portugalliæ universo plaudente Regno proclamatum & aeceptum. Novit illico Diaztagnus, quid ex eo in Paraguariam derivari posset, tum propter ingenita Hispanos inter & Lusitanos odia, tum quia novus Portugalliæ Rex non continuo poterat coercendis Mameluccis, tunc maxime in Jesuitas acerbatis, efficacem opem præstare. Quinetiam cum novo Regi, atque Hispano diu bellandum esset, pronum erat ut illorum grassationibus nova species necessitatis ad debellandum hostem obtenderetur. Duo præterea discessum maturare cogunt: alterum, nequi Sociorum gente Lusitani a destinato cursu averterentur; alterum, quod post accessum in Brasilia jam plures morbus abstulerat. Itaque receptæ ad Januarium ineunte Novembri anchoræ, exeunte jactæ sunt ad Bonas Auras.

Gesta Montojæ.

Montojæ non minus prospere res cessit Matriti, quam Romæ Diaztagno. Ut eo ventum est, audiri a Rege petit & impetrat. Libellum supplicem exhibet, qui delectis ex Castellano & Indico Senatu Commissariis examinandus traditur. Petebat ille primo, ut lex anno 1611. lata de asserenda Indorum libertate, qui bello justo capti non essent, executioni mandaretur. Secundo ut Summus Pontifex de confirmandis litteris apostolicis Pauli Tertii; & Clementis Octavi ejusdem argumenti interpellaretur. Tertio, ut non obedientes in foro Sancti Officii causam dicerent. Quarto, ut neophyti capti & in Brasiliam abducti restituerentur, & in raptores animadverteretur. Hæ petitiones cum aliis levioris momenti Commissariis probatæ sunt, ex quorum sententia edictum a Rege prodiit, cujus esse summam:

Renovatis pristinis de Indorum libertate decretis, cum Paulitani de Piratininga Guairanas Reductiones Societatis Jesu vastaverint, inde neophytos amplius triginta mille abduxerint (b), latrocinia in Tapem prorogaverint, etiam Uruguai immineant, ubi jam multos occiderant, & alios deportaverant, posthabitis toties iteratis ordinationibus, ne tot enormia facta impunita sint, vel in posterum fiant, declarantur injusta, & legibus divinis & humanis, atque religionis decori contraria. Decernitur, ut pœnæ dentur Sancti Officii Quæsitoribus: ut Indi capti in libertatem restituantur: & qui in posterum ea patraverint, læsæ majestatis rei sint. Decretum a Rege.

Confirmavit deinde Philippus IV. edictum, ne Indi per religiosos Societatis in Guaira, Tape, ad Paranam & Uruguaim ad fidem Catholicam conversi commendis subessent, aut servitio personali, sed uni Regiæ Coronæ (c). Eodem constituit decreto taxam per neophytos pendendam Fisco: quod tamen Indorum inopia (d) non ante annum 1649. perfectum est. Hanc præ oculis epocham habere oportet, ut objectarum Missionariis criminationum de taxis levitas innotescat.

In media impetrandi postulata facilitate novit Montoja, maxime postquam Lusitanicus motus erupit, dum solis pharetris & clavis Mameluccis obsisterent neophyti, parum profectum iri Regis edicto. Armis itaque ignivomis utendi petitionem subdidit. A Rege & Indiarum Senatu deliberatum est, cujus sententiam supra narravi. Miraculo fuit in Paraguaria negotii exitus usque adeo delicati. Sed præterquam quod vis rationum, quibus Missionarii meritis, sanctitate, & rebus in Paraguaria gestis venerandi petitio nitebatur, Senatoribus insuperabilis visa fuit; fecit ille tunc Matriti mirabiles auspice Deo conversiones.

Montojæ obitus.

Multorum sententia fuit, in Hispania retinendum: quo Ulyssiponem, unde solvendum erat, se conferre festinavit. Litteras tamen ibi a Paraguaria accepit, & mandata Matritum repetendi: id quod charam non ultra videndi Missionem occasio fuit. Latet quam diu in Hispania moratus sit. Illud est certum, expeditum Hispali ad Peruvium transfretasse, ubi regiis mandatis exequendis apud Proregem dedit operam, præsertim ad fabricam & usum armorum spectantibus. Inde in Tucumaniam profectus Limam repedare jubetur: quo negotia non vulgaris momenti (e) vocabant, nec ante obitum expedienda, qui contigit 11. Aprilis anno 1652. septuagesimo ætatis. Funus præ sanctitatis opinione triumpho simile fuit, hu-

(a) Nihil simile in Brevis tenore continetur: Continebatur forte in litteris Collectoris Apostolici, ad quem illud exequendum dirigebatur. At absolutio forte petebatur, non a censuris in Brevi contentis; sed ab excommunicatione Canonis *Siquis suadente*, contracta ob illatas nuper antea manus Vicario eidem.

(b) De majore numero satis aliunde constat, si non tantum Guairæ neophytos, sed aliarum etiam regionum proselytos, & paganos computaveris.

(c) De quo est lex 43. tit. 8. lib. 6. Recop. Ind.

(d) Imo quia executio commissa est pro Rege Comiti de Salvatierra qui non ante 1648. Peruvio præfuit.

(e) Hæc non vulgaris momenti negotia ad incœpta respicere videntur D. B. de C. Episcopi Assumptiopolitani, quorum exitum prævidere pronum erat.

Digitized by Google

humeros suppeditante D. Garcia de Sarmiento Sotomajor Comite de Salvatierra Peruvii Prorege, cum Regiæ Cancellariæ Togatis.

1640-41. De Calchaquiis. Ut Paraguariæ statum sub Diaztagni e Brasilia advenum repetam; Calchaquii Tucumaniam infestabant; sed cadente anno 1640., vel ineunte proximo, D. Philippus de Albornoz pacem constituit, cui tandiu censuit fidendum, quandiu gens sub Societatis cura maneret de libertate secura, Provincialis interpellatus Ferdinando de Torreblanca, & Petro de Patria negotium dat, ut regione lustrata id adniterentur, ut solidior quam antea surgeret fabrica. Rebus coram examinatis ad Provincialem referunt, ex modo quo accepti erant, magnam confici spem: & post prolixam eorum quæ in Valle notaverant narrationem, quid ipsi censerent exponunt, provincialis consensu firmandum. In S. Michaelis venerant ad scribendum: unde responso accepto Calchaquim repetunt. Obviam procedit Indorum multitudo, qui locum habitationi designant, dum majus templum extrueretur.

1641. Conversio iterum frustratur. Haud disparem fecerant spem priora experimenta: nec dispar fuit hujus successus duplici causa. Alterius coloris Missionarii, boni quidem zelo, sed nec maturo, nec secundum scientiam, aliunde vallem ingressi Evangelium prædicare, sed nimia severitate infideles acerbarunt; & prope abfuit quin ipsi darent imprudentiæ pœnas. Collabentem rem in ruinam impulit Ribogianorum factum, qui Diaguitas nullo merito adorti, Calchaquios Diaguitarum fœderatos ad arma ut pace violata provocarunt.

Missionarii recedunt. Jesuitarum cæde bellum auspicandum censebant aliqui. Illos ad se vocat monitus Saltensis Collegii rector; sed abiit solus Torreblanca, ne utriusque discessu belli incœptati suspicionem in Hispanis rejicerent barbari. Quinetiam dynastarum quorundam convenit Patria, injuria gentem Hispanos inter & Diaguitas facto commoveri; Prætori certe cordi esse pacem. Sed mox hic etiam Missionarius excessit, nequo insultu perpetrato bellum obstinaretur.

Reductio a S. Carolo. Adversus ea fuit Superiorum sententia, Missionariis admonitis, non esse usque adeo desperandum apud Indos ad iram atque ad pacem æque faciles: quibus metus & diffidentiæ signa periculose præstantur: sic ad Calchaquios redire cunctarentur. Reditum parantibus obstitit Prætor, nolens (ajebat) eorum causa bellum suscipere, dum Portugallia defecerat importunum. Nihilominus aliquandiu post, barbaris mitigatis, Sociorum reditum cum adjuncto tertio probavit. Regressi comiter accipiuntur, & fundamenta locant Reductionis *a S. Carolo* nominatæ.

Expeditio in Chacum. Tucumaniæ Prætor in Chacum maxime intentus erat: & Episcopus, cujus erat sanctitatis, manus in cœlum levare non cessabat ad impetrandam ejus regionis incolis gratiam salutis. Socios noverat ad secundanda hæc vota paratos. Et P. Pastor Collegii Jacobæi rector suam optanti Prælato pollicetur operam non refutatam. In Tucumaniæ finibus, ubi populi adversus Hispanos suspiciores sunt, consistere noluit, sed in Abipones ad orientalem Chaqui oram (*a*) penetravit.

Animi præsentia opus erat ad penetrandum per medias gentes sola ut plurimum feritate notas, ubi sex anni mensibus summa est aquæ potabilis inopia, de cætero campos longe lateque imber inundat. Rectori tot se offerunt Socii quot subditi. Unum accepit Gasparem Cerqueiram, qui Conceptione urbe natus Abiponum linguam ea Chaqui parte vulgarem percallebat.

Mataraæ, qui? Eundum erat primo in frequentem Indorum pagum *Matará* nomine centum a Jacobopoli distantem leucas, ubi non defuturos ad Abipones viæ duces ferebatur. Mataraæ Christiani audiebant: & quidem præter excursiones illac locorum obitas a S. Francisco Solano, P. Agnascus & Barcena Evangelium ibi prædicaverant, & baptizaverant plures. Nonnullis religionis officio moribus observaverant; sed præter exteriorem cultum vix quidquam erat reliquum. Et Clerici haud ita pridem e Bonis Auris immissi nomine parochi ministerium parandis & baptizandis constabat Christianorum filiis. Laudandus erat utique, si baptismum conferret solis, quorum vita periclitabatur (*b*). Quoad reliquos tamen characterem impressum in dedecus conjiciebat, nam vix ab infantia egressis pastor aberat, cum religione miscebant superstitionem, & infidelium mores imitabantur.

Unum, certe communissimum Matarais negotium erat, sese invicem ad comessandum & combibendum invitare, nec potum unquam sobria concione circumducere cessabant. Propinquorum obitus anniversarium singulari ratione colebant. Cognatos invitabant & amicos, a quorum singulis occisus struthio conferendus erat. Si plurium celebraretur funus, struthiones totidem esse oportebat, quot mortui lugebantur; fiebat enim seorsim oblatio in supplicationis pompa. Munera præterea invitantibus dabant, & acceptis respondere tenebantur, dum invitarentur. & ipsi. Debitum morte non solutum hæredibus manebat, eratque justa ratio bellandi inter pagos donec satisfieret. Quatuor dies obtinebat festum, unius horæ luctu claudendum. Luctum excipiebat visus sine modo, saltationes, & epulæ, in ebrietatem de more desinuæ cum bacchanalibus, qualia barbarorum in eo statu.

Plerique convertuntur. Male habuit Socios apud homines, quorum multi Christiani erant, tantulum de Christianismo ac de rationis usu reliquum esse; & illic

(*a*) Scilicet ad lacus Paraguariæ & Fluminis Argentei ubi indigenæ contra Hispanos non minus suspicaces sunt.

(*b*) At nullus est infans, cujus vita in tanta nutricum Indarum incuria non periclitetur.

illic Miſſionem exordiri conſtituunt. Debita officia denuntiantibus aures accommodarunt attentas & dociles. Pene omnes pœnitentiæ ſacramento conſcientiam expiarunt: nec aliud parocho quam inſpirata ſenſa conſervare & fovere opus fuit. LX. leucarum iter ad Abiponiam reſtabat: quod cum Sociis aggrediuntur Mataraärum dynaſta & parochus, ille dux viæ cum armatorum præſidio, hic comes: ambo ſpe utramque gentem diutino bello diſcordem conciliandi.

P. Paſtor ſponte oblato non renuit uti auxilio, magis quam putaverat neceſſario. In ſilvas penetrandum erat, quas ſolus tranſmittere niſi longis & imperviis ambagibus non poterat, nec ſe a tigridibus & feris aliis paſſim obviis tueri. Poſt ſilvas in deſerta ventum eſt, ubi aquæ turbidæ uſque adeo & fœtidæ ſunt, ut naribus tantum obſtructis hauriri poſſint. Inde regio aquis exuberat late ſpatiantis Rubicundi amnis, qui dum intra alveum ſe recipit, paludes linquit nunquam exſiccandas.

Abiponum occurſus.

His incommodis Mataraæ, quos non latebant, abſterriti Socios abſterrere conantur: quos ut deſererent prope abfuit; ſed munuſculis opportune ſuffectis & conſtantia retenti ſunt. Dum in fines Abiponum perventum eſt, pavor totum Mataraärum cor occupavit. Paucitatem ad congrediendum cum gente infenſa & crudeli excuſantes ægre confirmantur. Cerqueira, quem duo Mataraæ comittantur ad quærendum præit, qua commodior ſit ingreſſus: qui ut in conſpectum venit, undique fit motus, & paulo poſt equites ducenti apparent laxatis habenis accurrentes.

Nudi penitus non ephipiis utuntur, capillis paſſis & inconditis, effero & minaci vultu & habitu, longa manibus haſtilia trahentes, inermi & fere incomitato terrori ſunt. Sed Miſſionarius barbaris bifariam jam quaſi ad intercipiendum diviſis obviam procedit, & Crucifixo quem geſtabat manu levato ait: „Filii, duo de meis fratribus olim gentilibus veſtris, quorum animos & fiduciam conciliaverant, Jeſum Chriſtum annuntiaverunt. Pari ego ſtudio, & ſalutis veſtræ deſiderio huc per mille viarum diſcrimina veni, veſtris commodis intentus. Fruſtra ſint terriculamenta. Mors mihi chara eſt. Sed abſit a vobis malum, cujus vos ſera manet pœnitentia. A ſolo & inermi nihil eſt quod timeatis. Confidentia, qua vobis me credidi, veſtri gratia hucuſque veniſſe argumento eſt.“

Barbari primo ſuſpenſi viri apoſtolici audacia, deinde ſermone conciliati arma coram deponunt, & ad ſalutandum accedunt. Tunc ait ille, non procul inde retro conſtitiſſe præpoſitum ſuum, virum ætate provectum, & multis Indorum gentibus notum & charum. Filium ductor ad eum mittit invitandum & deducendum: qui ad Paſtorem dum venit, equo deſcendit, reverenter ſalutem dicit, & parentis exponit officium. Paſtor, cui dicta ſalus præter ſpem accidit, & opinionem, confeſtim vlam arripit, a ductore comiter excipitur, & in pagum proximum cum ſocio deducitur equitatu ſequente. Triumphantium more per mediam paganorum turbam ingreſſi, in tugurio pellibus ſtrato recipiuntur hoſpitio. Cibus appoſitus ſi frugalis tantummodo eſſet, jucunde ſapuiſſet, ut erat inedia. Sed faſtidium ferre non potuerunt, inſipidis licet diu aſſueti. Viſcera commovit. Tædium ægre vultu diſſimulant & paucis veſcuntur bucceis.

De converſione ſermo.

Sequente luce Paſtor ante erectam crucem ſacrum peregit, & Crucifixum deinde manu tenens ad barbaros ſermonem habet cunctis ante crucem genuflexis. Gentis princeps nomine *Caliguila* in eundem pagum venit poſtridie, quem Paſtor de conſtituenda apud ſuos ſede interpellat. Lætus annuit ille, & Miſſionarios apud ſe trans amnem Rubicundum invitat. Vota ibi Caliguila petente fuſius exponunt: quibus ille rurſus aſſentitur, ea tamen lege, ne pueri baptizati, ut apud Guaranios mos erat, eccleſiam mane & veſpere convenire tenerentur, ne otioſa conſuetudine, ut Mataraæ bello inertes devenirent.

Replicat Paſtor, Chriſtianæ religionis uſu vigorem confirmari, non extenuari. Cujus rei documento erant Hiſpani, & quos nominaverat Guaraii. Mataraïs bello tunc maxime valuiſſe, dum Chriſtianæ religionis cultum pluris fecerant. His conceſſit exemplis Caliguila. Addidit tamen, non ferendum ut Abipones Hiſpanorum inſtar, & Guaraniorum templum ingreſſuri arma deponerent, & virgis dum peccant cæderentur. Permiſit Paſtor meliorum ſpe, dum Chriſtianiſmus ibi radices ageret. Dynaſtas (Lozanus habet adultos) in Chriſto mortuos in ſummis montibus, ubi patria colebantur numina, ſepelientes contendebant Abipones. Sed reſpondit Paſtor, ſuperſtitionem eſſe a Chriſtianiſmi Sanctitate alienam, etiam ab ipſis damnandam, dum melius ſaperent. Silentio ſpem fecerunt, hac de re haud fore difficiles.

Converſionis obſtacula.

Poſt menſem Cerqueira cum Mataraïs regreditur. Ad datam fidem illud acceſſerat, quod Mataraarum parochus parvulos Abiponum filios præcipue dynaſtarum baptizare voluit, quod nec ille nec Paſtor, niſi imminente morte opportunum judicabant. Imo Paſtor Cerqueiræ mandata dedit, ut hominem admoneret, ne Mataraïs parvulis id ſacramentum conferre adeo feſtinaret, donec Chriſtianæ religionis cultus in eam gentem plane reſtitutus eſſet. Quod ſi monitus ſententiam non mutaret, Epiſcopum de re tota certiorem faceret (a).

Solus Cerqueiræ diſceſſu inter Abipones, parvulos ſeorſim & adultos ſingulis diebus docebat, & lingua *Tonocotéa* ibi gentium nota, in-

(a) Conſultius fuiſſet adniti, ut & parvuli (quandoquidem de filiis Chriſtianorum ſermo eſt) quantocius baptizarentur in tot vitæ periculis: & ſimul opera daretur, ut religionis cultus reformaretur. De cætero ſententia fuit S. Pii V. Summi Pontificis, „ubi Sacerdotes deeſſent, per quos baptizati in ſuſcepta religione continerentur, modum tingendis hominibus adhibendum eſſe, “ ut narrat Hiſtoria Societatis Jeſu Part. III. lib. IV. num. 273. anno 1568.

Digitized by Google

interpretis opé a Cerqueira relicti, brevem catechiſmum confecit. Binas deinde gentes Abiponibus finitimas eſſe cognovit, quas Chriſto conciliandi concepit ſpem. Abipones rogat, ut eo viæ duces eſſe velint; ſed inimicitias cum his gentibus & bellum excuſant.

Jacobopolim rediit paulo poſt, unde abeſſe datum erat tempore jam exacto. Abipones doluit deſerendos, & Cerqueiram ſibi ſubrogandum alio diſtrahi. Operam daturum ſe pollicetur, ne abjicerentur. Et illi fidem quam primum liberet orant. Apud Provincialem ſummis precibus urget, ſed tot Miſſionarios Uruguais occupaverat, ut Abiponibus ne ſuperfuerit quidem unus. Forte tunc non tanti momenti quanti deinceps eſſe putatum, eſt, ſolidam in Chaco ſedem conſtitui, & gentem mitigari qua nulla cœptis ea parte promovendis aptior.

Indici Senatus Conſultum. Tribus poſt annis Matritum & Romam ablegatur Paſtor ad conducendum operas: quarum copiam ad transfretandum reperit Hiſpali paratam. Sed poſtquam mandata reliqua in Europa perfecerat, Hiſpalim regreſſo denuntiatur a Senatu Indico, nequis Regis Catholici non ſubditus in Paraguariam veheretur. Non plures uno Sacerdotes erant, præter terdenos cum novitios, tum ſcholares, quibus hac ratione liceret iter: reliquis in ſuam cuique provinciam repedandum fuit. Et Paſtor uno tantum operario ad Miſſiones præcincto eo mœſtus abit, quod incœpta apud Abipones Reductionibus deinceps infeſtiſſimos proſequi non poterat.

Abiponum natura. Sunt illi corporis habitu procero & robuſto: æſtate nudi, hyeme pelles induunt. Appenſas collo geſtant clavas, pharetram a tergo, arcum dextra non deponendum unquam, longum haſtile ſiniſtra (a). Corpora nuda pingunt colore vario tigridum venuſtatem imitati. Toto corpore perforata pelle, naribus, labiis plumas inſerunt ſtruthionum. Barbâ dehoneſtari ſibi videntur, & enaſcentes forte pilos radicitus evellunt.

Ut capillos promittere liceat, hoſtium aliquem occidiſſe oportet. Laus fortitudinis, & militiæ gradus experimentis conſtant, qualia de Guaicuruis narravimus (b). A teneris inſenſibilitati ſtudent Abipones, & doloribus acerbiſſimis aſſuefacti rident. Et ſentire quidem recte de fortitudine ſatendum eſt, dum eam potius in conſtante grandium malorum patientia, quam in audacia grandia diſcrimina aggrediendi collocant.

Fœminæ teguntur ab imo ventre ad genua. De cætero punguntur vultu maxime & ſinu: & quidquid extat tegumento, coloribus pelle inſinuatis vermiculatum eſt. Occiput omnes radunt. Mortuo dynaſta nomina univerſi mutant, & menſe jejunant, id eſt, piſcibus abſtinent. Singulos ex quoque ſexu filios educant; cæteros occidunt, dum naſcuntur priuſquam alii ſuis pedibus inſiſtant. Impotentiam excuſant, quod parentes nunquam non vagi, plures vectare nequeant.

Vetulas ſortilege deſipientes ægre converteris. Quandam ex his extremo laborantem morbo Paſtor convenit, & æternum a dæmonibus torquendam ait, niſi baptiſmo abluatur. Reſpondit illa, amicos ſibi eſſe, & fuiſſe diu, a quibus nihil erat timendum. Ut erat ea tempeſtate Abiponum diſpoſitio, credi paret, fidem apud eos valituram. Caliguila certe, dum Paſtor abiit, optime comparatus erat. Abeuntem Jacobopolim uſque deducit cum ſubditorum manu, poſtquam eum fruſtra apud ſe retinere contenderat: itineris ſumptus fecit: & diſcedens teſtatus eſt, Patres Societatis ubicumque fore apud ſe acceptiſſimos. Acerbiſſimum itaque Paſtori fuit datam de redeundo, vel ſubrogando alio fidem non potuiſſe liberare. Alias, de cætero, excluſis operariis advenis Evangelii promulgatio in Paraguaria intercluſa eſt. Nondum videlicet apud Indiarum Senatum in lucem venerant cauſæ, quibus de apponenda reſtrictione relatum erat (c), cui certe eo uſque Miſſi anſam non dederant.

Mamelucorum incurſus. Ut narrationis filum recipiam, quo tempore Paſtor ad Abipones parabat iter, bellum a Mameluccis adornari nuntiatum eſt. Extemplo convenit e Reductionibus agmen quatuor mille cum ſagittis, tum fundis armatorum; nam arma ignivoma ſolis ſufficerant ducibus numero tercentis. Caſtra metati ſunt unius diei itinere ab hoſte jam Acaraim tercentum canois ſeu monoxylis ſubeunte. Mamelucci quatuor centum non plures cum fere totidem fœderatis, contempto neophytorum numero, ut ad prædam, ne elabatur, remos concitant.

Profligantur. Aciem ordinaverant in fluviali ſinu neophyti, imperatore Abiaru dynaſta, cujus ſimulato metu hoſtis tumor invaluit, Quinis aut ſenis tantum canois occurrit, quaſi ad alloquium. Eum propius accedere ſinunt Mamelucci. Dumque venit eo ut loquentes audire poſſet, ductor deditionem imperat. Tunc Abiaru animo præſens ductori ad excipiendum reſponſum progreſſo, rapinas & feritatem in Chriſtianos non male meritos exprobrat: pro tuenda libertate mori paratos eſſe profitetur: additque, fœdiſſimum eſſe, Chriſtiani nominis gentem ejuſdem religionis cultorum inſidiari libertati.

Ductore tacito dum progreditur hoſtis, in conſpectum claſſis neophytorum venit, acie ordinata procedentis. Hæc claſſicum cecinit tormento exploſo, quo tres hoſtium lintres merſi ſunt, ad fluminis oram Indiarum Apoſtolum invocantibus Miſſionariis cum imbelli turba. Aquâ fuſus hoſtis terra certamen inſtaurat. Sed impetu a neophytis facto extrema clades in-

(a) Equites, quales jam plerique ſunt, levius armantur, nec niſi longo haſtili ligneo utuntur ut plurimum.

(b) Iidem Abipones & Guaicurui cenſentur cum ſolo diſcrimine quod in eamdem gentem late diviſam cadit.

(c) Vide Decr. Phil. V. inter Docum.

Digitized by Google

instabat, nisi nox recessum secundasset. Abiaru tribus tantum desideratis recedentem, ut insidias vitaret, & miles fessa corpora curaret, sequi noluit.

Postridie mane Mameluccí aciem repetunt. Impigre utrinque concurritur. Ad hostes, qui pridiana cæde pauciores erant, circumdandos Abiaru cornua extendit, quorum impetu confusos magna sequitur internecio. Superveniente turbine cessatum est, & hostium reliquiæ in silvam dilabuntur. Vestigiis instant victores dissipato turbine, & tertio acri & cruento certamine per partes utique diversas manus conferunt. Tandem hostis post validam luctam usus locorum opportunitate ad tutiora properat. Tupiorum strages maxima; quorum plures ad neophytos defecerunt, Mameluccorum superbiam & immanitatem, ajebant illi, non passi. Hoc postremo certamine tres alii neophytorum cæsi, quadraginta vulnerati sunt.

Certamina varia.

Mamelucci Reductionibus appropinquare non ausi Indos alios procul adorti sunt, sed infelici exitu. Aliunde neophyti Theresiani, qui post Reductionis excidium ad Tebiquarim (*a*) mare brasilicum ut supra dictum est influentem confugerant, hostium turmam offendunt, cui non noti adhæserunt amicorum loco habiti. Sed irruentes improviso hostem concidunt, & in Paranæ Reductiones se recipiunt. Prædatorum manus altera per infideles, quos oppugnabat, cæsa est. Tertia periit eodem tempore cum ductore. Et Indi Mameluccorum socii eadem qua Theresiani arte usi sunt pari exitu: quod & quibusdam Caaiguais contigit. Post modicas clades solertioribus Indis haud modicus stetit victoriarum fructus, quibus MCC. Mamelucci cecíderant, & magna fœderatorum pars. Hinc fere omnium persugarum reditus & unio, qui metu servitutis a Reductione defecerant: & aliorum libertas & fuga, quibus jam captis custodias fallere licuit.

Indæ facinus.

Par miraculo fuit quatuordennis Indæ facinus, quæ nondum Christiana cum neophytorum turba simul capta fuerat. Raptoribus aliquando ad fluminis oram commoratis, monoxylum ad arborem seorsim alligatum vidit. Enodato fune conscendit, vel clam, vel nemine quod res erat fugam seriam suspicante. Longius abeuntem nomine vocant. Surditatem illa simulat. Voce minantur, & enixius illa progreditur. Ad persequendam non cymba non inter erat. Tela mittuntur, sclopi crepant, sed incassum. In adversam ripam manibus incumbens pro remo venit, & in silvam penetrans videri desiit.

Qua providentia evasit, in Christianorum conspectum venit, in proximam Reductionem deducenda. Benigne acceptæ haud ægre persuasum est, receptam libertatem Dei Christianorum esse donum, qui eam & a dæmonum potestate liberatam vellet. Catechumenis adnumeratur: mox baptismo digna visa est, quem summis expetebat votis. Misericordias Domini laudabat, qui libertate mortis periculo receptæ libertatem multo pluris æstimandam addiderat.

Familia singulari ratione libera.

Nitidius anno sequente providentiæ documentum extitit. Infidelem cum uxore & filiis deportaverant Mamelucci. Filiæ duæ, altera decem, altera terdecim annorum ætate, & nepotum unus, eos quidem latrones evaserant, sed in aliorum manus móx inciderant, in diversa loca abducendi. Filiarum ætate major fugam raptoribus meditari visa, verberibus cruentatur, & fune trahitur collum circumducto. Post centum leucarum iter, spem simul & consilium elabendi abjecisse rati, escas cum aliis ut colligat, in silvam dimittunt vinculis absolutam.

Procul ab hero dilabi constituit omnino. Num abiret sola secum consultabat, cum apparuit soror ætate minor cum filio fratris radicibus & fructibus legendis intenta. Consilium iis, quod mente versabat aperit. Deliberatione ut trium vix fantium habita, quantocius elabendum censent. Rei ad exitum perducendæ difficultatem, & subeundos casus ne mente conciperent, fecit servitutis horror. Illud caute prospiciunt, latebras per diem quærendas, nec nisi noctu iter agendum, tum æstus causa, tum ut occursus Mameluccorum, hostiumve barbarorum vitent.

Post mensem ad Uruguais oram ventum est, sic tamen ut nec jam progredi, nec stare possent præ lassitudine. Abjectam prope canóam vident, tam exiguam ut eos vix caperet. In eam conscendunt, sed pluribus fatiscebat rimis. His obturatis, decurrentibus aquis duci se sinunt. Visa procul canóa multo majore cum remigibus, ad oram applicant silvescentem, ubi quærentium oculos fefellerunt. Erat in his latentium pater, qui Mameluccorum manu cum uxore & filiis reliquis elapsus in Reductiones confugerat, & nomen dederat Christo: atque ab Apostolica quapiam excursione cum neophytorum manu revertebatur. Sed ab excursoribus aliis terrestri itinere redeuntibus inventi sunt pueri, & in Reductionem delati, quo jam pater pervenerat. Eos hic ex tempore novit. Gaudentis clamoribus, amplectentis lacrymis excitati incolæ accurrunt. Mater nuntio stupens ægre primum adducitur ut filias recognoscat, longe a Mameluccis abductas. Cor tamen notas fecit, nec diu dubitare finit. Eas perfundit lacrymis, non quales ex captivitate fuderat. Fratres succedunt, atque sorores & cognatem amplexantur. Familiæ gaudium in universum pagum diffunditur. Spectaculum quo tenerius forte nunquam inciderit. Pueri reduces illico adduntur catechumenis: & baptizatos pater & mater Reginæ cœlorum devovent, cujus protectioni libertas referebatur accepta.

Reductionum status.

Reductionibus tunc pax erat, & procul a Ma-

(*a*) Tebiquaris alter Paraguaim influit. Hujus nomen usitatius est *Flumen Grande*.

Digitized by Google

Mameluccis timor. Ejus Reipublicæ Christianæ forma pene fastigium attigerat. P. Franciscus Lupercius, qui a Boróa provinciæ præfecturam acceperat, visitationem instituit baptizatis præter infantes quotquot paratos invenit. Unde triginta Reductiones ad Paranam & Uruguaim erant cum denuo instauratis. Bini Sacerdotes redintegrando fervori ex præteritis calamitatibus ad Urúguaim maxime tepefacto, & mortuorum, deportatorumque in Brasiliam numero supplendo intenti singulas curabant. Cœli benedictio magis spectabilis in dies erat: & profligatis qui tot religionis detrimenta moverant, exterritis per exempla severitatis, quorum vacillaverat pietas & fides, atque conspicuis misericordiæ documentis, palam fecit Dominus, & fidendum summæ bonitati, & patientia non abutendum.

Religionis persecutorum sors varia.

Id eluxit maxime duorum ad Uruguaim principum sorte, quos Christiani infestissimos experti erant. Alter, eorum pariter atque pastorum odio, nec dubium quin & amore lucri, cum Mameluccis fœdus inierat, cui deinde renuntiaverat spe dejectus. Remoto comitatu Mameluccis occurrens sanguine defectionis pœnas dedit. Alter corporis habitu, ait Techo, gigas lingua viperina terror neophytorum devenerat, & inexhaustus pastorum calumniator. Tunc demum ajebat moriturum se placide, cum Christianas fœminas corrupisset universas, & Jesuitarum postremi sanguine lavasset manus.

A Deo percussus etiam est, sed eum perdere nolente. Uxor a Mameluccis eorumve sociis manu capta plusquam barbarum in modum occiditur: & quo tempore nuntium ille accepit, crus habuit conquassatum. Clamantem audiunt qui prope aderant neophyti, qui primo ad malorum quæ intulerat ultionem moti sunt. Opportune adfuit Missionarius, ad quem illi tempus esse ajunt periculosum hostem debellandi. Sed quærit ille, num obliti sint Christianorum esse, pro male factis benefacta reddere? Jacentem in proximum deferri pagum, & vulnus obligari curat. Sanitati restitutus corde resipuit, charitatis erga immeritum officio conciliatus. Mox religionem Christianam ex iis quæ inspirat sensis probatam amplectitur & colit.

Complures servitute liberi.

Eodem tempore innotuit Mameluccos Reductiones adoriri non ausos, rure discurrentes obvium quemque capere, & Christianorum multos rusticantes abduci, fœminas impudicos ardere, renitentem viduam jugulasse. Agmen neophytorum conscribitur, qui hostem ad Tapensia usque montana persecuti plerosque occidunt, amplius bis mille captorum liberant, quos inter & infideles erant, qui servatoribus dediti in fidem Christi accepti sunt. Tunc Mameluccis persuasum est, in Reductionibus & vicinia nihil sibi fore tutum.

1643. Laudabile Hispani factum.

Anno sequente Jesuitæ, quibus in provincia Paraguaria unum Cordubæ Collegium satis commode constitutum erat, armentum quo præcipue stabat, sublatum contagio fere totum amiserunt; sed adfuit cumulate Dei providentia. Cordubæ civis erat nobilis & opulentus Alphonsus Nieto de Herrera duo de septuaginta natus annos, post quadragesimum uxore orbatus & prole. Conspicuis honeste & sobrie functus muneribus maxime venerandus erat facto, quod heroicum sonuerit ab infrequentia etiam inter discipulos Hominis Dei præcepto & exemplo informatos.

Quo tempore Alphonsus rem publicam cum imperio gerebat, a nobilium altero impacto colapho publice, & verbis ultra modum injuriosis offensatus erat. Illico in custodiam trahitur aggressor, dum acta conficiuntur ex lege. Vulgi sententia damnatus erat, & perditus, cum Alphonsus collegii templum ingressus est, & Crucifixum contemplanti venit in mentem oratio Salvatoris ad Patrem pro carnificibus. Ea motus in lacrymas effunditur. Dolet in custodiam traditum qui offensaverat. Eum convenit, & provolutus ad pedes spondet se fore causæ patronum. Inde Judicem adit, nec nisi venia reo impetrata recedit: quod eo tunc facilius erat, quia nondum causam susceperat civile forum. Ad hæc actorum sumptus in se recepit.

Adeo generosa victoria sui victricem gratiæ conciliavit opem, qua ad eximiam vitæ sanctitatem brevi perveniisse palam visus est. Post aliquot annos Cordubam venit ex Hispania Alphonsi sororis filius & unicus hæres; sed mundi fastidio captus Societatem ingredi constituerat. Avunculum, cui rem aperit, idem consilium meditantem invenit. Rectorem Collegii conveniunt una, qui ad ejus momenti negotium animum reflectere, & Dei voluntatem, priusquam quidquam statuant, exquirere jubet. Quid eorum subsit voto in mentem revocat. Examinat, & per alios a prudentia commendatos, & partium studio liberos, vocationem examinari curat. Quam potuit maxime cunctatus tunc demum annuit, cum de voluntate Dei non licuit dubitare.

Alphonsus ætate usque adeo provecta ejus provinciæ laboribus impar erat; sed præterquam quod eximia sanctitas vires imbecillis addit, precibus & meritis Sanctorum fœcunditas accrescit apostolicis incœptis: ac dum manus ad cœlum Moysis instar orando levant, potiorem sibi quam pugnacissimi vendicant victoriæ partem. Sororis filius ætate valida, judicio solido, mente exculta stadii cursum inibat, & sacrificium quo se devoverat, argumento erat conficiendum strenue. Nihilominus Societatem gravandam rati bona sua Cordubensi collegio antequam vota nuncuparent, concedunt: quo & factam jacturam reparare, & fabricam interceptam promovere potuit.

Operarum inopia.

Interea spes in Chacum penetrandi denuo a P. Medina facta, concidit operarum inopia. Opus erat ad promovendam Missionariis Calchaquiorum uti; sed missio haud inauspicato

ſuſcepta, non erat mutanda cum conſilio toties irrito. Deſperabatur quidem ſincera Calchaquiorum converſio; ſed miſſos non inviti apud ſe retinebant: nec obſtabant miniſterio. Infantium fere nullus mortem obibat illotus: & eos apud Deum pro genitoribus interceſſum ire ſpes erat; paria de Chaco numine ſibi promittere audente.

Sociorum inopia cum religionis detrimento Paraguajenſibus Miſſionariis gravis erat; gravior inſtabat ſolicitudo. Jam diu turbo invaleſcebat, qui poſt diuturnum fragorem erupit tandem, & perſecutionem concivit, qua nulla forte Societati ſuæ contigit acerbior & pertinacior. Auctoris dignitas, & elogia reddita per eos quibus arma ſuppeditabat, animos etiam Societati non infenſos ſuſpenſos tenuit. Vetus & Novus Orbis atris reſonabat criminationibus libellorum alluvione Jeſuitis Paraguajenſibus irrogatis, quorum immunitas moribus & vitæ ratione tuta conſtare videbatur. Tandem veritas inſperſam caliginem pervaſit: cujus evidentiam fecerit ejus notio, qui turbinem excitavit. Ipſe ſe ſcriptis & geſtis ſic delineavit, ut vel ex eo, quorum intenderat ruinam, ſtet ſalus. Non itaque laborandum mihi eſt, ut imaginem exornem, ex authenticis documentis proponendam.

Imago D. B. de C.

D. Bernardinus de Cardenas Platæ natus, quæ Charcarum caput eſt, ſtirpe nobili, Ordinem S. Franciſci ætate tenera ingreſſus eſt. Ardente præditus imaginandi vi, poſt Teologiæ & Sacrorum Canonum ſat ſuperficiale ſtudium, verbi miniſterium ſuſcepit: quo, ut valebat memoria, confidentia, & facilitate, ſe magnopere ibi probavit, ubi facilius ex ſplendido, quam ex ſolido nomen emergit, ubi enthuſiaſmus facile ſpeciem ſanctitatis affundit. Homo cæteroquin populo a viſionibus & revelationibus, quas ipſe ſtrenue curabat publicari. Ecſtaticus in ſumma, quo forte nullus unquam extitit plenior & periculoſior. Primo experimentorum ſucceſſu præſes Conventus Platenſis a Superioribus renuntiatur: quos tamen brevi pœnitere cœpit.

Ex rerum deinceps geſtarum ſerie nihil ardebat magis ſanctitudinis ſpecie, qua dotibus ingenitis accreſceret fulgor: eamque credidit conciliandam populari ſtridore. Domo prodiit aliquando capite cinere aſperſo, humero impoſita gravi cruce, quem ſubditi religioſi ſecuti nudata terga flagello cruentabant. Non omnibus factum probavit, quod ut Superioribus Ordinis innotuit, de gradu dejectus eſt, & intra conventum ſe continere juſſus. Tempore vacationis ſtudio Sacræ Scripturæ dat operam: & ſuggeſtum repetentem plauſus ut cum maximus excepit. Auditorum animos vivacis & patheticæ eloquentiæ tractibus conciliabat, & in privata conſuetudine ſermonis gratia, vultu ad modeſtiam compoſito & macerato. Imprudentia, quam non impunis admiſerat in oblivionem tradita. Eam plures etiam tunc ſancti hominis exceſſum probro non dignum arbitrati ſunt.

Miſſionarius Apoſtolicus renuntiatur.

Haud ita poſt Archiepiſcopus Platenſis Concilium Provinciale celebravit, ut nempe Indorum inſtructionem & mores ibi locorum, ſeu miniſtrorum ſeu zeli inopia, neglectos reformaret. Opera Regularium utendum fuit, oculis Epiſcoporum inter primos in Cardenas conjectis, eo maxime quod facilis erat eloquio, nec ille quidquam prætermiſit, ut præconceptam de ſe ideam ſecundaret. Magnam provinciæ Charcarum partem percurrit: ſemel & ſubinde ſæpe in ſingulos dies prædicabat: audiebat undique miraculorum patrator, cœleſtibus viſis & revelationibus illuſtratus.

Prædictionum ſucceſſus.

De jejuniis, auſteritate, de opprobriis & injuriis per infideles illatis, de converſionibus innumeris ejus miniſterio peractis, nullibi non erat ſermo. Mira populorum ad Sanctum quem appellabant confluentia. Murmurabant aliqui. Si tamen potuit multitudo favore non ſemper præjudicato decipi; potuit & fieri, ut de quibuſdam zeli irregularitatibus, de attributa oſtentatione, de itinerum apparatu, perperam & injuria judicaverit. Nam quamquam pedes ibat, & crucem geſtabat pro baculo, populi catervatim ſequentis acclamatione reſonabat æther.

De argenti fodinis rumor.

Oppidum Cochabamba (*a*) triginta Potoſio leucis, viginti quinque inter boream & occaſum (*b*) Plata diſtans, expeditionis Apoſtolicæ terminus fuit. Poſtquam miniſterio ſolitis concurſu & ſtrepitu functus erat, rumor invaluit, per Indos quoſdam de certis argenti fodinis nuntium accepiſſe, ea tamen lege ut locum celaret, donec ipſi cum Hiſpanis in pacta convenirent. Etſi conventio immodicis Indorum petitionibus protrahebatur, uſque adeo exaggerata eſt fodinarum opulentia, ut Cochabambæ Magiſtratus Proregem Comitem de Salvatierra (*c*) certiorem fecerit de rei ſumma. Omnia Miſſionarii laudibus reſonabant, qui ſimul animarum ſaluti ſtrenuam dabat operam, atque patriæ commoda procurabat.

Limam vocatur.

Interea Superiorum mandato Limam iter intendit, nec dubitatum quin fodinarum cauſa. Imo pluribus jam ex eo perſuaſum fuit, tam eximium erga rempublicam benefactum mitra continuo remunerandum: qua fide vel tenuiores ad iter neceſſaria ſufficere certabant. Proditum eſt, neminem refutaſſe. Et ille quidem de fodinarum invento adeo nullus dubitabat,

(a) *Oropeſa* nomine condita fuit in Valle *Cochabamba* a D. Franciſco de Toledo pro Rege. Sed Vallis nomine vulgo appellatur. *Charlevoix*. * Imo condita eſt ſedes *a Petro de Cardenas* anno 1565. quatuor ante Toletani ſuſceptum regimen annos, Sed octo poſt annis a Toledo pro Rege ex Comitibus de Oropeſa inſtaurata nomen accepit novum uſu deponendum, cum antea vocaretur *Villa a S. Petro de Cardenas*.

(b) Sub gr. 18. min. 31. lat. auſtr.

(c) Imo Comitem *de Chinchon*, qui hoc tempore Peruvium pro Rege moderabatur; nam Comes de Salvatierra regimen auſpicatus eſt anno 1648.

Digitized by Google

sabat, ut cumulatum rependere quidquid acciperet pollicitus sit. Sed accidit inopinato, ut Proregem Limæ conveniens a vestibulo repelleretur. Stupor additus receptu ad sui Ordinis Conventum divertenti.

Jam Proregi compertum erat, ex vano esse rumorem factum. Atque Prælati Ordinis, si minus quod alii Missionarium conciliandi sibi favoris gratia suspicabantur auctorem; at certe Indis temere præstitisse fidem, & Hispanis ansam obloquendi criminabantur. Aliunde noverant, per Missionis occasionem plures ecclesiasticos & religiosos Indorum peregre post Missionarium abeuntium parochos offensatos: spectacula quædam, qualia Platæ, in scenam producta: & concionanti propositiones quasdam inconsideratas excidisse, inquisitioni obnoxias.

In recessu gesta. Hospiti ergo significant, aliquandiu officiis regularibus vacandum in recessu; religionis & modestiæ spiritum renovandum: argumenta quædam, quæ non satis capiebat, studio recolenda: repetendumque, quod ægre portari videbatur, obedientiæ jugum. Limam eo vocatum esse, ut infectationibus subtraheretur: mentem serio reflecteret ad gestorum irregularitatem. Obedire oportuit. Sed in recessu acta prælatorum judicium satis comprobarunt. Apparuit illico, solitudinem æque ac dependentiam gravem esse, ea talenta injuria intra cœnobii latebras sepeliri credenti. Amicis & protectoribus comparandis vacabat, & litteris ad Regium Indiarum senatum scribendis, quibus magnum salutis Indorum, & Christianismi propagandi ardorem præ se ferebat. Inter alia diserte profitebatur, Indorum curam Regularibus, se quidem judice, non esse credendam. Qua de causa in hoc consilium venerit, non omnibus probatum est; sed fortasse nec improbatum, donec innotuit, si quid petivit, impetrasse.

Episcopus renuntiatur. D. Joannes de Solorzano, author Operis latine (a) scripti ad firmandum Regis Catholici jus in Indias occidentales, Limanæ Curiæ Senator, deinde Guancavelicæ in Peruvia Prætor concionantem audierat, & magni habebat Cardenam: Regi tubo erat a consiliis de rebus Indicis, cui illius scripta vel mitti, vel ostendi promtum ad fidem est. Illud est certum, Paraguajensi Episcopatu vacante P. Cardenam apud Regem magnopere commendasse ut præficeretur (b): qui Limam delato nuntio plenam ex promotione libertatem postliminio recepit.

Protosium petit. Potosium petit spe forsasse Bullas ibi citius habendi. Habitu Ordinis indutus erat, pectorali ex ligno crucicula, & viridi (c) pileo: atque sic comparatus confessiones audire, & prædicare cœpit, nullius petita venia. Auditoribus & confessis studio significabat, paupertatem religiosum fidelium charitate ad simptus novæ dignitati consentaneos indigere. Et populus, cui indulgentias, & pia munuscula distribuebat, ex Ecclesia in diversorium bene precando comes ibat.

Potosina parochia tunc forte vacante, curam interim suscepit: imo & eam Platensis Diœcesis partem visitans obivit. Zelum, quo pro salute animarum ardebat, multi excusabant, modestiam Episcopi admirantes ad curiales minutias abjicientis se. Sed Archiepiscopus insalutatus sic in sua diœcesi operantem ægre tulit. Dissimulavit tamen, quod de Auditorio Regio quidam Potosini assentiebantur.

Solum mutare jubetur. D. Bernardini imprudentia discessum nemine improbante indicere coactus est. Ingenuus Indicola, cujus morituri confessionem exceperat, summam ei facultatum X. scutorum millibus constantem donavit. Vocatus deinde ad Didaci de Bargas Hispani confessionem, legatum scutorum quinque mille alteri destinatum mutari fecit, & in se transferri. Hinc obloquentium rumor, & opinio de cupiditate sinistra. Archiepiscopus ut certior est factus, scripto petit, ut diœcesim mutet, in suam ex regio diplomate, donec acceptis bullis consecraretur, moderandam concedat (d).

De bullis sollicitudo. Archiepiscopi, qui Paraguai metropolitanus est, petitionem imperio sustinendam veritus solum mutat. Apud adhærentes iter in tetricum Diœcesani humorem refert. Sed erat quo ex eo conceptum mœrorem solaretur, opulenta sacelli & palatii episcopalis nec obolum habenti supellex addita. Assumptiopolim nisi consecratum adire renuentem solicitabat mora bullarum: quæ tamen nondum facile potuerant ad eum pervenire.

Consecrationis petitio. Haud temere solicitus erat, nec una causa timendi, ne forte adversa rebus suis ad Curiam delata documenta Regem acerbassent. Ut factum præveniret, quam primum sacrari constituit: & via ad id assequendum arrepta nimium malo suo constat. Ut palam fiat, meminisse juvat quod supra notavi de præsentationis & confirmationis epocha, quam in Hispania per Generalem Regii Indiarum Senatus Secretarium, & Romæ ex Consistorii regestis, ubi dies & annus institutionis Episcoporum consignantur, comprobandam curavi.

Scire non potui quo demum tempore D. Bernardinus Potosio cesserit. Illud certe constat, inde in Tucumaniam profectum Saltam venisse Augusto 1641. Collegium Jesuitarum adit in primis, ubi post multam fiduciæ significationem, & spiritualem Paraguajensis Diœcesis vastitatem, & remedium non differendi necessitatem exaggeravit. Addidit, se dubitare non posse de bullis suorum arte inimicorum interceptis, scire se ante duos annos

(a) Latine scripti, & Hispanice. Nam Opus latinum *de Indiarum Jure*; Hispanice reddidit fere ad verbum sub titulo *Politica Indiana*.

(b) Regiæ præsentationis litteræ datæ sunt 18. Maji 1640. Romæ confirmatus est 12. Augusti eodem anno. Mense Octobri anni sequentis 1641. nondum Bullis acceptis consecratus ab Episcopo Tucumaniæ. *Charlev.*

(c) Viridi subtus, ut par est, & fert Episcoporum usus.

(d) Regium diploma bullas præcedere solet, ut Capitulum electo Ecclesiæ regimen permittat. *Charl.*

Digitized by Google

nos expeditas, idque ex binis litteris, quarum altera Decembre 1638. a Cardinale Antonio Barberino de expeditione monebatur; altera Regis Hiſpaniæ ſine data Epiſcopus appellabatur.

Ex litteris ſuppoſitis Jeſuitarum ſententia.

Harum quidem litterarum primæ evidens eſt fictio: nec ego credere, nec aliis perſuadere poſſem, unquam a D. Bernardino productam eſſe, niſi a ſuo procuratore in libello ſupplici Hiſpaniæ Regi exhibito, & typis edito ad illius cauſæ patrocinium allegaretur (a). Socii Collegii Saltenſis quærenti num poſſet eo de expeditis bullis documento, nondum acceptis conſecrari, reſponderunt, ex ſententia quidem ſua poſſe. Petenti, ut reſponſum ſcripto tradant, negare non audent.

Cordubenſes refragantur.

Scriptum credidit P. Boroæ Collegii & Studii Cordubenſis Rectori cum litteris 18. Auguſti datis, quibus ajebat, licet doctrinalis Patrum Saltenſium ſententia ſat ſibi eſſet, ut poſſet ante bullas acceptas conſecrari, ſuam & ejus Univerſitatis aſſenſionem, quam ſperaret fore conformem, optare, poſtulare nihilominus ſe, ut eam novis confirmaret rationibus: ad S. Jacobi perventurum certe 20. Septembris, ubi reſponſum expectabat. Imo reſponſum anteverterat in hæc verba: „ Ill. Dne. Litteras Ill. D. T. Saltæ 18. Auguſti datas accepi nudius tertius, quæ mihi T. D. ſervo rubori ſunt. Bullarum tarditatis me piget, nec dubium quin ſalutis animarum adverſarius uſque adeo digni prælati in ſuam eccleſiam adventum morari contendat. Sed ejus conſilia a Domino diſſipanda ſpes mihi eſt. Quantum ad ea quæ T. D. I. a me petit, hujus Collegii profeſſoribus Theologiæ ſcripti P. Coſmæ de Soſia (b) examen commiſi, ut piis votis obſecundarem. Ille quidem vir eſt habilis; ſcio tamen librorum ejus argumenti penuriam pati. Hic certe nullus Canoniſta, Theologus nullus inventus eſt, cujus ſententia poſſit Epiſcopus non exhibitis bullis conſecrari. Utinam magis ad votum reſpondere poſſem, &c. “

Has litteras Paraguajenſis præ ira laceratas occuluit. Summam earum maxime celavit Epiſcopum Tucumaniæ, cui ſi prius innotuiſſent, certus erat abſterrendum a conſecratione. Haud ita poſt Ribogia ſcripſit Tucumanenſis D. Melchior Maldonado: „ Tua D. Ill. a Collegii Cordubenſis Sociis quæſivit, an poſſet ante acceptas bullas ſacrari: & illi quid ſentirent reſponderunt clam, & reverenter. Quibus verbis ignoro. Scio tamen, Rectoris litteras iratum laceraſſe. Factum excuſari nequit, & qualiſcumque fuerit ſententia reſpondentis, iraſci non oportebat, quandoquidem licet cuique ſuam ſententiam manifeſtare ſalva fide. Dedecet eo magis Te voluiſſe quod non licet, & adverſus proferentem quod juſtum eſt, excanduiſſe. Et ego injuria de re celatus ſum, quæ directioni eſſe poterat, idque in materia momenti non levis, ut tuis annuerem votis, &c. “

Addit deinde, illum in Tucumaniæ diœceſin ingreſſum, quaſi S. Bernardi ſimulacrum inferret: incolas illius ſanctitatis, præſtantiumque dotium opinione plenos, proprium Paſtorem velut virtute vulgarem, capacitate mediocrem intuitos: nec illi invidum, nec ſe ſibi eſſe ignotum, ſed mirari non nihil, in aliena diœceſi, omni poſthabita officioſa ſignificatione, operantem haud aliter atque ſi eſſet S. Paulus. Paraguajenſis videlicet, etiam antequam ſacraretur, ſic in Tucumania ut Potoſii ſe geſſit: concionatorem, confeſſarium (c), parochum agebat, de jure ſic operandi ſine Ordinarii licentia tam ſecurus, ut ne Jacobopoli verbum hac de re pronuntiaverit; ſed illico propoſitionem exprompſerit conſecrationis ſine bullis, expeditis jam pridem, ut ſe ajebat noſſe, at inimica manu interceptis.

Conſecratur.

Principio negavit Tucumanenſis rem eſſe quæ fieri tuta conſcientia poſſet; ſed acri Paraguajenſis ut valebat opinione doctrinæ contentione, & Saltenſium maxime conſilio dubia poſthabuit, & annuit. Indoluit deinde cum de Rectoris Univerſitatis ſententia certior eſt factus; & de illata ad agendum quod nollet vi datis litteris conqueſtus eſt, quibus ait: „ Tua Ill. D. die, noctu, per ſe, & per alios, voce, ſcripto, neceſſitatem ſuæ eccleſiæ ſubveniendi objicere non ceſſabat . . . Dubitationes & ſcrupulos tuæ ſanctitatis & doctrinæ opinioni poſthabui . . . Nihilominus ſubmiſſionem meam, & obedientiam erga Summum Pontificem Eccleſiæ caput profeſſus ſum, & nullam me Tibi poteſtatem, juriſdictionem nullam conſecratione conferre; conferendam ante bullarum adventum a ſolo Capitulo. Hiſque præcautionibus ad utriuſque immunitatem neceſſariis, judicantium poſſe me anxietatem deponere ſententiæ conceſſi. “

Circa medium Octobrem 1641. quatuordecim poſt bullarum expeditionem (d) menſibus peracta ordinatio eſt. Et Sacra Congregatio Concilii deinde cenſuit, conſecrationem litterarum apoſtolicarum exhibitionem præcedentem, non eſſe legitimam, tum hac ratione, tum quia conſecranti Epiſcopo duo pro Epiſcopis Canonici adſtiterant ſine Papæ diſpenſatione. Quoad characteris impreſſionem fuiſſe validam, ſed nullam & invalidam quoad licitum epiſcopalium munerum exercitium & uſum. Ex quo fit, Paraguajenſi nullam fuiſſe in ſua diœceſi juriſdictionem, quandoquidem cenſuris, quibus ex ordinationis irregularitate, ex adita poſſeſſione ſedis, ex obitis epiſcopalibus officiis, obſtrictus erat, tunc primum abſolutus eſt, cum non rediturus ex Paraguaria ceſſerat (e). Rex litteris Fragæ in Ara-

(a) Eamdem epiſtolam Romæ laudavit, dum a cenſuris petiit abſolvi, ut ſuo loco narrabo. De data ſiluit tamen. *Charl.*

(b) Nomen hoc erat Collegii Saltenſis Rectori, deinceps a Societate ad O. P. translato.

(c) Imo vero diſcrimen erat, quod in diœceſi Charcarum cujus eſt Potoſium, antiquam habebat Sacramenta conferendi facultatem, qua carebat in Tucumania.

(d) Expeditæ ſunt 18. Auguſti 1640.

(e) De neceſſitate abſolutionis declaratio prodiit 6. Februarii 1658. & hiemps antea ceſſerat e Paraguaria.

Digitized by Google

Aragonia 25. Julii. 1644. ait, mirari se, Paraguajensem ante acceptas bullas consecratum esse: quod exempli erat minime boni.

Cordubam petit. E S. Jacobi Cordubâ iter habuit D. Bernardinus, ubi a Jesuitis omnium primis officiose compellatur. Collegium mox invisenti salus oratione ligata, & soluta dicitur a scholaribus. Annuit Rectori, ut communem mensam honorare vellet oranti: & sub prandium orat ille, ut suam consecrationem scripto a professoribus post ipsum subscripto, approbando tot officia cumulare velit. Jam antea dixerat, Jesuitis sacrorum ordinum candidatis velle se primitias Episcopatus conferre. Et Rector responderat, nullum eo quidem tempore candidatum esse, nec esse suum, sed absentis Provincialis quemquam ad sacros ordines aptare. Prælatus conceptum ex diverticulo mœrorem dissimulaverat.

De scripto postulato major erat Rectori solicitudo. Palam tandem respondendum fuit, sine piaculo reddi non posse, quod Theologi sui, & quotquot consulere potuerat, illicitam censerent consecrationem. Verisimile est, de hac etiam responsione celatum Tucumanensem, cujus non acerbandam bonam fidem Jesuitæ censebant. Voluit omnino Paraguajensis, scriptam facti approbationem, quam præstitit D. Joannes de Solorzano, in cujus sententiam alii per Hispaniam concesserunt, donec oraculo Sacræ Congregationis definitum est ut sequitur.

S. C. oraculum. Episcopus Civitatis, ut vocant *della Assumpta* Provinciæ Paraguariensis in Indiis Occidentalibus possessionem episcopatus apprehendit, & se consecrari ab Episcopo Tucumanensi curavit, non præsentatis litteris apostolicis, quæ tamen revera concessæ prius, & expeditæ fuerant, deque ipsa expeditione & concessione præviis quibusdam informationibus aliqualiter constabat. Consecratio autem ipsa ab unico Episcopo Tucumanensi, assistentibus duobus Canonicis peracta fuit, non adhibito apostolicæ dispensationis indulto, quod tamen reipsa pridem concessum fuerat, & sub aliquali hujus concessionis notitia, aut saltem præsumptione (quia videlicet Summus Pontifex solitus sit dispensare cum Episcopis consecrandis per Indias) prænarrata consecratio peracta est. Qua supposita facti serie quæsitum fuit:

Primo, an prædicta possessio non præsentatis litteris apostolicis apprehensa fuerit legitima?

Secundo, an prænarrata consecratio, ut supra peracta fuerit valida? ...

Sacra Congregatio EE. CC. Concilio Tridentino interpretando a Sede Apostolica præpositorum die prima Septembris 1657. respondit ad primum non esse legitimam.

Eadem S. Congregatio die 15. Decembris 1657. re mature discussa secundum ea quæ proponuntur, respondit ad secundum, supradictam consecrationem Episcopi Paraguariensis, quantum spectat ad sacramentum & impressionem characteris, fuisse validam; quantum vero spectat ad licitam executionem ordinis fuisse irritam & inanem; & Episcopum ita consecratum, & respective consecrantem indigere absolutione & dispensatione, quas illis esse concedendas S. Congregatio censuit, si SS. Dno N. placuerit.

Qui die 6. Februarii 1658. audita relatione cum rationibus, paterna benignitate jussit, absolutionem & dispensationem prædictis Episcopis concedi per litteras apostolicas in forma Brevis. F. Card. Paluccius, Præfectus. Loco sigilli impressi armorum suæ Eminentiæ. Gratis etiam quoad scripturam. C. de Vecchiis. Episc. Clus. Suarum Eminentiarum Secretarius.

HISTORIÆ PARAGUAJENSIS

LIBER DECIMUS.

ARGUMENTUM

Litteræ Paraguajensis ad Rectorem Univensitatis. Gesta apud S. Fidei, & Corrientes. Assumptionem ingreditur. Pars Capituli secedit. Singularia devotionis opera. Prætoris indoles. Franciscani Episcopo adversantur. Ordinationes. Pax cum Guaicuruis, quorum aliqui baptizantur. Conventus Prædicatorum solo æquatur. Bullas accipit Episcopus. Cum Prætore rixæ. Erga Jesuitas officia. Vis illata Episcopi cognato. Interdictum. Litteræ Episcopi Tucumanensis. Rei publicæ turbatio. Episcopus publice se flagellat. Nuntius ut ex revelatione. Contra Prætorem consilium. In Jesuitas Episcopus acerbatur. Ordinandi reprobantur. Novum interdictum. Ad Curiam provocatio. Prælatus Jaguarone. Prætor qua ratione exceptus. In Cathedrali turbæ. Denuo rixantur Episcopus & Prætor. Hujus agendi ratio. Episcopi petitio. In Socios ardet immemor. Interdictum. Mandata suspendit. De Guaicuruis. Litteræ Proregis. Congressus Prætoris & Provincialis Dom. Classes interdicuntur. Prædium Sociorum occupatur. Fidelitatis juramentum. De Sociis inspiratio. Quid eorum culpæ vertitur.

1642-43. Litteræ ad P. Boroam.

NOn diu Cordubæ moram traxit Paraguajensis, post quam Boroa consecrationem approbare renuit. Animi acerbitatem dissimulavit, donec ad S. Fidei ventum est: unde litteras ad eum dedit 23. Februarii 1642. adeo felleas, ut Episcopus Tucumaniæ rem miratus in hæc verba scripserit ad Paraguajensem: „ Ex Cordubæ incolis novi, Jesuitas hujus urbis Tibi quidquid honoris & officii penes eos erat exhibuisse, & Rectorem nihilominus litteras accepisse, quas vidi . . . Majestatem certe, & modestiam Episcopi dedecet ista scribendi ratio. Aliter Episcopum, aliter ad religiosos scribere decet. Utinam Tua scribendi forma minus nota mihi esset, ut litteras esse suppositas aliis persuadere possem. Animadverte precor quem exitum principia hæc habitura sint. Malum video jam tecum ad S. Joannis de Corrientes transvectum: neque scio quo usque transvehendum deinde sit; sed ex eo quod jam apparet, monstra videnda mihi sunt. Quid enim post tot affusa litteris convitia sit sperandum? In conclave nostrum, o domine, remotis arbitris recedamus: ibi acta, & conscientiæ sinus sic evolvamus, ut si continuo in sepulcrum descendendum sit... Hæc examinanti liquidum erit, id irarum non primo secundum Paraguaim motum. Non certe. Principium longe antiquius est. Tuum erga Patres Societatis odium aliunde natum est proculdubio, & cor obsederat ante discessum ex Tucumania, &c. "

Gesta de via.

Spectat Sancta fides ad Bonas Auras, quarum sedes eo tempore vacabat: & undique diffusa de novi Episcopi sanctitate fama Capitulum movit, ut diœcesim, quatenus obviam esset, visitandi copiam faceret. Annuit ille, & per utramque fluminis oram motus, quales in Peruana Missione, excitati sunt. *Corrientes* urbe diœcesis illius ultima moram fecit summo popularium concursu & plausu. In Paraguaim tandem conscendit, & suam diœcesim ingresso obvium venit cymbarum par. Duo aderant Assumptionis oratores deputati, qui cunctorum Civitatis ordinum nomine salutato omnigeni commeatus copiam offerunt.

Navigium multiplex succedit, & turba, Episcopum de quo tot mirabilia vulgabantur videndi desiderio. Per noctem finitimos paululum recedere jubet, & se sibi liberum relinqui. Respondent Civitatis deputati, suum esse ejus quam prope invigilare securitati; sed operam daturos caute, ne quies Optata turbaretur. Mediam circa noctem paventes excitavit longa & rudis se cædentis disciplina. Iterata per singulas noctes flagellatio, & quotidiana Sacri ritu pontificali celebratio, accurrentium movit undas, & littus atque late adiacens utrimque regio, promiscuis Hispanorum Indorumque acclamationibus resonabat. Multi præire festinant, & per urbem adventum alterius S. Thomæ (a), primi Paraguariæ Apostoli vestigia prementis annuntiant.

Jesuitarum occursus.

Quatuor ab urbe leucis descendit, & in prædium Jesuitarum ingreditur. Eodem illi ad excipiendum moniti prævenerant: & Prælati comitas quid Cordubæ factum non ignorantes suspensos tenuit. Sed haud erat temere, quod sic ageret Prælatus. Certus possessionem Sedis obire ex quo urbem ingrederetur, obstacula timebat, nec hosti copias addendi tempus erat. Ratus Jesuitis non probandum de possessione consilium, fore sperabat saltem, ut non provocati tacerent. Tanta & tam diu con-

ges-

(a) In Paraguaria S. Thomam Evangelium promulgasse traditio est: ut supra narravi. *Charl.*

Digitized by Google

geſſit fiduciæ documenta, ut ex corde procedere pleriſque perſuaſerit.

Publicus ingreſſus.

In urbem provinciæ caput lætis acclamationibus exceptus. In S. Blaſii primo parochiam epiſcopii: inde in Cathedralem ventum eſt, ubi ſacrum ſolemne celebravit, & pro concione peroravit mitratus. Poſtquam neminem non ad oſculum manus admiſerat, populo prandendi jam tempus eſse ſignificat, & abire jubet, addens: *Ego cibo inviſibili, & potu qui ab hominibus videri non poteſt, utor* (a). *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus* (b). Orare pergit uſque ad Veſperas, quibus abſolutis, domum per acclamationum incrementa deducitur.

Poſſeſſionem adit.

Perſuaſum erat, dum bullæ haberentur, non aliis facultatibus uſurum, quam a Capitulo delatis. Sed aliter res habuit. Univerſam epiſcopalem juriſdictionem occupat facto: poſthabita quæ moris eſt forma, non exhibito regio diplomate, non congregato capitulo, non præſtito fidelitatis juramento: ratus nimirum miſsam pontificali ritu in Cathedrali celebraſſe, & oſcula manus accepiſse ſatis eſse ſuperque. Proviſorem & Vicarium Generalem illico Canonicum D. Chriſtophorum Sanchez, qui ſede vacante diœceſin gubernaverat, conſtituit.

Capituli diviſio.

Capitulum commovit rei novitas; & Prælatum ea de re interpellarunt Theſaurarius D. Didacus Ponce de Leon, & Canonicus D. Ferdinandus Sanchez, quibus illud reſpondit, ſe Epiſcopum eſſe ſuum, & Paſtorem quid eſſet agendum non ignorantem. Taciti Capitulares in conſilium vocant: aliis aliter ſentientibus. Et aliqui oppoſitionis, atque contra omne juriſdictionis exercitium proteſtationis documentum ex forma conceptum Prælato denuntiant. Non id accidit inopinato; nam adhuc agentem in Tucumania prævenerant preces, ne ſe ut Epiſcopum ante bullas acceptas gereret, nempe ad evellendum ſcrupulorum (c) ex poſſeſſione & illicita & nulla fomitem. Sed verbo in præſentia referentibus quod ſcriptum procul miſerant, pro reſponſo redditus occupantur. Ad Metropolitam illi provocant, qui Prælatum ſuperſedere juſſit.

Cum his conſtaret major Capituli pars cum Decano & Theſaurario, officii divini penſum ſeorſim ab aliis ſibi perſolvendum rati ſunt. Dum Epiſcopo adhærentes Cathedralem retinent, ægre cæteris quo convenirent reliquum fuit, parochis eccleſias exhibere non auſis, Regularibus choro indigentibus. Mutam Jeſuitarum eccleſiam petunt a Rectore, eo minus difficili, quod exinde diſſidentum animos in concordiam redigere ſperabat. Non annuit tamen, niſi certior factus, Prælato grave non fore.

Epiſcopus Diœceſi charus.

De cætero poſſeſſio inita pacate fuit, Prælato ubique etiam qui diſſidebant aſſurgentibus. Et ejus mores ſanctitatis opinionem principio ingenitam in dies ſolidabant. Sub primam lucem ſtipante clero Cathedralem adibat. Miſſas quotquot celebrabantur, flexis audiebat genibus. Sacrum deinde pontificale peragebat. Ad populum poſt Evangelium converſus ſermonem habebat exhortationis, tractibus paſſim ad percellendos animos admiſtum. Poſt hortationem preces populo repetente elata voce pronuntiabat. Poſt elevationem genibus flexis ad Jeſum Chriſtum ſub ſpeciebus latentem orationem, ab aſſiſtentibus ad communionem uſque proſequendam, incœptabat. Poſt ſacram indulgentias, S. Franciſci funes, aliaſque pias reculas tribuebat. Exercitamenta quandoque variabat, nunquam non domum a populo referendus turmatim, & gratias agente Deo pro tanti paſtoris dono.

Singularia pietatis opera.

Sacra bina celebrandi morem arripuit eo ſolum quia publico erat commodum & utile: in oppido ſcilicet eccleſiarum & ſacerdotum numero ſat frequente (d). Quin etiam Platæ præ oculis Metropolitani id moris obtinuiſſe, dum apud Regiam Curiam comparere juſſus fuit, aſſeritur. Novum aliquid quotidie ad perſtringendos multitudinis oculos moliebatur. Nunc nudipes præſertim in ſupplicationibus incedebat, & gravi onuſtus cruce; nunc Indis circum gradientibus quampiam reliquiarum thecam geſtabat. Interdum per rura cum Venerabili Sacramento locis bene precando diſcurrebat, ad pellendum morbos, ajebat, & conciliandam agro fœcunditatem. Exercitium inſtituit præparationis ad mortem, ineundum circa noctem, & in Jeſuitarum templo peragendum. Aderat aſſiduus, primis qui accederent, Miſſas, jejunia, & pœnitentias ad eorum intentionem pollicitus. Poſt aliquantum monitus, ſub nocturnos conventus haud levia quædam vitanda gliſcere, Prælatum convenit Rector: quod ille gravate tulit; nec quidquam immutavit.

Prætoris indoles.

Optabat maxime Prætoris animum D. Gregorii de Hinoſtroſa conciliare. Veteranus hic erat centurio in Chile natus, ubi conſpicua meruerat ſtipendia. Vulgo charus erat, & merito quidem a morum honeſtate, probitate, & religione laudandus. Sed apud Epiſcopum, cujus erat ingenii Paraguajenſis, cui cæce ab amicis obſequendum erat, ſolertia major, & opportunus vigor e re fuiſſet. Horum defectu nec dignitatem imperii ſuſtinuit, nec vi-

res

(a) Tob. 12. 19.

(b) Joann. 4. 34.

(c) *Extra l. De Elect. inter Comm.* ſuſpenduntur recipientes, & obedientes ei, qui bullas non oſtendit.

(d) Erant videlicet ea tempeſtate, & modo ſunt Aſſumptione ſex ſeptemve Eccleſiæ, quarum quatuor ad Regularium monaſteria attinebant, nempe S. Dominici, S. Franciſci, S. Mariæ de Mercede, & Societatis. Reliquæ ſæculares, Cathedralis, Incarnationis, & S. Blaſii. Addita ætate noſtra æde ſacra S. Rochi ſumptibus D. Chriſtophori Dominguez de Ovellar, de quo fuſior circa hujus Hiſtoriæ finem redibit ſermo.

Digitized by Google

res exeruit tempore & loco. Ad devinciendum, immo supplantandum, Prælatus honores primum accumulat præter modum. Quandocumque Prætor templum adiret, sella Prælatus exsiliens ad fores aderat excipiendo. Idem principio honoris erat P. Francisco de Hinostrosa Augustiniano Prætoris germano fratri. Officiositati respondit Prætor connivendo non semper accommode: quod in suos usus Episcopus detorsit. Concordia non diu stetit, quæ reipublicæ exitiosa fuisset; discordia exitiosior fuit.

Episcopo adversantes.

Male habebat Prælatum Canonicorum diffidium; ex quibus ut ii qui adversabantur suo juri concederent denuo contendit, cum partes suas civium veneratione munitas vidit. Sed vetere integrata protestatione respondent illi. Hinc amaritudo, minor tamen quam ex cœptis quorumdam sui Ordinis, qui & sententiam de irregulari possessione sequebantur, & hypocritam, ambitiosum, in fas pariter atque in nefas collimantem, ut audiret sanctus, appellabant. Oportebat rumores hos contemptim sancta & nobili insensibilitate pati. Dum Prælatus probra probris rependit, non animadvertit majestatem dejectam iis coæquari, ex quibus imitandæ venerationis exempla populos requirit. Ad hæc, quia dissensionis nescio quid hos inter religiosos erat, & Jesuitas, horum amicitiam tunc impensius colendi, & laudes propalandi studium affectavit.

Inceptum irregulare.

Multis bina celebratio (*a*) videbatur insolens: idque monitus a suis est, quibus respondit, singulas singulis sacris animas ex igne purgatorio liberas trahere se; sanctos fuisse novies in die celebrantes; se in sua diœcesi esse Papam, quidquid e re divina foret potentem facere. Hoc fretus, & sacerdotum quos parochiis præficeret, inopiam causatus, sibi plurium curam & stipendia vendicavit. Sed cunctis eodem tempore servire impos, alternis officio fungebatur: & aliquando duo eadem die solemnia sacra cantu celebrabat. Murmuratum est; illud tamen potissimum offendit plures, quod calix non purificatus in sequentem ecclesiam portandus traderetur puero, sæpe dum calicem manu tenet, ætate paribus per viam colludenti.

Ordinationes.

Magis commoti sunt videntes canonica ætate minores, vel latine ignorantes, eo solum quod indice loquerentur, sacris ordinibus initiari. In his plures irregularitate, cujus tollendæ potestate carebat, præpeditos. Nonnullos alienæ diœceseos, nec litteris dimissoriis munitos. Plerique nullo examine admittebantur, sinistra licet de moribus aliquorum fama. Sed præter opinionem de potestatis amplitudine, Ordinem baptismati comparabat: & criminosos nonnumquam ad petendos ordines eo impulit, ut crimina admissa expiarent.

Pax cum Guaicuruis.

Non diu postquam Assumptionem venerat, Guaicuruos jam pridem hostiliter agentes, ad pacem integrandam paratos esse nuntiatur, & deputatos gentis oratores appropinquare. Suum esse cum barbaris ferire pacem Episcopo in mentem venit, id publice profitenti; quem Prætor obfirmatum in sententia operari sinit. Pontificali habitu, mitram capite, pedum manu gestans, Guaicuruis ad oram usque fluminis progressis obviam procedit. Novam hominis figuram mirati infideles meditabundi appropinquant. Ab accessu timendum, nisi Prætor militarem corporis custodiam addidisset. Curiose singula Pontificis decoramenta speculantes Prælatus per interpretem alloquitur: quos credidit amplecti velle religionem Christianam baptizat. Ad pacem cum Hispanis hortatur: & Assumptionem regressus ad Regem scribit, se demum provinciam pacasse, arma infestissimi hostis manibus deposita.

Prædicatorum conventum diruit.

Scenam hanc excepit alia, quæ ne civium universitati esset scandalo, fecit opinio qua nihil non cœlitus inspiratum aggredi credebatur. Patres Dominicani Assumptione sedem constituerant absque regio diplomate, quod petitum impetrandi certa spes erat. Charcarum Senatus consulto domus erat evertenda. Sed ea lege suspensum fuit, ut post sex annos, nisi interea exhiberentur litteræ regiæ, perficeretur. Latet, an id spatii jam expirasset, an esset prorogatum. Illud constat, religiosos eo tempore a nemine molestatos, cum Episcopus prima luce amictorio & pallicolo super indutus, ardens ira domo prodit stipatus, postquam Prætorem compellaverat.

Proditum non est, an antea consilium communicasset; sed tantum venientem rogasse, ut secum in cœnobium ex Curiæ decreto diruendum concederet. Sequitur ille contradicere non ausus. Fores aperiri jubet, templum ingreditur, sacrarium evacuat, suppellectilem seponit sacram & domesticam, atque ruinam inceptat. Gementibus, orantibus, reclamantibus religiosis non aliud quam dura quædam respondet, & quæ latentia scelera significarent: idque tam resono clamore, ut fabrorum & cadentium tectorum & parietum rumorem superaret.

In proximam Ecclesiam, quo Venerabile Sacramentum transferri jusserat, inde succedit, & ad sacrum celebrandum se parat. Ut manus laverat, ad populum conversus ait: „ En filii ad sacrificium accedo inconfessus. Nihil est quod conscientiam gravet: imo nunquam ad altare veni tam sancto opere comparatus. “ In eamdem sententiam ad Tucumaniæ

(a) Proposito dubio in Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, an Episcopus absque Apostolico indulto posset bis in die celebrare ex sequente causa, censuit non posse. Causa vero est quod in civitate quam dicunt *de la Assuncion* in provincia Paraguariæ pars magna nobilium domi se contineat eo quod apparatu decente careat. Ideo ut nobiles mulieres ac viri domo educerentur ad templa opus fuisse missam ante solis ortum celebrare. Sed non reperto sacerdote, qui absque stipendio munus hoc subire vellet, Episcopus prædictæ civitatis missam antelucanam in gratiam nobilium celebravit. Refert ex Henao Lacroix, Parte Secunda, lib. 6. n. 236.

Digitized by Google

maniæ Epiſcopum ſcribens adjunxit, pari habendos ſeveritate monachos omnes, quotquot inveniſſet delinquentes. Ad quæ reſpondit Tucumanenſis, Eliæ quam Chriſto ſimiliorem eſſe zelo: ſe quidem in provinciis uſque adeo remotis defectuum memoriam obliteratam, quam excitatam malle: nec exigendam defectus ſingularis communem pœnam. „ Mihi certe non aliud ſapere datum eſt. Tibi haud dubium quin ſuperius lumen affulgeat “.

Non ita poſt hominis ſuicidæ cadaver aſini ſepultura juſſu prædeceſſoris Epiſcopi donatum exhumari jubet „. Hominis Chriſtiani, ait, cadaver eſt: & mihi cauſa ſubeſt credendi, ejus animam in cœlo beatam eſſe “. Ex eo multis perſuaſum eſt, Paſtori ſecreta cœleſtia revelari. Principes civitatis mox ad cadaveris reliquias inhumandum invitat. Ipſe cum Prætore humeros admovit ſandapilæ ad ſacram Incarnationis ædem, & pro funere celebravit.

Bullas accipit. Quamquam ſecunda per provinciam afflabat opinio, in ejus acta ſuſpiciones congeri cœperant, cum ex bullis tandem advectis, & quo eas accepit apparatu, opportunum accidit diverticulum. Acceptas retulit Petro de Cardenas fratris filio, & S. Franciſci alumno cum Papæ litteris ad Epiſcopos Indiarum mitti ſolitis, quorum facultates eo ampliores eſſe oportet, quo difficilior eſt Romam recurſus. Hæc documenta principio minus attente ab Epiſcopo examinata fuiſſe videntur; nam a Jeſuita, cui ea commiſerat Hiſpanice redenda, quod vellet poſtquam latine legerentur, Hiſpanice promulgari, monendus fuit, bullarum textu ſuſpenſionem interminari, ſiqua foret irregularis conſecratio.

Contendebat utique Prælatus, eo ſe fulmine non eſſe afflatum, at noverat plures diſſentire: & hos rem celare oportebat, ne reliquos ex occaſione traherent in ſententiam. Monenti Jeſuitæ gratiam habet, & monitione profecit. Ipſe legit publice quidquid bullarum & brevium erat: & nequid excideret quo ſuſpicio de conſecratione, & obita poſſeſſione foveretur, totus cavit. Ad extremum addidit de ſuo, dubitandum jam non eſſe, quin Eccleſiæ Paraguajenſis foret paſtor legitimus, Inquiſitor a jure in ſua diœceſi, Sanctæ Cruciatæ Commiſſarius, & poteſtate quoad ſpiritualia, & temporalia illimitata munitus. Hoc poſtremum Prætor tunc diſſimulaſſe videtur; ſed mente retinuit, nec diu abfuit occaſio Prælato manifeſtandi prolatum temere, cum negotia faceſſivit, acerba quidem, nec ab Epiſcopo facile expedienda, ſi cum homine rem haberet facultatum ſuarum, & uſus adhibendi magis gnaro.

Geſta P. Cardenas. P. Cardenas primi inter avunculum, & Hinoſtroſam Prætorem diſſidii occaſionem ſecit. Ab illo miſſus erat in Hiſpaniam bullarum cauſa. Iter e Peruvio fecerat minime decorum, reditum in Americam indecorum prorſus. Apud Confluentes in Paraguariæ confinio fœminam ætate juvenem, nec invenuſtam forma ſociam itineris aſſumit, ſæcularem indutus ut vitet ſcandalum. Dum prope Aſſumptionem venerat, habitum profeſſionis ſuper imponit per avunculum excipiendus, ut erat gaudium de bullis. Hoſpiti in Epiſcopio redditus attribuit præbendæ vacantis, quibus ille ſumptus itineris perſolvit, & alios fecit non uſque adeo ſtatui conſentaneos. De familia nonnulli haud diſpari erant exemplo; ſed ille adhærentium mores præteribat, calumniam quidquid objiceretur cauſatus.

Prætoris & Epiſcopi diſſidium. Poſtquam bullas acceperat, in cuſtodiam traditur Prætoris mandato Ambroſius Morales; cui cum eſſet Sancti Officii familiaris, cum centurione quodam negotium erat. Imo & ſuſpendio tollendum rumor invaluit. Epiſcopum admonet nepos de Moralis immunitate a foro ſæculari. Nec prætermiſit ille Inquiſitoris in ſua diœceſi (a) poteſtate utendi occaſionem. Venerabile Sacramentum extrahit, quod in aula palatii ad convenarum alloquia deſtinata ſemper ſervabat: ad publicam cuſtodiam ſupplicationem indicit: vinctum petit abſolvi: ſacram pyxidem tabulæ, donec fores aperiantur, imponit: & ibi cum comitatu conſiſtit.

Adeſt Collegii Jeſuitarum rector, & monet Corpus Chriſti locum dedecere, nec ſuam ipſius decere dignitatem. Non inde ceſſurum reſpondet ille, niſi homo de Sancti Officii familia per injuriam captus expediatur. Rector, cui nota erat in incœptis tenacitas, Prætorem convenit, qui Moralem facile jubet extrahi. Victoria lætus Epiſcopus domum triumphantis more repetit: nec ſermones obloquentium curat, qui ut partium ſtudium erat, vulgo ferebantur. Optandum eſſe quidam ajebant, ne Prælato cum Prætore conveniret, quorum conſenſio excidium templi & cœnobii pepererat, diſſidium civis libertatem.

Prætoris connivencia. Epiſcopus virium cum Prætore facto periculo, nihil non audere impune poſſe ratus eſt. Scripta, & bona Moralis occupata petit, illico a Prætore tranſmiſſa. Tonſuram & ordines minores ad ſolidandam immunitatem eidem impertit, qui ex eo nihil veritus erecto collo procedit palam. Prætoris facilitas ejus contemptum apud Epiſcopo adhærentes peperit, P. Cardena inſolentius obloquente. P. Hinoſtroſa Prætorem fratrem admonet, ne dignitatem vileſcere ſinat: cui reſpondit, pacem ſe malle, quam omnia reliqua. Sed malo ſuo contigit, ut moderatio imbecillitas potius quam virtus viſa ſæpe ſit.

Largitas perperam repenſa. Exagitatus fuit quidem præter modum, & pro

(a) Poteſtas eſt hæc imaginaria; nam licet Epiſcopi jure communi Inquiſitores ſint; ſed in Hiſpania & Hiſpanienſibus Indiis, ſeu Apoſtolica conceſſione, ſeu conſuetudine, ſeu utroque Inquiſitores Apoſtolici jus habent dicendi privativum reſpectu Epiſcoporum, ut notum eſt, & conſtat Edicto Limanæ Inquiſitionis promulgato 6. Jun. 1734.

Digitized by Google

pro iis locis præter exemplum, nec Episcopo negotium facessivit, nisi post amicitiam etiam præter debitum exuham. Ingenuæ largitatis documentum eodem tempore præbuit perennis amicitiæ dignum. Prælatum noverat pulcherrima quædam cupere argentea candelabra. Ea ex tempore mitti, & dono exhiberi voluit in templo oranti, ut scilicet populo probaret, nullam retinere se de Moralis negotio animi acerbitatem. Episcopo acceptum fuit donum, quod publice laudavit. Mox ad bajulos conversus addit: „ Non aliud habere mallem, quam pelvim & urceos, quæ apud vestrum herum vidi. " Et ea Prætor a famulis certior factus dono mittit, addito in mandatis ad Prælatum, nihil domi esse reliquum non paratum Illustrissimi Domini obsequio. Non diu tamen abfuit, quin ex promisso contractum nosceret reatum.

Prætor excommunicatur.

Sodalitati SS. Sacramenti serviebat satis magna commendatorum Indorum copia, quos Episcopus dum petit, repulsam tulit: & adversus repellentem iteratas preces insurgit. Prætor invicem aviditatem insimulat, & familiæ scandala. Rem tulit acerbissime Episcopus, calumniam ratus & insultum. Cumque dies supplicationis instaret, qua Prætor regium de more vexillum portabat, excommunicatum denuntiat, & proinde supplicationis exortem. Religiosam cæremoniam dum nonvult Prætor congrediendo turbare; moderatio decori fuit, & multorum animos ab Episcopi partibus avertit.

Contumelioſe habetur.

P. Cardenas non satis æquam avunculum exegisse pœnam ratus est. Obvenientem in publica via Prætorem quærit, an se noverit? Officiose respondet ille: Bene meritum novi religiosum, hujus provinciæ Episcopi nepotem. Et ego novi te, reponit Cardenas, vilem homuncionem, nequam fustigatum, & quem ego fuste contunderem, nisi labori parcere mallem. Historiæ gravitas ulteriora quæ protulit narrare vetat: quæ deinceps expostulante Prætore fateri coactus est per Commissarium Auditorii Platensis inquisitus. Tacitus Prætor ire pergit: pergit & lacessere Cardenas, ad quem conversus ille tantummodo ait: Vale Pater, me provocare cessa. Episcopi a templo domum redeuntis comitatus accurrit quo vocabat strepitus, & eorum partem, quæ narrata sunt, audivit. Aliqui circum Prætorem coronam ducunt; alii apud Religiosum, quibus ille quæ protulerat retulit.

Exacerbatur.

Quantumvis sibi temperaverit Prætor, non penitus dissimulavit de insultu pœnas exigendi consilium. Contemnendum plures authores erant: aggressorem ira non dignum: committendam rei summam avunculi æquitati: celeres eum pœnas, & merito pares exacturum. P. Hinostrosæ alia fuit sententia: exemplo docendum quid cultus & observantiæ ministris Majestatem Principis referentibus debitum sit. Prætor assensus est, sed fratris consilium prætergressus negotia sibi atque suæ tranquillitati nimium infesta concivit.

P. Cardenas in episcopio, quod rubori esse oportebat, sibi non solus gratulabatur, cum adventare Prætorem armatorum manu stipatum nuntiatur. Episcopus, cui dubium esse non poterat nepotem intendi, se impeti clamat, æs campanum pulsari jubet, & excommunicatum pronuntiat quicumque armata manu apud se diverteret. Prætor ingreditur, & ad Prælatum specie pacatus ait, latere se suos milites excommunicandi causam. Et ad P. Cardenas manu apprehensum, a Rege captum se dedat. Hic relaxato cucullo expeditus domum e vestibulo, ubi hæc fiebant, ingressus sclopetum producit, & Prætori minas intentat, ni recedat. Simul Clericus, qui forte aderat, capulo ensem Prætoris apprehendit. Hic manum avertit, ac certus rei consultius prosequendæ discedit. Tunc Episcopus sententiam jam latæ excommunicationis pronuntiat, quam & ad milites prorogavit, imposita ut absolverentur quinquaginta aureorum mulcta.

Re maturius post factum considerata, per nuntium Prætori significat, ad erogandam absolutionem se paratum esse. De secunda potius quam de prima, licet foribus Cathedralis affixa, excommunicatione solicito ad votum accidit Episcopi significatio. Eum convenit, & in genua procumbit. Procumbit & Episcopus facto intercceptus. Osculandam petit manum. Petit & Episcopus: quod & fecisset, nisi Collegii rector præsens brachium contineret. Ut erat amborum habitus, ægre reum dignoscercs. Tandem Episcopus Prætorem absolvit. Militi vero irrogata mulcta stetit absolutio.

Usque adeo præcox reconciliatio non diu perennavit, ab Episcopo disrupta. Didacum Hernandez Lusitanum Sancti Officii Majorem Accensum (a) constituit, ensem portandi jure munitum. Prætor novæ forte promotionis ignarus, dum videt Lusitanum ense succinctum, in vincula tradi jubet; exteris enim potè Lusitaniæ motus capitale erat arma portare. Episcopus Prætorem, quem rei certiorem facere oportebat, excommunicatum pronuntiat. Reum ille posthabita excommunicatione suspendii damnat. Monitus Prælatus clericum mittit qui reum ad patientiam hortetur: fore martyrem si præter meritum occidatur: eggregium funus curaturum se: & pro funere laudaturum. Prætor certior factus infelicis, alloquio clerici minime pacati, cujus unum erat piaculum innocuum portasse gladium, misertus est. Liberum dimittit. Et Episcopus Prætorem nec supplicantem absolvit.

Cum Societatis agendi ratio.

Locum interea quo apud Episcopum erant Jesuitæ, scientes quid rei cum Cordubensibus interesset, mirabantur. Sed animadverterat, primo de se conceptam opinionem deposuisse plures; & eamdem recepturos sperabat, si quos sa-

(a) *Alguazil Major.*

Digitized by Google

ſapientiæ & virtutis laude vulgus honorabat, æſtimationis & fiduciæ documentis conciliaret. Perſuaſum erat de reliquo, ſi benevolentiæ ſinceritatem apud eos minus probaret, certe quod magni referebat, non obſtiturus.

Frequentium ſupplicationum terminum primo conſtituit eorum templum, non aliud eſſe diſſitans excitandæ devotioni proprius. Eos etiam pro concione quaqua data occaſione laudabat, nullibi non loco & honore prælatos. Specie illi non deluſi tempore ad bene merendum utuntur. Sic de cætero ſe habent, ut amor Epiſcopo adverſantium non labefactetur: quod non unum turbinem ſerenandi copiam fecit.

Vitio nihilominus vertebant quidam, quod rectæ Antiſtitis intentioni, etiam ubi excuſari non poſſet, nimium concederent, nimium etiam quod crederent præſentis gratiæ ſuco. Dei eſſe reſpondebant illi ſcrutari corda: oportere, maxime cum eccleſiæ miniſtrorum, & principum res agitur, acta in ſaniorem partem accipere. Quæ probare non poſſis, ſilentio relinquenda Dei judicio. Satis enimvero noverant ad cautè procedendum: & illo cautiores fuiſſe fatendum eſt; nam ſi eos perdere jam animum induxerat, ut multi haud temere ſuſpicabantur, & cumulatis laudibus odium æmulorum moliebatur, dum id concitatius pro ingenio contendit, non animadvertit, ad ictus quos inferre tentabat repellendos, arma ſuppeditari.

Ad Regem ſcripta. Id potiſſimum fecit datis ad Regem Catholicum litteris pro Indis Reductionum, nam profeſſus, non aliud ſibi Paraguajenſium ſalute & ſolatio charius eſſe, expoſita complurium calamitate, & difficultate ſinceritatem Chriſtiani cultus cum ſervitio perſonali conciliandi, addit, ad ejus eccleſiæ regimen aſſumpto, ex notitia & experientia Miſſionum conſcio rationis eas gentes moderandi, & ad Chriſti fidem & ad Regis obſequium convertendi, fatendum ſibi eſſe, e ſolis Patribus Societatis Jeſu veros Chriſtianos fieri. Eaque ſubdit de Sociis elogia, quæ diluendis per ſuos procuratores undique diſſeminatis criminationibus, infra memorandis, ſatis ſint.

1643. Ad Philippum IV. ſcripta publicis atque privatis ſermonibus repetere non ceſſabat: idque tanta cordis effuſione, tot lacrymis & ſuſpiriis, ut vel cautes molliri poſſent. Hiſpanici authographi verba tranſcribo. Quin etiam Regem de Indorum, quos Regulares alii, & Clerici ſæculares procurabant, Jeſuitis cura committenda interpellavit: & quo hæc ſcribebat tempore, eadem executioni mandare cœpit. Aracajæ Indorum pagi curionem non plene ſatisfacere debito, nuntiatum, vel perſuaſum illi fuit. Eum removet, & a rectore Collegii Aſſumptionis ſubſtituendum petit. Nullius quem mitteret eſſe copiam, nec Societatem oportere in jus dicionemque cleri ſæcularis immitti, reſpondit.

Socius curam committit.

Addidit, eam ſe ſibi petiturum provinciam, ſi de nova Reductione cum privilegiis a Rege factis conſtituenda res eſſet. Parochum ſe poſtulare negat Epiſcopus, ſed qui vices gerat, dum cui parochia credi poſſit ſacerdos exiſtat. Rector ut res erat modica, concedendum ratus, Manſillam apud Itatines commorantem Aracajæ ſufficit: & ad Epiſcopum ait, non dubitare ſe quin Miſſionarius Illuſtriſſimi Paſtoris obſecundet votis. „ Ita fore, credo facile, reſpondet officio. Et ſciat velim, mihi obedire renuentem, Sedis Apoſtolicæ delegato, majore excommunicatione feriendum, & Socios Itatinenſes interdictum iri.

Ex eo novit Rector, qua uſus erat conniventiam caro ſtaturam. Mox voluit Epiſcopus aliorum par, qui ad Indos mitterentur ad Villaricam ſpectantes. Michaëlem Gomez, & Joſephum Domenechium ille nominat, qui docilium neophytorum cultum cum commiſſione odioſa apud Indos ſervitio preſſos ægre commutarunt. Dum Villaricam ventum eſt, incolas ut præviderant infenſos experti ſunt, & curiones finitimos ſpecie in jus ſuum advolantium acerbatos.

Has inter anguſtias laborem fructu vacuum oportebat eſſe: & facultas aberat recedendi, ni vellent miſſi Socios Aſſumptionis iris Epiſcopalibus oppreſſos. Ad hæc Manſillæ ad Aracajam commoranti noverant obtrectari, & preces ut ad Itatim remitteretur eſſe rejectas. Igitur Villaricæ moraturi ad campeſtria decurrunt, ita ſacris intenti miniſteriis, necui eſſent offendiculo.

Laudando nocet. Paribus ad Aſſumptionem anguſtiis premebantur Socii, ex affectata apud Epiſcopum prælatione incommoda experti quæ prævideranr. Orat rector, ne ſuorum pro concione meminerit, ut Villaricam miſſos revocari permittat. Verbo ſpem bonam fecit. Sed paulo poſt in collegii templo concionatus ſub carniſprivium, quo tempore & Quadraginta Horarum preces, & feſta ſæcularia Socii peragebant, totam ſeſquihoram de Societatis in utroque hemiſphærio apud Catholicos, hæreticos, & paganos meritis peroravit.

Vulgo nihilominus innotuit Rectoris de omittendis elogiis, ac de Miſſionariis revocandis interpellatio. Innotuit etiam procul Epiſcopo Tucumaniæ, qui in eandem ſententiam litteras ad Paraguajenſem dedit. In vulgus emanarunt hæ litteræ, quibus P. Laureani Sobrini, qui Aſſumptione rector erat ſcribenti notus, modeſtia commendabatur; quo, & mox remiſſo ad Itatim Manſilla, fere omnis de Jeſuitis oblocutio ſiluit, & ad nova Prætoris & Prælati diſſidia reflectitur.

Diſſidia recrudeſcunt. Prætor inſultum nec ab authore, nec ab avunculo reparatum concoquere non poterat; ſed temperantius agebat cum Epiſcopo, maxime poſtquam is Jeſuitarum devenerat encomiaſtes. Epiſcopus etiam ſibi temperabat cum Prætore provinciæ charo, quem offenſaverat nepos, & manu regia munito. Sed P. Cardenas injurius eſſe non ceſſabat, addebatque minas hominem ejus profeſſionis ſatis dedecentes. De amoliendo demum religioſo, qui civitati

Digitized by Google

vitati erat ſcandalo Prætor Epiſcopum interpellat, qui reſpondit, ſibi nepotem non eſſe obnoxium, ſic tamen caſtigandum ut reſipiſceret. Et quidem compellatum acerbiſſime alloquitur, terram oſculari, preces quaſdam recitare, & cautiorem in poſterum eſſe jubet.

His abſolutum dum Prætor audit, Franciſcani cœnobii adit præſidem: P. Cardenam, domum privatam pro Epiſcopio tunc amore libertatis inhabitantem, habitum quo erat indutus dehoneſtare, amovendum in Peruvium. Reſpondet ille, exterum eſſe, nec ſibi ſubditum. Tunc Prætor jus qui dicere aut poſſet aut vellet deſiderato, cauſam ipſe ſuſcepit. D. Sebaſtianum de Leon & Zarate tribunum militum ire jubet, & Cardenam in cuſtodiam conjicere; ſed monitus apprehendi non potuit. Sperat Prætor fore ut vinculorum metu modeſtius agat; ſed ſpe deluditur.

Vis illata. Tunc acerbum hominem exterminare conſtituit omnino, prius expertum quid poſſet iratus. Conſilium celat etiam P. Hinoſtroſam: & circa noctis horam nonam aut decimam quatuor lictoribus ſtipatus Ordinis cœnobium, petit quo Cardenas vinculorum imminentium conſcius ſub veſperum recipiebat ſe. Apertis foribus ad notum hominis cubiculum recta contendit, induſiatum & ſubligatum, ut cubabat, in pedes erigi jubet: & procul ab urbe in ſilvoſo clivo littorali depoſi pedibus & manibus ligatum. Omnigenum inſectorum aculeis impetitus, cibo privatus & lecto, biduum ibi jacuit, impoſitus die tertia cymbæ, & ab Indis modico pane nautico, carne ſalita cibandus, muliebri tectus capitio *Corrientes* in urbem deportatur.

Interdictum. Ut primum avunculus nuntium accepit, æs undique campanum reſonare jubet, clerum convocat ſæcularem & regularem, quo ſtipante Cathedralem petit, ubi re vehementer pro ingenio denuntiata, compartes excommunicatione, urbem obſtringit interdicto. Monitus citra proceſſum & monitorium non feſtinandum, aures occludit, & domum paulo tranquillior ſpecie quam venerat, regreditur. Poſtridie condolentium nepotis calamitati excepit officia, quem videlicet pauci dolebant, nec quo deveniſſet ſcire poterant; nam rei ſumma diu latuit. Rumor per finitimas provincias invaluit: & Epiſcopus Tucumaniæ ad Paraguajenſem in hanc ſententiam ſcripſit:

Litteræ Ep. Tucuman. I. D. Fertur Paraguai Prætor ad rapiendum P. Cardenam, de quo tantus eſt rumor, in S. Franciſci cœnobium irruiſſe. Enorme factum mihi viſum eſt: quod tamen non miror, ex iis enim quæ præceſſerant, monſtrum ut emergeret pronum erat. Prætorem doleo, ut reſipiſcat opto, & commiſſum reparet. Leges eccleſiæ conculcatas eſſe piget. Cauſas ſcrutari nolo. Malorum vereor ne ſuccedat inundatio. Spes nihilominus a Te & tua paſtorali ſolicitudine fit. Spes eſt, utendum æquitate; extrema vitanda, ſuavia remedia adhibenda, viginti diſſimulandos defectus, ut puniatur unus, & deviantes oves non lancea & jaculo, ſed pedo & ſibilo ad ovile revocandas. D. Gregorius de Hinoſtroſa nobili ſtirpe natus a majoribus Regi in Hiſpania & in Chile fidiſſimis cum fidelitate virtutem bellicam accepit. Honorifica meruit a puero ſtipendia, gradatim ad Tribuni Militum munus evectus. Duram apud Chilenos barbaros captivitatem paſſus Aracanæ Con-rector renuntiatus eſt. Hiſpaniam profectus ſtrenuam in obſidione Fontisrapidi præſtitit operam. Regis manum oſculatus Paraguai præfecturam retulit ex merito. Huic P. Cardenas comparatus præter ſtatus ſanctitatem, & dignitatem ſacerdotii, non aliud quam merus eſt monachus, profeſſioni reſpondens male, vita ſæcularis, moribus ſcandaloſus. Gubernatorem provinciæ, Generalem Præfectum, qui regiam refert majeſtatem, in foro medio auſus eſt inſultare, & armis ſacerdotem & religioſum dedecentibus minari non ceſſavit. Gubernatoris factum non excuſaverim. Quæ factum præceſſerunt expono. Judex ſit partium ſtudio liber, &c.

Civitatis turbatio. Summa tunc erat rei publicæ perturbatio: Prætor & Epiſcopus nulla ſui invicem reverentia continebantur, nec erat qui utriuslibet partis non abriperetur ſtudio. Id Prætor adnitebatur, ut Prælatum apprehenderet, qui quanta poterat contentione populum adverſus illum concitabat. Sacros præcones voluit excommunicatione compellere ad contra declamandum pro concione. Sed renitentibus univerſis minas perficere auſus non eſt. Ubique ceſſaverant ſacra: nec niſi ſonitus æris campani, & martius timpanorum rumor audiebatur. Cumulo turbarum acceſſit, quod P. Cardenas Confluentiâ dilapſus, & Franciſcus Sanchez Cabrera libellos titulo *Allegata* diſſeminare ſuſceperant, hic in Prætoris, ille in Epiſcopi partium patrocinium.

Prælatus apud Jeſuitas. Utrique violentus erat rerum ſtatus: & Epiſcopus aliquando mœrore confectus Jeſuitas convenit: quibus ait, ad effundendum in eorum ſinum cor venire ſe. Tot inter ſcandala vivere ſe poſſe negavit. Sacris interdicta civitate, & communione privato Prætore, diſcedere conſtituiſſe. Monitis illi non profuturis, & fortaſſe tranſverſe interpretandis ſtudioſe cavent, ad ea quæ de conſolandis afflictis & tribulatione preſſis a communibus locis acceperant adlapſi. Illorum quidam in mentem revocavit quod de arboreis crucis fructibus Sancti docent, non aliud eſſe medium ad altiſſimam perfectionem aſſequendam efficacius: nec aliud quidquam ad tanti boni fructum & uſum requiri, quam humilem in Dei beneplacitum reſignationem: unum afflictis ſolatium eſſe orationem, & perfectam ingruentium Deo permittente acerbitatum acceptationem & conformitatem. Sermonem Antiſtes reprehenſionis loco habitum auſtere refutavit. Multis bonus ille offendiculum purgavit, ſe doctiorem docere noluiſſe teſtatus. Omnes rogant, ne gregem tunc maxime paſtoris zelo & vigilantia indigentem deſerat: quibus tacitum os præbens ſpecie minime contentus abſcedit.

Men-

Digitized by Google

Flagellatio publica.

Menti ſubvenit, publico pœnitentiæ documento movere populum. Sui Ordinis alumnis, quibuſcum illi ſatis ea tempeſtate conveniebat, & adhærentium fidiſſimis conſilium aperit, quod illi vel probarunt, vel improbare auſi non ſunt: haud aliter ac alii utriuſque ſexus confidentes, quos nihil celabat. Conſtituto die in Cathedralem, quo Capitulum vocaverat, ad ſupplicationem in S. Franciſci ducendam, & injuriam reparandam in alumno factam, turba ſtipatus primo mane concedit.

Ut omnes convenerant, ante altare maximum breviter orat. Mox Indum auſteritatum ut ferebatur conſcium vocat, a quo ſpoliatur. Tunc apparuit pedibus & tergo nudus, cætera tectus ſago, cinctus fune, manu ad flagella munitus. Sic habitum comparatus teneras quaſdam preces ſingultim & lacrymoſe proſequitur, & ſe flagellare cœpit. Sub primos ictus Canonici accedunt, & ut ſuperſedeat rogant. Reſpondet ille, placandum eſſe cœlum, a Prætore in Eccleſiam, & in S. Franciſci Ordinem commiſſis iratum; ſuum ut Epiſcopi & ejuſdem Ordinis Religioſi eſſe, peccatum expiare, & ſuo abluere ſanguine.

Supplicationem ad S. Franciſci jubet intendi, ſed mox ſententiam mutat, & terminum ad templum Societatis. Duo clavigeri præcedebant, quorum alter Chriſtophorus Ramirez nomine ad parandos Socios ante vertit, ut apoſtolum toto corpore cruentatum excipiant. Clavigerum ad ſua repedantem ſequuntur illi, jam prius de toto rerum ordine certiores facti. Vexillum primo vident, puerorum, virorumque turba circundatum. Hos ordine ſequebantur alii, ſpecie medullitus compuncti: deinde fœminæ in lacrymas effuſæ. His Epiſcopus cum Clero ſuccedit ſanguine ruber.

Duo Socii ad eum uſque penetrarunt, & genuflexi orant, ut in corpus ſævire ceſſet. Sed ecſtatico ſimilis nihil videre, nihil audire videbatur. Ut primus ordo templum ingreditur, ante Epiſcopum proſtrati Socii omnes flagellum quaſi vi tollere tentant. Idem ille quod Canonicis replicat; & ſævire pergit. Tunc rector Collegii cum fœminæ ad excipiendum linteis cruorem appropinquarent, detracto ſibi pallio Prælatum contegit. Templum ingreſſus ad principem aram preces iterat. Indus adeſt, cruorem fluentem quam poteſt melius coercet, habitum, rochetum, palliolum accommodat. Inde Prælatus ad Cathedralem recta ſe confert, & ſacrum ſolemne celebrat.

Multi novitate capti etiam prudentes rem geſtam admirati primo ſunt. Re maturius conſiderata alia ſententia fuit: nonnullis de ſuo Paſtore liberius clam oblocutis. Vox populi, qua nulla clamoſior eſt, maxime fœminarum altum acclamantium, obſtare tunc potuit, ne privatorum ſermo ad Prælati perveniret aures. Quid tamen ſenſati cenſerent de vulgata ſcena, noſſe potuit deinceps maxime ex litteris Epiſcopi Tucumanenſis; quarum initium eſt. I. D. Nunc primum accepi Te nudo & flagris macerando tergo coram fœminarum virorumque multitudine in publicum prodiiſſe; & P. Laureanum Sobrino Collegii S. J. Rectore detracto humeris pallio te reverentem contexiſſe. Nuntius hic mihi accidit ſupra fidem, & qui talia narrabat increpito reſpondi tandem, oportere factum eſſe laude dignum, ſi Tu feciſſes; nullibi tamen legiſſe me factum id ab Apoſtolis, Dominum Jeſum Chriſtum non ſemetipſum flagellandum denudaſſe, ſed per carnifices denudari paſſum, nec id voluiſſe factum luce plena, & coram fœminis, ſed ut nocte fieret (a). Sanctos id imitaturos exemplum obſcura loca ad hoc pœnitentiæ genus quæſiviſſe ſemper.

Nuntius ut ex revelatione.

Sed nihil magis inglorium quam quod accidit haud ita poſt. Proditum erat Aſſumptione Socios Epiſcopi mandato apud Villaricam agentes morbo affectos eſſe in Indorum pago, & rerum omnium penuria laborare. Techo ait, graſſante illac locorum peſtilentia tactos eſſe. Quidquid ſit, P. Sobrino ad Epiſcopum, cui magis erant nota, retulit nuntiata. Et ille audito pacate nuntio ſubdidit: „ Felices vos, qui novum apud Deum habetis Sanctum! Qui magnam cum Domino in oratione conſuetudinem habet, P. Domenecchium vidit lumine ſplendentem, martyrii charitatis laurea redimitum. Viſionem hanc eſſe ſomnium principio ſuſpicabar, rem eſſe tamen jam nullus dubito. Silentio nihilominus accepta preme. “

Poſt ſex dies innotuit, Domenecchium extremum obiiſſe diem, Gomex poſt iteratam vitæ diſcrimen eſſe incolumem. Referenti Sobrino Epiſcopus poſt indicatam viſorum veritatem ait, ſolemnes gratiarum actiones Deo pro tam pretioſa morte reddendas: prædicaturum ſe. Pro concione late diſſeruit de viſo, addiditque nolle qui viderat nominari. Paucis tamen poſt diebus cognitum fuit, nuntium de Miſſionarii obitu Prælato miſſum, qui ſex dies ante iverat miſſum collegio. Idque minime bonam apud vulgus tunc ſorte aliunde acerbatum & averſum (b) opinionem injecit.

Machinæ contra Prætorem.

Fidei Edictum denuntiaverat, quo ordinabatur ſub excommunicatione ut rure habitantes die & hora conſtitutis in Eccleſiam principem convenirent (c). Inſidias abſcondi ſuſpicatus eſt Prætor, vel timuit ne tot ruricolarum frequentia rem publicam turbaret: & nequid imparatum inveniat, copiarum luſtrum indicit ad

(a) Chriſti flagellatio facta eſt ſine dubio, non per noctem; ſed poſtquam illuxerat Paraſcevæ dies, ad omnigenæ ſcilicet adverſitatis patientiam, & patiendi documentum. Sed facta dicitur voluntate & injuria carnificum aut judicum.

(b) Cave ne credas mentitum eſſe; ſed ejus erat ingenii & naturæ, ut quæ ſomniaſſet, vel eſſet imaginatus, viſa crederet.

(c) Non ordinatur Fidei Edictis (quo nomine appellantur mandata Inquiſitionis) concurſus ille ſub excommunicatione; ſed cum de more Inquiſitionis Edicta legenda eſſent, Prælatus addidit de ſuo mandatum de conveniendo ſub ea pœna.

Digitized by Google

ad eundem diem. Non cedentis Episcopi firmitas Magistratum commovit, & partes conciliare nititur. Episcopo significatur, si digladiandum erat, contrariam aciem esse fortiorem. Conceptum ille metum aperit P. Sobrino, qui Prætorem convenit, ac de sententia Episcopi certiorem facit, ad pacem esse pronum, proxima Dominica censuras levandas, omnia ad ejus votum transigenda. Rogare tantum, ut milites fidei Edicta sinat audire.

Prætor annuit, & ex condicto undique ad Cathedralem concursus fit. Thronum occupat Prælatus, & Edictorum lectionem indicit, identidem interruptam explicationis gratia, & inculcata sæpius Tribunalis Sancti Officii necessitate & authoritate. Longum deinde sermonem instituit, quo post laudatam populi ad pastoralia mandata submissionem, ait, Inquisitionis decretis obediendum etiam vitæ discrimine, si foret opus; & Episcopos debere S. Ambrosium Theodosio Imperatori resistentem imitantes exemplo præire.

Ad Prætorem inde transitionem fecit: prava illius contra Ecclesiam gesta emphatice numerat: innuit sibi ex revelatione notam imminentem iram Dei. Moysis exaltavit factum, dum iratum Dominum rebellantium Israelitarum cæde placavit. Addidit, cœli furorem in præsentia minore pretio placandum: sat fore Prætorem comprehendere, quod erat tamen necessarium. Desiliens tunc de throno clamat: Ad me fideles Christiani. Renuentes me sequi, mille aureorum mulctæ, aut verberum bis centum damno. Qui Domini vexillum sequuntur, ad comprehendendum Ecclesiæ hostem me juvent. Et siquis reluctantem offenderit, *occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum* (a).

Hæc simul ait, atque arrepto de manu signiferi vexillo Phinees instar egreditur cum adhærentium clericorum manu, qui sub pallio arma gestabant. Concio turbata inter Episcopi minas, & ex capto Prætore Regis offensam, quo se vertat ignorat. Riget & ardor Prælati, dum solos circumscipicit ecclesiasticos; sed riguit maxime dato nuntio, Prætorem cum globo pyrobolarium expectare. Dum populus stupenti similis cunctatur, etiam Prælatus animo concidit. Ad aurem confidentis insusurrat, globi duces adeat, & Ordinum Prælatos, ut veniant ad se placandum.

Primus adest Tribunus Militum (b), penes quem & ordinaria erat eo anno in Civitate juris dicendi potestas (c). Reliqui de Magistratu sequuntur, & Religiosi plures, qui omnes ad Prælati pedes provoluti, ut longius ire parcat obtestantur. Vim vi repellere, respondet ille, culpa vacat. Simul profert e sinu scriptum, quo quidam Dei servus & amicus se capiendi consilium a Prætore susceptum denuntiabat: Ecclesiæ jura violasse, esse excommunicatum, cui manus inferre liceret; sed tot bene merentium precibus se non posse non concedere: & apud se recipitur. Episcopus Tucumaniæ litteris ea occasione datis testatus est Paraguajensi, facti ut incredibilis nuntium a se rejectum.

In Socios acerbatur.

Magna revera per totam provinciam ex hoc incœpto dimanavit ignominia. Et Sobrinum piguit maxime ad Prætorem decipiendum se adhibitum. Prælatum vero cum jam alias monendum suscepisset, nimium suæ potestati dare, quam papali passim in sua diœcesi coæquabat, nunc monuit, & ingratum fore Regi, populum contra Prætorem concitatum fuisse. Admonentem ægerrime tulit. Optabat enim vero ut Jesuitæ elogiis elogia rependerent, invitis ingesta. Quid revera de Sociis sentiret, non diu post per occasionem mox narrandam emicuit.

Prætor per Arbitros absolvitur.

Exitu consilii adversus Prætorem initi cognovit, minus quam putaverat suæ potestatis fines extendi. Prætor etiam obitis emergere difficultatibus optabat. Id tantum reconciliandis obstabat, quod nollet Episcopus Prætorem absolvere, nisi quatuor penderet herbæ Paraguaicæ arrobarum millia, idest octo mille aureos. Post diutinam contestationem eo ventum est, ut arbitri exclusis ab Episcopo Jesuitis utrimque nominarentur. P. Mathæus Rollon Ordinis de Mercede Commendator, & P. Thomas Pesoa Prior Dominicanus constituuntur quibus & pactis conventis absolvendi Prætoris copia fit.

Arbitrium irritatur.

Latet, quibus confecta pactis res sit. Illud constat, Prætorem per arbitros absolutum, sententiam ab Episcopo irritatam, & absoluti nomen excommunicatorum restitutum albo. Prælatus in eum rursus invehi, non tantum pro concione, sed ad aras, ante & post consecrationem ad populum conversus, & in Christi corpus jure jurando dicta confirmans. In mentem venit, P. Hinostrosam apud fratrem esse malorum causam: & Sancti Officii interdicto diœcesi excedere jussus, tacitus obedit.

Denuo Prætor absolvitur.

Tunc Prælatus ait, remoto diffidii fomite, confirmandæ paci haud difficilem se fore: constituta mulcta satis factum iri. Negavit Prætor, absolutionem emere se velle majore quam operæ pretio. Transacta nihilominus conventio est, sed inexplicata. Episcopus ad majorem triumphi pompam diem festum elegit. Prætor ante Ecclesiæ fores supplex veniam petit. Ille Pontificem indutus effuse & severe increpitum absolvit, prostratum elevat, amplectitur, templum ingredientem comitatur, dum canitur *Te Deum*. Deinde in suggestum ascendit, pœnitentem reconciliatum magnifice laudat, Theodosio comparat, eique tot attribuit virtutes, quot vitia pridem tribuerat.

Ordinandi reprobantur.

Suscepta eodem tempore ordinatio quid de Je-

(a) Exod. 32. 27.
(b) Maestro de Campo General.
(c) Alcalde Ordinario.

Digitized by Google

Jesuitis sentiret manifestandi occasio fuit. Ordinandos ejus mandato examinaturi nullum non reprobarunt; reprobatorum ille nullum non ordinavit: inopiam sacerdotum excusavit, se conscientiam habere suam, si suam habebant Jesuitæ. De cætero dispensandi & potestatem sibi & voluntatem esse. Jam pridem de Jesuitarum scrupulis questus erat: & optassent illi ut in ea expostulatione perseveraret. Sed quo erat ingenio spes aberat, ut loquendo & agendo sibi constaret.

Integratur dissidium.

Prætor contra promissum de quatuor mille arrobis herbæ pendendis clam protestatus erat. Episcopus vel protestationis odore, vel morarum impatientia, admonet de liberanda fide, ni vellet absolutionem esse cassam. Præteritas horrens difficultates Prætor per P. Sobrinum Episcopo significat, plus exigi quam erogare posset. Et Prælatus quidem in expositum a Sobrino mitius arbitrium inclinabat, cum monachus quidam Joannes Lozano sententiam interjicit, consiliis non immorandum, sed excommunicandum Prætorem donec satisfaciat: nec oportere Jesuitas rebus non suis immisceri.

Siluit Rector, & accepta Prælati benedictione discedit. Sed contracta veste Lozanus insequitur ad forum usque clamans, & indecora proferens. A Superioribus hic, ut vita erat scandalo, correctioni & pœnitentiæ suppositus ad Episcopum confugerat, qui segregatam ovem obviis acceperat ulnis. Labor in asilo erat famosos libellos lucubrare, suppositis primum nominibus, sed proprio revelato, cum de successu constabat. Hujus sententia Episcopus solum mutare constituit: quo diœcesis in extremam recidit perturbationem.

Episcopi discessus, & interdictum.

Pridie Pentecostes navigium conscendit, literis mandato, ut Vicarius Generalis interdictum generale, locale & personale, scilicet ubicumque Prætor esset, postera luce promulgaret. Sed propter diei solemnitatem in proxime sequentem Lunæ diem dilata est promulgatio ex Capituli sententia. Eodem tempore post crucifixum chori cathedralis apparuit scriptum, quo Prætor multiplici obnoxius excommunicationi denuntiabatur, qua per solum Episcopum absolvi posset. Plures alii denuntiabantur simul, non absolvendi nisi gravem æris summam expromerent. Horum nemo citatus fuerat, nec causa excommunicandi prodebatur. Fœminis, Æthiopibus, & Hispanorum nonnullis missam ut audirent permissum erat: quo audienda loco tacebatur, cum interdictum esset generale & illimitatum.

Inane multis visum fuit informe monimentum: & pro cujusque conscientia in diversas partes itum est, foribus templorum aliis semper apertis, aliis semper occlusis. Prætor aliunde ab externa excommunicatione prædicabat se liberum, aut liberandum. Jesuitæ diu reluctati, coacti demum responderunt, bello non imminente, extra communionem esse oportere, donec ab Episcopo absolveretur. Dominicani & Mercedarii a Vicario Generali absolvi posse judicarunt: quorum sententiam secutus Prætor Vicarium interpellat, sed ad sententiæ patronos remittitur. Classicum canit Prætor, & obsessa Vicarii domo, foribus & fenestris occlusis, nulli eggrediendum, ingrediendumve denuntiat, nisi absolvatur. Vicarius incœptum tenuit, & Prætor mora fessus abit.

In Curiam provocatio.

Apud se receptus in acta revocavit quidquid occurrerat in provincia post Episcopi adventum: eaque misit ad Regiam Charcarum Curiam. Episcopus Confluentiæ (*a*) ubi morabatur, certior factus libellos supplices invicem maturat odiosis in Prætorem criminationibus jure jurando munitis refertos. Mox oratores a Capitulo accepit, ut interdictum levaret, excommunicatos absolveret, taxam remitteret civium facultatibus graviorem. Sed omnia refutat, & quatuor menses obtinuit violentus hic rerum status.

Post hæc descendit Confluentiæ P. Truxillo Franciscanus Vice-Provincialis, cui plenam Episcopus interdictum levandi, & a censuris omnibus absolvendi copiam fecit. Ut Assumptionem venit ille, causas turbarum inquirit, novitque facile se deceptum sinistra Episcopi narratione; Prætorem forte lapsum post absolutionem in offendicula quædam, sed Prælati adversus eum gesta sustineri non posse; reliquos excommunicatos vix levium culparum esse reos. Edixit deinde, causa cum civili, tum criminali ad Platensem Curiam delata, judicium quod inde dimanaret, expectandum censura innodatis, & submisse accipiendum: quod ut sancte professi sunt, interdictum levat, & omnium censurarum absolutionem impertito.

Jaguarone commoratio.

Nuntium accepit Episcopus apud Itatim (*b*) Indorum pagum a Religiosis sui Ordinis procuratum, cum ad visitandas Jesuitarum sugeditionis Reductiones, ut cum P. Sobrino convenerat, parabat iter. Jam eo venerat P. Andreas Gallego cum cymbis & commeatu futurus viæ dux. Sed accepto nuntio consilium mutat, & Assumptionem redire cogitur. Gallegum reddita gratia dimittit. Quia tamen Reductio a S. Ignatio (*c*) non longe a via distabat, ea contendit non moraturus (*d*). Commeatu ibi ad reliquum iter instructus Jaguaronem petit, frequentem Indorum pagum

(a) *Corrientes*.

(b) Pagus est Diœcesis Bonarensis citra Paranam sub gradu lat. austr. fere 27. long. 317. *Itati* Guaranice idem sonat quod *campus petricosus*. Unde nomen est ex appellativo proprium plurium locorum, nominatim Itatinæ regionis, de qua alias:

(c) S. Ignatio Guazu.

(d) Moratus utique fuit, ad visitanda quæ sui juris erant satis. Et peractæ visitationis fidem longo scripto propria manu reliquit duo continente, immodicas pastorum laudes, & quæ in catechismo notaverat, deinceps in causam deducta, & anno 1656. examinata & judicata.

Digitized by Google

quin non amplius octo leucis Assumptione distantem.

Ut eo pervenit mense Septembri (a), excidit ad urbem festinandi necessitas. Ea placuit sedes, ut amœnus est situs, salubris aer, ager fœcundus. Et ne interturbaretur, excommunicatione, & quinquaginta aureorum mulcta vetuit nequis eo nisi se admittente accederet. Cujus interdicti singularitas cogitationes acuit, & de causa conjecturas: inutiles quidem, cum vel authorem ipsum rerum a se gestarum causa lateret sæpe. Regulares exceperat, quorum præsides præter Truxillum Jaguaronem convenerunt.

Benigne accepti continuo cognoverunt, non inconsulto se continuisse Vice-Provincialem: cujus inceptum ut præceps multa declamatione damnavit. Jesuitarum Rectorem præsertim movere contendit adversus eum, qui libellos, ait, Societati iniquos disseminaverat, quos etiam miserat Confluentiam postquam venerat Assumptionem. Tacitus ad hæc Sobrinus eo sermonem flectit, ut Thesaurarii D. Didaci Ponce de Leon, & D. Ferdinandi Sanchez, quem expetebant accessum & obsequium permitteret. Gratum fore respondit: quin etiam eos per litteras oratori traditas invitat. Addidit utriusque laudes, quos vellet de diœcesis rebus consulere.

Visillata. Literis acceptis viam aggrediuntur; sed stupent, cum ad sui conspectum excandescens Episcopus in hæc verba prorumpit: *En vos, Ecclesiæ, & Episcopi vestri proditores*. Et verbo prohibitos atque humano usu seorsim custodiendos tradit. Eo motus fertur, quod ex rumore forte ad eum proxime delato crederet, de obedientiæ subtractione serio consulari: Dominicanos, Prætorem, & qui excommunicari aliquando fuerant, authores esse: Truxillum actorum causa consentire. Cum nosset aliunde, Capitularibus de possessionis aditæ vitio persuasum esse, hos cohibere decrevit, qui primi in eam sententiam concesserant. Nec animadvertit, sic totum certum exacerbari, & acerbatum posse de subtractione consilium tenacius promovere.

Quidquid sit, ex illata vi magnus in urbe rumor invaluit: & Superiores Ordinum S. Francisci, de Mercede, & Societatis Jaguaronem profecti petunt, ut vel sui gratia captos dimitteret. Ad exorandum nihil non moveat, sed incassum. Longo conficere sermone contendit, nihil temere actum. De officiis Episcopi late disseruit, de studio quo Ecclesiæ tum universalis, tum peculiaris, quam unusquisque commendatam habet, libertatem tueri debet. Censurarum contemptum, & inde ortas hæreses solito ardore persequitur. Obfirmatum sibi esse suam quidem diœcesim purgare. Censuras ut cauterium adhibentem patrem agere atque medicum, qui filios corrigit, ægros curat.

Quid argumento cum Canonicorum custodia esset commune, fugit audientes; sed dum tacent, de rei æquitate & necessitate persuasum esse Prælatus censuit. Et illi quidem in civitatem regressi sic locuti sunt, ut de intentione sincera certi esse viderentur. Ea eo multis Episcopum visitandi copia fit. Mox turmatim concurritur. Frequentia inquirendi occasionem fecit de reatu Canonici Sanchez, cujus semper displicuerat Prælato libertas minus forte circumspecta. Sed Sanchezii solertia prævaluit, dum objecit, Sanctæ Cruciatæ Commissarium nec in custodiam se tradi posse, nec judicium ultra produci indicta causa.

Novit Episcopus quanti esset hæc ratio; sed injecto metu sperabat, vel sibi satisfactum iri, vel Reum libertatem mulcta redempturum. Spes concepta fefellit. Sanchezio nepos erat sororis filius, nomine Ferdinandus Zorrilla del Valle, qui captum avunculum liberare constituit. Sed excommunicatus abiit, & bis centum aureorum taxæ obnoxius, cum voluit absolvi. Duo Franciscani, & totidem Jesuitæ irato pacando dant operam, sed reliquorum instar inanem. Post quadraginta dies capti evadunt, Ponce Confluentiam, Sanchez Assumptionem apud Prætorem acceptus.

An oporteret ab Episcopo deficere deliberari cœpit, qui provinciam perturbabat, cui jus nullum ditionemque unquam fuisse multi judicabant. Duo Vice-Provinciales ejusdem *Truxillo* nominis, alter Minorum, Prædicatorum alter affirmarunt: quorum sententiam tanta vi sustinuit Sanchez Canonicus, ut prævaluerit. Thesaurarius Ponce litteris gesta continentibus monitus Assumptionem redit; sed litteræ sub ingressum excidunt imprudenti: quibus per Ecclesiasticum quemdam delatis Episcopus in furorem agitur. In se tamen redeuntis eor seditionis metus occupavit. De negandæ obedientia consultatur.

Ut imminentem avertat turbinem, juramentum fidelitatis & obedientiæ a finitimis primum exigit. Fidum deinde nuntium Assumptionem mittit, per quem & Thesaurarius & Canonicus albo excommunicatorum inscribatur. Hunc ut tradat, Prætori denuntiat. Renuit ille, sed Canonico est author, ut apud Thesaurarium divertat: & amborum sententia fuit, discedendum ab urbe. Ex fuga convaluit Episcopus, eo deinceps intentus ut adversantes cohibeat. Nova Episcopi cœpta.

Mandatum edidit, quo post multos Juris & Scripturæ textus, suo modo & plerumque allegorico explicatos, absolutiones a Truxillo dispensatas esse declarabat nullas & irritas. Mandato succedit scriptum in eundem, in Prætorem, & in plures civium principes invectivum. Neque parcebat aliis sui Ordinis alumnis. Et ex litteris Episcopi Tucumaniæ novimus, non minus acerbe habitos Jesuitas, sed testimonio contentos conscientiæ, & publico, rem tacitos dissimulasse. Abrogat Truxilli gesta.

Tan-

(a) Nempe quo ver ibi locorum initium habet.

Digitized by Google

Civitas interdicitur.

Tandem adverſus perfugas nova excommunicationis prodiit ſententia, cui par adjuncta erat pœna & mulcta pecuniaria adverſum eos, quos inter & Prætorem vel conſuetudo vel alloquium intercederet, & in totam civitatem interdictum. Unus dies Chriſti natalitius excipiebatur, & pro Societatis templo dies Circumciſionis. P. Cardenam jam hoc tempore avunculum reliquiſſe verosimile eſt. Sed erat apud Prælatum alius dignus ſucceſſor. Huic nomen Franciſcus Nieto, qui annos viginti ab Ordine Auguſtiniano defecerat. Per Indorum mapalia, quibus licentia morum erat ſcandalo, diu vagatus, Aſsumptionem vocatur ab Epiſcopo, vel ignotus vel convertendus.

Illud conſtat, illico datam ei provinciam, Petrum de Mendoza Candelariæ parochum in judicium vocandi. Subiit admiratio, & quod ejus famæ arbiter de parochi ſorte conſtitutus erat; & quod ejus, quo patrono ruberet, teſtimonio parochia privatus eſt Mendoza, & ad beneficia quævis inhabilis indicta cauſa judicatus. Incommoda erat nihilominus Nieto nova vivendi ratio, & in priſtinos errores declinabat. Sed ab Epiſcopo retentus eſt, tum ut ſibi eſset a confeſſionibus, tum promiſso primæ, cujus eſſet copia, præbendæ. Acquievit Erro. Indam & prolem ex ejus conſuetudine ſuſceptam dimiſit. Et apud Antiſtitem ad ſuorum vitia cæcum, omnia in iis ſuſpicantem, quibus ſe non probabat, primum fiduciæ & gratiæ obtinuit locum.

Acerbatus erat tunc maxime Prælatus in Canonicum Sanchez, quem lata ſententia beneficio privavit, inhabilem ad quodvis aliud declaravit, & immunitatis expertem: brachium ſæculare, niſi reſiperet, minatus, appellatione, aut recuſatione quavis non obſtante. Sententia ſecundum omnia templa promulgata, graviſſimis referta erat criminationibus in reum, cujus mores irreprehenſi fuerant: & quem ætate & obitis officiis immunem eſſe oportebat. Parem tulerat contra Theſaurarium ſententiam, quam tamen illius familiæ potentiam veritus publicare non eſt auſus. Utramque miſit cum litteris requiſitoriis ad Epiſcopum Tucumanenſem, ut eos eo forte divertentes in cuſtodiam conjiceret, qui reſpondit: „ Duobus prohibitus ſum, ne Tibi, Illuſtriſs. Domine morem geram: altero, quod prætermiſſa eſt conſignatio; altero, quod in ſententiis factorum comprobationem deſidero, ordinemque ſeu ſtilum judiciarium. Sed pro Metropolitano, ad quem mittendos eſſe ſignificas, cum e vivis ceſſerit, ad Metropolis Capitulum directos volui. “

De divinis officiis.

His non uſque adeo diſtinebatur Paraguajenſis, quin invento quopiam indigenis ad res divinas attrahendis accommodato utendum ſibi crediderit. Nietus mares & fœminas alternis canere docuerat pſalmos, hymnos, & cantica Indorum lingua, & fidibus in ludis paganorum adhiberi ſolitis. Quo concentu ſacra quotidie celebrabat Antiſtes, poſt quæ muſicos & muſicas ad pacis oſculum admittebat his verbis *Accipite Spiritum Sanctum*. Sequente canentium Indarum turba per vias ibat & agros, rivis & fontibus bene precatus. Mox aquam haurire, habitacula aſpergere, & de ſuperventura cœli benedictione certos eſſe jubebat.

Qua ratione inopiam levat.

Spes erat bonis, Epiſcopum inopiam, cujus erat teſtis, largitionibus levaturum; ſed plane decepti ſunt: quo, & irrogatis excommunicando mulctis, parum generoſus & liberalis audiit. Indorum quidem, qui omnes commendati erant, ſolatium amabat; ſed horum detrimento, quos excommunicatos ſervitio defraudabat. Prætor tot malis commotus, quibus medendi copia in tanta authoritatis abjectione deerat, reconciliandi ſe cupidus Jaguaronem petit, modico decurionum & Secretarii comitatu.

Prætor Jaguarone.

Dum eo venit, excommunicationis cauſa vitatus ab omnibus, nec domum habuit in quam diverteret, nec qui minimum exhiberet officium. Verum abſolutionis deſiderio calicem potare decrevit uſque ad fæcem, cujus amarorem minime temperavit Epiſcopus. Ad pedes devolutum ſub conditione tantum abſolvit, & jurata fide quatuor herbæ arrobarum millia ſolvendi. Imo etiam voluit pagum humiliationis teſtem: & abſolvendum increpuit, ut hominem e populi fæce, & convictum graviſſimorum criminum reum.

Severitas erga excommunicatos.

Ii, quibus magis erat notus hæc omnia, pecuniariis exactionibus in eorum aviditatem quibus ſe totum crediderat rejectis, in amorem dominandi referebant. Hæc enim vero affectio inſtar reliquarum adblandiendo captivat. Eccleſiam ditare ſuam voluiſſe putaverit quis. At eam reliquit perinde atque invenit, inopia preſſam, nec quo decore ſacra fierent habentem. Obcæcatus præterea non vidit, excommunicationes eſſe adhærentibus loco fundi, quem in dies augebant illi, actum eſſe de authoritate, & dignitatis imperio, Eccleſiæ bona eſſe patrimonium pauperum identidem inclamantes. Sic intemperans dominationis amor miniſtrum fecit quorumdam aviditatis, in lapſus impulſum, qui fidem ſuperaverint.

Excommunicatorum caterva ſpe veniæ ſimul Jaguaronem convenerat. His primo duritiem exprobrat cordis. Deinde duo ſibi per viſionem ait oſtenſa, quibus irrogatam abſolvendorum mulctam ne minueret prohibebatur. „ Cum aliquando (inquit) orarem ante imaginem S. Petri, & Eccleſiam meam gubernandi rationem exquirerem, reſponſum intus accepi, cum de ſuis eſſem ſucceſſoribus unus, & plena ſua munitus authoritate, ſeveritate utendum contra rebelles. Nocte dum alias orarem furentium dæmonum vidi legionem, Aſſumptionem, etiam Dei templa ſubruere nitentium, & clamantium, *Exinanite*, *Exinanite uſque ad fundamentum in*

Digitized by Google

se (a). Surrexi, & crucem manu prætendens, id me superstite fore imperio negavi: quo dicto repente disparuerunt". Addidit, si Prætoris & reliquorum sibi adversantium facta voluisset ulcisci, jam diu in pulverem redactos fore; Deum suis precibus terram sterilem reddere aut fertilem, serenitatem aut pluviam imperare, ut ad rebelles coercendos, ad obedientes remunerandos oportebat.

His exterritos eadem lege qua Prætorem absolvit. Sed cum eorum nemo solvendo esset, re penitus infecta discedunt. De Cardenæ raptoribus cuidam obtigit, ut nullo pretio absolveretur. Jaguaronem petit pœnitentis habitu, & flagello præcinctus. Ad Episcopum, quem esse in æde sacra cognoverat accedit, ad cujus pedes provolutus totis clamat latebris *Misericordia*: & tergum offensare vi cœpit. Eum Episcopus levat, amplectitur, elogiis cumulat & blanditiis, absolvit demum nulla conditione gravatum.

Tribuno Militum D. Sebastiano de Leon, & Centurioni Francisco Vega, non usque adeo mitem se præbuit. Illi, quia post annum ab excommunicatione mille aureorum taxam non solverat, quingentæ præterea indicuntur libræ: denunciaturque, nisi data fide contra Prætorem agendi quidquid Episcopus injungeret, non absolvendum. Alter aureorum mille damnatus erat, & post semestre veritus incrementum solvere cogitur. In summa excommunicationes erant quoddam contributionis genus ad opprimendos quotquot exciderant Prælati gratia. Sed cum intemperantius res urgetur omnium jactura fit.

In templo turbatum.

Feria quinta, qua Cœna Domini celebratur, duobus Ecclesiasticis Judicibus in mentem venit chorum Templi Cathedralis mensis occupare una & altera ad recipienda nescio quæ Ecclesiæ debita (b). Ad solvendum accedentes monebantur, si cum excommunicatis communicassent, & ipsos excommunicationis esse reos, neque liberandos nisi data scripto & jurata fide leges imponendas subeundi. Plerique subscripserant, ne communione paschali privarentur. Duo de turba elapsi erant, & cognitum tunc primo, cum alter ad pœnitentiæ tribunal, alter ad sacram mensam adstabat. Hinc & illinc uterque per vim avellitur. D. Sebastianus de Leon monitus adfuit, & ad collectores ait, a Juda vendidum Apostolorum Magistrum triginta denariis; ab eis vendi canius, sed tamen vendi; absolutionem se nolle, qui non ageret; simoniacos esse; vix se continere quin virga, quam manu præferebat, uteretur pro flagello; pellendos e templo sacrilegos non animarum, lucrandorum venditores, sed sacrificii, & quod in rebus sacris sanctissimum est; nisi protinus abstinerent, scandalum se eorum malo remoturum. Militaris increpatio usu non caruit. Iis qui nec solverant nec subscripserant, tranquillum pascha celebrare datum est. Et quia taxa facultatibus major plerisque irrogata erat, ne tota rei summa periret, ad quintam partem per Lic. D. Franciscum Chaparro redigitur. Ratihabendum id fore putaverat. Sed ab Episcopo per Visitatorem D. Franciscum Lopez de Monzalbe exulare jussus, triginta herbæ librarum millibus mulctatur. Sententia, quam putabat inquam commotus Chaparrus, nos quorum acceperat fidem, vocat; coram lacerat documenta, & nihil deberi denuntiat.

Felicius accidit Monzalbo de taxa Prætoris negotium, quod in se receperat. Exhibitam partem nimbis impositam lintribus aqua corrupit. Reliqua periit nescio quo malo. Nec in Monzalbum procuratorem a se designatum Episcopus culpam derivavit; sed ut mox narrabitur, in Prætorem, qui sonum præpositio puntio tradiderat herbam. Aliud ea tempestate incœptum agressus est Aneistes, quod fidem eorum etiam quibus nihil incredibile sit, superaverit, nisi Acta in tabulario Auditorii Platensis reposita essent.

Acta per vim ministrorum.

Prælatus, qui post excommunicationem & fugam Canonici Sanchez, munus susceperat quo fungebatur ille, Commissarii Sancti Officii (c); addictas facultates non minus quam episcopales, & reliquas sibi arrogatas amplebatur. Mandata quaque versum dabat, quorum executores per speciem crimina puniendi, omnia per vim agentes provinciam ruinis & terrore complebant. Excommunicationes crebræ, contributiones mulctarum nomine ut in regione hostili exigebantur. Indi abstrahebantur a Comendis non in libertatem; sed in Episcopi servitutem, ejus ministrorum, & adhærentium. In summa regiam jurisdictionem exercebat ut episcopalem, & hanc ut reliquis superiorem: neque sensi habebat in provincia constitutum a Rege prætorem.

Prætoris agendi ratio.

Hic aliunde præponere suas agebat partes. Suam primo authoritatem deprimi sinebat, libera mirata deinde abreptus in angustias priorum arctiones conjiciebat se: dum Episcopus

(a) Psalm. 136. 7.

(b) In Regia Scheda ad Cruciatæ Commissarios Subdelegatos data 12. Maji 1751. dicitur: „ Por lo que toca à los Indios procurarán que las Curas al tiempo de Quaresma, en que se juntan para oir la doctrina, y satisfacer al precepto annual de la Iglesia, los muevan y persuadan à la satisfaccion del importe de las Bulas que huvieren tomado". Idque jam pridem ubi consuetum erat. Hæc fortasse dubia Feria V. majoris hebdomadæ exigebantur: maxime postquam Episcopus Commissarii munus Sanchez Canonici proprium occupaverat. Sed & locus & modus præter legem fuit: imo contra legem 16. tit. 1. lib. 1. Recop. Ind.

(c) Supra Commissarium Sanctæ Cruciatæ Sanchezium appellat Historicus. Fortasse agebat utrumque, & Commissarium S. Cruciatæ, & S. Officii. Sed hoc munere ad S. Officium pertinente Episcopus indigere se non putabat, cum esset Inquisitor a jure, ut supra jactavit, & narratum est ad annum 1642.

Digitized by Google

pus ex ejus imprudentia proficiebat, nec inito curſu deſiſtebat unquam. Regia erant mandata, litteris apoſtolicis (*a*), & Sancti Officii decretis confirmata, ut Indi commendarum fiſco addicti libertate donarentur, ethnici erudirentur, & in Reductiones Jeſuitanas mitterentur (*b*) baptizati. Epiſcopus ratus proculdubio, mandata hæc ſe relaxare poſſe, aut pro arbitrio interpretari, ſervitia excommunicatorum confiſcata vel retinebat, vel clientibus diſpertiebat. Prætor vero quam poterat plura recuperabat. Et herbæ cumulum petentibus quorum erat reſtitui fecit: quem Epiſcopus occupaverat, ad Sanchez Canonicum pertinere ratus.

Epiſcopi mandatum.

Sic bello integrato incurſiones utrimque fiunt. Pax aliquando ſuccedit, ſed brevi duratura. Prætori imminens quatuor mille arrobas, antiquam pro abſolutione taxam exigit Epiſcopus; cui reſpondit ille, ſatisfactum debito, merce non ſuo vitio corrupta, ſed ejus quem ipſe recipiendæ præfecerat: reliquum aliunde nihil eſſe. Prælatus contendit, eſſe debitum quod non acceperat; ſed aureis quatuor mille ſatisfactum iri. Ridentem & renuentem edito 22. Junii mandato declarat in excommunicationem relapſum, cum propter oneris impoſiti repudium, tum propter nova in Eccleſiam commiſſa. Eodem mandato & pari pœna interdictum eſt, nequis obſequium, aut obedientiam contumaci præſtaret. Addebatur comminatio, pellendos tranſgreſſores e provinciæ finibus, & ſuſpectos in fide judicio perſequendos, cum Prætore compellendos, ut ſe ante Supremæ Inquiſitionis Limanæ (*c*) Judices ſiſtant.

In Socios invehitur mox immemor.

Tunc apparuit quid de Jeſuitis Prælatus ſentiret. Cum P. Chriſtophorus de Grixalba in ruſticum Collegii ſacellum die feſto ſe conferret ad celebrandum, ad Epiſcopum apud Itam Indorum parochiam commorantem de via ſalutandum diverſit. In media populi frequentia acerbiſſime accepto ait, in Societate non eſſe niſi Theologos ignorantes, Jeſuitas omnes eſſe hæreticos, & ſchiſmaticos, quos ipſe execrabatur, excommunicabat, anathematizabat. Hæc ſunt verba ipſa, quæ litteris paulo poſt datis Paraguajenſi objecit Epiſcopus Tucumanus, addens vere prolata fuiſſe, ſe non potuiſſe negare, quandoquidem in litteris, quas ad ſe ipſe ſcripſerat, eadem continebantur.

Vero ſimile eſt, in Grixalbam acerbatum, quia interrogatus hic conſilium P. Truxilli de ſublatis excommunicationibus, nondum ab Epiſcopo rejectum, valide comprobaverat: atque id latebat. Sed altius ortam acerbitatem Prælatus celare non potuit. Illud eſt mirandum, ad confiçiendum, Jeſuitas ubique eſſe ſchiſmatis authores, quod Venedis contigerat Epiſcopum allegaſſe, ubi Papæ obediturі omnium jacturam fecerant: & in eandem ſententiam allegaſſe deinceps Paulinorum de Piratininga exemplum, qui ſocios exemerant.

Exprobravit etiam Grixalbæ, Aſſumptionis Socios interdictum in totam civitatem commotum violaſſe, idque privilegiorum prætextu, quæ negavit a Papa Epiſcoporum damno concedi poſſe. At erat publice notum, totam eccleſiam toto interdicti tempore obſeratam fuiſſe. Colloquii exitus improviſus atque fuit atque exordium. Nam Grixalbæ ad objecta reſpondere volenti ait, neſcire ſe quo ea ſpectaret reſponſio; ſe nihil objeciſſe. Tandem amicum eſſe jubet. Novit fortaſſe, plura quam vellet a ſe prolata. Et aliunde ſæpe compoſitum erat, vertigine cui erat obnoxius, extra ſe furentem quandoque rapi, ut quid eſſet proxime locutus neſciret. In eamdem cauſam referre par eſt viſionum & revelationum ſpecies creditas. Illud erat incommodum miniſtra quædam aggreſſum non cedere, quod ſe putaret divinitus inſpiratum.

Frequentius id contigit Jaguarone. Excommunicatione ſuſpendit aliquando omnia Regularium privilegia, & Cruciatæ facultates. Mox eorumdem Regularium eccleſias omnes interdixit, excommunicatis quotquot apoſtoli exploratores intercire videbant. Interdictum generale devenit, pene abolito in civitate ſacramentorum uſu, viatico & extrema unctione clam delatis, & mortuis non niſi cauſſime loco ſancto ſepulis. Ad hæc hoſtias omnes conſecratas conſumere, & Religioſos omnes præter Joannem de Cordoba Franciſcanum pro parocho, urbe excedere juſſit. Sed Cordoba, qui ſanctitate & apoſtolicis laboribus toti provinciæ chariſſimus & reverendus erat, matern excuſavit, ne uni tantum imponeretur onus. Jeſuitæ opem pollicii ſunt, monitis Epiſcopi curſoribus, urbem contagio afflictam ſpirituali ſubſidio deſtitui non poſſe: & P. Bernardinus Tolo, ut hæc Prælato nota faceret profectus eſt.

Interdicta denuo civitas.

Benigne acceptus Epiſcopo adhibitam ſeveritatem ſuſtinenti ait, æquum non eſſe pau-

Mandatum ſuſpenditur.

(*a*) Nempe datis anno 1639. 22. Apr. quibus Pauli III. veſtigiis inſiſtens Urbanus VIII. Collectori Apoſtolico in Portugallia mandat, ut per ſe vel alium omnibus locis in Paraguariæ & Braſiliæ provinciis, ac ad Flumen *de La Plata* aſſiſtens inhibeat, ne Indos in ſervitutem redigere, commutare vel donare, ad alia loca deducere, aut quomodolibet libertate privare, & in ſervitute retinere debeant. Officium vero S. Inquiſitionis libertatis Indorum hoſtes coercendi provinciam ſuſcepit circa annum 1636. ut teſtis eſt Claudius Clemens in Tabulis Chronol. Ind. Decad. XV. Nec alia novi decreta propius ad rem præſentem ſpectantia. Regia vero mandata vide lib. 6. Recop. Ind. per tot.

(*b*) Ignotum penitus mandatum mihi eſt, mittendi baptizatos in Reductiones Jeſuitarum. Forte ſermo eſt de baptizatis in ipſis Reductionibus: de quo plures ſunt leges in Recopilatione, nominatim lex lib. 16. tit. 2. lib. 2., ut abducti in libertatem, & natale ſolum reſtituantur.

(*c*) Suprema non eſt, ſed ſupremæ Matriti ſedenti ſubordinata Inquiſitio Limana. Si vero Epiſcopus Inquiſitor erat a jure, ut ipſe prædicaverat, idque petebat quod Limani Inquiſitores, quos reſpicit comminatio compellendi tranſgreſſores ad comparendum Limæ, ſeque uſque adeo procul ſiſtendum?

Digitized by Google

eorum culpa in totam civium universitatem animadvertere; animarum Christi sanguine redemptarum plures in discrimen conjici. „Igitur, ait Prælatus, tu cum P. Cordoba in urbe remane: “ Replicat Tolus, hominum par impar esse labori tanto; & genuflexus obsecrat, ut ovium suarum misereat pastorem. Episcopus flecti se sinit, & mandatum suspendit.

Timor a Guaicuruis.

Dum ea geruntur, tercenti Guaicurui e regione Assumptionis conspecti sunt; & quo tempore civitas morbis & excommunicationibus obruta mœrebat, atque timor cum Prætore & primis ducibus anathemate percussis communicandi disciplinam turbabat, instat bellum. Nulli non persuasum fuit, Episcopum fore tunc in absolvendis copiarum ducibus facilem: & plures quidem Religiosi ejus oratores gratiæ convenerant, sed incassum. Prætor ipse ratus Episcopum non aliud requirere, iter ad exorandum parabat. Sed obstitit civitas illius absentiam vetita. Cathedralis Ecclesiæ Capitulum Episcopum flectere in se recepit; sed acerbe & indecore acceptum est. Tandem quod venerandus ille cœtus impetrare non potuit, datum est devotæ fœmellæ precibus. Interdictum levatur: Prætoris excommunicatio quindecim dies adhibita cautione suspenditur: Dilapsis interea Guaicuruis, bellum inter Episcopum & Prætorem recrudescit.

Litteræ Proregis ad Prætorem.

Litteras accepit Prætor a Marchione Mancerano pro Rege, quibus admonebatur, ne diutius provinciam opprimi, suamque deprimi authoritatem sineret: omnia secundum juris normam restitueret, & Episcopum coge-ret ad continendum se intra spiritualis jurisdictionis fines. Addebatque, documentis quæ acceperat, inaudita contineri, sic tamen comprobata, ut dubitandi locus non esset. Prætor lectione litterarum animos recepit, in posterum consultius fore juri suo pollicitus. Se tamen non satis noverat, & cum eo res erat, cui se plus satis notum fecerat.

De integro excommunicatur, & absolvitur.

Instituit primo copiarum lustrum. Jubet deinde quod pro Rege ordinatum erat, Lusitanos omnes Assumptione commorantes in Fanum Sanctæ Fidei emigrare. Monet Indos urbi finitimos a se visitandos, utque ad regia exequenda mandata parati sint. Episcopus certus hos motus ad se spectare, mandata dat ut Prætor excommunicatus pronuntietur, quindecim dierum spatio jam elapso: & nequis rura colentium, Hispanus Indusve, illum conveniat, anathemate conjecto in transgressores.

Invicem a Prætore vulgatur, mandatum sibi negotium, quod ad Regis obsequium spectet, & Majestatis nomine expediri petit omni censura. Ad Episcopum remissus Jaguaronem petit. Itæ obviam factus Lic. D. Petrus Navarro scriptum profert, quo excommunicatione majore & mulcta gravi cum ipse, tum reliqui de comitatu progressu inhibentur. Prætor retractis auribus ait, per Notarium edictum denuntiandum: quo Licentiatus pagum interdicit. Jaguarone Prætor in ædem sacram recta contendit; ad cujus aspectum Episcopus territus absolutionem impertit. Absolutum amplexus sacrum celebrat ritu pontificali, post evangelium de more concionatur. Prætorem laudat, ad prandium invitat, silentio transactum. Mox Prætor Episcopum, ut interdictum, saltem in Cathedrali suspendat usque ad Assumptionis festum titulare, orat & exorat. Perfecta & sincera reconciliatio visa est: & P. Bartholomæo Lopez Ordinis Prædicatorum Provinciali, qui tunc forte Jaguaronem convenerat, accepta refertur.

Episcopi & Provincialis O. P. conventio.

Vir erat doctus, & opinione potens in Curia. Verebatur Episcopus ne hominem male haberet, quod conventum exciderat. Sed brevi timor evanuit: & a congressu primo visus est Prælato ad Jesuitas Assumptione pellendos utilis. Orat Provincialis, ne cœnobium reficere volenti obsistat. Ex quo conjectura fuit, diploma regium quod expectabat, necdum accepisse. Orat præterea, ut P. Verdugo nomine gratum habeat. Quibus annuit Episcopus. Inde Assumptionem venit, Episcopi commendatione honorifice excipiendus. Nec diu fuit quin Sociis innotesceret, adversum aliquid strui, eum inter & Prælatum.

Sociorum persecutionis primordia.

Restituendæ confestim fabricæ mentem admovet Provincialis: ac dum materies congeritur, ad Collegii Rectorem mittit Secretarium, ut illius ichnographiam exarare patiatur. Haud ægre Sobrinus annuit: & quia Jesuitis semper cum Dominicanis convenerat, ne in suspicionem quidem venit, occultam petitioni subesse machinam. Sed constabat satis, Episcopum ita loqui consuevisse, ut qui diris devoverat Socios: dioecesis regimen impedire solicitudine pro excommunicatis, & importunis admonitionibus; superbos supra quam ferri posset; ecclesiæ majestati nunquam non infestos, quam privilegiis, & opinionibus populorum infectivis deprimebant. Constabat, non aliud esse privatorum sermonum argumentum, maxime cum diversi Ordinis religiosis, quos in suas trahere partes studebat. Quin etiam pro concione cœpisse jam animi acerbitatem ostendere.

Classes interdicuntur.

Spes erat, si caute procederetur, sententiam mutaturum, cum indicitur classium Grammaticæ & Humaniorum vacatio, diversum esse constitutum juventutis præceptorem. De latinitate parum solicitus erat, quod palam fecerat in ordinationibus; sed cordi erat, Sociis apud publicum fiduciam detrahere. Factum denuntiavit ut ex Regis mandato, & ex zelo pro majore Dei obsequio: quod multa vulgo cogitandi occasio fuit. Mens tunc attentius vertitur ad fœdus cum Provinciali Lopez initum. Et in mentem revocatur, cœnobium S. Dominici diruentem mandata obtendisse regia per P. Sobrinum accepta: quod oppido falsum esse constitit. De ichnographia Lopezii petitio subvenit: nec dubitatum, Episcopum de committenda illius Ordinis alumnis juventutis educatione cogitasse.

Haud

Digitized by Google

Interdictum. Episcopi solicitudo.

Haud ita post facultates suspendit Regularium ad absolvendum & prædicandum, mox omnibus præterquam Jesuitis restituendas. Rector Vicarium Generalem orat, ut sacerdotes suos examinari faciat, quibus approbatis facultatem conferat quam reliquis. Ad Prælatum scribere pollicitus responsum habuit, de Sociorum aptitudine non esse dubium, sed e re divina esse ne sacramenta administrare, aut verbum Dei prædicare sinerentur. Hac tamen super re non erat solicitudine liber. Juris formam posthabuerat facto: nec dubitare poterat, quin delatis ad Charcarum Curiam querelis magni essent excitati motus. Monitus erat, Curiæ mandatum imminere, ut excommunicationes levaret gratis, mulctas restitueret. Hæc tamen celabantur, litteris tantum privatis enuntiata, quas amici de Curia dederant. Suspicio etiam fuit, quasdam aliis scriptas intercepisse.

Cura temperatur.

Aliunde Prætor, etsi firmior animo post acceptas Proregis litteras apparebat, is erat, quem Prælatus non timeret, & a quo se timeri sciret. Imo sperabat eo facile adducendum, ut incepta probaret; nam de populo securior erat. Nullam Americæ Curiam quidquam adversum se ausuram esse: Romanam, & Matritensem id unum adnitenti, ut ecclesiastica res & libertas vindicaretur, adfore putabat. De cœli auxilio ad pellendos e collegio & reductionibus Socios certus erat, ad gloriam Dei ratus interesse.

Conciliando Prætori studet.

Noverat nihilominus providendum multis, ut consilium ex sententia succederet. Et primo agendum, ut Prætori probaretur, certe ut non obsisteret. Ei sæpe persuadere contendit, concordiam quæ primis post suum in diœcesim adventum diebus inoleverat, perennem fore, nisi quorundam periculosa politica agendi ratione pax perniciosis suis cœptis incommoda turbaretur; ex raptu Cardenæ ansam arreptam ad acerbandum animos; longius quam par erat provectum se esse; immodicam severitatem mitigare velle; ad hæc etiam moveri narratis a Provinciali Dominicano, ei natam esse in Chile, cujus facultates nec natalibus responderent nec meritis; ad congrue collocandam symbolum conferre se velle, condonatis quod absolutus debebat, quatuor millе aureis; sententiam se laturum pro eo deraptu nepotis, notaris quæ Religiosus ille commiserat. Alia promissa fecit, & res ejus cordi sibi fore, quantum per Ecclesiam liceret, vel sanguine ut est debitum Episcopale, tuendam.

Lopezii cum Prætore sermo.

Post hæc Provincialis Lopez visitatum Prætorem adest, quem sic alloquitur, ut intenti ab Episcopo fœderis scopus internosci posset. Ab utilitate indivisæ unionis inter utrumque magistratum exordium cepit. Prudentiæ & religionis ait esse gesta in oblivionem tradere: incommodum & periculosum identidem esse ad superiora tribunalia recursum: vix fieri quin aliquid ibi sinistræ opinionis adhæreat: multa esse sapienti dissimulanda: etiam invadente jus & ditionem sæcularem Episcopo, posthabendam conciliationi vim: ex litteris, quas acceperat, eam esse videri Proregis sententiam: sua demum interesse Episcopo, cujus erat ille naturæ, non nihil cedere.

Affirmavit deinceps Hinostrosa Prætor, post id sermonis subdidisse Lopezium quasi secreto, constituisse Prælatum Jesuitas Assumptione, & ex Paranæ Reductionibus ad suam diœcesim spectantibus expellere, certum nec improbandum a Papa, nec a Rege. Obstare sineret, quia Episcopus ille vel erat Ecclesiæ sanctissimus, vel totius mundi scelestissimus. Quidquid esset horum, damno suo cum eo Prælato congressurum. Quibus respondisse, prætereundum sibi pacis amore quidquid nec honorem læderet, nec conscientiam. Sed Jesuitas, ait, aliosve Religiosos ex provincia mihi credita pelli, nisi scripto Regis mandato, vel fortunæ jactura non patiar.

Hinc Lopez spe conciliandi sententias dejectus, atque futuros prævidens provinciæ motus, rebus suis quam primum compositis abit. Sed nondum desperaverat Antistes Prætorem in suas partes attrahendum: nec quidquam quo se amicorum amicissimum haberet prætermisit. Hæc gratis non fieri recte noverat Prætor, maxime post filii P. Lupi de Hinostrosa Jaguarone reditum, quo recens e Chile advectus officiose profectus erat.

Exceptum se retulit perquam honorifice, & tubarum sonitu: elogiis & tenerrimæ benevolentiæ documentis cumulatum: ordinandorum examinatorem constitutum, data fide promovendi syngrapha sua munitos: confidenter sibi proditas adversus Jesuitas querellas: in his fucum Papæ & Regi facere: pastorem diœcesis, Regi a consiliis eos omnino persequi debere etiam vitæ discrimine: rogatum se, ut patri quo-quo prætextu persuaderet absentiam, si secum conspirare nollet: tandem pollicitum ad comparandos libros mille aureos, si negotium conficeret.

Prætoris consilium.

Ad hujuscemodi sermones Prætor non aliud quam vagis æstimationis & affectus erga Prælatum protestationibus respondere. Jesuitas quidem admonuit de imminenti turbine, celatos tamen opem a se sperandam. Imo significavit, tempus ad decernendum quam in partem se vertere oporteret, præstolari. Ita se gessit, ut Episcopus deceptus crediderit, progredienti non obstaturum. Progredi ergo constituit, sed pedetentim: certus, lento quantumvis gradu, dum non deviaret, ad metam brevi perveniendum. En qua viam occepit.

De occupando prædio consilium.

Prædium D. Gabrielis de Vera, cui a S. Isidoro nomen est, emerant Jesuitæ, quibus Episcopus significavit, ut quanti emerant, tanti venditum sibi vellent. Nondum responso accepto denuntiat, dono ut sibi dare velint, cum adeo opulenti sint. Sed hominum largitati parum fidens, rursus monet, prædium esse Indorum Jaguaronis proprium, nisi intra dies octo concedant, a se occupatum iri, & inventa bona mobilia executoribus se-

re-

re laboris & operæ pretium. Has litteras collegii rectori tradidit nuntius, qui nondum lectis ait contineri ſententiam definitivam: niſi ad Sedem Apoſtolicam, cujus Epiſcopus erat delegatus, provocari non poſſe: inutilem fore recurſum, ab Epiſcopo ante vertendum.

Juramentum fidelitatis.

Eodem tempore ordinum candidatos Jaguaronem ſe conferre, & accedentes jurare jubet, effuſo etiam ſanguine ſi e re eſſet, fore fidos. Ad ordinationis ſummo apparatu confectæ ſolemnia complures invitati ſunt. Et Epiſcopus ordinandorum delectu ſolemnitatis fecerat compartes civium primores, hac ratione conciliandos ne a Jeſuitis ſtarent. Ad hæc claſſibus occluſis, & miniſteriorum intercepto uſu, nullum de civitate partes eorum ſuſcepturum arbitrabatur.

Inſpiratum ſe credit.

Plurimum dabat inſpirationis oſtento populari, quo ſub pontificatus primordia profecerat. Invectus aliquando in Jeſuitas pro concione, vidit inter audientes P. Petrum Romero ſæpius deinde memorandum. Tunc ad ſacrarium converſus, ad Miſſionarium illorſum ſtantem ait: „ Ignoſce, mi Pater, quod modo audiſti, a Domino qui præſens iſthic adeſt, quem mox conſecraturus & accepturus ſum, inditum ori meo eſt. Dum huc aſcendi, ne id quidem cogitaveram. Sed ſpiritum ſanctum me abripientem continere non potui. " In eamdem fere ſententiam die ordinationis ad duos Socios locutus eſt, quos P. Sobrinus miſerat ad profitendum coram, nec ipſum, nec ſuos egiſſe quidquam indignatione dignum. Nam poſtquam acerbiſſime reſpondit, manu pectori admota, & oculis ad cœlum intentis addidit, altiſſimis cauſis, & quæ humanam rationem ſuperent, adverſus eos moveri ſe. His dictis abire jubet, & ſermocinationem aditu interceptam tranquille ſequitur.

Sociis imputata.

Poſt modicum intervallum repente ſermonem alio vertit, & quaſi mœrore oppreſſus edito ſuſpirio profert, tuenda ſibi ut Epiſcopo eccleſiæ jura, vi epiſcopali perſequendos ea vel minimum derogare, violare ſacros canones, & illius patrimonium fucatis rationibus uſurpare auſos. Cum Regi eſſet a Conſiliis (*a*) purgandam a ſe provinciam defraudatoribus, qui regalia occupant, ad extera regna, atque Hiſpano infeſta locupletanda. Cum eſſet diœceſis paſtor, ſuum eſſe oves ſibi creditas a rapacibus lupis defendere, & inſidias amoliri a ſpiritu tartareo paratas opera miniſtrorum, qui ſpecie pietatis & religionis cupiditatem obtegentes gregem ſpoliant.

Auditoribus hoc exordio ſuſpenſis ait, cum eſſet homo reliquorum inſtar errori obnoxius, de Jeſuitis erraſſe diu eorum relationibus ſeductum; ſed ab alio eruditum & illuſtratum inexcuſabilem coram Deo fore & coram hominibus, niſi qua ratione Paraguajenſes regii patrimonii, & Eccleſiæ patronatus detrimento tot occupaſſent Indos notum faceret. Pſeudo apoſtolos hoſce abominanda dogmata neophytis tradere. Charitatem admonentis contemptam. Opiniones pernicioſas in populum ſpargere. Eccleſiæ cenſuras, & S. Sedis authoritatem deprimere. Epiſcopos deſpicere & perſequi. Monitum a ſe Regem, quod in Reductiones novos quotidie paſtores immitterent, per eccleſiaſticos Superiores non approbatos, nec Epiſcoporum *Viſa* impetrato (*b*). A pendendo Regi annuo tributo (*c*), & Epiſcopo decimis (*d*) Indos avertere. Fodinas poſſidere, quarum fructum extrahebant quo libitum erat. Spiritualem temporalemque poteſtatem omnimodam ambire. Claſſibus privatos, quia nihil docebantur diſcipuli, ut nempe doctorum penuria, ipſi parochias obtinerent, nec alia de cauſa ordinum ſacrorum candidatos approbare nolle. Eis ſe nonnullas credidiſſe parochias ad tempus, ſed ipſorum, quos nondum ſatis noverat, petitionibus compulſum (*e*). Adminiſtratione ſacramentorum interdictos, quod ſcrupuloſi non erant ſigilli cuſtodes, & ad ſacrum tribunal familiarum arcana lucri cauſa inveſtigarent. Montojam regium ſubripuiſſe (*f*) diploma, quo Hiſpanis gentes jure belli partas abſtulerat. Paraguariam ingreſſos tantum non nudos, nunc vero ſupremum vaſtæ regionis obtinere principatum. Diœceſi exterminandos a ſe ut a Venetis (*g*), & a Paulitanis de Piratininga (*h*). Epiſcopo Tucumaniæ quidem poteſtatem factam, ſed metu cohiberi; ſibi ut præiret exemplo ſatis virium & animorum eſſe. „ Et vos, ait tandem, mihi acceptum referetis Indorum ſervitium filii veſtri parochias, & opima ſacerdotia; Rex regalium uſum; dotem ſuam & libertatem Eccleſia. "

Poſtremo hoc articulo identidem ſermonibus inculcato parum movebatur nihil ex eo intelligentium vulgus. Nemo de cætero credebat, Jeſuitas confeſſionum arcana revelare. De aurifodinis fabula nondum ita compoſita erat, ut fidem inveniret. Sed probe noverat Prælatus, una Paranaënſium ſervitiorum ſpe fore ut multi cœpta ſecundarent. Reliqua adjungebat, ut Regis & Eccleſiæ Majeſtatis rei viderent-

(a) Id poteſtatis & uſus trahebat ex ritu quo apud Hiſpanos Epiſcopi dicuntur eſſe *Del Conſejo de Su Mageſtad*: quo juris quidquam & ditionis contineri nulli unquam in mentem venit.

(b) Nondum Reductiones in parochias erectæ erant. *Charl.*

(c) Imperatum non fuit vectigal uſque ad annum 1649. *Charl.*

(d) Nullibi decimandi uſus inoleverat. *Charl.* * Vide Solorzanum Lib. 2. Polit. cap. 23. & Ind. Recopil. lib. 1. tit. 16. leg. 13.

(e) Publice notum erat, invitos id curarum acceptaſſe. *Charl.*

(f) Diploma non ſubreptitium ſæpe deinde confirmatum eſt, non impetratum a Montoja. *Charl.* * Diploma datum eſt (ut ex Recop. Ind. conſtat lib. 6. tit. 8. De los *Repartim. y Encom.* leg. 46.) 23. Febr. 1633. quinque ante annos quam Montoja Curiam cogitaret.

(g) Non pulſi a Venetis ſunt; ſed ultro ceſſerant. *Charl.* * Integrum erat ſaltem Sociis eodem atque aliis Regularibus pacto ibi permanere.

(h) Parum decet Epiſcopum exemplum Paulitanorum ſequi. *Charl.*

Digitized by Google

rentur adverſantes. Eadem apud eos quos in partes trahere pluris erat, privatim & pro concione repetere non ceſsabat; additis ſuorum viſitatorum in comprobationem actis, & ſuppoſititiis quorumdam Jeſuitarum ſcriptis. Neque fiduciæ documentis, blanditiis, & officiis parcebat. Timidioribus non aliud ſe, quam regia exequi mandata obteſtabatur. Tam multis denique conſilium probavit, ut exequendi moras accuſarent promiſſorum deſiderio. Et author ipſe de ſucceſsu blandiebatur ſibi, cum de improviſis obſtaculis nuntium accepit.

Digitized by Google

HISTORIA PARAGUAJENSIS.

LIBER UNDECIMUS.

ARGUMENTUM.

EPiſcopi cœptis obſtat Prætor. De Sociis pellendis conſilium. Sociorum tranquillitas. Epiſcopi mandata. Sententiam mutat. Regii Senatus Conſultum. Cum tribuno militum ſermo. Prætor apud Jaguaronem cum DC. Indis. Exilium Epiſcopo denuntiat, & temporalium jacturam. Supplicatio inſtituta. Prætor circumventus. Aſſumptionem redit Epiſcopus. Prætoris conſtantia. Calumniæ vulgatæ. Epiſcopus navigium conſcendit. Excurſiones per Tucumaniam. Fodinarum ad Uruguaim inventum. Reductionum ſtatus. Motus apud Itatines. Novæ ſedis molitio. P. Romeri martyrium. Mamelucci apud Itatines. Miſſionarii cædes. Epiſcopi geſta apud Confluentes. Litteræ ad Tucumanenſem. Reſponſum. Acta poſt Epiſcopi diſceſſum. Paranaënſium merita. Regii Senatus Conſultum. Aſſumptionem petit Epiſcopus. Non admittitur. Ad Popajanum promovetur. Renuit, & Aſſumptionem repetit. Litteras accipit a D. Palafox. Novus Prætor. Urbis ſtatus. Epiſcopus poſſeſſionem integrat. In Socios invehitur. Criminationum fides. Ex Itati pelluntur. Miſſionis diſſipatio.

1644. Epiſcopi cœptis obſtat Prætor.

DE occupando S. Iſidori prædio cœptum diſtulerat Epiſcopus, ſpe forte, comminationibus exterritos Socios loco ceſſuros, vel ut in gratiam reciperentur, vel ut ulteriora caverent. Sed inopinato nuntiatur, eo præmiſſum a Prætore connitente P. Sobrino Conſulem (*a*) cum armatorum decuria. Clericorum triadem mittit Epiſcopus cum Indo, ut non recedentibus excommunicationem ſcripto denuntient. Indus eo conveniſſe videtur ad repetendum prædium, idque petiviſſe; ei namque reſpondit Conſul, ſiquid juris in eum fundum eſſet Caciquio, vel Conrectori ſuo, id apud Judices inclamaret. Siquid de reliquo moveret, non abiturum impune. Clericum, dum legendum explicabat ſcriptum, ad Prætorem remittit, qui mandata dederat, & ſolum mutare cogit.

De pellendis Sociis conſilium.

Nuntio commotum Præſulem brevi pacavit Nietus. Scripta, inquit, tempore belli ſeponenda. Minas Prætorem cautius quam fecerat, perfecturum. Si Epiſcopo repugnare coram audeat, pugno ſe coerciturum Eccleſiæ hoſtem. Populum eſſe per pol quam bene diſpoſitum, Jeſuitas inviſos, Illuſtriſſimum Dominum adoratum. Se judice non morandum, invocato *San Tiago* irruendum in Collegium, collegas exterminandos, nec prædium S. Iſidori ſecum aſportaturos. Hæreticis, ſchiſmaticis purgandam quam primum diœceſim. Ad radicem, non ad ramos ſecurim admovendam.

His dictis, apoſtata dignis, Epiſcopi confeſſarium parum decentibus Præſul recepit animos. Dies S. Franciſco ſacer perficiendo deſtinatur incœpto, quod Jaguarone ſonitu æris campani perinde promulgatur, ac ſi de pellendis e Terra-Sancta Mahumedanis negotium verſaretur. Rem tamen & ſcopum nondum ſatis explicatum fuiſſe vero ſimile eſt. Mandata deinde ſecreta dat Epiſcopus, ut Aſſumptione rates nautico pane & ſalſamento ad imponendos Socios inſtruantur. Dominicanos, Franciſcanos, Mercedarios jubet mature advehi, Reductionibus, donec parochorum ſæcularium ſuppeteret copia, præficiendos. Aliquot etiam clericos parat. Utriſque ſecretum commendat. Scriptum deinde digerit nomine populi Jeſuitas obſtare conquerentis, ne Indi commendarentur Hiſpanis, quorum armis, ajebat, falſus, ſubjugati erant. Ad calcem petebatur, ut e provinciæ finibus amandarentur.

Sociorum tranquillitas.

Non uſque adeo præſens imminere diſcrimen Socii putabant. Ne tamen præoccupentur, Regiam Charcarum Curiam interpellant. Procul remedium inſtanti petebatur malo. Quis autem putaret Epiſcopum talia moliri poſſe, & invito Prætore perficere? Dum hæc geruntur, Indos quoſdam Paranaënſes Jaguarone Itatim verſus tranſiiſſe nuntiatur. Poſt eos ire jubet. Litteræ ad P. Sobrinum Aſſumptione relinquendæ intercipiuntur cum muſicis organis (*b*), & ſclopis, quos ad ſe tuendos, ſi ferret uſus, a præfectis acceperant.

Epiſcop geſta & mandata.

P. Sobrinus, qui factum noverat, ſed neſciebat factum ab Epiſcopo, per litteras orat, ut Indis ablata reddantur. Pro reſponſo ſummam interceptarum litterarum mittit cum acerba Jeſuitarum reprehenſione, quod Indos armis ignivomis uti paterentur. Sclopos autem longe aberat ut redderet, necdum ſatis habens ad armandos ſingulis ſingulos cruciatæ expeditionis ſocios. Muſica etiam inſtrumenta, ad ex-

(a) Alcalde de la S. Hermandad.

(b) Indi Reductionum vix unquam ſine inſtrumento quopiam muſico peregre abeunt, tum ad viæ levamen, tum ut Miſſionarios, quos in pagos deducunt, exhilarent, tum etiam ad conſuetæ hymnodiæ concentum. *Charl.*

Digitized by Google

excitandas si esset pugnandum copias, nata censuit.

Paratis omnibus, Indis finitimis ad iter accinctis, supplicibus libellis incolarum Assumptionis exhibitis & acceptis, mandatum oblineavit, cujus tantum exaravit exordium; ne videlicet totum ante executionem inceptum aperiret. Scriptum Assumptionem mittit, dum perficeretur promulgandum. En quale tunc erat, nec aliter unquam fuit:

D. B. de C. Dei & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Paraguai, Regi a Consiliis omnibus, &c. Visis expostulationibus & votis incolarum nobilis urbis ab Assumptione, Capituli nostræ Ecclesiæ Cathedralis, Cleri, & Ordinum Regularium, de oppressione quam passi sunt & patiuntur a Patribus S. J., qui ad Paranam, Uruguaim, & Itatim Reductiones curant, quod vulgo notorium est, nobisque summa inde evidentia. Cum sciamus item, hos eosdem Religiosos regalia usurpasse, subditos & redditus suæ Majestatis perinde occupasse atque si supremi domini essent, a Rege & ab Ordinario independentes; parochos constituere sine præsentatione, & sine institutione canonica . . . His lacuna nunquam expleta succedit.

Jaguarone profectus est 3. Octobris, eodem die Assumptionem perventurus. Sed imber medium iter intercepit. Vesperis interfunt Jesuitæ apud Franciscanos, tranquillitatem mirantibus, qui machinæ latentis erant conscii. Post sacrum officium D. Franciscus Florez Generalis locumtenens P. Nietum, qui scenæ futurus primus actor, maturius venerat, occurrentem invitat ad cœnam. Annuit ille pronus & benefactum rependit destinata revelando postridie perficienda. Addidit, Episcopum urbem ingressum Prætorem conventurum, an vellet operam conferre, secus enim acturum, ut abesset. Ipse Florezium hortatur, ut cœpta secundare velit, exitu indubio coronanda, Episcopum sequentibus CCCC. Indis armatis. Nec prætermisit quidquam, ut rei tum publicæ, tum suæ id expedire persuaderet.

Celavit Florez quid de re proposita sentiret. Sed Nieto apud se recepto urbem circumstrat, famulos num quis in populo motus fiat explorare jubet: & Prætorem de re tota certiorem facit. Obstupuit ille nuntio, & imminentis sibi mali periculo, si ex sententia cederet Episcopi consilium, aut siquid per occasionem de re publica turbaretur. Collegium adit, & Socios monet, securitatem in præsenti discrimine miratus, justam contra inferendam vim defensionem opponere, non tantummodo posse sed debere. Et responso non expectato discedens arma in Collegium mittit, & eis civium quibus maxime fidebat, ut reliquam ibi noctem transigant indicit.

Prima luce obviam procedit Episcopo non incomitatus, eumque in media populi turba salutat. Prætorem secuti erant plurimi omnis status & conditionis: quos inter Præsul Jesuitas requirit. Ad aurem Prætor insusurrat, ne miraretur, noverant enim pridie, ad sui exterminium inter esse. Addidit: „ Nihil verentur; scio. De hoc consilio quid sentiam, hoc loco tacere juvat. Dicam cum remotis arbitris loqui liceat. “

Aliquandiu Prælatus hæsit. Mox ad Nietum, qui & obviam venerat conversus ait: „ O Pater, traditi sumus. Næ diabolus rem prodidit. “ De conscii aliqui tunc suggerunt, ut Collegium petat specie se Jesuitis probandi, apud eos hospitari se velle dicat, ut diffidentiam dissipet. Dissentitur ille, & ad sui Ordinis monasterium divertit. Concilium ut subvertat Prætor, non totum improbare simulat, atque Jesuitas ut citius, tutius, facilius opprimantur, a Reductionibus amovendos: eo se conferret Episcopus, manum subsidiariam adituram se, ut in deditionem compelleret. Inde in urbem rediret, ubi nihil rebus perficiendis obstabat. Quodsi primo vellet Socios e Collegio pellere, neophytos auxilio venturos præsidii satis habentibus interea. Prætoris sententiam & Episcopus & amici probarunt.

Tunc demum Prælato persuasum est, Prætorem suis partibus addictum esse. Silentium imperat, soporandis Jesuitis intentus. P. Sobrini gratum sibi fore significat aditum: nec ille reverenter adesse cunctatur. Tam benigne & gratiose acceptus est, ut plerique Patribus reconciliatum putaverint. Omnium primus rector ipse delusus est, vel se delusum simulavit. Apud se receptus omnigeni commeatus copiam ad Prælatum mittit, qui familiaribus seorsim ait, rivulos eos esse, ad fontem citò perventuros ut satientur. Iter adornat, & scriptum meditatur, quo vulgo se probet.

In eo jam totiès de Regis mandatis, de precibus Cleri sæcularis & regularis, civium Assumptionis, & complurium Indorum dicta replicabat. Cætera declamationibus invectivis, perinde atque sermones ejus publici atque privati, & litteræ ut plurimum indigestæ, constabant. Aliquas deinceps proferam, quibus ita semet delineavit, ut Lector reliquos excessus & errores in quos offendit, mirari desinat. *Scriptum de cœptorum æquitate.*

Illud hic animadvertere juvat, regia & apostolica mandata, quæ passim jactabat, & Sacramento videbimus confirmata, sequelas esse opinione sua evidentes expressionum, quæ in utriusque Curiæ litteris ad Episcopos adhiberi solent: nisi effervescentis erant imaginationis spuma visis rerum speciem inspergens. Incredibile de reliquo est, ores Regularium Conventus Assumptionis libellos, quorum meminit Prælatus, subscripsisse communi sententia. Factum a quibusdam privatis imprudenter præoccupatis aut exteritis, pronum ad fidem est. Et compertum, ut deinceps narrabo, a Prælato vel ejus partium studiosis non absimilia, extortis per vim & injuriam subscriptionibus, confecta esse.

Dum Paraguajensis Præsul Paranæ Reductionibus occupandis imminebat, a Centurio- *Regiæ Curiæ mandata.*

ne D. Petro Diez del Valle Chuquisacæ profecto novum illius Curiæ mandatum accepit, ut interdicta levaret, excommunicatos absolveret gratis, nequem vexaret, mulctas remitteret. Et litteris aliis per eumdem acceptis Curia rogabat & injungebat, ut Assumptionem rediret: ecclesiam suam zelo, virtutibus talentis gubernaret: in sermonibus, scriptis, & gestis muneris dignitatem observaret, a qua sæpe desciviſſe proditum erat: Prætorem alio quam habuerat loco in posterum haberet. Prætor etiam litteras accepit, ne se qui regiam majestatem in provincia referebat, ab Episcopo contemni pateretur.

Episcopi ex occasione gesta.

Prætor ne in pristina recideret offendicula, quæ acceperat litteras celavit. Imo & mandatum illud promulgari noluit primo; id tamen petentibus iis qui excommunicati erant, vel nondum absoluti, vel absoluti quidem, sed præstita solvendæ mulctæ cautione, tandem permisit. Eum, quod præviderat, adversitatis authorem & causam ratus Episcopus, visitatores suos jubet totam, quæ ad eumdem pertineret, herbam comburere. Litteræ mandatum hoc continentes in Regio Auditorio productæ sunt. Curiæ vero mandato se obtemperaturum professus est, dum per Ecclesiæ Catholicæ & Pontificum jura liceret.

Cum D. Seb. de Leon sermo.

Ad Tribunum Militum (a) deinde conversus, censurarum quibus, ait, obnoxius erat, absolutionem, & mulctæ indemnitatem pollicetur, si Caroli V. diploma, quod ex urbano tabulario, ut ferebatur, extraxerat, tradere vellet. Eo scilicet potestas Civitati fit mortuo vel decedenti Prætori, qui locum interim teneat, substituendi. Addidit, ejus diplomatis usum eo maxime tempore necessarium esse, quo ad Dei gloriam, ad Regis obsequium Jesuitarum oppressione liberanda erat res publica. Ad perficiendum incœptum opera tantum indigere sua. Ad eos Religiosos expellendos populo dux esset: nulli tantum quantum ipsi futurum operæ pretium.

Legionensis rogat Episcopum, ut mentem reflectat ad ea quæ profert: injustitiam objicit incœpti, imbecillitatem ad perficiendum, damnum sibimet illatum, dum insontes odit & persequitur. Episcopus ad hæc non aliud primo quam declaravit nondum censuris absolutum importunum rogatorem, excommunicationem majorem non tradenti diploma comminatus. Deinde persuadere nititur, justum & secundum Deum incœptum esse: ad perficiendum nec ejus indigere consiliis, nec auxilio: prosequendum omnino a se quod suum erat. Membris corruptis ecclesiam purgantem suam chirurgum agere, qui digitum gangræna corrosum abscindit ad conservandam manum: Papam de rei summa certiorem factum statuam decreturum sibi, & gloriam sanctorum non aliud per totam vitam agenti. D. Sebastianus & Centurio Augustinus de Insaurralde testati sunt, eadem sibi intra Cœnobium Minoritarum coram pluribus clericis & cœnobitis a Prælato replicata.

Prætoris sollicitudo.

His tandem Prætori persuasum est, brevi se de gradu dejectum iri, nec in provincia sove sutum, nisi authoritatem in eum severe festinaret, qui nulli præterquam suæ quidquam deferebat. Sexcentos imperat Reductionibus Indos. Altero post sex dies nuntio properare jubet. Tunc Episcopum convenit, & omnia ad destinatum iter esse parata dematiat; sed milites centum plures esse non posse. Respondit ille, centum & triginta velle omnino se. Annuit Prætor spatio quindecim dierum exacto. Nempe sperabat adfore jam tunc Indos.

Episcopus Jesuitas communione privat.

Præsul interea nobiles & plebem in Jesuitas concitare, in quos & sequestrum excommunicationis tulit, interdicta cujuscumque eorum consuetudine & usu. Mox integrato in supplicatione publica & indecente, Indos Reductionum commendandi promisso, Jaguaronem repetit, bellum sanctum, quod appellabat, cominus adornaturus. Ibi demum de Prætoris jam suspecti sententia consultarum est.

Consilium abjectum resumit.

Animadvertit, dum occupandis Paranæ Reductionibus tempus terebatur, posse Jesuitas in Collegio muniri, & diutius resistere donec a Prorege vel Curia mandata cœptis infesta perferrentur: quo primam de vacuando Collegio sententiam recepit haud ægre tunc Reductiones ratus occupatum iri. Quod si factum a Rege non probaretur, ad vitandos certe motus ex Societatis & rerum ablatarum restitutione imminentes, non emendandum. Addidit tamen suspectum Prætorem nunc omnia in custodia retinendum. Et in eam tandem sententiam itum est.

Mutatio suboluit Prætori, quem Indorum mora eo magis solicitabat, quod milites Episcopo promissi Jaguaronem pervenerant, ubi promissis inescabantur & blanditiis. Promissorum fidem ægre liberandam probe noverat Antistes, jam quippe totam dispertiverat prædam: nec nisi gloriam libertatis Ecclesiæ, ditionis Regi, substantiæ fidelibus discessanis restitutæ sibi reservaverat. Protestatus etiam erat, non conferendas Reductionum parochias Regularibus, quibus eo tantum spem fecerat, ut a Jesuitarum partibus ipsi, & eorum opera populus avocaretur.

Prætor Jaguarone.

Tandem Prætor, quos expectabat Indos, non amplius quatuor leucis Assumptione distare monitus, obviam procedit cum triginta militum manu. Eos nocte Jaguaronem ducit, quo prima luce ventum est. Rumore per familiam subito accessu turbatam Præsul evigilat & induitur. Ad quem mox Prætor ingressus ait, Assumptionem eundum, nam Jaguarones Indi ad ejus umbram insolentes imperium detrectabant. Sidens Episcopus per pseudothyron elabitur in ædem sacram. Prætor sequutus brachium apprehendit, & audiri postulat. Brachium vi retrahit ille, & altum inclamat excommunicatum.

Ad

(a) Maestro de Campo General.

Exilium indicitur.

Ad clamorem monachus accurrit, & hybris cognominaria, & in Prætorem involant, qui genibus in altaris maximi gradum incumbit, dum Episcopus extractum e tabernaculo ciborium populo qui frequens accesserat ostendit: ad cujus conspectum omnes genuflectunt. Prælatus ad tranquillitatem aliquantulum compositus, numquid se velit, Prætorem interrogat. Et ille: „ Volo, Domine mi, exilium e provincia, & temporalium jacturam Tibi denuntiare. Mandatum Proregis est, quod Tibi Illustrissimo Domino denuntio.“ Moram geram, ait Episcopus, & præstitæ fidei populum testor qui adest.

Indecora supplicatio.

Templo tunc Prætor egreditur, & Episcopus ad celebrandum se parat. Postquam sacram induerat vestem, quemdam ordinat processum cum dira in Prætorem declamatione; quem deinde haud aliter atque Tribunum Militum, & cunctos dignitatis Episcopalis violatores, excommunicatum denuntiat. Post sacrum supplicationem indicit, in qua priores gradiebantur Indæ viridem ramum præferentes manu. Sequebantur cantatrices *Tange lingua* modulantes. Post eas Episcopus SS. Sacramentum portabat. Agmen claudebat Indorum turba. Templo deducitur in forum supplicantium ordo, ubi Guaranii sub armis stabant. Vidit Episcopus aliquos genuflectere moratos, ad quos conversus barbaros appellat, perfidos, hæreticos, schismaticos. Inde regressus Venerabile Sacramentum altari superimponit, & ad populum versus horæ quadrante perorat in Prætorem, qui ad valvas submissa quidem voce eodem fere tenore respondet.

Episcopus Prætorem ludificatur.

Erat tum ipsum quam Prælati status violentus, nec poterat permanere diu. Sub vesperam diei ejusdem convenerunt, Episcopo, ut deinceps apparuit, cedente primo: quod sciret expertus, private cum Prætore colloquia semper sibi esse profitua.

Illud est certum Paranaënses dimissos, & sex dierum spatium ad parandum suum ipsius iter, ea lege ut Prætorem absolveret, ab Episcopo impetratum. Post hujusmodi fœdus Prætor in propinqua domo cum sex hominum comitatu pernoctat. Et Episcopus, postquam viderat Indos regredientes, ad explorandum mittit, an revocentur. Et postridie mane concedit in urbem.

Episcopus Assumptionem repetit.

Obviam nuntiatur, populum fama commotum, Prætorem postquam Episcopum fluvio tradiderat, ad castigandos assecias Indos ducere Jesuitanos. Eo nuntio auspicatæ receptionis spes facta. Et quidem sonitu æris campani vulgato Præsulis advenu lætis acclamationibus cuncta resonant. Antecedebant Ecclesiastici plures clam armati, & aliqui cœnobitæ singulas consecratas hostias singulis ex vitro ampullis ad pectus gestantes. Ad Collegium aciem duci primo jusserat; sed monitus quatuor ibi armatorum centurias præsidio esse, quod longe a vero distabat, ad S. Francisci divertit.

Ab amicis visitatus arma petita congerit: Cœnobium munit.

Cœnobium munit.

Jaculatoriis jubet perforari fenestellas, inferiora munit grandioribus sportis terra plenis. Simulacra deinde B. Virginis ex Cathedrali, S. Blasii ex templo cognomini extrahi, sub tabernaculis ad altare majus collocanda. Tunc domesticos accersit, nominatim hybridem, quem opportunam adeo Jaguarone tulerat opem. Sic munitus rerum post Assumptione discessum gestarum ad suos narrationem expandit. Prætorem adactum, ut Paranaënses dimitteret. „ Sed ferendum, addit, non est, penes id hominis imperium esse. Diploma regium (a), quod e tabulario diripuit, si quæratur, vi cum ei & Sebastiano de Leon pro merito rependam.“

Falso rumore civitatem conturbat.

Tribunus Militum, de sermone certior factus, quo urbi seditio impendere videbatur, Prætorem convenit, & periculi nisi protinus Paranaënses revocentur, admonet. Sed Prælatus de Tribuni sollicitudine admonitus classicum sonare jubet. Populus ad comitium accurrit; & Episcopus vocatis Consulum (b) altero, & urbanis Senatoribus litteras e sinu tractas legit, elata voce. Epistolam ait esse recens acceptam, qua Indi Jesuitani Jaguaronem expilasse ferebantur, & finitimos agros vastasse, ad depopulandam urbem accedere; visi jam apud Itam subdidit: „ Et quia vestra privilegia, libertatem vestrum tueri volo, velut seditiosus exulare jubeor. Sed Regia Consiliis cum sim, omnes rei publicæ curam gerentes hortor, ut urbem servatam velint, & Prætorem constituant, qui imprudentem calamitatem avertat. Dum præsens instat periculum, regii diplomatis vicem suppleat necessitas.“

Prætoris constantia.

Nuntio commotus Consul ad Prætorem properat, & ne Indos urbem ingredi permittat obtestatur: quo respondente, quid fieri oporteret scire se, ira ille corripitur ad irreverentiam. In custodiam traditus insolentiæ pœnas dedit. Quo vulgato populus in furorem agitur, Indorum metu, quos MCC. esse fuit nuntiatum erat, mitigatum. Brevi ex vero nuntio pacatus est, neophytos nec Itæ, nec Jaguarone visos, neque sexcentis unquam fuisse plures; ad urbem quidem mandato Prætoris appropinquare, sed arctissima disciplina cohibentes se procul omni licentia.

Calumniæ diffamatæ.

Præsul nihilominus de simulata vastitate retulerat ad Regium Auditorium. Et relationem juramento munitam duo cœnobitæ subscripserant, ut testes ex visu expilati Jaguaronis oppidi, quod scilicet neutrum eorum vidisse deinceps comprobatum est. Scripto alio affirmavit Præsul, dum ad visitandas Paranæ

Ro-

(a) Eo diplomate jus continebatur, quo Carolus V. Imperator sub coloniæ primordia permiserat Civitatis, quæ Caput est, Consilio, ut Prætorem in demptui locum subrogaret: quod jus jam diu abrogatum erat. *Charlev.*

(b) Un Alcalde, y algunos Regidores.

Digitized by Google

Reductiones iter Jaguarone pararet, Prætorem a Jesuitis XXX. mille aureis, & M. armatorum auxilio corruptum, ut se mitteret in exilium, ne videlicet eorum auri fodinas patefaceret. Et subscriptum hoc erat documentum a presbyteris pluribus, & aliquot pueris scholasticis, prævia etiam lectione prohibitis. Clericorum quispiam subscribere renuens vinctus ducitur in S. Francisci, ubi liberaliter vexatus fune suspenditur. Præ dolore mandata facturum pollicitus absolvitur & subscribit. Sibi tamen restitutus vim adhibitam protestatus est.

Exilium iterum indicitur.

Incolas interea solicitabat ad arma Episcopi factio, qui Caroli V. diplomate & regio vexillo nequidquam petitis, in Tribunum, cognatos, & amicos, velut excommunicatos, schismaticos, & patriæ hostes, iras effudit. Adeo tumultuatum est, ut honestissimum quemque peregre decus & securitatem quærere oportuerit. Tunc Prætor, qui Prælatum asylo diffidentem datam liberaturum fidem speraverat, mandatum replicat abeundi: navigium cum cibariis sibi & toti familiæ paratum esse.

Ad cœnobii valvas se sistit missus Rui Gomez Goyoso scriba regius, & accessum petit ad Episcopum. Ter cœnobita quidam hastatus impetum minatus est. Ad excitatum rumorem Prælatus adest, & quid velit a Goyoso quærit. Mandatum exponenti respondet, neminem sibi exitum e diœcesi imperare posse: id de reliquo ab ipso prætore denuntiandum fuisse, in quem deinde verbis invehi pergit. Scribam excommunicatum declarat, atque mulctam D. aureorum, & nisi ut excommunicatum se gerat, tamquam rebelli & contumaci Sanctum Officium comminatur. Etiam protulisse vulgatum est, immunem vel a peccato veniali fore, qui Prætorem occideret (a), & extemplo quatuor ecclesiasticos ad hoc scelus patrandum animis arrectos, & armatos noctem ut ausu commodiorem expectasse. Illud est certum, Prætorem de fama monitum, Paranaënses centum intra urbem collocasse, quinquaginta circum prætorium, totidem præ Collegii foribus; namque occidendum simul Prætorem, atque faces Collegio admovendas, fama erat.

Intrusus declaratur.

Episcopum deinde intrusum esse, jure & ditione vacuum, edicto promulgatum est. Erant penes Prætorem bina scripta PP. Trugilli & Berdugi, quibus esse, & a consecratione fuisse suspensum conficiebatur. P. Hinostrosa Prætoris germanus frater alterum, solide digestum reliquerat, quod Jesuitis Episcopus attribuit. Hinc & litteris & libellis supplicibus ad Regium Indiarum Senatum delatis exilii sui, & duorum (b) antecessorum culpam in Jesuitas derivavit, criminatione in libellis aliis, maxime in *Practica Morali* non potiore unquam fundamento repetita.

Illud accidit Prælato incommodissimum, quod trium (c) Religiosorum sententiam nuper memoratam deinde confirmavit Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Prætori vero Dominicanos, Mercedarios, & Franciscanorum complures in eamdem cum fratre suo sententiam convenire persuasum erat. Ad rem tamen ex lege canonica transigendam opus erat Ecclesiastico Judice; nec ad eligendum erant uno plures. Ex antiquis Canonicis solus in urbe reliquus erat D. Christophorus Sanchez, qui sub adventum Episcopi diœcesi præerat Vicarius Generalis & Provisor. Hunc Prætor de recipiendo quod propter consecrationis & aditæ possessionis vitia non fuerat intermittendum, munere interpellat, regiæ manus opem pollicitus. Annuit ille, dum sui capitis securitati provideretur. In Societatis Collegio, quod præsidio munitum erat, tutum fore affirmante Prætore, protinus eo deducitur.

Vicarius possessionem repetit.

Tunc regium in foro vexillum explicatur, & rite promulgatur edictum capitale, ut eo coloni omnes armati conveniant, pro Rege mandata facere parati. Abesse nullus audet: duces cum copiis, magistratus cum urbana militia, centum & quinquaginta Indi aderant, ad sua quisque vexilla. Prætor deinde prodit, & solis ducum primoribus stipatus proximum adit Collegium, & D. Christophorum Sanchez (d) requirit Provisorem & Vicarium Generalem. Adest ille in Cathedralem deducendus, simul apertam atque popularibus omnis ætatis, sexus, & conditionis plenam.

D. Christophorus post preces crucifixum ab altari maximo acceptum osculandum offert Prætori. Inde sedem petit, quam Episcopali vacante occupare consueverat; & quod Episcopus Paraguajensis legitima jurisdictione careret, sui muneris exercitia repetere declarat. Mox nolas omnes pulsare jubet; & excommunicatorum nomina ex albo radi. Interdictum abrogat,

(a) Quod si verum habet, plane convenit cum sollicitudine acquirendi Caroli V. diploma de instituendo Prætore, qui demortuo succederet, dum integra sanitate valebat Hinostrosa.

(b) Antecessores hi sunt Ill. D. Thomas de Torres Ordinis Prædicatorum a Sede Paraguajensi ad Tucumanam, & Ill. D. Christophorus Aresti Ordinis S. Benedicti ad Bonas Auras translatus. Primus cum Jesuitis negotium nunquam habuit. Secundus eis concors (*) ad mortem usque fuit. De cætero quid Jesuitis proderat horum translatio, quandoquidem Provinciæ domus & plures numero, & frequentiores, in diœcesi Bonaurensi & Tucumana sunt? *Charl.*

(*) Supra lib. VIII. ad annum 1633. satis acerbum Ill. Aresti cum Jesuitis negotium relatum est: quo tamen brevi supersedit diu ante quam a Sede Paraguaria moveretur.

(c) Nempe Truxilli, Berdugi, & Hinostrosæ. *Truxilli* nomen tribus Dominicano, Franciscano, & Jesuitæ Provincialibus fuit commune. Sed Truxillum, de quo hic est sermo, Dominicanum esse, haud aliter atque Berdugum, dubitandum non est, nam Truxillus Jesuita jam diu ante loco cesserat. Truxillus Franciscanus quamquam Prælato displicuit facilitate excommunicatos absolvendi; non tamen ejus sententiæ fuisse videtur, ut eum suspensum, vel intrusum esse crederet, vel scriberet.

(d) Sanchez utique alius a cognomine Ferdinando, de quo supra.

Digitized by Google

gat, quod paulo ante jam levaverat Episcopus de populo bene meriturus.

Prætoris edicto continebatur præterea, cum esset notum D. D. Bernardinum contra Ecclesiæ leges ad diœcesim regendam intrusum esse, in S. Francisci cœnobio consedisse, quod armis & præsidio munierat, unde tumultu, confusione, & scandalis urbem inundaverat, pœna capitis vetari, nequis eo loci, dum ibi resideret Prælatus, ingrederetur. Provisor etiam mandatum eodem interdicto promulgavit, addito dicti Episcopi mandatis obediendum non esse.

Episcopi discessus.

Tunc demum Prælato persuasum est, esse cedendum; maxime postquam irritum expertus est mandatum, quod in quædam parochia promulgari jusserat. Prætorem igitur monet, in provincia excommunicatis frequentata diutius se commorari non posse: & 19. Novembris post rem divinam bis peractam, devotarum turbæ personarum, quarum moderabatur conscientiam, valedixit. Exulare se, ajebat, quod gregi pastor, quod familiarum, quarum substantiam Ecclesiæ hostes occupaverant (*a*), commodis prospicere voluisset. Injurias identidem proferri solitas in usurpatores, quos appellabat, replicavit. Eos de integro interdicit, excommunicat, anathematizat: atque monet, ab eorum consuetudine abstinendum, paribus censuris irretiri nolenti. Addit, severitati in rebelles & obstinatos Ecclesiæ hostes parem experturas suavitatem & mansuetudinem oves fidas & submissas.

Templa deinde designavit, ubi rebus divinis interesse liceret, & sacerdotes confessionis ergo adeundos. Hos cumulate laudavit, ignorans forte quod neminem lateat, scandaloso eorum aliquos concubinatu deturpatos esse. Avulsus tandem a turba lacrymantium, Christi corpus gestans pyxide ad pectus a collo pendente, sacerdotibus & clericis suis accensum cereum manu præferentibus stipatus discessit. Ut navigium conscendit anathemata iterat in Ecclesiæ persecutores, qui (*b*) sanctissimum post inventum Novum Orbem Episcopum e diœcesi pellebant: & campanula edito sono, quam iter habens secum portare solitus erat, denuo civitatem interdixit. Tunc etiam campanæ S. Francisci, & parochiæ Episcopio vicinæ ex ejus mandato sonuerunt: nec tumultus ex eo motus nisi reliquis simul per totam urbem pulsatis sedari potuit.

Prælatus ad puppim sedeculam occupaverat, hinc inde ecclesiasticis & religiosis de comitatu, ut locus erat, constitutis. Ex reliqua turba, quæ paullulum distabat, pars tabacchi fumum, pars Paraguaicum *mate* fistula sugebat: omnes liberiore, quam qui SS. Sacramenti ab Episcopo gestati præsentiam deceret, habitu. Id procul dubio Prælatus animadvertit, nam post tempus aliquantum pyxis gestatoria videri desiit. Et de clericis quispiam deinceps testatus est, hostiam se vidisse consumentem Episcopum loco immotum. Arbitratus procul dubio est, legem ecclesiæ posthaberi posse, dum turba in officio & cultu, qui augusto altaris Sacramento debetur, non poterat contineri.

Ut ut res habeat, amici in Tucumanum scripserunt, dum Episcopus conscendit, conspecta sidera e cœlo in ædem S. Luciæ descendentia, delata illinc in Episcopium evanuisse: terram esse motam: petras saltitasse: convulsos montes, in se invicem illisos: omnium corda desolatione turbata. Quibus Assumptionem nuntio relatis responsum est, nihil simile contigisse, paucos absentiam Episcopi dolere, motuum qui ab ejus adventu rem publicam turbaverant, causas omnes secum portasse. Sparsi rumores.

De consecratione & obita possessione specie quam re securior tunc erat Paraguajensis. Jam pridem certe Romam solicitabat, ut utramque ratam haberet Summus Pontifex. De quo argumento quatuor Congregationes de Propaganda (*c*) a 9. Maii ad 12. Octobris 1645. habitæ sunt. Ibi de litteris relatum est, quibus a censuris petebat absolvi, quas forte incurrerat bullis non exhibitis consecratus, possessione Episcopatus adita, redditibus perceptis, ordinationibus & pontificalibus peractis, ex plurium videlicet virorum doctorum sententia, qui forte bullas intercidisse judicaverant, aut per adversarios fuisse interceptas; & ex litteris Cardinalis Antonii Barberini, quibus de bullarum expeditione admonebatur, & Episcopus vocabatur. Quibus necessitatem diœcesis adjungebat. De consecratione sollicitudo.

Ex Congregationibus uni interfuit Papa, qua mandatum fuit, ut Episcopi litteræ in congregatione altera exhiberentur coram Sanctissimo, & res tota denuo examinaretur. Die 11. Julii 1656. habita est Congregatio alia, qua Cardinalis Cesius supplicem libellum protulit Canonicorum Assumptionis, multa præter consecrationis defectum de D. Bernardino apud Papam expostulantium: quæ examinanda & referenda Cardinali Albizio commisit Congregatio. Et de litteris Cardinalis Barberini a Paraguajensi laudatis, exhibendas esse decretum est. Res tunc intermissa videtur usque ad annum 1658. (*d*) quo finita fuit. Quidquid sit mox videbimus D. Bernardinum Assumptione ea securitate procedentem, ut quem Roma declarasset immunem a censuris, vel absolutum: quod primo contigit anno 1658. post quam alio translatus erat.

De cætero Religionem in Paraguaria ex rebus biennio gestis profeciſſe parum, pronum

ad

(*a*) Scilicet servata neophytorum a Commendis immunitate. *Charl.*

(*b*) Verba sint hæc non Episcopi ipsius, sed ejus partium.

(*c*) Imo Congregationis Concilii, ut ex superioribus constat, & ex Declaratione ipsa a Charlevoix relata.

(*d*) Anno 1657. 1. Sept. & 15. Dec. prodiit oraculum S. C.; sed trans mare pervenire non potuit usque ad 1658. quo & præcedentibus Card. Antonius Barberinus vivus quidem fuisse videtur, sed absens in Gallia.

Digitized by Google

ad fidem eſt, non tantum inter Indos actorum teſtes, ſed ad Paranam, quo rumor pervaſerat, præter neophytos a Prætore vocatos, qui ſcandalo ſatis viderant, & Miſſionarios quibus cum ſervitute commendarum imminebat ex Epiſcopi molitionibus exterminium.

Excurſiones in Tucumania.

Etiam in ſumma tranquillitate non aliud quam conſtitutas jam ſedes conſervare & ſolidare potuiſſent, operarum videlicet ad novas incœptandas inopia. Hæc & ad Tucumaniam pertinebat, ubi Sociis acerbum erat, quod Epiſcopi zelum nova quotidie cœpta rogantis ſecundare non poſſent. Pro virili tamen agebant, & qui collegiis abeſſe poterant, quo majorem eſſe neceſſitatem Epiſcopus ſignificaverat, advolabant. In vaſtiſſima diœceſi plurima erat egeſtas, & loca non pauca per totos annos ſacerdotibus inacceſſa. Excurſiones erant difficiles, ſed interdum magnæ conſolationis cauſa mitigatæ.

Gratiæ miracula.

Priuſquam indigenæ libertati timentes in diverſa dilaberentur, plures S. Franciſci Solani miniſterio, & aliorum qui e Peruvio ſuffecti erant, fidem accepiſſe ſupra narratum eſt. Horum plerique in receſſibus ignotis vel imperviis deſtituti cito in priſtinas ſuperſtitiones reciderant: eoſque in eccleſiæ gremium reducere difficilius erat, quam inducere primo fuit, cum religio ex ſola innoteſcebat nuntiorum ſanctitate. Sed Dominus, qui ad aſſerendam electorum ſalutem nullius indiget, in aliquibus innocentiam baptiſmi conſervatam voluit.

Quiſpiam inter alios inventus, qui viginti annorum ætate baptizatus centum vixerat. Ex iis quæ baptizandus didicerat, ſolam Dei unius notitiam retinebat. Et a Sociis rogatus, num eum, & quo ritu conſueviſſet invocare, reſpondit manibus per intervalla junctis, & oculis ad cœlum ſublatis, ter Deum vocare, & orare. Orant, ut conſuetam orationem ſe coram repetat. Idque tam reverenter & devote peregit, ut lacrymis illi temperare non potuerint. Eum erudiunt pro captu, & ad confitenda rite peccata diſponunt: & qui aures accommodavit, faſſus deinceps eſt, accurate licet interrogantem peccatum, quod gratiæ baptiſmi adverſaretur, non inveniſſe.

Excidit occaſio fidem in Chacum inducendi.

Hoc anno cum via pateret Chaco evangelizandi, P. Joanni de Olovis Navarro provincia datur. Sed dum iter parat, de vita cedit: nec fuit qui vicem ſuppleret; nam duo alii, in quos moderator oculos conjecerat, eodem tempore deſiderati ſunt, Domenecchius videlicet, quem Villaricâ ubi ab Epiſcopo Paraguajenſi tenebatur, revocare conſtituerat, & diem extremum obiit, ut ſupra dictum eſt; atque Petrus Marquez Inſulanus e Belgio, cujus ætas, dotes, & probati mores ſpem magnam fecerant.

De aurifodinis.

Rumor per id tempus invaluit, Jeſuitas ad Uruguaim auri fodinas aperuiſſe, quas Hiſpanos accurate celabant. Supra narravi, ex eo Epiſcopum Paraguajenſem removendi a Reductionibus Jeſuitas conſilium ſuſcepiſſe. Ejus declamationibus, & inventum teſtantis ſecuritate perſuaſum eſt iis maxime, quos Sociorum de neophytorum libertate ſtudium offenderat. Quidam etiam ad Indiarum Senatum ſcribunt, ad obſequium Regis intereſſe, ut a miniſterio remotis, alii paſtores ſubrogarentur. Pari mox vulgatum eſt fide, non unam Societatem repertis opulentari theſauris, ſed auri fluenta in exteras nationes derivari. Res ejus momenti Senatui viſa eſt, ut Paraguai Miſſiones fidiſſimis tantum ſubditorum committendas eſſe cenſeret: utque removerentur illinc quotquot nati non erant Hiſpani ſubditi decretum fuit.

Fabulæ inventor.

Interea diſparuerunt auri fodinæ multorum rubore, qui adeo temere ſuſpectæ ut minimum fidei authori crediderant. Indus erat Bonaventura nomine, qui poſt famulatum in Bonaurenſi quodam cœnobio, ad barbaros errones, infidelium more victurus aliquandiu, defecerat. Per alternos, ut illius eſt vitæ ratio, caſus venit in Reductione ad Uruguaim, Chriſtianum ſe profeſſus. Cujus larvam ita ſimulavit hypocrita, ut ſtudioſus ſalutis animarum zelator audiret. Inopinato fugit cum ſeducta fœmina maritata. Sed ſtrenue inveſtigatus capitur, in pagum reducitur, publice vapulat, & Bonas Auras expeditur.

Ibi latuiſſe primum ſeriem poſtquam inde fugerat geſtorum, vero ſimile eſt. Illud conſtat, per Jeſuitas ad Uruguaim apertas opimas aurifodinas divulgaſſe: idque dum totus affirmat, compluribus perſuaſit. Se ibidem auro purgando operam contuliſſe addidit: & granis triduano labore congeſtis ſemodium compleri: tot opum participem ſe eſſe cum Indorum altero voluiſſe, rapta & in tuto collocata, quam potuerat maximam, auri ſumma. Sed proditum a conſilii ſocio dire fuſtigatum eſſe, & extorrem factum.

Narrationem ſuſpectam eſſe oportuit animadvertenti, quod pronum erat, non uſque adeo ſtultos eſſe Jeſuitas, ut arcani conſcium poſt verbera elabi ſinerent. Sed theſaurorum ſpecies, quos religioſi caute celarent, inventum erat, ut multis arridens, cæce creditum. Præterea Bonaventura ſic interroganda præviderat, ut reſpondens minime hæſitaret. Loca deſignabat, unde extrahebatur aurum, fodinarum nomen & qualitatem indicabat, ſermone & habitu ſic ad ingenuitatem compoſito, ut loca luſtranda viſu etiam increduli arbitrarentur.

Hæc vagis rumoribus volutabantur, cum Bonaurenſis Collegii Rector Magiſtratum, ut ex jure rei cognitionem inſtituat, interpellat. Denuntiator coram judice interrogatus hæſit in luto: & ex multiplici quæſtione figmentum penitus innotuit. D. Petrus Stephanus de Abila Prætor ad Indiarum Senatum retulit, aurifodinas, de quibus tantus erat rumor, veritatis & rei umbra etiam deſtitutas eſſe. Tunc ſiluit denuntiator ſibi timens a Judice cauſam perſequente. Impunitate ſilere deſiit. Eos maxime, qui recens ex Hiſpania venerant aggrediebatur. D. Hyacinthum de Lariz Equitem Jacobæum, Abilæ ſucceſſorem convenit, mi-

Digitized by Google

miratus fidem non aliud quam quæ ſuis viderat oculis affirmanti negari: idque quia forenſi territus apparatu titubaverat.

Prætor denuntiatore profectus.

Mallet Prætor aurifodinas eſſe, quam denuntiatorem mentiri. Sed poſt ea quæ tranſacta erant, ſuſcipiendi conſilii hærebat incertus, cum litteras accipit Epiſcopi Paraguajenſis, de fodinis ſcribentis ut indubitatis. Litteris diffamatis Bonaventura triumphum agere; & Prætor rem elucidare, & loca perluſtrare conſtituit. Poſt privatos cum denuntiatore ſermones, quinquaginta militum manu ſtipatus, cum Bonaventura, & Martino de Vera rerum metallicarum perito flumen ſubit.

Elabitur denuntiator.

Nondum medium iter confecerat, cum diſparuit denuntiator. Fuga hæc multa volvendi animo occaſio fuit. Sed longius quam ut retrocederet, progreſſus erat Prætor. Ad primas venit Paranæ Reductiones, ubi cauſam itineris celavit. Quoſdam tantum neophytos de fodinis in genere percontatus, ſecretum commendat. Sed P. Diaztagnus rei conſcius petit, ut reliquas Reductiones viſitare pergat, & quod Regis intererat, ex lege requirit, ut Epiſcopus Paraguajenſis de fodinis aſſerta probare compellatur. Juſta petenti Prætor abnuere non potuit: & fidum qui probationem indicat nuntium ad Epiſcopum mittit. Ipſe vero Paraguariæ fines ingreſſus animadvertit, ſuo & militum adventu commotas eſſe Reductiones univerſas.

Reductionum motus.

Cauſam inquirenti reſpondetur, neophytos de intenta per Epiſcopum Paraguajenſem paſtorum mutatione conſcios, ad perficiendam venire milites ſuſpicari, & clericum quo utebatur capellano, ad occupandas eccleſias. Additum eſt, rem eſſe periculo plenam, niſi motus quam primum ſedaretur, Indis paſtorum mutatione libertatis jacturæ præludi arbitrantibus: pagorum ſolitudinem ut minimum eſſe timendam.

A Prætore ſedatur.

Hæc admonentibus Prætor ait, longe alius ſententiæ ſe eſſe atque Epiſcopum. Quare capellanum Bonas Auras repedare jubet, etiam miſſæ in Reductionibus celebratione prohibitum. Quo & ſecuritate facta de Prætoris animo quievit motus. Indi Prætori debitos honores exhibent: nec quidquam abſtitit quominus omnia ſecundum itineris cauſam perveſtigaret.

Fodinarum inveſtigatio.

Militibus denuntiat, centurionis gradu, habitu ſplendido, & biſcentum Philippinis remunerandum, cui fodinarum aliqua ſe primum aperiret. His excitatos quinquaginta milites nulli peperciſſe veſtigio, pronum ad fidem eſt. Et quidem extitit, cui quiſpiam Indorum ſe puerum a genitore in auri fodinam ductum eſſe teſtaretur, viæ ducem ſe fore pollicitus. Prætorem cum Indo convenit miles, & promiſſa munera petit. De promiſſis ille certum eſſe jubet, ſi nuntiata vera ſint. Interrogatus Indus ait, ſe quinquennem genitore orbatum: quo narratorum fides vacillare cœpit. Traditur nihilominus foſſori, addito militum præſidio, ut expertum iret.

Dies aliquot tenuit iter impervium: nec aurifodinam, ſed conchyliorum genus invenerunt, quorum ſplendidus color & ſpecies puero nondum quinquenni potuit imponere. Interea Miſſus Aſſumptionem regreditur: & tradit litteras Prætoris atque Epiſcopi Paraguajenſis. Ille monet, ſæpe de aurifodinis ad Uruguaim loquentes ſe audiviſſe, ſed adeo ancipites, ut rumorem contemnendum crediderit. Epiſcopus principio ajebat, de fodinis optata indicia ſe præbiturum loco & tempore. Deinde ſermone in diverſa dilapſus concludebat, ſi provinciæ illæ Jeſuitis purgarentur, lucrum fore ditiſſimis auri fodinis par. Epiſcopi reſponſio.

Prætor ſpe deluſus ſuſpicatur, moliminis authores obcæcatos Societatis odio. Bonaventuræ fuga nihilominus animum ſolicitabat: quem Jeſuitæ famam de occultato denuntiatore veriti, cum ſic perquirunt, ut comparuerit tandem. Ligatum Prætor ſolvi jubet, & ſemotis arbitris alloquitur nulla adhibita reprehenſione: „ Amicé, ait, penes te fortuna mea, & tua eſt. Ad aurifodinas quas a te viſas affirmaſti, duc me; atque gratiam rependam ſpe majorem. “ Reſpondet ſtupenti præ admiratione ſimilis Indus: „ Domine, quid ſignificare velis prorſus ignoro. De fodinis nullus unquam fuit mihi ſermo. “ Denuntiatoris retractatio.

Sic hominem loqui, quod libertate deſtitutum ſe crederet ratus Prætor, ſecurum eſſe jubet, dat fidem, & in mentem revocat quæ ſibimet ipſi de fodinis, quibus ipſe operam contuliſſet, de propugnaculis ad cuſtodiam per Jeſuitas extructis, de præſidio militum, de armis & munitionibus denuntiaverat. Et proteſtatus iterum eſt, nihil unquam, quod meminiſſet, ſimile pronuniaſſe. Torquetur, nec tormentorum vi quidquam aliud extorqueri potuit, quam ebrium fuiſſe oportere, ſiquando de aurifodinis, de propugnaculis locutus ſit. Prætor ait: Ebrietatem, fraudemve, capite lues. Sociorum precibus datum deinde eſt, ut vitam bis centum verberibus redimeret.

Spes erat, infauſto molitionis exitu cohibendos authores, nec aliud ex ea fore reliquum, quam ut erubeſcerent adhibitam eſſe ad opprimendum inſontes. Sed calumnia ex iis erat, cujus impreſſiones primæ veſtigia relinquunt nulla juſtificatione delenda. Qualis arbor, quæ niſi concifas radices penitus extirpaveris, repullulat. Mox videbimus, de Paraguai fodinis invaluiſſe famam, auctas etiam eſſe numero, nec ad unum Uruguaim arctatas, & poſt ſolemniſſima ex rei cognitione judicia ultra & citra mare pro indubitatis haberi.

Reductionum ſtatus.

In ſola tunc Tucumania Paraguajenſibus Sociis pax erat, ab Epiſcopo qui exemplo præibat protectis, & ubere cœli benedictione ſecundatis. Reductiones præterea ad Paranam & Uruguaim ut cum maxime florebant in mediis adverſitatibus: etiam illæ ubi propior ſtrepebat turbo, & quæ violentis per intervalla motibus jactabantur. Jacturas cumulate reparaverant.

Digitized by Google

rant. Nullus a Mameluccis eorumve fœderatis timor. Et ea Chriſtianitas coaluerat jam, quæ prope nec oblique ſpeculantibus admirationi, eſt. Iis fulgebat virtutum exemplis, quæ in ejus naturæ gentes ægre cadere poſſe crederentur. Et quod magis eſt mirandum, opus promoverant æque fere atque paſtores neophyti, quibus illi zelum alienæ ſalutis inſpiravarant.

Apud Itatim turbæ.

Aliter res erat apud Itatim. Hoc anno 1644. Reductio *S. Mariæ de Fide*, tribus Miſſionariis in diſcrimen conjectis, prope abfuit ab interitu. In apertam rebellionem dynaſta cunctos traxit oppidanos. Paſtores palam probris; nec tantum verbis illorum duo appetiti ſunt. P. Arenas capite grave vulnus accepit: & cuncti etiam puero, qui ad altare miniſtraret, deſtituti ſunt. Corruptio mores pervaſit, ſpe etiam ablata medendi malo, quod tacite ſerpſerat, nec prius emicanti quam eſſet extremum.

Qua ratione ſedantur.

Hi motus apoſtolicis animis omni perſecutione acerbiores ſunt. Profuit vero Miſſionariis animo erectis exemplum ultionis divinæ ex naturali caſu conformatum. Irruit in pagum famelica tigris, quæ & incolas quatuordecim devoravit, & plures boves & equos occidit. Patres majorum incolis calamitatum timorem injiciunt, ni Deum placare feſtinent. Et quia ſalutaribus monitis obſtabat metus de turbarum authore conceptus, imperium, quod proſpere ceſſit, & vim adhibere conſtituunt. Dynaſtam, filium, & binos nepotes extra pagum eo attrahunt, ubi Reductionis alterius, quibus maxime fidebant, collocaverant neophytos. Horum opera capti, & ad Uruguais pagos bis centum diſtantes leucas abducti ſunt. Quod ut primum inter populares vulgatum eſt, ad frugem bonam redeunt, & primo fervore redintegrato, undique proſelyti convenire pergunt.

De nova ſede conſilium.

Horum aliqui nuntiarunt, Guiraropos, & finitimas gentes in ſui deditionem inclinare. Cum Paraguais occidentem inhabitent, occaſio non contemnenda viſa eſt in Chacum, penetrandi, & viam commodiorem Tucumaniam inter & Paraguariam, quod diu expetitum erat, ſternendi, provinciæ moderatorem admonent Miſſionarii, qui P. Romero Aſſumptione commoranti, ſi cœpta probaret, perficienda committit.

Viam arripit, & apud Itatim comperto, non tantum a Miſſionariis, ſed a neophytorum antiquiſſimis probari, ulteriore poſthabita deliberatione, ire pergit cum P. Manſilla, Hiſpano quodam adoleſcente nomine Matthæo Fernandez, Sociis adnumerato, & nonnullis zelo præſtantibus indigenis. Pajaguarum receptacula ex parte tranſgreſſus, in primos venit, quos quærebat, infidelium pagos poſt octodecim dierum iter. Longius ire decreverat ad luſtrandam regionem; ſed ex Indorum ſententia ſedem ibi conſtituit ad facilitatem receſſus ſiqui adverſarentur; & ne omnia perderet, dum multa nimis complecti properat.

Hæc ſuadentibus acquieſcit: & brevi ſat convenit proſelytorum ad conſtituendam Reductionem. Ergo erecta cruce ſacellum conſtruit. Mox per litteras a Provinciale petit operarum delectum qui meſſis ubertati ſufficeret. Manſillam Aſſumptionem mittit, qui a Rectore Collegii quædam poſtulet ad firmandam ſedem neceſſaria. Itatines deinde dimittit omnes præter ſex. Et ſolus in media paganorum frequentia ſacerdos labores apoſtolicos cum precibus ad promovendam Chriſti inter barbaros adorationem alternabat.

Marty. rium Romeri.

Sed præmium zelo & virtutibus Miſſionarii inter Paraguajenſes eximii debitum Dominus differre noluit. Dynaſtem ad Reductionem caſu accedentem Dei ſervus alloquitur ſpe totam ejus gentem Chriſto conciliandi. Sed plane deceptus eſt. Ejus cædem & naſcentis Eccleſiæ ruinam barbarus ille moliebatur. Apud ſe regreſſus in furorem ſubditos concitavit, & coſpirantibus Itatinum perfugis, aliiſque, caput Miſſionarii devovet. Ad occupandum præit dynaſta cum quadraginta delectorum manu; ſed non accidit inopinato. Haud ita pridem Breviarium, quod manu officio divino intentus tenebat, vidit cruore pluribus in locis maculatum: fixumque animo ſimul fuit, non diu fore quin martyrum palmam ad Uruguaim ſæpe de manibus abreptam obtineret. Id de retentis Itatinibus cuipiam ſignificavit, cui pius neophytus Gonzalvus nomine ſe pariter occidendum profeſſus eſt.

Hæc meditanti nuntius venit a dynaſta, poſtridie cum ſubditorum pluribus Reductioni additurum ſe. Ne credat admonetur, in tutum ſe recipiat. Reſpondet ille, fidem expectandi datam fallere ſe non poſſe. Poſtera luce primo mane quædam anus accurrit intercepto ſpiritu, & fugam Patri conſulit ſi vitam amet: appropinquare barbaros, ut dum perniciem machinantur conſueverunt, vultu & toto pictos corpore. Nihil ſibi magis optandum eſſe poſſe, reſpondet ille, quam ut ſanguine ſubſcribat quod prædicaverat: cruorem pro infidelium ſalute fuſum ex infidelibus fidos Chriſti cultores forte facturum.

Gonzalvo ſuo repugnare meditanti ait, non ſe per tot diſcrimina procul veniſſe pugilem, ſed veri Dei nuntium. Hæc ſimul profert, atque barbaris obviam procedit, uno Fernandez, cui ſuo pares animos fecerat, comitante. Dum eo unde audiri poſſet ventum eſt, clamat, ut eos dæmonis ſervitute liberaret, peregre ſe veniſſe, Dei gratiam filios adoptare volentis ne reſpuerent. Hæc dum loquitur prope venientes acceſſerat. Mumuſcula porrigit, & ad quieſcendum invitat, dum ipſe ad celebranda divina myſteria concedit. Ad ſacellum iter intendit, & prope erat ut miſſam inchoaret, cum dynaſta nomine *Dona* eum cum cohortis duce ſequutus clavam in caput impegit.

Paganus, qui prope aderat ſtultum appellat, qui virum benemeritum male habeat. Quem carnifex ſibi cavere jubet; nam vos omnes,

Digitized by Google

mnes, ait, mortem meremini, quod exterum ſacerdotem recepiſtis. Gonzalvus ad tuendum Dei ſervum accurrens, ſagitta transfixus cecidit ſimul atque Fernandez. Ad Romerum adhuc ſpirantem accedit Inda plagam calida ablutura & curatura. Eam barbari inde faceſſere jubent, & ictus iterant in jacentis caput. Ventrem ad extrahendum cor aperiunt, digitos & gulam abſcindunt, corpus indigniſſime tractant.

Reductio deſeritur. Sacellum expilant, vaſa profanant ſacra, & ſcenam claudunt ritu apud eam gentem poſt hoſtium cladem conſueto. Abſciſſos digitos in apertum ventrem immittunt, quo ſtare credunt illatæ mortis impunitatem. Quinque reliqui Itatines, quorum unus vulneratus erat, ne Reductionem quidem ingreſſi a Romero oblineatam, cujus incolæ per agros erant diſperſi, futuri nuntii fugam arripiunt.

Proditum eſt deinceps, minus præceps fuiſſe barbarorum conſilium, ſed dum monentur pagum incolis venatum dilapſis eſſe vacuum, tempore uti conſtituiſſe. Venatores regreſſi abſentiam dolent, & Patris caſum, quem atque martyris ſocios quam honorifice poſſunt inhumarunt. Sed Romeri cadaver poſt ſex menſes ad Itatim translatum eſt. Natus Hiſpali ad Paraguariam conceſſit juvenis, a P. Torres in Societatem admittendus. Quantum Uruguais & Tape provinciarum converſioni inſudaverit, ſupra ſcriptum eſt. Pretioſam mortem obiit 22. Martii 1645.

Mameluci apud Itatines. Miſſionarii cædes. Infauſto exitu non abſterritus Manſilla Reductionem conditoris ſanguine inchoatam integrare decreverat, cum Maneluccorum exercitus Paranam & Uruguaim adoriri non auſus, Itatines armis, auxiliis, & ſolicitudine minus paratos impedit & occupat. P. Franciſcus Arias in Reductione, cui præerat, occiſus eſt. Complures neophytorum vincti & abducti: ut ex reliquiis poſt hoſtium diſceſſum ægre coaluerit pagorum par.

Paraguajenſis Ep. apud *Corrientes* urbem. Interea Paraguajenſis Epiſcopus Confluentibus in urbe alienæ diœceſis morabatur: omnium ſtupore Prætorem agens & Epiſcopum, Magiſtratus deponebat ſubrogatis aliis: ordinabat ſine dimiſſoriis: nec tantum venia Diœceſani Bonaurenſis non petita, ſed invito Generali Sedis vacantis Vicario. Nondum ibi conſederant Jeſuitæ; ſed auxilii ſpiritualis inopiæ, & precibus incolarum dabant tranſituri, ut aliquandiu moram agerent.

Id Epiſcopus acerbe tulit, eos interdixit, etiam in cives apud quos hoſpitabantur iratus. Nec alia fuit agendi ratio poſt bina Regiæ Curiæ Platenſis *de comparendo* mandata. Quibus ille Prætorem Paraguajenſem, & Jeſuitas criminatus non aliud reſpondit. Ut Confluentes venit, de geſtis Aſſumptione in ſui exilium ſcriptum digeſſit, quod per nepotem cum ejuſdem ſententiæ litteris datis 3. Januarii ad Epiſcopum Tucumaniæ miſit.

Litteræ ad Tucuman. Ill. Maldonado viſitando tractui Ribogiano dabat operam: quo accedere non induxit animum P. Cardenas, litteras avunculi mittere contentus. De Paraguai Prætore ſermo erat indecorus, velut homine ſui impotente, qui manus in Epiſcopum intuliſſet, neque perſonam reveritus, neque dignitatem, neque ſanctitatem muneris: ſacram Epiſcopatus majeſtatem, jus, & immunitatem violaſſe. Querebatur, poſt tot ſcelera, quorum nullum non erat capitale, pro pœna debita honoribus & muneribus apud ſuperiores Curias cumulatum eſſe.

Sed Hinoſtroſam Prætorem ratus vile Jeſuitarum furoris inſtrumentum, in hos maxime totam bilis amaritudinem egerebat. Nec aliter quam de iis, de perditiſſima & viliſſima hominum fæce poſſet loqui. Quæ omnia, ut ſi proceſſus criminalis ex lege confectus eſſet, & illi convicti, pronuntiabat. Sed cum prævideret Tucumanenſem nuntiis inſtructum, quorum alia erat de Jeſuitis ſententia, ut illum in ſuas traheret partes, monet auſos affirmare, & eum & ſuum Proviſorem cenſuris ex illegitima ſui conſecratione innodatum eſſe. Falſum id erat, ſed D. Bernardini ſententia conſectarium ſcriptorum, quibus ipſe cenſuris obnoxius ferebatur: quorum authores Jeſuitas eſſe, mente inſederat.

Eiſdem litteris inculcabat indiſpenſabile Tucumanenſis, antiquiſſimi comprovincialium Epiſcopi, ſede metropolitana vacante, debitum ſynodum provincialem convocandi. Coercenda namque, ajebat, quam primum eſt ſcelerum & ſacrilegiorum Paraguaria inundantium alluvio: comprimendum quo Eccleſia diſcerpitur ſchiſma: damnanda, quas Jeſuitæ tradunt hæreſeon monſtra: reſtituenda Eccleſiæ privilegia & jura: prohibendum, ne Epiſcopi dote & jure ſpoliari pergant: ſtatuenda eorum ſecuritas: frænanda regii patrimonii & patronatus uſurpatorum cupiditas: indicenda Paraguaici auri cum exteris nationibus fiſco pernicialis commercii ceſſatio: ſervandæ ab æterna damnatione infinitæ animæ divino ſanguine redemptæ, doctrina tradita, quæ principiis hæreticis & ſchiſmaticis innititur pereuntes.

Nequa ſynodi cogendæ mora intercederet, iram Dei minatur tot malis remedium uſque adeo præſens adhibere nolenti: in mentem revocat Concilii Tridentini de conciliorum provincialium frequentia decretum. Ex quibus conficit, ad convocandum quam primum teneri ſub pœna peccati mortalis. Additque tandem: „ Id peto Dei nomine, BB. Apoſtolorum, & Sanctæ Matris Eccleſiæ. Id peto humiliter & enixiſſime. Id a te reverentia, quanta eſt debita, requiro. Te hortor, irreparabilia, & infallibilia ex omiſſione damna proteſtatus. Deus hæc avertat, Tibique Ill. Dne: conſilium inſpiret adeo neceſſarium. Te deinde ad Metropolis thronum evehat, & diu ſervet incolumem, ut ad Eccleſiæ bonum mea vota ſunt. Confluentibus, tertia Januarii 1645.

Ex his litteris, & aliis inter documenta referendis patet, quidquid Paraguajenſis aliquando imaginatus erat, aut a quibuſdam

ſuggerebatur, evidentiſſimæ rei ſpeciem ſubire: & quæ vis erat præoccupatæ imaginationis, objectis ſic affigi, ut ea quibus pronum erat, ut a ſententia dimoveretur, nec menti ſubvenirent. Quid emim erat quod a Concilio ſperaret, Tucumanenſi Præſide, quem ſatis noverat, non tantum de Jeſuitis aliter ſentire, ſed de ratione qua diœceſim gubernaverat? Qui litteras & documenta per nepotem mitteret, de quo apud Tucumanenſem adeo ſiniſtra erat fama, ut datis litteris expreſſit? Sed opinionem ſemel præconceptam deponere neſcius vel impos, credere non poterat quemquam alterius eſſe ſententiæ quam ſuæ. Reſponſio itaque nihil eum movit, ad movendum utique, ut ex tenore liquebit, nata. En illam:

Litteræ Ep. Tucuman.

Ill. Dne. Tria ſunt, ad quæ reſpondendum mihi eſt. Primum quod poſtremo accidit: cui addis, me atque Proviſorem (*a*) meum in judicium trahi tuæ non exhibitis Papæ litteris conſecrationis cauſa. Secundum, quod Patres S. J. ſunt omnium malorum authores: ſe natos prædicare ad Epiſcopos reformandos, aliaque multa partim hæretica, partim hæreſi proxima. Tertio id adniteris ut concilium provinciale convocem, & majoriti documenti gratia provocas ad relationem mihi reddendam a P. Fr. Petro de Cardenas. Ribogiæ aberam, cum hic venit in S. Jacobi. Litteras ad me tuas miſit, relationem non vidi. Ad primum reſpondeo, ex iis quæ de Paraguaria huc ſcripta ſunt, neſcire me quid credere oporteat. Satis tamen conſtat, non omnia recte iſthic procedere. Patres ſocietatis eſſe malorum cauſam, nec niſi horrorum editores, id in tuis lego litteris; ſed in iis quas accepi a P. Franciſco Lupercio eorum Provinciali, video narrationem ſuccinctam, modeſtiam, & erga Te, cujus non improbat geſta, reverentem. Si litteras litteris componam, in his elucet modeſtia, judicium, gravitas, ut virum decet claris natalibus, & Societatis Jeſu religioſum. Eum protegere debeo, nam debeo judicium ex operibus ferre. De re hac inter nos convenit, cum regula apoſtolica & communis ſit, ut quod juſtum eſt probemus tueamurque: præſertim cum de ordine Religioſo cauſa vertitur, qui dum in Paraguaria vexatur, Romæ & in Curiis, omnibus charus audit . . . . Hic Ordo recens natus complures numerat conſpicuos martyres & ſanctos. Secundus Eccleſiæ Paulus (*b*) ex ejus gremio prodiit: nec viſus uſque adhuc eſt hæreticus qui Jeſuita ſit. . . . Aurum, & fodinæ Paraguai inventum Diaboli ad deſtruendas Reductiones a ſenſatis omnibus exiſtimantur. Verum, Ill. Dne, ſi bilance librentur æqua hinc XII. mille ſcutorum ſumma, ex erario ad promovendum hoc opus extracta, illinc pluries decies centena baptizatorum infantium millia, & pluries centena millia adultorum, qui e ſilvis & regionibus Hiſpano inacceſſis in civilem & chriſtianum convictum redacti ſunt: næ hoc Dei & rationis oculis præponderat. Templa opulenta, ubi officia divina tam magnifice peraguntur, quanto ſudore, laboribus, & ſumptu ſtant? Hæ ſunt Paraguai auri fodinæ. Si Patribus iſtis eſſet tanta divitiarum aviditas, XXX. mille aureis, cujus facti accuſantur, Prætori a quo nihil erat quod ſperarent, largiendis abſtinuiſſent. Sæpe mente quæſivi, nec inveni, qua poſſent in extera & Hiſpano infeſta pegna aurum extrahere? Per S. Pauli de Piratininga non extrahitur certe . . . Ad ea quæ hæreſim ſpectant veniamus. Reſpondeat Ill. Dom. Tua Jeſuitas hæreſeos accuſanti, eſſe impoſtorem, faceſſere jubeat calumniatorem: & illico ceſſaverit de ſchiſmate & hæreſibus ſermo. Id in tanto adverſus Socios ſtrepitu notandum eſt, non quod fœminas frequentent, & ſolicitent accuſari, aliquidve de moribus peccent quod ex naturæ fragilitate credi poſſet. Deo providente fit, ne niſi inveriſimilia, quibus ſe purgare non indigent, imputentur. Eos maxime piget nihilominus, quod hæretici apud Te, & criminoſi audiunt. Ratio tamen ſe probandi nulla potior eſt quam ut de Te, quem ad modum faciunt, loquantur reverenter: nec uſquam de perſecutoribus conquerantur. Quod convocandam ſynodum provincialem attinet, ſuperſtite Platenſi Metropolitano, debito ſatisfeci: de quo præſtans mihi teſtimonium redditum eſt. Præterea, ut voti compos fias, non ſatis eſt id officii ad me ſpectare (*c*): & Epiſcopis opus eſt, quos invitare poſſim. Opus etiam eſt conſultatione de argumentis in Concilio tractandis ad mature judicandum: neque enim præcipitandæ ſunt res tanti momenti. Ego quidem dum ad Dei obſequium interſit, vitam, quietem, honoremque profundere non morabor; ſed ut meum nomen poſteritati commendetur, nec articulum manus movere juvat. Ordine & lege procedendum eſt, nec ab hac regula vel latum unguem deviabo, dum de cogenda ſynodo res ſit. Scire oportet, Epiſcopum Miſchenſem (*d*) aſſiſtere non poſſe, Bazenſem eſſe mortuum, Bonaerenſem nondum poſſeſſionem adiiſſe, nec experimenta rerum tanti momenti fortituan. Reliqui ſumus Tu & Ego, nunquam in eandem ſententiam conventuri. Debeo enim, quod non ignoras, omnia mature conſiderare. Debeo plures conſulere, qui probitate, religione, doctrina præſtent. Et ſententia Patrum

So-

(a) Proviſor hic conſecrationi adſtitit D. Bernardini, nondum ut ab Epiſcopo uno aſſiſtentibus binis Canonicis, aut Dignitatibus conſecrari poſſet diſpenſati. *Charl.*

(b) V. D. Joannes de Palafox in Compendio inſtitutionis Ordinum Religioſorum eodem appellat nomine S. Franciſcum Xaverium. *Charl.*

(c) Ad Epiſcopum antiquiorem ſpectare ſynodum indicere, non ſolum (quod Tridentinum expreſſit) Metropolitano impedito; ſed ſede vacante, docet ex aliis Fagnan. in C. *Sicut olim*, 2. *De Accuſat. n.* 17.

(d) Miſchenſis dicitur Epiſcopus S. Crucis a Miſche oppido, ubi reſidere conſuevit.

Digitized by Google

Societatis exquirenda mihi est: quam de rebus ad diœceſis regimen pertinentibus nunquam exquirere prætermittam. Non uno conſilio mihi proſunt. Contra dicunt aliquando, & gratiam habeo. Non quod Epiſcopi eſt reformant; ſed quod in Fr. Melchiore defectuoſum, admonent. Suo meus ſtatus perfectior eſt. Epiſcopi jus & ditio eminet. Hinc eſſe tenear ſal terræ. Utrum ſim, ambigo. Me quæris, Ill. Dne, quid te oporteat facere. Sed cui mearum tantummodo ovium mandata eſt cura; quid Epiſcopo conſulam? Tibi quam mihi notius eſt, quid Epiſcopum facere oporteat . . . . Id mihi ob oculos ſemper ſit, poteſtatem mihi, & per me tibi conſecratione datam, non *ſplendore veſtium conſtare, ſed morum: non ad iram, ſad ad omnimodam patientiam.* Dominus, qui Epiſcoporum caput eſt, ait: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Et quo exiit Chriſti perſecutio? In crucem, in qua poſtremam fudit ſanguinis guttam. Jam vero Chriſtus in cruce pendens numquid Pilatum hæreticum appellavit? An Phariſæos contumelioſe habuit? . . . . Paradiſo donantem video latronem, quem peccaſſe pœnitet. Convicianti nihil acerbe reſpondit. Patrem orat, ut carnificibus ignoſcat. . . . An uſque ad ſanguinis effuſionem perculſi ſumus nos? An ſpinis coronati ſumus? An paupertas noſtra ſecundum Chriſti paupertatem eſt? . . . Quod de Capite noſtro ſcio, id Ill. Dne, dico. Exemplum imitari, neque me dixerim, neque te negaverim. Pace nihilominus tua id ſubjungam, quod & Te & me deceat. Multi nos pravis conſilis ad acerbitatem inſtigant, ut quod religioni, quod noſtri muneris ſanctitati congruit poſthabeamus. Quemadmodum Phariſæi Capiti noſtro dixerunt: *Si filius Dei eſt, deſcendat de cruce.* . . . Similis nobis conſilii author eſt, qui hortatur ad exigendas ex illatis injuriis pœnas.

Geſta poſt Epiſcopi diſceſſum.

Interea Prætor Paraguajenſis ad Americæ Curias retulit de neceſſitate D. Bernardinum expellendi, & ad Indiarum Senatum de geſtis poſt illius adventum: ut videlicet non aliam reſtituendi ordinem & tranquillitatem, excidium provinciæ & Paranæ Reductionum vitandi, ſcandala in dies emergentia coercendi, rationem eſſe conſtaret. Et Jeſuitæ, quod ſuum erat, Judicem Conſervatorem (a) elegerunt, qui ex Bulla Gregorii XIII. in Regis Catholici ditione uſu recepta, poteſt. regio nomine, honorem, vitam, ſeu bona impetentibus obſiſtere, eoſque in jus vocare.

Indi de Paraguaria bene meriti.

Indiarum Senatum certiorem fecerat Prætor, ad reſtituendum imperium Epiſcopi, motionibus oppreſſum, Reductionum Paranaënſium militæ utendum ſibi fuiſſe: quem addidit, egregia fidei, obedientiæ, & animi ad regium obſequium parati præſtitiſſe documenta. Conſpicuam magis operam idem contulit anno ſequente: quo tempore Prætor ad Regem ſcripſit, quanti ad provinciæ ſibi creditæ ſecuritatem intereſſet, nequis Reductionum Indis negotium faceſſeret, neqnave ratione eorum immunitas læderetur, Guaicurui ſcilicet cum magna fœderatorum vi Hiſpanos Aſſumptione pellere decreverant; & apparatum ſic celaverant, ut patratæ ruſticorum cædes non alio ſpectare viſæ ſint, quam ut prædas agerent, haud ægre coercendas.

1646.

Brevi tamen annotuit, rem eſſe opinione graviorem, peti provinciæ caput, hoſtem appropinquare, impares eſſe Hiſpanorum vires. Prætorem de hoſtium numero & conſilio primus admonuit Paranaënſium dynaſta, quem ille delectam militum manum ad ſe ducere jubet. Cujus celeritas barbarorum conſilia undique finibus, quos immunitos eſſe crediderant, imminentium ſubvertit.

Neophyti Guaicuros ſibi confidentes atque ſecuros præoccupant, adorjuntur, profligant: & ex clade is terror fœderatos invaſit, ut ad notos ſibi receſſus confugerint fere omnes. Prætor in litteris, ea de re ad Indiarum Senatum notatum voluit, Epiſcopi conſilio adverſus Reductiones, non interceſſo, auxilium uſque adeo opportunum defuiſſe. Cum Jeſuitis exactis cerna eſſet, neophytorum defectio, & imminens rei publicæ detrimentum.

Exul Antiſtes interea triumphanti ſimilem in diœceſim ſe rediturum ſperabat. Amici & patroni erant Platæ in patria, ad quos libellos ſupplices dirigebat. Horum authoritate, & æquitate cauſæ freuus, mandato Curiæ, ob inimicis quibus tria *de comparendo* decreta tribuebat decepta, protinus ſuæ ſedi reſtituendum iri ſe certus erat. Sed contra ſpem accidit nuntius, cives Correntinos, aliosve quoſcumque ad quos diverteret, ad excidendum compellere, vel accedentem repellere juſſos, niſi obediret: quod provinciarum, & Regis obſequium ejus obedientia conſtaret (b).

Curiæ de Epiſcopo mandatum.

Hoc Senatus Conſulto commotus animo ſententiam non mutavit. Cum litteris Curiæ Paraguai Epiſcopus appellaretur, antequam Platam iret, Aſſumptionem ſibi redeundum eſſe contendit; ſaltem ut diœceſis Gubernatorem renuntiaret. Et exeunte anno 1646. aut ſequentis initio eai mente conſcendit. Non amplius octo confecerat leucas, cum a Prætore interdictum progrediendi ſignificatur. Ibi deſcendere voluit, & Aſſumptione per invia deviaque ſe ſiſtere non expectatum. Sed naviculatores prohibent, & poſthabitis precibus & minis Confluentiam repetunt.

1646. 47. Aſſumptione repellitur.

Novum ibi a Curia Platenſi mandatum prioribus ſimile accepit, datum 29. Aprilis 1647. & litteris adjunctis Epiſcopus Popajanenſis hortabatur. Urbs eſt provinciæ cognominis caput in

1647. Popajanum probatur movetur.

(a) Vide Bullarium Gregorii XIII. qui non aliud quam opere perfecit quod Pius V. prædeceſſor decreverat, nec perficere potuit morte præoccupatus. *Charl.*

(b) Que de no obedecer lo hagan ſalir de los nuestros reinos y ſeñorios, como ageno y eſtraño, por importar aſſi para la quietud de aquellas provincias, y al ſervicio de Su Mageſtad. *Charl.*

Digitized by Google

in Novo Regno Granatensi: atque minimum Assumptione distans mille leucas. D. Bernardini opinione promotio honesti exilii vicem subiit: & Regi, qui litteras jam in eam sententiam ad Metropolitanum & Capitulum Popajani dederat, respondit, ætate gravi, & itineris difficultate, ne Episcopatum acceptaret prohiberi se.

1648. Assumptionem regreditur.

Anno sequente novus Paraguai Prætor pro Hinostrosa renuntiatur D. Didacus Escobar Osorio: quod ut cognovit Episcopus, Assumptionem iter intendit. A Curia Charcarum, vel a Prorege factam potestatem, quo res suas expediret, verosimile est. Certe novo Prætori mandatum erat, nequid adversum Socios Episcopum, aut ejus partes moliri pateretur. Eos ut e provincia, & e reductionibus pelleret, animum ut cum maxime obfirmaverat ille; ne tamen incœptum evanesceret, experiri prius voluit, numquid sibi esset a novo Prætore sperandum vel timendum. Dum in festo Sancti Petri concionatur, in Socios quidem invectus est, sed solito mitius.

Ab Episc. Angelop. litteras accipit.

Illud acuebat animum, quod acclamante populo acceptus erat Assumptione, & ad S. Francisci, quo diverterat, ductus erat quasi triumpho. Ex conciliatis, ut credidit, universis civitatis ordinibus confecit, nihil deinceps fore quod cœptis obstaret. Et litteris ab Episcopo Angelopolitano acceptis firmius sibi persuasit, adversum Socios cœlitus impelli se. Communes, ut vulgo creditum est, erant hæ litteræ ad plures Novi Orbis Episcopos scriptæ ab authore, ut secum contra eos conspirarent, quibuscum tunc maxime in Nova Hispania concertabat, quos deinde Oxomam translatus laudibus ornavit.

Novus Paraguai Prætor.

Ut ad novum Paraguariæ Prætorem revertar; etsi Curiæ Charcarum pars erat, Plata cessit nec satis noto provinciæ statu, nec unde documenta exquirere oporteret. Id nempe in diversas, & plerumque contrarias, quæ in Curiam mittebantur relationes, & in varios ex eis sensus referendum est. Illud est certum, multos Assumptione partes Episcopi secutos; & seditionis æstro vulgus, atque spe facta Paranaënsium servitii occupatum.

Nondum Prætor in provinciam pervenerat, cum exemplo novit quid animus posset cupiditate captus. Monitus de via fuit, ex rumore Assumptione dissipato, non passurum quidquam Jesuitis adversum, in ejus caput conjuratum esse. Indorum mille præsidium petit a Reductionibus: quorum celeri adventu, & eo Assumptione vulgato quorumdam fuga, magnitudinem mali, cui medendum erat cognovit, & noto profecit ut erat prudens.

Observantiam Episcopi dignitati debitam exhibere constituit primo, nec ansam præbere suspicandi studio partium se præoccupatum esse, aut meditari quidquam concordiæ, ut e re publica erat, dum provinciam regeret, servandæ contrarium. Jesuitas sic habuit, ut id unum sibi sperandum esse deprehenderint, nequem contra bona sua, honoremve, injurium toleraret: quod utique majoris meriti fuit, quam si palam amicum se profiteretur.

Episcopus denuo possessionem integrat.

Nihil præterea ut Episcopus Curiæ mandatis obtemperaret, factum videtur. Ei certe de transeundo Platam nulla cogitatio; nam post ternas hebdomades quam in S. Francisci diverterat, Episcopium concessit: ac deinde possessionem Episcopatus Paraguaici de integro cepit. Ritus quidem plaudente populo peractus est; sed Canonicorum aliqui iteratis protestationibus in Collegii templum officio defuncturi secedunt. P. Sobrinus Rector, Diaztagnus Missionum Paranaënsium præfectus, & Boroa mox Sobrino substituendus eo se receperant, expellendi Episcopi sententia, ut nulli non persuasum erat.

Invehitur in Socios.

Calumnias jam dudum undique disseminatas renovare cœpit, strenue cooperantibus amicis, nominatim ejusdem habitus Converso sæpe dehinc memorando. Huic & ejus libellis materiam suppeditantibus nihil non licebat. Ad persuadendum partium studio liberis principio desiderabantur probationes. Addictorum Episcopo plerique, & noti erant, & eo ad faciendam subscriptione fidem minus apti. Ea qua ratione suffragia non suspecta conquisita sunt:

Subscriptionum ratio.

Ad subscribendum compellebantur in ludo pueri, subscribendorum lectione prohibiti. Horum cuidam Ignatio de Frias vetuit pater, nequid ea ratione subscriberet: quod dum ille totus renuit, duram subiit scuticam, nec tamen ut morem gereret extorqueri potuit. Societatem deinde ingressus primos in provincia magistratus obiit. Cum exemplaria multiplicandi tempus deerat, tabulæ rasæ subscribebantur, deinceps quo libitum esset complendæ (a). Ejusmodi tabularum fasciculus ad Fr. Villalon Episcopi in Hispania procuratorem inscriptus incidit in Anglorum manus, quos magnopere offendit usus ex adjunctis litteris adhibendus.

Socii ex Itati pulsi.

Dum Episcopus adhærentium utebatur ministerio, nihil ipse prætermittebat, cum ad scrutanda Prætoris de Jesuitis sensa, tum ut eum dissimulando missionum spolio assuefaceret. Itatinenses amandavit primum, & sic incœptum fucavit, ut Prætor qui futura non prævidit detrimenta dissimulaverit. Post ultimam cladem Itatinibus illatam per Mameluccos, bini ex reliquis pagi ad Paraguais amnis occidentem in tractu *Caaguazu*, centum circiter ad Assumptionis boream leucis instaurati erant. Neque tantum securitati neophytorum

(a) Harum exemplar subscriptionum vidimus in archivio, quod Paraguariæ Provinciæ fuit in Collegio Cordubensi S. J. in Tucumania. Alius mentio fit in Opusculo inscripto *Idea succinta del Origen &c. de la C. de J. 2. Part. pag. 59. anno 1629. Edit. Matrit. 1768.* Exemplar vero Cordubense, si quæras, eo devenire potuit per Mosqueram, Episcopo a secretis, qui in ea urbe moriturus notam edidit retractationem, de qua suo loco.

Digitized by Google

rum amnè interpoſito proſpexerant Miſſionarii.

Cur mallent Eccleſias illorſum condere ſupra dictum eſt. Conſilium exciderat Romeri nece, ſed integrandi ſpes erat Itatines, qui cum aggregatis complebant, & cum aggregandis tria millia ſuperaturi videbantur. Erat præterea ſedes ea Paraguariæ præfecturæ utilis, ut Reductiones tempore ſolidatæ Guaicuros & Pajaguas, quorum nutabat fides, in officio continerent. Sed vel novum Prætorem præteriit, quanti eſſet infidelibus iis Indos opponere probatæ fidei; vel ſedis recens collocatæ periculum ex remotione conditorum. Haud ægre itaque tulit, par clericorum mitti Jeſuitis remotis ſubrogandum. Et ignoraſſe veriſimile eſt, armatorum præſidio munitos curiones parochias ſuſcepiſſe; & Jeſuitas numero quatuor Aſſumptionem abductos, & tam iniqua ratione per viam habitos, ut P. Arenas ex eo mortem oppetiverit.

Itatinum defectio.

Illud quod pronum erat maxime dolendum fuit, Itatines libertati ex mutatione timentes tumultuaſſe: quo territi curiones Aſſumptionem repedarunt, diffamantes neſcire ſe qui poterant Jeſuitæ Indis convivere nihil pro miſſa, aut pro funere erogantibus. Utraque Reductio deſerta fuit: & Epiſcopus cui perſuaſum erat, neophytos a Jeſuitis depravari, oves errare maluit, quam paſtores reſtitui.

Alia fuit Charcarum Curiæ ſententia. Ut primum de geſtis apud Itatim nuntium accepit, Jeſuitas reſtitui juſſit; ſero tamen venit in ea loca decretum. Poſt Reductionum vaſtitatem pene totus decurrerat annus: & quantavis id adnitentium ſolicitudine vix media diſperſorum pars congregari potuit. Fidem ſuperas quanti ſteterit. P. Manſillæ crura computruerunt, tanto dolore vermiculata, ut Cordubam, cum Aſſumptione abſentibus Sociis, curationis cauſæ deducendus fuerit. Longi itineris incommoda exacerbarunt ulcera, nec multum ſero medicamine profecit. Sed experienti annuendum fuit, ut charæ Miſſioni moriturus reſtitueretur.

Ut Reducuntur.

Digitized by Google

HISTORIÆ PARAGUAJENSIS

LIBER DUODECIMUS.

ARGUMENTUM

Jesuitæ Assumptione vexantur. Improvisa Prætoris mors. Prætorem agit Episcopus. Vi pelluntur Jesuitæ. Confluentiam veniunt. Gesta in Collegio vacuo. Præmia victorum. Venit Matritum Episcopi procurator. Jesuitarum apud Curiam expostulatio. Accitur Episcopus. D. Sebastianus de Leon interim Prætor. Ab Episcopo non admittitur. Prælium. Prætor accipitur. Acta conservatorum. Socii restituuntur. Provisor ab Episcopo constitutus. Platam adventus. Paraguariæ visitator. Reductiones lustrare renuit. Mameluccorum clades. Neophyti contra Guaicuruos. Novus visitator. Altera de fodinis denuntiatio. Secretarii Episcopi palinodia. Peraltæ Conservatoris acta. In Socios novi motus. De tollendis Reductionibus Episcopi Bonaurensis consilium. Prætoris litteræ. Neophytorum merita. Villalon in Paraguariam redux. Scheda Regia ad Archiepiscopum Platensem. De catechismo quæstio. De fodinis. Pro D. Bernardino litteræ ad Summum Pontificem. Litteræ Regis Catholici. Auxiliantur Prætori neophyti. Guaicuruos profligant.

1648. 49. Jesuitæ Assumptione vexantur.

PAraguajensis Episcopi partes in dies gliscebant, ex Prætoris erga Jesuitas indifferenti habitu, fortasse discriminis specie, quod sub adventum obierat, consternati. Tunc in Socios commotio prope generalis evenit. Palam prodeuntes insultabantur passim, nec tantum verbo. Diaztagno tanti ubique, & in ea urbe pridem habito, majus erat periculum. P. Antonio Manquiano obviam aliquando factus est qui diceret, vix continere se quin ejus revulsum cor discerperet dentibus, & devoraret. Eo tandem ventum est, ut Rector templum occludi jusserit, & Socios domi continere se; nec ibi securitas, nisi Judicis Conservatoris mandato custodia munirentur.

Prætoris improvisa mors.

Non quod in civibus amicorum copia non esset; sed ab Episcopo denuo excommunicatos nec ullus alloqui, nec Prætor cui dubia non erat excommunicationis virtus tueri audebat, nempe fortunam & casus prædecessoris veritus. Neque multum ille observabatur a Præsule, qui desperato de Sociorum exterminio consensu, ne proderet consilium solicite cavit. Sed vallum, quod Prælatus superare desperabat, inopinato concidit. Pene subita morte correptus est Prætor post acceptum pharmacum, quod præsentissimum morbo nescio cui remedium esse ferebatur.

Episcopus Prætor.

Vix animam egerat, cum ad successorem deligendum, dum a Rege Prætor constitueretur, tumultuario concurritur. Idque ex Caroli V. diplomate abrogato, & contra Peruani Proregis, vel eo absente Curiæ Charcarum jus. Sed Assumptione jam neque lex, neque imperium pensi erat. Populus ab Episcopi amicis concitatus, eum Prætorem & Præfectum Generalem proclamavit: qui principum aliis populo assentientibus, aliis repugnare non ausis, imperium & præturam obiit nemine adversante.

Vi pelluntur Socii.

Ex eo Jesuitarum exterminium nulli dubium fuit. Sed Prælatus nihil decernere voluit, nisi rebus ita dispositis, ut connitentibus universis civitatis ordinibus decretum prodire crederetur. Iis quos noverat consilium improbare, imperium abrogavit: alios compulit ut in rura secederent. Per vicos deinde & plateas digrediuntur emissarii, & populum ut Jesuitarum exilium petat, instigant. Ut addat stimulos Præsul, dum ritu pontificali celebrat, post consecrationem conversus ad populum, & sacram hostiam manu ostentans ait: „Creditisne, fratres, Christum sub iis speciebus præsentem esse? " Cum clamassent universi, paratos se, ut eam veritatem vel sanguine tueantur, subdidit: „ Et creditis mente firma, mandatum habere me a Rege, Jesuitas ex hac urbe amoliendi? " (a)

Doctor Franciscus Xarque post hæc narrata negat persuaderi sibi posse, sic contra conscientiam locutum Episcopum, & oportere ait, ab aliquo suarum partium Regis schedam esse confictam. Sed Villalon in supplicibus ad Indiarum Senatum libellis factum maluit vulgo licet notum inficiari. Illud est certum, Episcopi dicto multitudini persuasum, Jesuitas omnium, quæ Prælatus objecerat, criminum esse reos. Promulgatum deinde est, ab exilio Indorum XX. millia Prætori-Episcopo subesse, Hispanis distribuenda pro studio quo quisque illius pro Ecclesia, & re publica zelum secundaret. Opes exaggerabant circulatores in provinciam derivandas ex aurifodinis per inimicos Dei & Regis abditis, exilio revelandis.

Sic animis præparatis pœna capitis & excommunicationis indicitur a Prælato, ut omnes

(a) Xarque, lib. 2. c. 40. n. 30.

Digitized by Google

mnes armipotentes ad vexillum Joannis de Vallexo Villaſanti locum a Rege tenentis conveniant, illius mandata facturi. Adſunt univerſi, & 6. Martii 1649. duce Villaſantio ad Collegii fores clauſas ſe ſiſtunt, quo tempore Socii in interius ſacellum ad preces convenerant. Dux poſt aperiendi mandatum fortaſſe non auditum, fores dejici jubet fecuri; Sacellum cum Tabellione & manu lictorum ingreditur. Rectori cum ſuis ſolum feſtinato mutandi, & Paranæ Reductiones, cunctaſque provinciæ ſedes quantocius evacuandi mandatum denuntiat.

Reſpondit ille, eam ſedem auſpiciis Philippi II. ſtare, cujus non deſerendæ ſucceſſores mandata dederant; fore inobedientes, ſi cedendi mandato non ſuo Socii parerent. Simul explicat Diaztagnus documenta, quibus a Boroa Rectore dicta probabantur. Sed Villaſantius ne aſpectu quidem dignatus ſuos procedere jubet. Illi furentes in Jeſuitas involant, pugnis impetunt, & atrocibus injuriis, in terram dejectos trahunt & conculcant. Epiſcopus Tucumaniæ litteris ad Summum Pontificem datis, quibus Boroam laudat, ſimul exprimit, quam indigna ratione tunc habitus ſit.

Navigio imponuntur ſine commeatu.

Morbo decumbentes lecto per vim extracti, omnes vinculis ſtricti ad fluminis oram trahuntur paratis imponendi monoxylis. Sunt qui tradiderint impoſitos actuariolo remis & remige deſtituto. Illud inter omnes convenit, fluento traditos ad uſque mare, niſi obvias offenderent inſulas, vectum iri. Unus P. Bertholdus caſibus his ereptus eſt. In prædium ſe contulerat annonæ cauſa: quod jam pridem famulis ad comparanda vitæ neceſſaria diſcedere non erat integrum. Ibi quo res devenerant nbnitus ad proximam Reductionum per devia contendit, quam octo dierum itinere ſemivivus tenuit.

A Correntinis excepti.

Navigium procul a Confluentia offenderat: quo tandem ægre perventum eſt. Tribunus Militum D. Emmanuel Cabral eos accepit hoſpitio, nec quidquam ad repanandos præterniſit. Ægrorum maxime curam habuit: itaque domum diſtribuit, ut ſacerdotes ſinguli ſeorſim habitaverint. Integrum ibi annum Cabralis ſumptibus commorati, & ſuæ Societatis officiis intenti, ita ſe probarunt incolis, ut ſiniſtram depoſuerint ex fama conceptam opinionem, & collegii excitandi votum conceperint.

Geſta in collegio vacuo.

Collegium Aſſumptionis Sociis exactis arcis inſtar expugnatæ habitum eſt. Domus & templi januæ deportatæ ſunt: ſuggeſtum & confeſſionalia comminuta, quod populo illic hæreticam tradi doctrinam, hic mores infici veneno perſuaſum erat. Altari primario & tabernaculo operam contulerant Hiſpaniæ peritiſſimi artifices, quorum opificio par erat opulentia. Ad corrumpendam molem primus collimabat furentium impetus; fuit tamen qui obſiſteret, & in Cathedralem nil ſimile habentem transfertur. Totam ſublimioris templi altitudinem cum æquaret, decurtandum fuit, & ablata proportione plane deturpandum.

Erant in altari maximo binæ ſtatuæ Sanctis Ignatio & Xaverio ſimiles; ex quibus dum ſimilitudo ad Sanctos Petrum & Paulum translata reformatur, monſtrum extitit duplex. Erat imago Chriſti Salvatoris, qualem Venerabilis Marina de Eſcobar vidiſſe fertur. Fuit qui Jeſuitarum figmentum exclamaret, quod toga ſuæ ſubſimilem referret ſpeciem. Caput ſervandum amputatur, reliqua igni trandantur. B. Virginis iconi immaculatam Conceptionem referenti ſors eadem immineba t. Trans mare affabre ſculpta ſupplicationis ritu ab ejuſdem tituli Sodalitate in eccleſiam e ſacello quotannis efferebatur. Sed quia cœlum oculis intuebatur, caput amputandum nonnulli cenſent, ſubſtituendumque quod oculos haberet in terram demiſſos. At multitudo intemeratam eſſe maluit.

In Sociorum cubiculis nihil repertum eſt quod vel pauperrimi cupiditatem excitaret. Nullum erat argentum præter eccleſiæ & ſodalitatis proprium, quod totum abreptum fuit: nec aliud brevi quam parietes, tectum, & tabulata paulatim diſſolvenda, fuit reliquum. Locis duodecim admotæ ſunt faces: & quamquam undique ligno materiatum erat opus, nihil abſumpſit ignis. Id mirati plures illæſam a Deo domum reſtituendis Sociis ſervari prædicabant. Ut hi falſi vates ridarguerentur, omnia ſolo æquanda decretum eſt, ac primo templum, cui turris tecto multo eminentior adhærebat.

Nondum calcariis (a) ſaxis ibi locorum repertis, ædificia quævis ligneis ſtant pilis, quas egregia proceritate & craſſitudine indigenæ ſilvæ ſufficiunt. Pilas inter paries erigitur ex cæmento vel latere luto coagmentatis. Templi Jeſuitarum turri plures erant hujuſce architecturæ contignationes. Ad labefactandam injectis ad plures ſimul pilas rudentibus ſumma fit, ſed irrita contentio. Relinquitur ergo & templum & domus, ſed ita comparata, ut animantibus receptaculum, abominationibus ibi committendis eſſet receſſus.

Præmia victorum. Procurator in Curiam.

Ad remuneranda executorum merita mox vertitur Epiſcopi conſilium; ſed præter Æthiopum primo occupata ſervitia, tam multis parum diſtribuendum fuit. Difficilius erat, ut apud Superiores Curias, & Indiarum Senatum geſta probaret. Et licet Jeſuitæ pejores quam ipſe crederet eſſent, in ſuam unius mentem ca-

(a) Deinceps reperta ſunt; ſed loco bis aut ter centum leucas diſtante, ſcilicet e regione Sanctæfidei, in ora quæ *la Baxada* vulgo dicitur. Dum lembi Paraguaici Bonis Auris fere vacui Aſſumptionem redeunt, commode ſatis onerantur ſaxis, quibus in calcem redactis in meliorem formam ædificari cœptum eſt. De cætero ea ut plurimum ſunt Aſſumptionis ædificia, ut priuſquam muri tectum fieri ſoleat.

Digitized by Google

cadere potuit, facta imperio privato, & nulla juris forma, alibi quam apud cives ut plurimum seductos, & prædæ spe inescatos, esse approbanda. Obcæcatus adeo fuit, ut post acceptas quorumdam gratulationes, Aprilis 15. procuratorem, cui nomen *a Sancto-Didaco de Villalon*, cum processu de rei summa & necessitate Matritum expediverit.

Sociorum expostulatio.

Nec Socii diu sibi consulere morati sunt. Ex Gregorii XIII. Brevi licet Societati, bonis, aut honore graviter læsæ Judicem Conservatorem nominare (*a*), qui processum ex lege conficiat, & sententiam Sedis Apostolicæ, cujus delegatus est, authoritate ferat. Hoc Breve in Regis Catholici ditione usu acceptum est, dum tamen (*b*) in Curia, cui quisque subjacet locus, & causa ad Conservatorem pertinere censeatur, & electio rata sit. Prima hæc fuit Sociorum cura, Alphonso de Oxeda Collegii Cordubensis Rectori commendata, qui Platam profectus erat, de rebus Assumptione gestis apud Regios Judices expostulatum.

Judex Conservator.

Festinantem licet prævenerat ab Episcopo nuntius: quo tamen illud confectum est, ut Curia nosset, quod ex una Oxedæ relatione fidem præteriret. Votorum igitur compos hic haud ægre fit. Judex Conservator Capituli Cathedralis Decanus D. Gabriel de Peralta renuntiatur. Sed respondit, Episcopi quocum ipse contenderat, judicem esse non oportere. Alium partes nominarent. Conjuratos judicare, & mandatorum Episcopi executores, se non gravandum. Æquissimæ sententiæ concedunt Socii, & P. Petrum Nolascum Ordinis de Mercede (*c*) præfectum non invitum extemplo conservatorem nominant adversus Episcopum. Et quod ab authore totius mali principium ducere oportebat, simul atque a Curia potestatem esse factam acceptum est, quæstionem instituit. Iteratis denuntiationibus obsurdescente Præsule, & operari quasi exæquo & jure pergente, auditis testibus, & observatis quæ in ejus momenti causa requirebantur, sententia definitiva 19. Octobris 1649. subscripta & promulgata est. Extat in Documentis qualis ex Hispania missa fuit. Sententia Decani sub judice fuit usque ad 22. Januarii 1652. Cum hæc singillatim explicet ad Jesuitarum exilium spectantia, ut prolixior ad Documenta remittitur.

Contumax judicatur.

Paraguariæ Visitator & Prætor.

Interea Curia Platensis certa, Caroli V. diploma de constituendo Prætore commentitium esse, nec ex eo gesta per Episcopum probari posse, mittendum censuit cum imperio qui rem publicam ordinaret: & de Auditoribus D. Andream Garavito de Leon Equitem Jacobæum Paraguariæ Visitatorem, qui & Prætorem interim ageret, renuntiavit. Sed quia media Instraturo loca Assumptione adesse non licebat qua celeritate ad præsentis mali remedium opus erat; Tribuno Militum D. Sebastiano de Leon mandatum expedivit, ut Generalis Præfecti atque Prætoris potestate provinciam moderaretur usque ad Visitatoris adventum, & copias ad restituendos Jesuitas, & cives in officio continendos aptaret.

D. Bernardinus comparere jussus.

Mox Episcopum jubet nulla mora se sistere ad respondendum in Curia, quo jure Prætorem ageret, atque Generalem Paraguariæ Præfectum: quo item jure Patres S. J. exterminasset. Hæc, adjunctum erat edicto, cum juris ditionisque sæcularis sint, episcopali dignitate non fieri quominus obedire teneretur. De Senatus consulto deinde ad Mancerensem (*d*) Marchionem Peruvii proregem relatum est, qui mandata Curiæ confirmavit.

Gesta Legionensis.

Ut ad Tribunum Militum regrediar, cui primo ut sedaret turbas mandatum erat; antequam Jesuitæ exularent, rus adierat ne impendentium malorum testis esset inutilis, ac fortasse ne acerbitatem Episcopi jam expertus præsens irritaret. Acceptis Curiæ mandatis difficultatem rei cognovit, neque in urbem festinandum sibi esse, ne turbas immaturo cietet accessu viribus impar. Ruta primo procul percurrit, ubi & regia mandata nota fecit. Bini germani fratres & nonnulli principum eadem causa rusticantes ad signa conveniunt, aliis etiam subinde copiarum numerum augentibus. Dum virium satis apud se habuit, Jesuitas per nuntium jubet Confluentia ad se venire. Regia deinde mandata urbano conventui, ac commorantibus in urbe ducibus accepta significat, data fide imperio supersedendi donec plane exhiberentur.

Prætor non admittitur.

Eodem fere tempore clam monitus est, ut sibi caveat: & Hispanos & Indos ad arma concitari: undique vulgari, D. Bernardino de Cardenas neminem posse præfecturam abrogare. Id etiam Prælato persuasum erat: ut cui maxime. Et inter ejus scripta deinceps ad Indiarum Senatum missa, litteræ ad D. Joannem Romero de la Cruz inventæ sunt, quibus ait: Tempus adveniſſe, ut se gestis heroicis & magnis

(a) Non id erat Societati privative proprium; sed Regularibus commune, ut Judices Conservatores eligere possent. Etsi plurimæ conditiones ad usum requirantur, etiam in ditione Regis Catholici, maxime post Constitutiones Gregorii XV. & Innocentii X.

(b) Hæc conditio ut in Regio loci cujusque Auditorio causæ Judicem Conservatorem eligendi rati habeantur, expressa est in Jure Hispano-Indico *lib. 1. tit. 10. De Ibs Juez. Eccl. y Conservad. tom. 1. Recop. Indiar.*

(c) Cautum est deinceps a Clemente XIII. Const. *Cum omnium*. Nono Kal. Maii 1762. & declaratum, non licere Regularibus, cæterisque quibus ab Apostolica Sede concessum est, ut judices conservatores sibi deligere possint, Præpositos Regulares non perpetuos, sed temporarios proprii vel alterius ordinis, in judices conservatores eligere: quos hac in parte, & ad hunc effectum in dignitate Ecclesiastica constitutos non esse declaratur, eorumdemque electionem, etiam si fiat servata in reliquis forma Constitutionis Gregorii XV., ipso jure irritam prorsus fore.

(d) Non ad Manceræ Marchionem de S. C. relatum est, sed ad Comitem de Salvatierra, qui a die 20. Septembris anni præcedentis 1648. Mancerensis successor Peruvio præerat pro Rege.

Digitized by Google

gnis victoriis posteritati commendaret: justitiam & vires a suis partibus esse: urbem totam provinciæ caput sibi addictam constituisse Jesuitarum nullum, nec Societati faventem admittere, nec Sebastianum de Leon Prætorem accipere. Et quidem, addebat, oportet esse dementem qui se regendum subjecerit excommunicato, hæretico, traditori.

Mentem ad cœptorum exitum reflectendi tempus & copiam fecit Legionensis. Sed monitus, Assumptionem ut obsidendam vallari, Hispanum militem de provinciæ finibus, & Paranaënsium tria millia vocat. De horum adventu nuntium Episcopi copiæ excipiunt lætabundæ, nodum impavidæ. Persuasum iis erat, angelos auxilium in prælio Prælato spopondisse: qua fiducia funes paraverant ad capiendos Indos debellatos. Legionensis castra movit, nondum tamen amissa spe negotium pacate conficiendi.

Concurritur. Certior factus Episcopus copias suas duce Villasantio obviam ordine servato procedere jubet; ipse vero ad Cathedralem cum imbelli turba divertit. Ibi ante altare, quo exponi fecerat Venerabile Sacramentum prostratus humi Dominum, ut Provinciam & ecclesiam hæreticis, impiis, & in Christum ejus, & in Regem conspirantibus, purgare velit obtestatur. Ut in conspectum acies utraque venit, Prætor Proregis & Curiæ mandata tuba promulgat; ad restituendam se venire patriæ pacem, justitiamque: testes invocat, nemini unquam infestum se fuisse: ensem in populares suos extrahere nolle, quem nunquam non ad tuendos extraxerat: invitum ad prælium compelli: fidos Regi subditos obsecrare, ne se compellere pergant.

Clades Episcopalium. Surdos alloquebatur. Episcopales copiæ bellum susceperant instar Cruciatæ, neque de victoria dubitabant. Nemo in iis erat qui Prætori cedentem non crederet magni piaculi reum: quod Episcopus excommunicationis pœna & corporali vetuerat. Id ille Regio Senatui & Curiis universis scripto inter documenta referendo rite confessus est, ut videlicet suarum partium culpam & pœnam deprecaretur. Prætori ergo displosis undique, dum ad teli jactum venerant, sclopis respondent. Sed quamquam nec galeam portabat, nec loricam, leve tantum vulnus accepit glande, qua cecidit de proxime adstantibus quidam. Tunc bellicum canere jubet: & primum quidem impetum Episcopales fanatica firmitate, & invulnerabilium propria sustinuerunt. Quæ tamen brevi vacillare cœpit: & virtus æquo moderamine ducta furorem cæcum auxilium angelorum temere sperantium superavit; una licet carnificem vitandi ratio subvenire posset, si armati occumberent. Multi nihilominus dederunt se; alii fuga dilapsi, quos Prætor insequi vetat, & nemine repugnante Assumptionem ingreditur.

Prætor admittitur. Constitit in foro maximo, ubi denuo explicato Documento Prætor renuntiatur. Jubet deinde vulneratos ad nosocomium curandos, quos hoc non caperet, apud se duci. Mox Cathedralem petit, gratias acturus Deo pro salute initio certaminis servata. Aderat Episcopus, cujus manum reverenter osculatur. Prætoriam virgam petit sibi tradi, observantiam dignitati & personæ debitam, & obsequia pro virili præstaturum se profesus. Præsul in throno sedebat habitu pontificali, dextra pedum tenens, sinistra virgam insigne magistratus, quod tacitus porrigit, & solito comitatu apud se recipitur.

Non diu moratus est Prætor mandatum denuntiare Prælato se apud Regiam Curiam sistendi: quod & fecit coram testibus. Obediturum se polliceri ait, suum esse de commodo, & quod dignitatem sacram deceret viatico providere.

Acta Conservatoris. Interea Socii ad calumnias, quæ post suum Assumptione discessum vulgabantur revellendas, damnaque & injurias reparandas, conservatorem ut procederet urgebant, Sed quia temporis lapsu fuit opus, ut Curia de mutando judice responderet, Nolascus sententiam contra Prælatum ante 19. Octobris 1649. ferre non potuit.

Ex contumacia latam fuisse narravi, Episcopo citationibus respondere nolente, & ex eo nullam & inanem fuisse deinceps excusante, ut mox videbimus. Quomodo apud Indiarum Senatum accepta sit illa, non una est sententia. Generalis quidam Indiarum Senatus Secretarius (a) litteris ad me datis aliquot abhinc annis testatus est, valde probatam ibi & Romæ fuisse. Contraria prodiderunt alii (b), qui si tempora distinguas, conciliari possunt; erant enim Matriti & in Regio Senatu, qui D. Bernardini partibus enixe patrocinarentur. Et Jesuitæ semper, quæ objiciebantur ab illius in Hispania procuratore, refutandis intenti, reconventionibus abstinuerunt. Litteris nuper laudatis continetur. „ Eam sententiam Regio Decreto ex Senatus consulto 1. Jun. 1654. cum plena causæ cognitione, & post maturum omnium in Paraguaria occasione Episcopi rebellionis actorum examen, confirmatam fuisse; & P.

(a) D. Ferdinandus Triviño, cujus litteras vide in Documentis num. LXI.

(b) In his forte numerandus sit D. Alphonsus Carrillo, cujus meminit Ill. D. Antonius Ferrer & Millan, Episcopus Segouricensis in responsione ad Ep. P. Thirsi Gonzalez Præp. Gen. S. J. data 28. Sept. 1699., cujus hæc sunt verba: „ Qui (Illustr. Cardenas) iteratis vicibus captus fuit hostiliter, atque a suo Episcopatu expulsus, declaratusque excommunicatus, & pœna capitis dignus a quodam asserto judice conservatore per prædictos PP. Jesuitas electo & nominato. Quæ dissidia & scandala perseverarunt quo usque Alexander VII. suo decreto 27. Febr. 1660. finem imposuit. Et postea per Sacr. Congr. fuerunt declarata quatuor dubia ad dicti D. Episcopi favorem 13. Mart. 1660.; ut constat Apologia facta a D. Alphonso Carrillo Edit. Matriti. 1660. " Nec aliud ego de hoc argumento investigare potui.

Digitized by Google

& P. Nolaſci Judicis Conſervatoris in cauſa Jeſuitarum acta omnia ex merito eſſe approbanda, eo decreto declarari. "

1650. Socii reſtituuntur.

Quod attinet ad novum Prætorem, Jeſuitas exules ad ſe Confluentiâ vocaſſe, ſupra dictum eſt: atque eorum aliqui cum Reductionum auxiliis venerant. Ut authoritatem imperii firmavit, nihil habuit antiquius, quam ut collegium reficeret, tot collatis operis ut Sociis omnibus de habitatione ſatis commoda brevi conſultum ſit. Turris erat inſtauranda, nam ex contentione ad evertendam adhibita in templi tectum inclinabat. In diverſum erat dirigenda: quod principio factu impoſſibile viſum, deinde perfectum opere eſt: & vulgo ſupernæ virtuti adſcriptum.

D. Sebaſtianus collegii fundator.

Mox ſeveriſſimum pro Rege decretum promulgavit Prætor, ut mancipia, & quæ ablata erant, collegio redderentur. Idem a Conſervatore per excommunicationem mandatum eſt. Sed mobilium pleraque adeo detrita vel corrupta erant apud inopes, ut pro derelicto ſint habita. Altare maximum receptum, & quam potuit melius fuit reparatum, reliqua Prætore ſuis ſumptibus ſufficiente. Pari de prædialibus ſtudio magna fecit expenſarum incrementa. Ex quibus Collegii reſtaurator cum honoribus, qui primis addicti ſunt conditoribus, mandato Præpoſiti Generalis habetur.

Peruani Proregis, & Platenſis Curiæ ad D. Sebaſtianum mandata, reddita provinciæ pace, Epiſcopi exceſſu denuntiato, reſtitutis Sociis conſtabant: nec ultra progreſſus ille, jure dicendo abſtinuit contra Epiſcopi partes, quod Conſervator ut ſuum erat, ſtrenue proſecutus eſt. Mox Prætor ad reducendos & confirmandos, quos Epiſcopi timor averterat, & ad diſſipanda inſita præjudicia conſilium vertit: quo univerſæ fere rei publicæ ſtatum integravit. Nihilominus inſectationibus Epiſcopo adhærentium obnoxius fuit: & officio functus urbem cum rure mutare coactus eſt, vix tutum in provinciæ finibus receſſum ſortitus.

Pajaguæ arcentur.

Non propterea ingratam abjecit patriam in præſenti diſcrimine. De Pajaguais arcendis res erat, quorum incurſus eo magis timendi ſunt, quod eorum bellandi ratio (*a*) cautiſſimum fallere nata ſit. Nunc flumen eorum monoxylis ſtratum videris: nunc turbinis inſtar in prædia, unde procul diſtare credebantur, effundi. Receſſus præterea inacceſſos habitant: quo ſe recipientes perſequi periculoſum eſt. Ne Hiſpanorum tranquillitatem turbarent, D. Sebaſtianus de Leon Indorum opera uſus eſt, qui adverſum Epiſcopi copias auxilio venerant: quos dimiſerat poſt prælium, ne Aſſumptionis incolis eſſent ſuſpecti. Eos ſimul revocat, atque Pajaguæ de adventu certiores facti diſparuerunt.

Odium contra Socios perennat.

Tam opportuno & efficaci auxilio pronum erat, ut coloni ſiniſtram de Sociis opinionem deponerent, quibus acceptum referri oportebat. Sed ſpe ſervitiorum concepta ſe hoc demum eventu dejici ægre ferebant. Ad hæc, Jeſuitas hæreticam tradere doctrinam, & de moribus infectam: confitentium arcana revelare: irritas impendere abſolutiones: illorum uſum & conſuetudinem eſſe cavendâ, ita vulgo inclamatum erat, ut multis eſſent horrori.

Proviſor Diœceſanus.

D. Bernardino tandem de tranſeundo Platam tergiverſari non licuit. Sed Curia num eſſet cenſuris innodatus & exercendæ juriſdictionis impos, quod vulgari cœperat, definire verita, integrum eſſe voluit, ut Vicarium Generalem conſtitueret, a Metropolitano quidem approbandum. Animadverterat hic, haud facile in Paraguaria futurum, qui partium alteri ſuſpectus non eſſet, & per Curiam proponi curavit D. Bernardino D. Adrianum Cornexo primariæ (*b*) Cordubæ parochiæ rectorem, & Epiſcopi Tucumanenſis Vicatium. Placuit Paraguajenſi, & ſeptennio, quo difficilem, ut erat rerum ſtatus, provinciam obtinuit, plane ſe probavit.

1651. D. B. Platam adventus.

Aſſumptione profectus Platam tenuit Epiſcopus 17. Martii 1651. Frequens erat comitatus, cujus pars ad parandum receptum præcedebat. Urbem ingreditur triumphanti ſimilis. Religioſi complures, quos Indi turmatim ſequebantur, uſque ad Jotolam vicum obviam exierunt. Ingredientem aliquot eccleſiarum æris campani ſonus excepit. Per intervalla arcus triumphales eminebant. Per aulæatas vias undans populus acclamationes lætas iterabat. Sic ad ſui Ordinis conventum, ut erat votum, & a Fratribus ſub umbella exceptus, in templum primo deducitur, ubi *Te Deum* inſonuit.

Inde in proximam domum paratam divertit. Ubi de primoribus civium plures & eccleſiaſticos officio convenientes ad oſculum manus excepit: & turbam monitis ejuſdem gratiæ cupidam ante veſtibulum ſtare, votis omnium ſatisfecit. Hujus receptionis documentum per tabellionem digeſtum fuit, comitente D. Gabriele de Cuellar, qui a ſecretis erat Epiſcopo, cujus famæ eam deinceps intulit labem, quam ille vellet utique exhibiti honoris jactura vitaſſe.

Honor habitus ſpem fecerat, proſpere ceſſurum iter. Sed blandus brevi depoſitus eſt error. Multitudinis per amicos excitæ acclama-

(a) Pajaguarum artes ſunt ad venandos venatores, voces avium, ferarumque per abdita ſilvarum imitari, & inſidias in aquis collocare. Scilicet ubi Paraguais amnis, littora vel alterius maxime ſilveſcunt, & arborum rami in medias aquas denſiſſimi curvantur, armatam abdunt claſſem, in ſecuros hoſtes vel amicos etiam impetum facturi. Armata vero claſſis tota pro navigiis conſtat lignorum copia, quæ paucos, quandoque unum tantummodo capiant militem nudum, & armatum remo, cujus palma in cuſpidem deſinit acuminatam. Porro navigia ea ſunt, ut a natante duci, vel dirigi, & quolibet moveri, ad vitanda hoſtium jacula deferi, & iterum, dum e re eſt, ad progrediendum recipi poſſint.

(b) Una tantum erat tunc, & modo eſt Cordubæ parochialis ædes, quæ in præſentia ſimul eſt cathedralis. In ea tamen ſunt rectores duo, ſeu parochi, Hiſpanorum alter, alter vulgo *de los Naturales*.

Digitized by Google

mationibus ſuccedunt carmina & ſatyræ, tota urbe diffamatæ, partium ſtudio Jeſuitis adſcriptæ. Novit illico Paraguajenſis, non eſſe ſperandam à Curia diœceſim repetendi facultatem, maximè poſtquam voluntas perſtare ſignificatur, ut Popajani Epiſcopatum acceptet. Sermo de tranſeundo in Hiſpaniam ſuggeritur, quod per ſe præſtaret, quam per internuntium negotiari. Sed laqueum putavit appoſitum ut ex America cederet. Et quia non placuit invitum compellere, duorum mille aureorum penſio ad alimenta, donec de rei ſumma conſtaret, a Rege decreta eſt.

Diaztagnus & Sobrinus Platæ.

Poſt Epiſcopum Platam venerant PP. Sobrinus & Diaztagnus, & quamquam multi cum in ea urbe, tum per viam erant, qui de Societate in Paraguaria vulgatis fidem præſtabant, animum non deſponderunt. Productos libellos ſupplices Curiæ favor excepit. D. Sebaſtiani de Leon acta, & a Platenſi, & a Limano Senatu, atque a Comite de Salvatierra pro Rege rata habentur: neque tenor in horum tribunalium reſcriptis adhibitus D. Bernardino peperèrit. Nondum hic noverat, Manceranum Peruvio abeſſe. De ſucceſſore Comite de Salvatierra (*a*) ex ejus litteris acceptis certior factus, reſpondit ut ſequitur.

Epiſcopi litteræ.

Excellentiſſime Princeps Litteras tuas accepi datas 1. Junii: & poſtquam eas alicujus ſolatii ſpe legi attente & reverenter, ſubſcriptum nomen tuum ori & oculis admovi ſanguine merito irrigandis. Epiſcopus inops, ætate gravis, laborum & tribulationum pondere preſſus, vitæ etiam diſcrimine tot malis remedium quærit: juſtitiam implorat, ut enormia contra Deum & contra Regem commiſſa ceſſent: nec exauditur. E regione videt, horum criminum authores, regii theſauri, juris & ditionis, atque patronatus uſurpatores, tot cædium reos, ubique acceptos eſſe. Triumphant, & poſſeſſione doctrinarum contra regia decreta, contra Sancti Concilii Tridentini ſanctiones; Aſſumptionis urbis, & provinciæ detrimento gaudent: dum Epiſcopus propter ſtudium pernicialibus obſiſtendi conciliis, iter longum & difficile ſuſcipere cogitur, amaritudine premitur, ubique injuriis petitur, bonis ſpoliatur: nec alia de cauſa quam quod regalia tueri, & fidei incolumitatem ſervare nititur. Imbecilles humeri tanto ponderi impares ſunt, ſtimulis conſcientiæ crucior. Tu, Exc. Princeps, & Regii Miniſtri, tot malis, quæ Paraguariam devaſtant, urbem maximè quæ caput eſt, ex hoc eritis obnoxii. Hæreſes ſunt monſtroſæ, & indubitatæ contra divini Verbi generationem, cum æternam, tum temporalem, contra Matris Dei virginitatem, contra ſupremum Dei (*b*) nomen, ſacramenta irrita defecta, pu-

teſtatis in parochis: inſtructionis Indorum vitium quid credere, quid agere oporteat ignorantium: quod & regis & Sancti Concilii mandatis adverſatur: æris ad regium theſaurum pertinentis uſurpatio, quod D. aureorum millia quotannis, & annis quadraginta XIV. milliones ſuperat: ut quintum præteream Regi debitum ex aurifodinis, quas in iis provinciis apertas eſſe, publicus eſt rumor & mihi certus. Ut præteream item S. Cruciatæ eleemoſynas tot annis retentas, quo vivorum mortuorumque animæ ſpiritualibus ſubſidiis defraudantur; & decimas aut certe vigeſimas ex jure canonico debitas, & ab Indis Paranæ & Uruguais inſtar aliorum Bonaeris, & Aſſumptionis Cathedralibus ſolvendas: quæ per parochos Eccleſiis ablatæ C. mille aureos ſuperant in ſingulos annos. Ex quo fit, ut Rex ad congruam utriuſque Epiſcopi & Capituli ſuſtentationem neceſſaria debeat ex ærario ſuffiere. En magnam, Exc. Princeps, auri vim, quo iſti Patres Eccleſiam fraudant. At quantulum id eſt ad peccata innumera, diſcordias, ſchiſmata, excommunicationum contemptum, mandatorum Eccleſiæ & Regis inobſervantiam, Epiſcoporum exilia, & abominationes, quæ majore poſt exactum paſtorem licentia committuntur? nam ejus præſentia coercebantur; & obſtabat ne Patres Societatis fomitem apponerent authoritate, & divitiis Regi detractis, & imperio plus centum mille ſubditorum, quos fortaſſe tyranno Portugalliæ tradent. Nè illi noverant, pernicioſa molimina me unum revelare poſſe, & ſcriptis de me mille falſitatibus id egerunt, ut Marchio Manceranus ſacrilegum me coram Senatu Platenſi ſiſtendi mandatum expediverit, non ignarus & inſontem eſſe me, & de Rege benemeritum. Reliquum eſt, E. P. ut tot malis tu medearis. Id neque prætermitti, neque differri poteſt abſque magno contra Fidem, contra Regem, contra Epiſcopos, & Eccleſiam piaculo, nec abſque cenſurarum Juris & Bullæ *In Cœna Domini* reatu: quas tuus incurrit Prædeceſſor. Non potes ejus veſtigia ſequi, nec non abrogare quæ per injuriam & impietatem geſta ſunt. Abrogaſti jam, & merito quidem minora quædam: & abrogaſti, credo, Paraguariæ magiſtratum Sebaſtiano de Leon, ebrio ut publice notorium eſt, & abominabili (*c*). Dum tamen D. Andream de Leon Garavito ſubrogaſti, leonem alterum in provinciam miſiſti, primo cujus conſanguineus dicitur feritate parem, qui utraque jacta unguibus armata manu Paraguariæ ruinam confecit, incolas, & fœminas decliſſimas in extremam præcipites egit inopiam. Tot infelicium clamor, lacrymæ, incommoda, extrema calamitas, Tibi E. P.

Cu-

(*a*) Scilicet D. Garcia Sarmiento de Sotomajor, qui Novam Hiſpaniam ante Peruvium rexerat.

(*b*) Deinde ſermo erit de hæreſibus a D. B. inventis in Catechiſmo linguæ Guaranicæ, quam non didicerat. *Charl.*

(*c*) D. Sebaſtianus de Leon longe alius erat, atque D. B. affirmat. Non ei abrogata fuit Paraguariæ præfectura. Rogata erat tantum ad tempus, quod ultro expiraverat. *Charl.*

Digitized by Google

Curiæ Regiæ, & compartibus Miniſtris, conſcientiæ ſint. Ad me quod attinet, cum plura debito fecerim Epiſcopus, & Regis ſubditus: plura etiam ſexennio paſſus ſim pro cœli & terræ Domino (*a*), in brevem pace tua receſſum me recipiam, unde factorum omnium Regem, Senatus & Curias Summum Pontificem certiorem faciam, & D. D. Joannem de Palafox, id me precatum. Ibi miſſæ ſtipendio vivam, qua quoties celebravero, precibus & lacrymis, humili fiducia proſtratus ante Dei Tribunal, quo diem tibi dico, juſtitiam in terra mihi negatam petam. E cœnobio S. Franciſci de Chuquiſaca (*b*) Hodie 8. Jun. 1651. Excell. Princeps. Manus tuas ſervus & capellanus oſculor. Fr. B. de C. Ep. Parag.

D. A. de L. Gravito apud S. Fidem.

In his litteris mirandum illud eſt, quod Epiſcopus de rebus a Viſitatore Regio D. Andrea Leon Gravito per vim in Paraguaria geſtis conqueratur, priuſquam de illius in eam provinciam adventu poſſet haberi nuntius. Corduba ille, ubi aliquandiu moratus eſt, iter intendit. Inde ad Sanctæ Fidei profectum convenit cœnobita quidam, & ait revera aurifodinas ad Uruguaim eſſe, nam viderat ſaccorum ex pelle bovina par, eo pondere ut ab Indis Reductionum vix potuerint e navigio in litus trahi: eoſdem affirmaſſe, donum eſſe quod Miſſionarii P. Boroæ Provinciali ſuo (*c*) mittebant, qui ſaccorum alterum Cordubam, alterum Aſſumptionem expediverat.

„Verum unde noſti, mi Pater, quærit Viſitator, auro gravari ſaccos?“ A ſumma gravitate, reſpondit ille. Replicat D. Andreas: Si tantæ, quantam vidiſſe te ais, molis erant ſacci, nec eos movere, nec Cordubam alterum tranſvehere poſſent quos vidiſti Indi. Poſtquam indigeſtam caſtigavit criminationem addidit: Boroæ laudo largitatem, qui nihil ex auri vi tanta ſibi retinuit. Nihil non retenturum te crediderim, ſiquid accepiſſes.

Facta inquiſitio.

Dum flumen ſubit, plures qui contra Socios de aurifodinis referrent, offendit; ſed non alio nitebantur documento, quam eſſe indubitatum, eſſe vulgo notum. Fore ſperabat, ut Aſſumptione, ubi Proceſſus in Curiam delati, & complurium ſubſcriptione muniti, protocollum eſſe oportebat, certiora redderentur. Qui ſubſcripſerant, & quotquot teſtimonium ferre volunt, interrogat: teſtes exhibitos teſtibus componit: ſubſcriptionum vi & dolo extortarum machinam revelat: & tandem conficit, probationum ſummam Epiſcopi, & ejus partium niti ſermonibus.

Sententia definitiva.

Poſt hæc quæſtionem criminalem inſtituit de magiſtratu functis anno 1648. & 1649., qui vim Jeſuitis illatam coercituri ſecundaverant. Spatium pro ſe cauſam dicendi largitus eſt: 24. Julii 1651. extremæ diſcuſſionis protulit judicium. Sententiam hic tranſcribere non juvat, quæ deinde fuſiore alia ex nova inquiſitione lata, quam mox referam, confirmata fuit. Capite damnare fontes meditabatur Judex; ſed Sociorum Provincialis Aſſumptionem profectus eam deprecatus eſt pœnam; quod ad miniſterii per ſuos obeundi fructum interat, ne familiæ principes ex ea implacabiles evenirent. Annuit ille; ſed Epiſcopi edicta, contra Jeſuitas promulgata, ex quibus extorres abierant, rogo publico tradi mandavit.

Reductiones viſitare renuit.

P. Joannes Paſtor, qui Boroæ Provinciali ſucceſſerat (*d*), non plene Societati conſultum iri contendit, niſi Reductiones Viſitator Regius adiret, eas ſaltem quæ propius aurifodinas eſſe dicerentur. Maxime poſtquam vulgatum erat, & Epiſcopos & Prætores per Miſſionarios acceſſu prohiberi. Ex vano quidem erat rumor, poſtquam loca indicata recens luſtraverat D. Hyacinthus Lariz; ſed clarius demonſtranda vanitas erat, facta per Regium Legatum inquiſitione. Nihil prætermiſit Paſtor, ut D. Andream eo moveret: & libellum ſupplicem exhibuit a D. Xârque vulgatum (*e*). Ad hæc ſumptus ſe facturum pollicetur: & neophytos, Miſſionarioſque e ſingulis Reductionibus amoturum dum viſitarentur, nequid officeret inveſtiganti. Ea, reſpondit Viſitator, in mandatis non eſſe; iter vero eſſe ſupervacaneum & incongruum poſt tot accepta Sociorum atque neophytorum fidelitatis documenta, præter ea quæ de calumniatoribus ipſe comprobaverat. Altera ſententia fodinarum delatores exilio mulctavit, & certa æris ſumma Regi pendenda. Deinceps diffamatum eſt, Viſitatorem reprehenſum fuiſſe, & omiſſæ viſitationis dediſſe pœnas. Sed cui rem eſſe notiorem oportet, Matrito ad me ſcripſit, Regem contra decreto 1. Junii 1659. illius haud aliter atque D. Sebaſtiani de Leon acta probaſſe.

Mameluccorum clades.

Paraguariæ rebus conſtitutis reditum parabat Garavitus in Peruvium, cum belli, cui ſuſtinendo impar erat, rumor inſonuit, Mameluccorum exercitus Piratininga profectus quadrifariam diviſus appropinquabat. Inter Hiſpaniam & Portugaliam indicto bello, longe diverſum erat inceptum hoc a conſuetis prædatorum incurſionibus Indos imbelles captantium. Imperio munitum proculdubio erat novi Braſiliæ dominatoris: quod exercito milite & peritis ducibus gerebatur.

Nihil fidendum erat Garavito. Hiſpanorum & Indorum copiis urbanis & ſuburbanis regulari bello minime aſſuetis. Igitur ad Paranæ Reductiones nuntios expedit, ut contractæ quam plurimæ poſſent copiæ aditum in provinciam hoſtibus intercludant. Nuntios præ-

(*a*) *Por Ambas Mageſtades*; quo Hiſpani Deum & Regem ſignificare conſueverunt. *Charl.*

(*b*) Platæ urbis nomen primum, ab antiquis ejus regionis incolis derivatum. *Charl.*

(*c*) Jam dudum Boroa Provincialis eſſe deſierat: cujus locum eo tempore obtinebat Franciſcus Lupercio, vel eo poſterior Franciſcus Vazquez de la Mota, aut Joannes Paſtor.

(*d*) Boroæ ſucceſſit utique Paſtor, mediate, vel immediate.

(*e*) Xarque, lib. 2. pag. 236.

Digitized by Google

præverterant Miſſionarii. Neophyti aciem duxerant tam ordinate, ut in quatuor Mameluccorum diviſiones inciderint eodem die, cæſis plurimis, aliis in fugam compulſis tam præcipitem, ut impedimenta & vulneratos præda reliquerint.

Guaicurui fugantur. Hoſtes alii, nempe Guaicurui, qui forte cum primis conſpiraverant, aut Hiſpanorum periculo profecturi ſuccedunt. Exploratores mittit Garavitus, & Indos qui Mameluccos fugaverant, appropinquare jubet. Adſunt illi, & Guaicurui nuntio dilabuntur: nec deinceps quidquam gravius tentare auſi ſunt, etiam cum Hiſpanos invicem diſcordes impares eſſe noverant.

S. Luciæ templum reficitur. Bellatoribus neophytis Viſitator ruinoſum S. Luciæ templum reſtaurandi conſilium aperit: nec illi opem ferre morantur. Quales Iſraelitæ, quorum meminit Eſdras, altera manu tenentes gladium ad abigendos populi Dei hoſtes, altera templum ædificantes, recens a prælio quo tot eccleſiarum vaſtatores fuderant, ſanctuario reficiendo manus admovent.

Viſitator alter. D. Andreas de Leon Platam haud ita poſt regreſſus adeſſe novit alterum fodinarum denuntiatorem. Etſi Curia fidem abnegabat, monuerat tamen Regium Indiarum Senatum (a) cujus conſulto novus deſtinatur Paraguariæ Viſitator D. Joannes Blazquez de Valverde Auditor Platenſis, titulo quidem Garavito par, ſed ampliore poteſtate, ſcilicet explorandi vectigalium ſtatum in provinciis Tucumaniæ, Paraguariæ, & fluminibus Argentei, Iranium Bonaurenſe, Jeſuitarum Miſſiones, numerum Reductionum, quot Socii Indorum miniſterio operam darent, quot Indi vectigales eſſent: nominatim an ad Uruguaim aurum effoderetur.

Fodinarum denuntiator. Novus fodinarum denuntiator erat Indus nomine Dominicus, natione ut ajebat ipſe Tupi, revera natus Jaguarone, unde nunquam exceſſerat, niſi ad famulitium Decurionis D. Chriſtophori Ramirez de Fuenleal, quem nox in Tucumaniam comitatus eſt. Fuenleal D. Bernardini partibus addictus fodinarum chimeram apud cordatos diffamatam probare in ſe recepit, quod per famulum perfici poſſe crediderat. Jacobopolim cum portat, ubi principio tacuit. Sed Indum imbutum transfulit in D. Melchioris Maldonado famulatum. Ipſe vero tacuit, quia muneribus publicis interdictus a Regio Viſitatore, aureiſque trecentum Regi, centum Jeſuitis ad reparanda illata damna pendendis, mulctatus, teſtis adversus hos ſuſpectus erat. Dominicus vero non niſi poſtquam aliquandiu ſervierat Epiſcopo, ludum a priſtino hero traditum ſenſim explicare cœpit.

Quaſi per datam occaſionem vulgabat, Conceptione quod antiquiſſimum eſt Uruguais opipidum, ſplendidas ſe vidiſſe auriſodinas. Ichnographiam (a) oſtendebat a ſemet, ajebat, coram ex viſu confectam. De his cum invaleſceret in urbe rumor, a Magiſtratu in jus vocatur, atque vulgo diſſipata confirmat. Platam mittitur ad D. Franciſcum de Neſtarez Marin, qui dum ſæpe interrogatum eadem inculcantem audit, ad Senatum refert. Hujus conſulto novus Paraguariæ Queſtor rogatur, qui ſimul Prætorem agat, & Generalem Præfectum.

Moſqueræ recantatio. Delecto D. Joanni Blazquez de Valverde, & pro Rege confirmato denuntiator traditur, quocum Jacobopolim iter intendit. Ut eo pervenerat, Cordubam accitur, actis interfuturus, ex quibus Dominicus ſuſpectus eſſe cœpit. Gabrielem de Cuellar D. Bernardino, cui erat a ſecretis, Platam eunti officioſum comitem adſtitiſſe, ſupra dictum eſt. Inde in Tucumaniam redit, & Cordubæ dum conſiſtit, morbo de ſalute deſperat. Tum coram Deo judice compartiturus conſcientiæ ſtimulis agitur, ut illata Jeſuitis ſub Epiſcopo Paraguajenſi damna ex lege reparet, & accelerantem Valverdem roget ut adeſſe velit. Adeſt illico, & ab ægroto ſubſcriptum propria manu documentum accipit, cujus ex edito & juridiciali exemplari ſequens eſt tenor.

1651-52. Univerſis præſentes litteras viſuris notum ſit, me D. Gabrielem de Cuellar & Moſquera, incolam Aſſumptionis, & in ea urbe, quæ caput eſt Paraguariæ, & Fluminis Argentei (b) Sanctæ Cruciatæ Theſaurarium, ut veritati & conſcientiæ ſatisfaciam, & Patribus S. J. qui ſunt fuerunt ve in Paragua) provincia, jus neddam, hos religioſos cum in Hiſpania, tum in ea provincia frequentaſſe, & quod eos doctrina ſanos, moribus probatos, ſtudio ſalutis animarum præditos expertus ſum, apud eoſdem peccata confiteri ſolitum. In iis, qui per has provincias noti mihi fuerunt, erant & exteri, & Hiſpani, atque indigenæ, omnes divitis obſequiis addicti, & Regi fidi, atque gregi Chriſti, ob Regis imperio complurium Indorum converſione & cultu propagando intenti. Omnes generatim & ſingillatim, modeſtiæ, prudentiæ, & pietatis laude commendare: jungia placant: vitia & publica ſcandala coercent: ægroros viſitant: ſubſidia conferunt ſpiritualia & temporalia: eos tuentur, quibus propriarum animarum & familiarum ſalus cordi eſt, quales ſunt Tribunus Militum Sebaſtianus de Leon, ejuſque cognati, & amici. His contraria per calumniam divulgarunt, quos cupiditas obcæcavit. Ad me quod attinet, Domini Epiſcopi D. B. de C. acerbitatem experti, tranquillitate & facultatibus per excommunicationes & mulctas privatus fui. Perculſos videram conſpicuos alios cives, & metu ſimul atque experientia, ut

qui

(a) Ichnographiam intellige, non fodinarum quas ægre ichnographice deſcripſeris, ſed caſtri vel arcis, quæ fodinis eſſet munimento. Ichnographiam hanc vel ejus exemplar vidimus olim; cujus conſpectus & fabrica ea eſt, ut merito dubitaveris, an ad occurſus auriſodinas vulgo manifeſtandas & revelandas, quam ad tuendas & muniendas ſit aptior.

(b) Vetus utramque provinciam nominandi ritus in publicis tabulis etiam poſt ſeparationem ſervabatur. *Charl.*

quia secretis illi, & a negotiis eram, contra Patres Societatis compulsus feci, dixi, scripsi, testatus adversus eos sum, quidquid Domino Episcopo placuit. Quin etiam author compluribus fui id ut agerent, temere, nec compertо falsa-ne an vera subscriberent; etsi probe noveram his Patribus imputari minime vera, perturbato videlicet Prælati animo. Nam quæ verbo & scripto vulgata sunt, esse Regi Domino infideles; usurpasse fodinas ut aurum in exteras gentes extraherent; provincias has in defectionem a Rege solicitare; esse hæreticos, schismaticos, publicæ tranquilitatis perturbatores, & rei publicæ pestem, falsissima illa sunt: vellemque hanc vocem per totum orbem exaudiri, ut calumnias refellerem, & a me diffamatas: & me authore quinque supra triginta nominibus alienis subscriptas: ut & egomet ipse pro filio meo subscripsi Josepho de Cuellar & Mosquera tunc ætate septenni. Hæc omnia & alia quæ mei nominis subscriptione munita sunt, Episcopi ut Prætoris & Generalis Præfecti, id pœna capitis, & proditionis atque Regis nomine mandantis imperio coactus feci. Gravius quidem peccavit ille, cui fidus ego Regi subditus morem gessi. Nunc vero vitæ & bonorum omnium jacturam, quam talia contra legem, contra sanctam Societatem Jesu, contra veritatem feciisse mallem. Id coram Deo & sancta cruce juratus testor, & veniam supplex a R. P. Provinciali, Patribus omnibus Jesuitis, & ab universis, quibus scandalo fui, peto. Opto conscientiæ causa, ut plura hujus Retractationis exemplaria fiant (*a*), ad omnia tribunalia, ut Societatis interest, mittenda. Utque necessaria fulciatur authoritate, eam coram Notario & testibus subscribentibus subscripsi. Thomas de Medina. Valentinus de Escobar Becerra. Antonius Amolin, Ordinum Minorum clerici. Cordubæ 8. Novembris 1656. (*b*) Præsentem declarationem manu propria scripsi & subscripsi. D. Gabriel de Cuellar & Mosquera.

Litteræ Ep. Tucum. ad Regem Catholic.

Hæc declaratio ad Regium Indiarum Senatum expedita eo magis Regem commovit, quod post eam plures simul Episcopi Tucumanensis litteras accepit. Aliis nuntiabat, stupori esse multitudinem & prolixitatem libellorum ex Paraguaria contra Jesuitas sibi ut cui maxime notos prodeuntium. Aliis 3. Februarii 1652. datis, postquam præmiserat, quanti scandali res esset, addit: „Rev. Episcopus Paraguai D. B. de C. est qui Jesuitas perdere nititur: idque præter alia infamibus libellis per has provincias clientum opera disseminandis perficere contendite.“

1652. Sententia Conservatoris.

Sub initium hujus anni D. Gabriel de Peralta, qui Jesuitarum Conservatorem (*c*) ex dictis age-

re cessaverat, processum criminalem terminavit in Episcopi mandatorum executores. Et 2. Januarii sententiam pronuntiavit inter documenta referendam. Erat Peralta illibatis moribus, nec de merita cum in provincia, tum apud Indiarum Senatum laude ei quidquam per calumnias atroces libellis diffamatas detractum est.

1653. Peraltæ litteræ.

Ejus litteris ad Comitem de Pennaranda Indiarum Senatus Præsidem anno sequente datis novimus, P. Franciscum Ximenez Bonaurensis Collegii Rectorem in crimen esse vocatum; & ejusdem Senatus consulto subpræfectos Hispanos in Reductionibus Jesuitarum constituendos fuisse. De primo contra Ximenez, per horridam calumniam objectum esse, Peralta protestatur: strenuam semper operam Missionibus contulisse, irreprehensa probitate, & benemeritum esse. De secundo ait, Reductionibus a se Vicario Generali, & Diœcesis sede vacante Gubernatore lustratis, compertum esse.

Primo, arma ignivoma neophytis esse necessario permittenda (*d*), ut ab hostibus, qui & rei publicæ hostes sunt, sint tuti. Deinde injuria suspectam esse Patrum Societatis fidem de regimine Ecclesiarum, quas extremo labore & sanguine fundaverant, additis Christi fidei, & Regis ditioni provinciis. Tandem animadvertendum esse novitatis discrimen ex prava suggerentium intentione, vel ignoratione manentis periculi institutæ. Debitum existimasse Excell. Præsidem de his commonefacere, ut cujus erat Prudentiæ, mentem ad ea reflecteret.

Ex litteris Episcopi Tucumanensis ad Innocentium Papam X. ineunte hoc anno datis liquidum est, Paraguariam & finitimas provincias libellis famosis in Socios, in Conservatores, in Sebastianum de Leon, in Regium Visitatorem, qui commissorum authores & compartes damnaverat, abundasse. Sed Assumptione, ubi propagandum incendium ardere cœpit, satis tranquilla res erat. Satis ministeriis imperturbatam dabant operam Socii, & incolarum fiduciæ detrimenta reparabant. Fructus videlicet hic erat adhibitæ moderationis; præsertim sub Judice Garavito, dum restituta fama contenti, reorum pœnam extenuari curaverant.

Bonaurensis persecutio. 1654-55.

Cum tamen in ea provincia respirare cœperant, ad Bonaspemas, ubi fere semper pax spiraverat, turbatum est & de Reductionibus ad Paranam vix securi, ex Uruguaicis tantum non cedunt extorres. Constat ex litteris D. Petri Balgorri ad Auditorii Platensis Præsidem 28. Julii 1657. datis, Episcopum Bonaurensem D. Christophorum de la Mancha & Vas-

las-

(a) Vere plurima facta sunt exemplaria, nam præter distracta totius sæculi spatio, multa supererant cum typis impressa, tum manu scripta, omnia legalizata in tabulario, quod fuit Jesuitarum Cordubæ in Tucumania.

(b) 1651. ut ex ratione temporum, & aliis exemplaribus constat.

(c) Contra Episcopum; nam contra alios Conservatorem agere non tenuit.

(d) Vide inter Documenta Philippi V. decretum 28. Dec. 1743. A. b.

Digitized by Google

laſco Reductiones in Doctrina (a) mutare, & proprio nomine parochias, atque mutatis clericos ſæculares præficere conſtituiſſe. Aſper, difficilis, & ad deviandum pronus ingenio erat Præſul, & qui ſolius cauſa lucri conſilium ſuſcepiſſe videretur. Id ſaltem ex Baigorri Prætoris litteris conſeceris.

Hic qui probe noverat, & ſcite explanat intentæ novitatis incommoda, minime ferendam a ſe proteſtatur, niſi Curiæ mandatum interſit. Præſidem ſimul monet, Gaſparem de Artiaga Ordinis Minorum converſum ſcandaloſa contra Patres Societatis ſcripta in ea ſpargere præfectura, ad cujus tranquillitatem referebat, ut dyſcolus ex ſanctitate habitus impunis, ex impunitate incorrigibilis extra fines ageretur. Id tamen fieri non poſſe niſi Curiæ ſuperioris mandato. „ Mihi enim, ait, „ incendium extinguere volenti non licet, cum Epiſcopus faces admovere pergat. Putat, ille, P. Guardiam, qui mihi a confeſſionibus eſt, nos inter diſcordiam fovere; cum id totus adnitatur Jeſuita hic, ut Epiſcopo conſentiam. Quod tamen neque nomini meo congruit, neque provinciæ commodis. "

Quoad Prælati de Reductionibus cœpta, obſiſtere ſe poſſe, imo debere ſciebat Prætor, cum iteratis Regum Catholicorum legibus adverſarentur. Sed excommunicationem minabatur ille, niſi diœceſim pro arbitrio regere ſineret; & in angustias D. Gregorii de Hinoſtroſa Paraguai Prætoris incidendi timor invaluit. Quid tandem agere oporteat dum meditatur, edictum promulgat Epiſcopus, quo Reductiones ad Uruguaim in parochias convertit, Jeſuitas excedere jubet, & Clericos invitat, cum diœceſanos, tum Paraguajenſes & Tucumanos. Nemo ſe ſiſtendi animum induxit, ut beneficium optaret precarium, neque genio multum arridens. Præter quam quod incertus erat Prætoris de adeunda poſſeſſione conſenſus (b).

Ep. reconciliatur.

Præter opinionem res accidit Prælato: cœpta recogitat: Jeſuitarum geſta propius examinat: præoccupatum fateri ſe non erubuit; edictum revocat: P. Thomam Dombidas conſcientiæ directorem aſciſcit: ſpiritualia S. Ignatii exercitia obit. Iſque e receſſu evaſit, ut ſubita atque mira mutatio ſoli Domino expugnatori cordium adſcribenda ſit.

1655. Eximia ſanctitas uſque ad obitum.

Momentaneus hic fervor non fuit. D. Chriſtophorus in America veſtigia S. Thomæ de Villanueva, quem patronum & exemplar ab Exercitiis intuebatur, reliquo vitæ curſu preſſit, & ejus inſtar commodato oecubuit lecto. Doctor Franciſcus Xarque acta quædam refert, ejus eggregiæ ſanctitatis indicium. Additque nonnulla mirabilia, quibus a Deo comprobata eſt. Prælatus hic Ordinem S. Benedicti profeſſus erat. Diſſidiorum ejus tempore cum D. Petro Baigorri, calumniam indigeſtam adverſus hunc & P. Guardiam infra memorandam vulgatam eſſe veriſimile eſt.

Indorum merita.

Illud conſtat, Baigorrio commodam brevi occaſionem adfuiſſe manifeſtandi, haud temere refutaſſe deſtinatam ab Epiſcopo novitatem. Frontonibus & aliis Confluentiæ urbis immunitæ excidium machinantibus, non aliud quam a Reductionibus petitum auxilium ferre potuit. Præfecto Miſſionum denuntiat, ut quam poſſit plurimum eo militem expediri curet. Mos geritur quam celerrime, & hoſtes de neophytorum adventu moniti diſparuerunt.

Eiſdem indicitur copiis ut in Calchaquios aciem ducant, qui Frontonum exemplo res ciebant novas. Et hi ſolo nuntio fugati ſunt. Tandem cum ſequentibus duobus annis Bonis Auris imminerent Angli, quatuorcentum neophyti Prætoris nutu veniunt auxilio, & Correntinis ſociis navigia ſufficiunt. Angli vero, quos accenderat de negligentia hoſtium opinio, dum norunt ad obſidionem eſſe paratos, abſcedunt. Eximia id genus merita parvi pendunt ſervitiorum avidi, nec animadvertere volunt, remotis paſtoribus, & impoſitis ſubprætoribus, Hiſpanis defecturos, aut forte provinciis toties ſervatis perniciem molituros.

1655-56. D. Bernardini procurator.

Dum hæc in America gerebantur, Frater a Sancto Didaco de Villalon contra Jeſuitas, & eorum cauſæ patrono apud Indiarum Senatum agere non ceſſabat. Cum parum ſupplicum libellorum vi proficeret, Jeſuitas D. Sebaſtiani de Leon, & Nolaſci conſervatoris munimine fretos, partem documentorum interceptaſſe cauſatur. Paraguariam repetendi copiam, & publicam ſecuritatis fidem, cum ſibi, tum documentorum ſupplementis implorat, & haud ægre impetrat. Nova Matritum regreſſus documenta profert, quæ declarationibus & ſubſcriptionibus, qualium meminimus, univerſa conſtabant.

Catechiſmi examen.

Sed quia Paraguajenſis Epiſcopus *errores monſtroſos* nimium inculcaverat, quos a Jeſuitis neophyti docebantur; quamquam id Regi Catholico perſuaſum non erat, quod nuſquam alibi imputatum eſſet, inquirendum conſtituit, ut ſiquod eſſet malum, extirparetur, neve male audiret doctrina cœtus tot Miſſionibus intenti. Catechiſmi examine rei cardo verſabatur, quo hæreſes omnes Sociis imputatas contineri Prælatus affirmabat. Sed quia examen inſtituendum erat ibi, ubi Guaranicæ linguæ, qua ſcriptus erat catechiſmus, periti eſſent, Philippus IV. Archiepiſcopo Platenſi D. Joanni Alphonſo de Ocon provinciam remiſit per litteras, quarum tenor eſt:

Regia Scheda.

Rex. Admodum R. in Chriſto P. Archiep. Eccleſiæ Metropolitanæ Civitatis Platenſis in provincia Charcarum mihi a conſiliis. Litteris D. B. de C. Epiſcopi Paraguai novimus, difficiles illi eſſe voces quaſdam catechiſ-

(a) Nihil in eo novum, neque mutandum, cum Reductiones poſt decennium ipſo jure Doctrinæ ſint.

(b) Non tantum de poſſeſſione adeunda conſenſus requirebatur; ſed regia præſentatio ad Beneficii collationem prævia per Prætorem Vicepatronum exhibenda: ut in Jure Indiarum notum eſt.

Digitized by Google

chismi Guaranii, quo Religiosi Societatis utuntur ad docendum Indos Missionum & Reductionum eorum ductui commissarum doctrinam & mysteria fidei catholicæ: quas voces Episcopus ait esse perperam redditas, neque textus authographi sensum exponere. Ad quæ dicti Religiosi respondent, catechismi interpretem esse P. Ludovicum de Bolaños Ordinis S. Francisci, cujus versio in provincia acepta erat. Nihilominus Episcopus in sua sententia permanet. Et ex mei Senatus consultorem decidendam tibi committere placuit, ut eam examines, & examinari cures a Theologis idoneis, & istarum provinciarum guaranice peritissimis: & postquam eorum sententiam acceperis, quid tenendum sit judices. De quibus ad Indiarum Senatum referas oportet. Buen-Retiro. Prima Junii 1654. Ego Rex. Regis domini mandato Joannes Baptista Saenz Navarrete.

Visitatori examen committitur.

Ut has accepit litteras Archiepiscopus, D. Bernardino, qui in urbem a Pace diverterat, denuntiat, ut viginti dierum spati quid in catechismo vitiosum sit exponat, & quibus nitatur rationibus censura. Denuntiationi 9. Maii 1655. significatæ respondit die 14., ex quatuor in catechismo damnatis vocibus primas duas significare quod Hispanice reddere vetabat pudor, duas reliquas nomina esse dæmoniorum. Fusissima de cætero responsio declamatio erat iis, quas supra vidimus, & infra videbimus, haud absimilis.

Eam cum Regia Scheda misit Archiepiscopus Assumptionem ad D. Joannem Blazquez de Valverde, facta viros quales optabat Rex congregandi potestate, ut quatuor voces Episcopo judice censura dignas accurate discuterent: addito, examen Platæ fieri non posse, ubi linguæ Guaranicæ periti ad ejus momenti quæstionem dirimendam desiderabantur. Quæstor quos peritissimos investigaverat ad se vocat in diem crastinum Jovis, Octobris postremum post meridiem hora secunda.

Examinatores qui?

Decem ommino erant cum P. Francisco Vazquez de la Mota, Jesuitarum Provincialis, qui absentiam excusavit, scriptum misit, quod lectum, & una omnium voce approbatum est. Reliqui erant D. Adrianus Cornexo Provisor, Gubernator Diœcesis, & Judex Ecclesiasticus, sœurus, si Quæstor abesset, comitiorum Præses; & Gabriel de Peralta Capituli Decanus; Lic. D. Petrus de Mendoza Jaguaronis parochus, qui pro D. Bernardino de Cardenas diœcesim visitaverat & gubernaverat; D. Petrus de la Cabex, qui sub eodem Episcopo Gubernatorem diœcesis Ecclesiasticum egerat; P. Petrus de Villasanti Ordinis S. Francisci olim definitor, tunc vero Assumptionis Conventus Guardianus seu Præses; D. Franciscus Cavallero de Bazan, Incarnationis parochus, qui Provisoris munere, & Judicis Ecclesiastici sub D. Bernardino defunctus erat; D. Stephanus de Ibarrola Cathedralis parochus: Militum Tribuni D. Garcia Moreno, & D. Franciscus Espinola de la Vera Cruz: cuncti omnium opinione guaranice peritissimi.

Suffragium Provincialis.

Lectum primo est Provincialis Jesuitarum scriptum, quo notatum erat, D. Bernardinum Guaranicum idioma penitus ignorasse, haud aliter ac eos quos asciverat censores. Sequitur, Catechismi versionem non esse Jesuitarum opus; sed linguâ Peruviana a P. Gregorio de Osuna, Guaranica reditum a Venerabili (a) P. Ludovico de Bolaños, cujus vita & mors odorem sanctitatis spirat, utroque Ordinem S. Francisci professo: authographum duorum Limæ (b) Conciliorum decreto approbatum, & versionem a duobus Paraguai Episcopis in synodo, & ab alio synodali cœtu sede vacante: parochis & Indorum ejus linguæ Missionariis in virtute sanctæ obedientiæ, & excommunicationis pœna præscriptum esse, ne alio catechismo, aut alia versione utantur: idque ubicumque Guaranica lingua vulgaris est, obtinere, etiam per Brasiliam. Non apparere, cur a D. Bernardino de Cardenas errores se judice in eo contenti solis Jesuitis adscribantur.

Consultorum sententia.

Nihil in his non erat vulgo notum. Authographum P. Bolaños manu scriptum in medio positum erat: & erat evidens Provincialis conclusio. Decanus Cathedralis, & Conventus Franciscani Præses diu locuti sunt, ut quatuor voces examini subjectas eas esse demonstrarent, quæ solæ in eo catechismi loco adhiberi possent, & ibi propriam exerere significationem. D. Petrus de la Cabex addidit, cum diœcesim primo Ill. Aresti Episcopi comes, secundo Provisor lustrasset, non alium a parochis & Missionariis, cum ecclesiasticis, tum regularibus adhibitum catechismum invenisse. Cum vero Vicarium Generalem ageret D. Bernardini, mœroris Indorum ex damnato catechismo testem se fuisse. Quem etiam de suo grege testatus est Jaguaronis parochus.

Illud

(a) Beatum appellat Arturus apud *Acta Sanctorum* Bollandi, in Vita S. Francisci Solani, die 24. Jul. in Addit. (b), pag. 867.

(b) Concilia hæc provincialia fuerunt, quorum alterum subscripsit Ill. Alphonsus Guerra Paraguariæ & Fluminis Argentei Episcopus. Quæ diœcesis nondum divisa Provinciæ Limanæ pars erat. Concilii anno 1583. celebrati, & a Sede Apostolica approbati verba sunt Act. 2. cap. 3.: „ Præcipit Sancta Synodus omnibus Indorum parochis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, ut catechismo hoc ipsius authoritate edito, quatenus sit conformis edito a Sede Apostolica, quibuscumque aliis exclusis deinceps utantur . . . Mandat Episcopis omnibus, ut in sua quisque diœcesi quam primum curent, catechismum eundem per idoneos & pios interpretes in reliquas suæ diœcesis linguas verti: eamque interpretationem ab Episcopo sic approbatam ab omnibus sine controversia recipi, non obstante qualibet contraria consuetudine. " Catechismus vero in Guaranicum idioma ex hoc decreto conversus, & duplici diœcesana synodo eadem pœna commendatus, est medius e tribus. Notum quippe est, tres catechismos Limæ approbatos esse, nempe brevem in necessitate adhibendum: latum ad catechistarum usum; & medium inter utrumque: quos vide apud Haroldum in *Lima limata*.

Digitized by Google

Illud maxime commovit consultores, quo nitebatur Episcopi de vocibus *Tubà* & *Tupà* censura, perinde ac si nomina essent dæmoniorum. In Concilio videlicet Romano anni 745. sub Zacharia Papa damnatum fuisse Adalbertum invocantem loco angelorum dæmones *Tubuel*, *Tubuas*. Hinc conficiebat, *Tubà* quo in catechismo significatur Deus (*a*), & *Tupà* quo Pater, esse nomina cacodæmonum. Nec majorem difficultatem ingessit reliquarum vocum par. Et omnium una sententia fuit, catechismum labe purum esse. Acta in tabulas redacta sunt a singulis subscriptas, quarum copiam P. Diaztagno petenti facere jussus est Scriba Regius. Sic evanuerunt errorum Jesuiticorum monstra, quibus Americam Episcopus Paraguajensis, Hispaniam ejus Procurator late resonare fecit (*b*).

De fodinis. Longe difficilius Quæstori fuit aurifodinarum labyrintho secundum mandata visitando expedire se, quam hæreseon objecta monstra dissipare. Novum denuntiatorem viæ comitem ac ducem Platæ acceperat a Curia traditum, quo Corduba iter ad Uruguaim intendit. Eo certius obtendebat ille Jesuitici thesauri inventum, quo propius terminum ventum erat: ut nempe vigilantiam falleret, & custodiretur incautius. Inobservatus evasit. Fuit vero qui suggereret, raptum a Jesuitis: quod Quæstor sin minus credidit, suspicatus est saltem. Transfugam a Reductionibus procul abesse oportebat; sed locorum ignarus, quæ nunquam salutaverat, Providentiæ ductu Japejuum recta concessit, quem ad locum de fuga prævenerat nuntius. Ex indiciis a Quæstore divulgatis captus Conceptionem deducitur.

Peritorum sententia. Cur evaserit respondere nolenti cruciatus intentatur. Tunc palam fatetur miser, nullam vidisse Reductionem, cum de fodinis locutus erat. Ad legendum æque atque scribendum esse rudem. Ichnographiam loci accepisse a D. Christophoro Ramirez de Fuenleal, ut videlicet in Jesuitas luderet denuntiatoris personam. Potuit hic cessare Quæstor; voluit tamen loca indicata lustrare cum peritis de comitatu, qui post accuratam investigationem jure jurando testati sunt, nec auri, argentive fodinas inventas, neque tellurem esse id genus productionibus (*c*) natam.

Quæstor supervacaneum ratus longius ire, Assumptionem cogitabat, cum invaluit rumor, ad Uruguaim argenti fodinam esse compertam. Cœnobitæ videlicet Indus lapidem ostenderat, quem ex fodina traxerat, ait, Jesuitis familiari, in eoque quasdam illius metalli fibras. Haud ita post idem Cœnobita pro concione sermonem vertit ad Jesuitarum fodinas, quas ne somniasse videretur, lapidem creditum in medium produxit. Doctor Xarque (*d*), penes quem hujus narrationis fides est, locum (*e*) tacet.

Nuntius extemplo ea veri specie dissipatur, ut etiam partium studio liberi hæsitarent, cum ex ecclesia S. Francisci, ubi B. Virginis statuam sustinebat, lapis ille desideratus est, & furto ablatum esse compertum. Aliis deinde e Peruvio advectis comparati similitudo patuit. Ex eo D. Joanni Blazquez de Valverde persuasum fuit, quid in omni statu & vitæ conditione posset Jesuitarum odium: & in Paraguariam posthabitis quæstionibus ire pergit.

Fuenlealis retractatio. Novit sub adventum, Christophorum Ramirez de Fuenleal, retractatis coram testibus quæ contra Socios dixerat & fecerat, & culpam deprecatum, diem extremum objisse. Quod meritæ ex indigna molitione pœnæ immunitatem fecit. Quæstor vero retractationis authographum juridicialibus documentis adjungi jussit in Acta referendis.

1657. Bina sententia Visitatoris. In causam deinde revocavit de Jesuitis Assumptione gesta anno 1648. & proxime sequente. Atque 27. Septembris primam de fodinarum usu Sociis imputato sententiam tulit. Denuntiatorem Dominicum equo clitellario impositum, præcedente per vias publicas qui meritum inclamet præcone, bis centum verberibus mulctat. Suspendium post verbera constitutum erat; sed Collegii Rector exposuit, miserum ab hero ad ea quæ peccaverat compulsum fuisse, & ægre facta est vivendi venia.

Die 2. Octobris secundam protulit sententiam, qua plurium commemoratis retractationi-

nitamen Jesuitis penitus ignotæ fuerunt, nedum ad usum inculcæ.

(*a*) E converso res habet: *Tubà* Patrem., *Tupà* Deum significat.

(*b*) Ejus argumenti scripta videsis in Documentis. Num. XII.

(*c*) Regnault Entret. Phis. Tom. I. Entr. XIV. ait: *Terres brulées, poussées au dehors par les chaleurs souterraines, & melées de vocs blancs, comme des especes de crystaux, les marcassites, ou les terres metalliques, une terre ingrate, sans arbres, sans herbes, ou ne portant qu'une herbe pâle & sans couleur: ces sont de signes des mines qui ne trompent.* Vix horum quidquam in notis Reductionum terris inveneris. Sed qua Brasiliæ montes spectant, sunt proculdubio & ejusmodi signa, & aurifodinæ jure seu facto a Lusitanis præoccupatæ: ut toti præfecturæ *Minas Geraes* nomen fecerint. In quodam Conceptionis, quæ de Reductionibus una est, prædio procul ab Oppido, nigri lapides sunt; intermixtis aurei coloris granis, quæ forte ex auro vero sunt, quod Lusitani vocant *Oro preto*, cujus nominis illorsum fodinas possident apud Gojases. Illæ

(*d*) Lib. 2. cap. 48. * Ejusdem argumenti probationibus, quæ potiores essent, destitutus concionator alius ex voce *Uruguai*, quæ gallinarum amnem, vel gallinarum aquam significat, aurifodinarum confectam voluit veritatem, quasi *Uruguai* perinde esset atque *Oro hai*. Ajebat alter: *Oro et la que oro vale*. In Paraguaria certe herbæ plantaria vel silvæ ad Maracajuum interdum appellantur etiam in publicis scripturis *Minas del Paraguai*. Quo sensu fodinas esse in Reductionibus, indubitatum est, cum in singulis oppidis singulæ Herbalia, seu Herbæ arboreta sint XII, atque XVI. mille plantarum seu arborum.

(*e*) Locus fuit, credo, Itapua. Certe simile quid inter concionandum contigit eo loco. Neque enim aditus in Reductiones Jesuitanas, eas maxime quæ citra Paranam ad Paraguariam spectant, in quibus Itapua est, intercluſus adeo erat exteris, ut vulgatum est.

Digitized by Google

nibus præter eas quæ ſupra narratæ ſunt, ex lenitate & moderatione in regione inope & miſera, qualis Paraguaria eſt, adhibendis, maxime poſt ſumptus reis ad Proceſſum imperatos, poſt multas a Judicibus eccleſiaſticis & ſecularibus exactas, poſt honorem Patribus Societatis per ſpontaneas retractationes reſtitutum; & quia hi Religioſi innocentia & veritate per judices ex viſu cognitis, & per ipſos calumniarum authores recognitis contenti, ignoſcere volunt, eis tantum indicit primo ſilentium de iis quæ Jeſuitis imputaverant, & ſumptus Proceſſus & exemplarium, quæ ad Regem & Indiarum Senatum mittenda ſunt, Et hac ſententia comprehenduntur conſules (*a*) & urbani Senatores anni 1648. & ſequentis, haud aliter ac Franciſcus Nuñez de Abalos, teſtium falſi compars, & hoc nomine a D. Andrea Leon Garavito pecunia & exilio multatus, ſalva ſententia & decreto, quo Judici Senatus conſulto gravari de integro poſſit. Quod attinet ad decuriones Emmanuelem de Villalobos, Didacum Ximenez de Vargas, & Ordinatorem (*b*) Ajolam, quod documenta & acta rata habere compulſi, vim ſibi adhibitam Patribus Societatis illico declaraverant, proteſtati ſe non legiſſe ſcripta, quorum extorquebatur ſubſcriptio; & quia de ſcriptorum ſumma moniti factum ex lege reparaverant, quemadmodum ſupplici libello, & reſponſione ad interrogata ex jure profeſſi erant, abſoluti ſunt & indemnes judicati.

Litteræ Ep. Angelopol.

Judicio ea maturitate reddito, poſt accuratam inquiſitionem, poſt reorum confeſſionem & retractationem ſolus, qui notis mendaciis adhæret, rubor reliquus eſſe videbatur, perenni ſilentio tolerandus. Sed litteræ Epiſcopi Angelopolitani ad Innocentium X. pro D. Bernardino, multiplicatis exemplaribus per has provincias divulgatæ, Paraguajenſis emiſſariis viſæ ſunt criminum, quorum Socios accuſabant, peremptoria probatio. Hoc tamen iis tantum quos odium excæcaverat, nec mentem reflectere ad acta ſinebat, perſuaderi potuit. Et quidem Epiſcopi Mexicani teſtimonium cum Jeſuitis litem habentis, cui Paraguajenſis niſi per ejus & amicorum litteras ignotus erat, poteſt-ne apud partium ſtudio liberos atteſtationibus de Jeſuitis ab Epiſcopo Tucumaniæ, qui propior aderat, undique vulgatis coæquari?

Litteræ Ep. Tucumas.

Hic Prælatus litteris ad eundem Innocentium datis 21. Februarii 1654., poſtquam Evangelii in Paraguaria propagationis detrimenta narraverat ex turbine ibi locorum contra Patres Societatis commoto, ſupplex orat Sanctiſſimum, ut remedium efficax & promptum adhibeat. Teſtimonio ſuo eo magis fidem haberi poſſe, quod Miſſionarios propius noverat, quorum collegia pleraque & præcipua in ſua erant diœceſi. Aliis ad eundem Pontificem 13. Martii datis coram Deo loqui ſe proteſtatur, octodecim annorum ſpatium, quo bis reliquis comprovincialibus Epiſcopis antiquior Metropolitanum egerat, tempus & commodum cognoſcendi Paraguajenſes Socios ſuppeditaſſe; eorum virtute, religionis ſtudio, & converſionum numero tartaream rabiem accendi; omnia, quæ ad movendum in eos odium ſcripta ſunt, ſe vidiſſe, de quo ad S. Sedem, ad Regem Catholicum, ad Peruvii Proregem, ad Curiam Charcarum retulerat. Primum tanti mali authorem eſſe Epiſcopum Paraguai, qui Societatem Jeſu in his provinciis perdere contendit. De conſiliis hujus Prælati judicium Deo, de factis Suæ Sanctitati relictum velle.

Ad Alexandrum VII. 8. Octobris 1658. ſcripſit, Jeſuitas eo tempore mitius haberi in Paraguaria. Quatenus videlicet ſacro fungi miniſterio ſinebantur, cui periode operam dabant, atque ſi zelo & fervore inimicorum cor ad ſe convertiſſent. „ Hæc, ait, eſt veræ patientiæ ſumma. Si magnanimi cordis documentum eſt, illatas adverſitates præſenti animo ferre; Societas Jeſu plurimas pertulit & acerbiſſimas. Et vidi Socios non alio ſcuto tueri ſe, quam innoxia & moderata defenſione, apoſtolicis functionibus non intermiſſis. "

Fr. Gaſpar de Artiaga Americam totam meridionalem adverſus eos libellis concitabat, etiam per Europam, & per provincias Proteſtantium diſſeminatis. Epiſcopus Tucumaniæ, ut e regione quam ſcandalo turbabat, expelleretur, primo apud Superiores egit. Sed horum opera intercluſa, Regem de removendo perturbatore interpellavit per litteras hujus tenoris:

1659. D. Fr. Gaſparis de Artiaga Converſi Ordinis S. Franciſci geſta ejus ſcandali fuerunt, primo in Peruvii provinciis Paraguariæ finitimis, deinde in reliquis horum regnorum: ut poſtquam obſtiti apud ejus Prælatos, apud Proregem, apud Fidei Inquiſitores; ad Tuam Majeſtatem recurrendum mihi ſit. Quo ille agatur ſpiritu, incertum ſit: non quidem ſpiritu Dei, cum opera diabolica ſint. In Patres Societatis Jeſu ardet odio. Libellos infames ad Angolam uſque in Africam tranſmittit, & in Bataviam, ut typis editi vulgentur. Quidquid menti ſubvenit, pro vero tranſcribit, neque damnum toti Ordini Religioſo illatum penſi habet. Ego quidem generali notitia viginti-quinque annorum ſpatio in his provinciis parta non contentus, rerum diffamatarum momenta examinavi. Edicta etiam & cenſuras promulgavi, ut quæ quis privatim noſſet, edocerer: ſciremque numquid ex toto vel ex parte verum ſubeſſet. His tamen id unum confeci, ut clarius emicaret calumniatoris malignitas, & Sociorum innocentia. Hoc de reliquo poſſum de Patribus Societatis teſtari, ab anno 1639. (*c*), quo regionem hanc colere cœ-

(a) Alcaldes y Regidores.

(b) Sargento-Major.

(c) Correge ab anno 1634. vel 1633. quandoquidem litteris ad Regem datis anno 1637. ſupra lib. VIII. deſcriptis, ait, tribus ante annis ejus Eccleſiæ ſuſcepiſſe regimen. Et hoc anno 1659., quo præſentes litteræ datæ ſunt, ait 25. annos per provincias egiſſe. Atque ſupra ineunte anno 1653. octodecim Epiſcopatus numerat annos.

Digitized by Google

cœpi, neminem vidisse studiosius connitentem, ut Vestræ Majestatis conscientiam exoneret, & debito subditis de doctrina providendi absolvat; neminem qui apostolico ministerio utilius defungatur. Nec labori nec sumptui parcunt: cunctis exemplo ad imitandum sunt: contradictiones, insultus, calumnias, adversitates sine querimonia sustinent. Eos inimicis respondere non vidi, nisi jure aut coram Vestra Majestate, aut coram Judicibus coactos. Si tamen Vestra Majestas scandalum non removeat, justitiam hic locorum contemptui fore affirmaverim, doctrinæ inopiam expertum iri, mores extrema lue corrumpendos; & Gasparis ausorum effecta immedicabilia fore: nec aliud sperandum ex ejus maledictis & calumniis in evangelicos ministros, qui legum civilium, imo naturalium expertibus ad fidem, ad viam salutis, ad humanitatem reducendis adlaborant. Propterea Gasparis in Peruvio Prælatum, egregii meriti virum interpellavi, qui mandata expedivit mihi reddenda, ut in Limæ conventum sub custodia deportaretur. Id vero perfici non potuit, quod Bonas Auras tunc diverterat. Et quia D. Emmanuel Nuñez de Cuellar, Regius in Chile Procurator, qui in eadem Civitate morabatur, in mandatis Tuæ Majestatis habebat, ut malum coerceret; Illum itaque de necessitate executionis admonui, protestatus obnoxium fore negligentem. Addidi documenta plura originalia, cum actis aliis, & informativo processu. Responsum, quale accepi, ad T. M. cum nonnullis ejusdem argumenti declarationibus mitto. Duo igitur peto. Primum, cum Gasparis calumniæ usque adeo atroces sint in religiosum cœtum, ut fiat exemplum severitatis; ad probandum videlicet dicta compellatur: quod si non possit, pœnas det pro merito, & offensatis publice satisfaciat. Aliter regiis & Dei ministris calumnia oppressis de firmitate in injuncto munere desperandum est. Secundum, ut ex Indiis revocetur, neque enim ejus ingenii caput ibi diutius oportet permanere, ubi levissimo flatu excitantur procellæ. Minus est in Hispania Periculum, ubi & fides & justitia firmius stant. Verum hac super re Vestra Majestas quod e re sit ordinaverit. Deum interea, ut V. M. diu ad publicæ & Christianæ rei prosperitatem servet incolumem, orare non cessabo. Jacobopoli del Estero. 9. Junii. 1659. Fr. Melchior Ep. Tucum.

Plures Jesuitis conciliati.

Nulla tamen re Paraguajenses Missionarii magis se probarunt, quam sibi constanti patientia, mansuetudine, & studio veniam persecutoribus impetrandi. De neophyti, etiam alia, quam ab Episcopo Paraguajensi odio pastorum ingesta, esse cœpit opinio. Jam vicinitas periculo vacabat, nec erant rebelles, nec ii quibus uterentur Jesuitæ ad occupandum regalia. Sed erant provinciæ servatores, & contra barbaros Hispanis infestos securitas, cui magis fidendum, quam servitutem commendarum servientium auxilio. Nec deponendi, quo tenebantur aliqui, erroris tarda venit occasio.

Paranaënsium auxilium. 1660.

Indi urbanæ servituti obnoxii immitius habiti rebellarunt, cæsis colonorum pluribus. Adeo repente commoti sunt, ut Prætor D. Alphonsus Sarmiento in rusticum fanum cum exigua militum manu confugere coactus sit. Obsidione cingitur tam arcta, ut a proximis Paranæ Reductionibus auxilium nec petere posset. Re aliunde nota advolat neophytorum turma, & aversos barbaros adoritur, quos partem cædit, partem dissipat.

Guaicuruos fugant.

Vix se recepe rant pugiles, cum Guaicurui Reductionum fines collatis viribus aggrediuntur, auxilium ulturi quatuor ante annos præstitum D. Andreæ de Leon Garavito. Sic tamen accepti sunt, ut nunquam ab eo tempore regredi sint ausi. Haud ita post Prætor neophytos ire jubet ad puniendos audaces, quorum fines illi centum non plures hoste comtempto ferro & igne populati sunt. Singulos fere sequentes annos ex litteris Matritum datis singula ejusmodi prælia nobilitarunt, hostium terrore longe lateque propagato, & novo semper erga Regem fidelitatis documento. Idque quo tempore D. Bernardini de Cardenas in Hispania procurator libellis in neophytos, & eorum pastores invehebatur.

Digitized by Google

HISTORIA PARAGUAJENSIS.

LIBER DECIMUSTERTIUS.

ARGUMENTUM.

Causa Paraguajensis Matritum advocata. Diaztagnus in Curiam venit. Hispanici in Jesuitas motus. Paraguai de Societate visitator Commissarius Minorum consuli. tur. Hujus litterae ad P. Olivam. Provinciae status. Novus Assumptionis Episcopus. Itatinum benefactum. Sanctafides urbs Indorum ope servatur. De Chaco convertendo consilium. Bini Socii apud Mataguajos. Mocobii arma deponunt. Bellum integratur. Chiriguanorum vigor. Pax frustratur. Hostium clades. Reductio apud Estecum. Praetoris pietas. Bellica expeditio. Copiae Estecum redeunt. Status Reductionis. Chaquesium fœminarum solertia. Intermissi belli causa. Captorum sors. Reductio vacat. Commendatorum cura refutatur. De Calchaquiis. Lusitanorum molimen. Colonia à SS. Sacramento. Lusitani cum Hispano disceptatio. De pellendis Lusitanis mandatum. Post bellum auxilium. Hispanorum vires. Denuntiatio a Lusitano repulsa. Oppugnatio indicitur. Indorum consilio variatur. Fœminae Lusitanae facinus. Clades utriusque partis. Hispani generositas. Expeditionis exitus. Ex bello erga Reductiones favor.

1660. Causa Parag. Matritum advocatur.

POstquam cœtui libro præcedente memorato catechismus probatus fuit, cui Paraguajensis Præsul errores affinxerat, P. Diaztagnus Hispaniam petit, non tam ad tuendam Sociorum causam, quam ut quæstionibus responderet, dubia explanaret, & operarum exquireret supplementum. Præterea cum Rex Catholicus ab anno 1654. Paraguajensium turbarum causam ad Indiarum Senatum evocasset, cum mandato utriusque partis documenta conferendi, non alius erat rerum gestarum magis expertus, cui sua crederent Jesuitæ. Doctor Xarque (*a*) significat, connitentibus Curiis Peruanis evocationem esse factam, nec invita Jesuitarum parte, qui minus turbandum in Paraguaria sperabant, dum judicium ab uno Indiarum Senatu penderet. Nec erat temere, quod Curiæ causa difficili expediri vellent, cujus instrumenta, ut ait modo laudatus author, jam eo tempore foliis decem mille constabant, quorum pauca Jesuiticæ partis erant.

Diaztagnus in Curiam venit.

Sub adventum Diaztagni, magni fervebant in Societatem motus: & obstupuit interdicto in Curiam aditu, ne novus incendio fomes adderetur, fortasse veritam. Cum vero ad Senatum de mandatis per Missionarium procurandis relatum est, non tantum admittitur ille & postulata impetrat; sed binos a Consilio deputatos accipit, Societatis in Paraguaria studium de amplificando Dei regno pro Rege commendantes (*b*). His ille minime captus, ut mandata confecerat, Hispalim se confert ad trajectum expectatæ Missioni præparandum.

1661. Motus adversus Jesuitas.

Vix eo perventum erat, cum accepit nuntium, Matriti recrudescere motus; Villalonem, & nonnullos alios cœnobitas inexhaustos profundere libellos, etiam post Concilii ex officio decretum, ut intra claustra continerent se; Paraguajensibus minimum imputari hæreses, rapinas, confessionum revelationes; in quopiam ex iis scriptis, quorum plura in charta erant sigillata, legi; *Doctor Joannes de Espino eximii zeli catholicus, dixit, Societatem merito esse mitrandam* (*c*), *quippe ream falsi convictam; exterminandam quippe seditiosam, & publicae quietis perturbatricem; damnandam ad remigium, quippe vagabundam; comburendam, quippe hæreticam.* Alteri titulus erat: *Resistentia catholica adversus consilia impia & publica ab alumnis S. J. contra Ecclesiam & contra Regem suscepta in Paraguaria, quam armis subjugarunt & doctrina erronea & anathemate confixa, quam ibi disseminarunt, & quæ finitimas jam cœpit inficere provincias.* Alteri: *Expositio Epistolæ prophetica S. Pauli, qua Apostolus reprobata Religiosorum de Societate Jesu gesta prædicit, ex latino hispanice reddita, ut vulgo nota sit.* Hæc scripsit Diaztagnus ad Assistentem Hispaniæ. 6. Januarii. 1661.

Plane desperatam oportet esse causam fulcris id genus indigentem. Sua tamen ausis quibusdam fortuna est, saltem temporaria. Et Episcopi Paraguajensis actoribus familiare erat effatum, *Calumniare audacter, semper aliquid hærebit.* Villaloni præterea patroni non deerant, vel de Senatu. Et post indictum a Rege utrique parti silentium, addebat animos Juliani de Pedraza Indici Jesuitarum Procuratoris obedientia.

Lata erat silentii lex, postquam causæ Relator D. Antonius Leon (*d*) testatus erat, in

(*a*) Lib. 2. pag. 50.

(*b*) Xarque, ibid.

(*c*) Idest, pileo papyraceo mitræ simili dehonestandam, qualis ob delicta quædam publice vapulantibus reis imponi consuevit. *Charl.* * *Coroza* vocant Hispani.

(*d*) D. Antonius Leon Pinelo, muneribus obitis, & libris de re Indica Editis notissimus.

Digitized by Google

in ſcriptis a Procuratore D. Bernardini exhibitis nihil eſſe verum. Sed cum interdictum violare pergeret Villalon, expoſtulante Pedraza, & poſt eum Hyacintho Perez, in conventum ſui Ordinis prope Hiſpalim Regis edicto relegatur, ubi non diu quievit, Romam inde profectus, quod egerat in Hiſpania proſecuturus.

Perez apud Regem Catholicum queſtus petit, ne ab Oratore Romano protegatur: & annuiſſe Philippum IV. veroſimile eſt, nam Summo Pontifici, ut ſententiam a Conſervatore Nolaſco latam abrogaret nullo molimine perſuaderi potuit, nec ut Socios tales eſſe crederet, quales a partibus Epiſcopi traducebantur; noverat enim res in Paraguaria geſtas ex Tucumanenſi.

Viſitator de Societate.

Rex Catholicus de doctrina, quam Aſſumptionis cœtus probaverat, de fodinis quarum vel ſuſpicionem lata ſententia removerat Valverde, de imputata opum & imperii uſurpatione certior factus; de reliquis in cauſam relatis, quorum inſontem cognoverat miſſorum univerſitatem, ſcire voluit num quis privatorum eſſet reus. Et P. Joanni-Paulo de Oliva vices Præpoſiti Societatis gerenti per litteras ſignificavit, e re fore ſi Viſitatorem quædam exploraturum mitteret in Paraguariam.

Oliva id a Summo Principe fiduciæ documentum, ut decebat, accepit: Regem orat, ut eum de ſubditis nominatum vellet, cujus placeret æquitas & prudentia: additurum ſe de ſuo neceſſaria mandata & facultates, ut regiæ voluntati ſatisfactum ſit. Sed cum Philippus IV. omnino vellet electum a Præpoſito, Andreæ de Rada provincia datur Peruvii Provinciali, qui & Provincialem & Viſitatorem egerat in aliis Hiſpanienſis Americæ provinciis.

Jam Romæ & in Hiſpania notus erat, ex quo Mexicanæ Provinciæ moderator, vim Angelopolitanæ concertationis ſuſtinuerat, ea prudentiæ laude, ut poteſtati & ſæculari & Eccleſiaſticæ, ad quarum tribunalia provocatum eſt, probaretur. Æque de Paraguaria, atque de Nova Hiſpania meritus eſt: & cum illic Societati præfuiſſet ſex annos, Viſitator primum, deinde Provincialis, in Hiſpaniam redux anno 1670. Matritenſi Collegio Imperiali præfectus fuit. Contagione, dum in noſocomio ſervit ægrotis, contracta diem extremum obiit haud ita poſt, ea ſanctitatis opinione, ut Militiæ primores authoritate Aragonii Cardinalis Archiepiſcopi Toletani fulti, & Regii Indiarum Concilii Senatores de periculoſo ducendi funeris officio diſceptaverint (*a*).

1653. Minorum Commiſſarium conſulit.

Is erat Viſitator, quem Oliva Regi Catholico exhibuit, cui Rex mandata dedit examinandi de rebus Paraguaicis ea, de quibus penitius edoceri voluit. Quæ tamen Rada non ante annum 1663. accepit: Monitus erat ab Oliva, nequid tranſigeret, niſi ex ſententia P. Gabrielis de Guilliſtegui Minorum in Peruvio Commiſſarii Generalis, viri meritis eximii (*b*), qui dum Epiſcopus Paraguajenſis ardebat in Socios, Paraguariam viſitaverat. Gratiſſimum accidit Radæ mandatum cum eo conferendi, qui rerum geſtarum teſtis interfuerat. Limæ tamen cognovit, Commiſſarium longe abeſſe in Sanctæ Fidei „ de Bogotà “ quæ Novi Regni Granatenſis caput eſt, Lima quatuorcentum leucis diſſita. Per litteras ergo conſulendus fuit, ſic Deo providente, ut teſtimonium ejus & tanti viri, in re ad Epiſcopum ejuſdem atque ſui Ordinis ſpectante, ſcripto conſtaret.

Expoſuit Rada articulos quinque, de quibus Rex Catholicus edocendus erat, additis litteris, quas acceperat a P. Oliva, Commiſſario tradendas. Utrique reſpondit hic; Olivæ quidem, ut ſequitur.

Commiſſarii litteræ.

Adm. R. P. Menſe Auguſto accepi litteras P. Radæ Provincialis tuæ Societatis in Peruvio, qui juſſus eſt in Paraguariam concedere. Neceſſitatem itineris uſque adeò longi difficiliſque doleo ..... Ad levandam ſiniſtram de ſuis opinionem, quam quiſpiam ingerere tentaverit, de rebus geſtis certiorem te facere juvat. Scio P. Radæ ut me conſulat injunctum eſſe; ſed locorum diſtantia prohibitus alloquio, per litteras id fecit. Quindecim ab hinc diebus reſponſum dedi Limam Quito portandum de criminationibus quinque in Socios conjectis, cujus exemplar ad Te mitto. Nihil affirmo quod mihi plane notum non ſit: idque coram Deo teſtor & ex conſcientia. Ad V. articulum reſponſio non eſt mea, qui Bonis Auris tunc aberam. Sed qui mihi a ſecretis eſt, teſtimonium quod mitto ſupplet: & in ejus comprobationem ipſe ad Te ſcriptum dare vult. De univerſis ac de ſingulis harum provinciarum Sociis affirmare debeo, plurimum virtutis & perfectionis ſemper obſervaſſe me: in cauſa, quæ modo vertitur paſſos eſſe Apoſtolorum more, quos imitantur quotidiana ſolicitudine Indos informandi, exemplo mei Ordinis Miſſionarios, qui in ea regione ſunt, excitantes. Et gloriari poſſum, ex Indorum populis, quos vidi, poſt Peruvium totum luſtratum, nullum eſſe cujus incolæ melius informati ſint, nullum credo qui Deo ſit charior. Memini, nec unquam meminiſſe ceſſabo, quod mihi prope moriturus dixit Venarabilis P. Ludovicus de Bolannos, mei Ordinis alumnus, atque unus de primis, qui in ea regione fidem annuntiaverit. Libens morior, & Deo gratias habeo, ajebat ille, quod Indi a me converſi curæ ſubſunt Patrum Societatis. Cum enim paucos haberet ſe-

(*a*) Xarque, lib. 2. cap. 50. Ex quo ſequentia documenta deſumpta ſunt. * Quæ ille ex archivio Cordubenſi deſumpſerat. Fuit vero Xarque his quæ modo ſcribuntur contemporaneus. Unde documentâ his poſteriora ab eo deſumpta non intelligas; ſed reſponſa tantum Guilliſtegui.

(*b*) D. Fr. Gabriel de Guilliſtegui poſt Hſ. Cardenas Epiſcopus Paraguai, & docti Operis author *De Tertiariis Ordinis S. Franciſci.*

Digitized by Google

ſecum noſtræ familiæ Miſſionarios, neophytorum ſuorum partis cura Patribus veſtris relinquenda fuit. Ac ex vero affirmaverim, eas Miſſiones melius quam ſub ſervo illo Dei conſtitutas eſſe. Demum, R. P., non tantum occaſione in præſentiarum facta, ſed quæcumque fiat in poſterum, Tuæ Paternitati obſequentiſſimus ero: quam Deus ad Societatis bonum diu ſervet incolumem. Sanctafide. 12. Octobr. 1663. Fr. Gabriel de Gulliſtegui Comiſſ. Gen. Peruv.

CRIMINATIONES,

Contra Patres S. J. cum reſponſione R. P. Gabrielis de Guilliſtegui Commiſſar. Gener. Ord. Min. in Peruvio (a).

I. *Objicitur, Jeſuitas Paraguajenſes ordinationem D. B. de C. ratos eſſe nullam ſeu illegitimam, cum tacendum eſſet, ſententiam ſuam ut certam deciſionem publicaſſe. Hinc turbarum cauſa & ſcandali, ortis de ſacramentorum quæ adminiſtrabat, & functionum reliquarum Epiſcopalium validitate ſuſpicionibus. Unde & in extremam urbs confuſionem, & in rebellionis & ruinæ diſcrimen conjecta eſt.*

Reſponſio. „ D. B. de C. qui recens promotus erat ad Aſſumptionis Epiſcopatum, non expectatis bullis conſecrandus, voluit religioſorum & ſapientium ſuffragio ſecundari: & unuſquiſque opinionem prætulit quam potiorem judicavit. Patres Societatis ex ſententia inter Theologos communi & a Senatu approbata, conſecrari poſſe negaverunt. Sed eſt falſum quæſtionem decidere contendiſſe. Non aliud quam quid ſentirent declararunt reſpondere coacti.

Duo tunc erant de Societate, qui ſecreto dimiſſi ſunt. Alter Hieronymus Porcel, qui noſtrum S. Franciſci Ordinem ingreſſus eſt, cui aliquandiu convixi. Alter Coſmas Sofia (b), quem vidi Dominicanum. His ſcripto reſpondentibus, Epiſcopum renuntiatum poſſe ante acceptas bullas conſecrari, graviores alii de Societate, nominatim Joannes de la Guardia, in urbe & univerſitate Cordubæ divulgarunt, duorum Patrum ſententiam non eſſe communem Societatis, nec Societati adſcribendam. Ex quo opinio contraria Societati communis audiit, non quod authores eſſent Socii, nec quia controverſiam definiverint; ſed quod illam ut ſecuriorem elegerint. (c)

Quanquam hæc ante prævisos, qui Paraguariam deinde turbarunt motus, geſta ſunt, oppoſitio tamen præter hominum opinionem; ut vitari tot mala poſſent, a Deo videtur ordinata. De cætero privata opinione non obſtante, diu perennavit concordia, Epiſcopo præbente Patribus plurium annorum ſpatio benevolentiæ documenta. Etſi cum ex aliorum ſententia conſecratus voluit Cordubæ ordinationes conficere, Jeſuitæ ex dictamine propriam opinionem conſequente, juniores in Chilem (d) miſerunt initiandos, de quo cum Canonicis aliquot Cathedralis me diſceptaſſe memini.

II. Objicitur ſecundo, Canonicis, qui ab Epiſcopo defecerant, Eccleſiam Jeſuitarum ad officia divina eligentibus, Patres copiam feciſſe, ut ea pro Cathedrali uterentur biennio. Confuſione, & animi acerbitate ex eo invaleſcente, ſermonibus & ſcriptis publicis adſcriptum Sociis ſchiſma, & criminationes alias conjectas eſſe.

R. Canonicorum pars major & præcipua ab Epiſcopo ſejuncta ex cauſis (e) mihi dum eſſem in Paraguaria notis, templum Societatis occupavit officii divini cauſa, ne omiſſio culpæ (f) verteretur aliquando. Templum aliud eligere poterant, quod ſi negaretur, novorum malorum fiebat occaſio, Canonicis ut patuit in ſententia obſirmatis. Ad Patres Societatis quod attinet, id egerunt quod eos agere decebat, id ſecundum regulam & morem ſatis notum adnitentes, ut diſſidium conciliarétur. Hinc tamen ſeditioſi, perturbatores, & ſchiſmatici audierunt, quod templi conceſſerint uſum, ut occaſionem malo medendi caperent. Porro Canonici malum antevertere curaverant, nam Epiſcopo Cordubæ commoranti, antequam in Paraguariam veniret, ſcripſerant ſupplices, ut bullas ad Epiſcopi munera exercenda præſtolaretur. Ad tollendum videlicet naſciturum alioquin ſcrupulorum fomitem.

III. Objicitur, Indos Reductionum Jeſuiticarum, qui

(a) Xarque, lib. 2. c. 50. & 51.

(b) Hic erat Rector Collegii Salteníis, qui conſecrationem probaverat. *Charl.* * Et Porcel erat in eodem Collegio Sofiæ ſubditus.

(c) Forte nondum noverat P. Guilliſtegui, controverſiam eſſe Romæ jam deciſam, & Papam D. B. abſolviſſe (anno 1657.) a cenſuris ex irregulari ordinatione contractis. *Charl.*

(d) Ordinum candidati ſæpe in Chilem miſſi ſunt ſede Tucumaniæ vacante. At ſedes eo tempore plena erat: nec Ill. Maldonado ad Socios ordinandos erat difficilis.

(e) Canonicis non alia fuit diſcedendi cauſa, quam quod crederent poſſeſſionis additionem caſſam & inanem, & conſecrationem illegitimam: ac proinde cenſuris innodatum eſſe: quod deinceps a Congregatione Concilii declaratum eſt. Schiſmatici appellari tunc cœperunt, cum Epiſcopi odium erupit. *Charl.*

(f) Nec tantum culpæ, ſed in pœnam omiſſionis redditibus erant privandi: qui ex Indicarum erectionum lege quotidianis diſtributionibus toti conſtant.

Digitized by Google

qui armis ignivomis utendi facultatem habent contra Paulitanos, a Patribus ductos esse contra Episcopum: & quatuor de Sociis præter Diaztagnum Superiorem in prælium convenisse, quo Hispani octodecim, & plures utriusque partis Indi ceciderunt.

R. A pluribus prudentia & probitate commendatis, etiam Episcopi partibus addictis, in quibus sunt mei Ordinis Syndicus rei publicæ in ea urbe subpræfectus, & Joannes de Villasanti junior dux Episcopi legatus, accepi, post Prætoris D. Didaci de Escobar Osorio obitum, ex privilegio a Carolo V. Assumptioni concesso, regimen civile & militare a Prælato susceptum eo consilio, ut dissidium Canonicorum in dies pertinacius coerceret. Prætoris simul & Episcopi imperio Jesuitas collegio & urbe per ignominiam exegisse: collegii partem corrupisse obtentu clandestinæ, & sine Regis venia fundationis (a). Vidi egomet & templi & collegii ruinarum vestigia. Præter Episcopi mandatum factum id fuisse suspicari quis posset. Sed illud constat, nulla ratione obstitisse: Sociosque sic expulsos navigio impositos, & fluento traditos.

Cum Patres apud Curiam Platensem quererentur quo tempore ab Assumptione Prætor expetebatur, urbi & provinciæ præfectus est D. Sebastianus de Leon vir eggregius meritis, & longe alius atque nonnullis describere placuit. Illud in primis mandatum accepit, ut Patres Societatis secum deduceret, & in collegium restitueret. Prætor ex Curiæ præscripto titulum explicavit primum, & ubi procul discrimine oportebat promulgavit. Sed quia prævidit, Episcopum & sibi admittendo, & restituendis Jesuitis repugnaturum, copias ad se suamque dignitatem tuendam accersivit. Tunc accidit, ut Hispani viginti tres eorum qui partes Episcopi sequebantur, sua temeritate caderent, non Prætoris culpa, qui regium imperium, atque jus suum post publicatas tympanorum sonitu contra rebelles protestationes sustinuit.

Quod attinet ad Patres minus est quod reprehendas: & ex falso proditum est, copiis adfuisse duces. Prætorem sequebantur, cui missum erat reos Assumptionem deducendi, & in collegium restituendi mandatum. Fortasse contigerit, ut de militibus Prætoris aciem adortis aliqui Sociorum quempiam capere tentaverint, qui tunc fecerit quod feciſsem & ego, & sine piaculo quivis, ut importunum excuteret pro virili (b).

IV. Objicitur, Indos Reductionum cum Regis subditi perinde sint, atque regnicolæ cæteri, ita independentes a Jesuitis educari, ut imperatum a Rege modicum vectigal, tantum ut se subditos esse profiterentur, aggeratis difficultatibus impediverint: quemadmodum, in Hispaniam scripsit exactor.

R. Non tantummodo se subditos profitentur Indi; sed profitentur Patrum instinctum: & testimonia aversa mendacia sunt. Hoc non tollit, quin Missionarii, ne tributis graventur, operam dent licitam, & qualis viros religiosos decet, Regi & Regiis Ministris exposita Indorum inopia: quo illi religioni & fidei maxime conciliantur. Id cum neophytis hujus Novi Regni servandum censuit D. Jacobus Egues Beaumont Auditorii (c) Præses, qua inter Togatos emicat prudentiæ laude, certus sic potissimum fidem in Deum & in Regem confirmari. Et quidem facilitas hæc & munificentia telluri creditum semen est, & uberum aliquando fructuum ferax. Præterquam quod ea ratione redditur Deo atque Regi quod ad quemque spectat, ut hac Dominica XXII. post Pentecostem legimus in Evangelio: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.*

V. Objicitur quinto, ex plurium Episcoporum, & Quæstorum testimonio, P. Joannem de la Guardia vita jam functum, & Franciscum Diaztagnum superstitem D. Petro Baigorri Bonaerensi Prætori authores fuisse, ut XXVI. per intervalla hostium naves mercibus onustas admitteret, idque contra expressa Regis mandata, & magno Gaditani Commercii, & totius Hispaniæ detrimento: at Regius apud Hollandos Orator scripserit, ex venditis tot mercibus eo plurium millionum importatam summam: quod Prætori & participibus jacturam peperit bonorum & vitæ.

R. De quinto hoc articulo en quod meus Secretarius Bonis Auris natus qui rebus interfuit, testatur. D. Joannes de Austria Batavis copiam fecerat, ut quemvis Indiarum Occidentalium Portum, etiam Bonas Auras subirent, dum maritimos prædones oppugnarent. Cum Bonaerenses ea tempestate paterentur vestium inopiam, ad mercandos pellibus, frumento, & sevo Batavorum pannos, Baigorri Prætoris consensum petere decreverunt; quem ut impetrent, P. Joannem de la Guardia rogatorem interponunt. Hanc omnino contulit operam Guardia, quam deinde momorderunt inimici, injuria tamen, nihil enim non charitatis motu transactum est.

Quod pertinet ad Diaztagnum, mera est calumnia, nam cunctæ Batavorum naves solverant, cum ille Bonas Auras venit, ubi unum reliquum erat Jacobi Maleonis navigium, quo in Hispaniam Diaztagnus iter habuit. Quod Guardiæ tribuitur & Baigorrio, revera fecit hujus successor D. Alphonsus de Villacorta, sed jam Guardia vita functo. Ea videlicet est ex cupiditate cæcitas, ut in crimen

(a) Mirum hæc P. Commissario dicta a Villasantio, cui mandata Episcopi exequenti regium de fundatione diploma exhibitum fuit. *Charl.*

(b) Longius ab acie aberant Jesuitæ, cum Villasantius fusus est, quam ut his casibus essent obnoxii. *Charl.*

(c) Sanctæ Fidei de Bogotà. *Charl.*

Digitized by Google

men alteri affictum impingere faciat criminationis authorem. Id quod Bonis Auris vulgo notum fuit. Fr. Gabriel de Guilliſtegui, Comm. Gen. Peri Ex mandato dicti R. P. Fr. Joannes de Abila Secret. Gen. Per. „

1665. Status Provinciæ.

Ut Commiſſarii litteras accepit Rada, eas ad Olivam miſit, & Lima iter in Paraguariam intendit. Provinciæ viſitatio deſiit in collegium Aſſumptionis, quo venit anno 1665., neque veſtigium eorum invenit, quæ Sociis erant objecta; ſed turbo nondum plane quieverat. D. Bernardinus in urbe Pace morabatur, neque Popajanum cogitabat, neque Hiſpaniam; nec niſi deſperato in Paraguariam reditu rei tranquillitas ſtare poterat.

1665-66. Reductiones luſtrantur.

Removendum cenſuit Philippus IV. tranſlatum ad Sedem S. Crucis *de la Sierra*, ad Paraguajenſem promoto D. Gabriele de Guilliſtegui, qui Decembris decima quinta præfectus eſt Epiſcopatui Aſſumptionis *vacanti per translationem D. Bernardini de Cardenas ad Epiſcopatum Sanctæ Crucis de la Sierra* (a). Scriptum reperi, mortuum eſſe Epiſcopum Pacenſem (b). Et fortaſſe verum habet, hac ſede vacante dum D. Bernardinus Aſſumptione morabatur, ejus translationis conſilium ſignificatum in Curia eſſe, deinde mutatum. Proditum etiam eſt, translationem hanc fuiſſe decretam, quod facilius ibi quam alias poſſet Prælatus in officio contineri, ſi quid (c) in juriſdictionem civilem auderet.

Itatinum beneſactum.

Utcumque res hæc habeat, experimento novit circa hoc tempus novus Paraguariæ Prætor, nullum provinciæ præſentius eſſe contra finitimos hoſtes auxilium, quam a Jeſuitanis Indis. Centum Aſſumptione leucis præfecturam luſtrabat (d), & in commendatitio Indorum pago commoratus, incolis pene præter imbellem turbam commendæ cauſa deſtituto, ab exercitu barbarorum impetitus eſt. Exigua militum ſtipabatur manu: deerat commeatus: nec obſidentes arcere, nec auxilium aliunde petere potis erat.

Tridnum inter oppidanos ſenes, fœminas & pueros egit, quorum clamores & lamenta præludium hoſti deditionis erant. Unum reſtabat deſperatorum effugium, cum Itatinum turma forte circum curſans id quod erat ſuſpicata ſupervenit. Aciem convertunt infideles, ſed vix primum advenarum impetum ſuſtinuerunt: & multa ſuorum ſtrage ſuſi dilabuntur in ſilvam. D. Alphonſus Sarmiento pro beneſacto gratias habuit; nec deinceps affirmare ceſſabat, ſi Hiſpanorum copiæ ejus fidei & diſciplinæ ubique conſtarent milite, nullibi non triumphaturas (e).

Interea Regius Indiarum Senatus miſſis ad novum Paraguariæ Epiſcopum litteris apoſtolicis regiiſque mandatis, ut non tantum Paranaënſes, ſed Uruguaicas Jeſuitarum Reductiones quantocius luſtraret, commendaverat. Gratiſſimum id Miſſionariis fuit duplici cauſa: primo ex neceſſitate neophytos tranquillandi, quos amittendi paſtores, & proinde ut ipſi putabant libertatem timor ſolicitabat; ſecundo ſpe apud Regium Senatum conficiendi, temere uſurpati Eccleſiaſtici & ſæcularis imperii, & retracti vectigalis criminationes conjici.

Viſitationis exitus. Ep. obitus.

Voto reſpondit viſitationis exitus. Prælatus laboribus Apoſtolicis aſſuetus difficilem excurſionem intendit veri paſtoris ritu: nec vidit quidquam, quod ſublimem de ea chriſtianitate jam pridem conceptam opinionem non confirmaret. Et in eam ſententiam ad Regem & ejus Senatum ſcripto retulit de viſitationis exitu (f). Non tanti ſtetit reſtituta primariæ civitati tranquillitas, ubi coloni a nemine contra Socios inſtigati priſtinos fiduciæ & æſtimationis receperant ſenſus. Sed gaudium ex regimine Prælati, qui cunctis ſe probaverat, cito turbatum eſt nuntio, ad Eccleſiam Pacen-

(a Tranſcripta hæc verba ſunt ex Regeſtis Conſiſtorii, ubi mutationes Epiſcoporum deſcribuntur. *Charl.*

(b) Mortuus forte ſit in Epiſcopatu Pacenſi, ſed cum Epiſcopus eſſet S. Crucis *de la Sierra*. Aberat certe Sancta Cruce urbe, cum moriendum fuit: aberat peregre & Pace, & Mizque, ubi Epiſcopus S. Crucis reſidere conſuevit: quamquam incertum mihi eſt, quo demum loco fatum obvenerit. Ex Proceſſu authoritate Proviſoris & Vicarii Generalis ſede vacante confecto in diœceſi S. Crucis, ſed ad Curiam Metropolitanam Chuquiſacæ delato, petente Jeſuitarum hujus urbis Rectore (cui ſi memini Petrus Navarro nomen erat), juridiciali ritu, & ejuſdem Curiæ mandato, exſcripta eſt clauſula quædam ſervata in archivio quod fuit Societatis Jeſu Cordubæ in Tucumania. Ex ea clauſula conſtat, D. Bernardinum peregre mortuum, & quindecim ante obitum diebus codicillum feciſſe, quo ſcriptum erat Societati legatum pium pontificii pectoralis, aurei calicis, indumenti ſacri, & imaginis B. Mariæ, quæ cordi erat Epiſcopo inſcripta *Del Corazon*. Ibidem Religioſis Societatis priſtinos amarores excuſabat cum aliis benevolentiæ ſignificationibus. Hæc in relato Proceſſu ex viſu teſtatus eſt D. Dominicus Morales presbyter; qui Epiſcopo in primis erat familiaris, & domeſticus. Quibus hæc qualis qualis ſatisfactio contineretur verbis, latet; quia ſub Prælati obitum codicillus cum reliquis morientis bonis & ſupellectile diſparuit, ſpolio ita direpto, ut vix cadaveri fuerit reliquum tegumentum & lumen. De quo quiſpiam familiarium in jus vocatus eſt Proceſſu ſupradicto.

(c) Quocumque fieret translatio, in Sanctæ-Crucis, Paciſve ſedem, facilius erat quam Aſſumptione cœpta cohiberi; nam utraque ſedes Curiæ vicinior eſt.

(d) Ex factorum ſimilitudine vereor, ne quod hic narratur, & ſupra ad finem libri præcedentis, anno 1660., de D. Alphonſo Sarmiento narratum fuit, idem omnino ſit: maxime quia præter Itatim, ubi Jeſuitanæ Reductiones erant ſub gradu fere 20. latitudinis auſtralis, pagus alter cognominis eſt ad Paranam ſub gradu 28. prope Confluentes urbem: quorſum contigiſſe narratur factum illud primum.

(e) Dictum valeat, ſi militi, cui par ſit fides & diſciplina, non diſpar ſit hoſtis.

(f) Hoc ſcripto, quod aliquando legimus, præter alia continetur, cauſam adverſitatum, quæ contra Socios excitatæ ſunt, uno totam Indorum amore, eoſque tuendi ſtudio conſtare.

Digitized by Google

censem anno 1666. (a) translatum esse. Anno 1672. præerat adhuc Assumptioni, opulenta fortasse refutata Pacensi sede. Sed obiit haud ita post. Successorem eodem anno 1672. renuntiatum Paraguaria non vidit. Anno vero 1674. Episcopus Assumptionis creatur D. Faustinus de las Casas Ordinis B. Mariæ de Mercede alumnus, qui notus jam pridem in Paraguaria Guillistegui jacturam solatus est.

Sanctafides servata.

Neophyti fidem & studium Regis imperio parendi probare perseverant. Calchaquii anno 1665. post vastatos Sanctæfidei agros, excidium urbis moliebantur. Ad incitas redacta jam erat, cum Prætoris Bonaurensis mandato manus Uruguajensium auxilio venit, ductui commendata D. Antonii de Vera Muxica. Calchaquii vero profligati. Urbem relinquunt diuturna formidine liberam. Nec Vera qui deinde Tucumaniæ Prætor, & Paraguariæ devenit, Indorum virtutem laudibus ornare cessabat.

Indorum opera.

Et arcendis hostibus, & promovendis reipublicæ laboribus primi adsunt ut plurimum. Studium vidimus S. Luciæ fanum restituendi Prætoris Sarmiento nutu. Post servatam Sanctæfidei urbem, cum in locum ab infidelium incursionibus magis tutum transferenda esset, opem tulerunt per vices, quæ plures annos obtinuit, nulla mercede accepta, nullo ad itinera, victumve subsidio. Æquam Paranaënses mandato Prætoris D. Joannis Diaz de Andino ad extruendam Tabati arcem contulerunt operam.

Anno 1668. & sequentibus quingenti mandato Prætoris, & Auditorii ad Bonas Auras (b) Præsidis D. Joannis Martinez (c) de Salazar portui & arci muniendis addicti sunt, atque Cathedrali Ecclesiæ construendæ. Sic neophyti, quidquid D. Bernardinus de Cardenas dixerit, una crucis virtute Hispano dediti, modicum vectigal servitio compensant, quo nemo fortasse præstiterit majus: & servitio quidem eo pluris æstimando, quod absentiæ tum belli, tum laborum causa diuturnæ tempore, Reductionum est & sumptus suppeditare, & absentium familias alere. Sed servitiorum fructus expertes sunt regnicolæ, nec possibi habent, quod illi vitam & se totos rei publicæ devoveant.

1653.-68. Novi de Chaqui conversione conatus.

Ex provinciis Sociorum Paraguajensium ministerio cultis uni Tucumaniæ communis non erat Guaraniorum usus, qui Prætoris illius imperio nulla parte subsunt. Hinc assiduis Chaquensium barbarorum incursionibus erat obnoxia, non, nisi Evangelio subderentur, cessaturis. Ut spes affulserat, ad Patres Societatis erat recursus, qui licet certi sine miraculo, quo non est innitendum, conversionem gentis de libertate timidæ esse impossibilem, & reliquis provinciæ laboribus impares, nihilominus in Chacum penetrare parati erant fidei & reipublicæ causa.

Neque ferebantur eo tantum aliorum votis. P. Joannem Pastorem vidimus anno 1641. Missionem apud Abipones obtinuisse, operarum inopia desertam: & ex Hispania pro supplemento supplementi desiderium retulisse, exactis etiam Senatus consulto Bertholdo Gallo, & Bequvide Lusitano. Nihilominus Provinciæ paulo post reditum præpositus Sociorum aliquem ad Abipones mittere constituit; sed bello eos inter & Matarias orto prohibitus ad Xuxui fines ad Chacum versus consilium mutat. P. Medinæ, quem illac alias ingredi contendisse narravi, provinciam dedit, adjuncto P. Andrea Luxan, quem unum ex Hispania sacerdotem advexerat.

Antequam viam aggrederentur, & Rocchum Nestarez Marin Tucumaniæ Prætorem consultum voluit, qui probavit incœptum. Episcopo deinde Maldonado, cui cordi erat missio, ut bene precaretur, exhibitos Xuxuim comitatur, inde Homaguacam Indorum pagum octodecim distantem leucis. Eo prævenerat Militum Tribunus D. Gabriel de Salazar, qui comes in Chacum cum Indis quatuor Missionariis additus est. Augusto anni 1653. media videlicet hyeme eo anno rigidissima, iter quam potest concipi difficillimum susceptum (d) fuit.

Missio ad Mataguajos.

Provincialis septuaginta trium annorum ætate ad superanda visu horribilia obstacula Socios excitabat exemplo. Ad Mataguajos tandem ventum est. Salazarius, qui ad explorandum barbarorum animos præiverat, primis in quos venit consilium sequentium Patrum aperit: nec votis abnuere visi sunt. His eo magis credendum ratus erat ille, quo principium quidam Nao nomine Xuxuim sub Sociorum adventum accesserat, & valde probaverat cœpta. Hic ad suos regressus, subditorum animos optime comparatos reliquit, dum ipse Homaguacam usque procedit obviam.

Pastore Salazarium assequuto, Mataguajos, qui frequentes convenerant, multo sermone hortatur Nao, ut Patres æquo accipiant animo: & Provinciali pro concione gratias habet, quod ea ætate per tot labores æternam suæ gentis salutem quæreret. Ei & Sociis parem apud se, atque in media Tucumania, securitatem spondet, & quæ votis Patrum responderet suorum docilitatem: Pastor, postquam verbo respondit, Indorum principibus munuscula distribuit, grati animi significatione accepta. De solidanda deinde apud Mataguagennio.

(a) Verius forte 1669.; inverisimile est enim, eodem quo creatus est Paraguai Episcopus anno, ad Sedem aliam translatum esse. Post triennium vero passim translatio fit.

(b) Auditorium Bonaurense anno 1663. institutum non diu perennavit. *Charl.* * Non amplius de-

(c) Marañon de Salazar alicubi nominatur. *Charl.*

(d) Sed est iter non alia tempestate suscipiendum ob aquarum inundationes.

guajos ſede cum Sociis deliberat, & cum Salazario Tucumaniam repetit.

Miſſionarii poſt deſtinatum ædi ſacræ locum, & obliteratum pagum, primam doctrinæ dant operam. Sed barbarorum aſſiduitas; & ergà Patres affectus ſimul excidit atque ſpes brevis accipiendi dona. Apparuit illico, parum eos ſermonibus moveri, & a religione ut a laqueo captandæ libertatis alienatos eſſe. Suſpiciones diſſipare nitebantur Miſſionarii, & proficiendi ſpes fuit aliquandiu. Interea Medina preſſus inopia ad corrogandum commeatum in propiùs quiora Hiſpanorum prædia ſocium mittit.

Hiſpani commeatum negant.

Sub Patrum in Chacum adventum omnigenam opem promiſerant Hiſpani; ſed cum exequendi promiſſa fuit occaſio, fidem excuſatione liberarunt: & Luxanus non plus uno farinæ cado comparare potuit. Medina Xuxuim petit, egeſtatem ut notam faciat, & Miſſionis periculum ad tuendos Tucumaniæ fines inſtitutæ. Luxanus ſolus cum quatuor Indis a Salazario relictis voluit abſente Medina extremam habitationi manum imponere; ſed defuit penitus inſtrumentum, & ne fame periret piſcationi dedit operam, dum Mataguaii ſuperfluos piſces corrumpi, quam dono dare malebant. Tres menſes ſic egit, cui ne dies quidem unus inter anthropophagos nihil veritos tutus erat.

In Socios conſpiratio.

Ad extremum monetur, in ſuum caput conſpiratum eſſe. Ex quatuor familiaribus Indus eo venerat ſpe oculis convaleſcendi, quorum Mataguaii præſens medicamen habere dicebantur. Hunc conſuetudine & uſu conciliatum de conſpiratione certiorem faciunt. Hiſpanorum vindictam non timere, cum Tobis enim fœdus pereuſſerant, ad vaſtandam Tucumaniam. Indus fide & probitate Chriſtianus indifferentis animi ſpeciem auditis objecit: qua barbaris perſuaſum fuit ſe non proditurum. Ille vero ut ſecurius fallat, nequid præcipitent author eſt, expectarent ſe Homaguaca reducem, equos inde ſuffecturum, ut ſolum mutarent, & ſe jungerent Tobis.

Detegitur.

Annuunt barbari, Indus Homaguacam petit; & quod mireris, Luxanum audita celat. Dum rediturum expectant Mataguaii, pueros & ſenes eo uſque hortationibus aſſiduos revocant, ne forte conſcii Miſſionario machinationem aperiant. Dum Indus Homaguacam venit, herum monet, & Medinam qui caſu aderat. Hic ad Socium accurrit, vel ſervandum vel communi caſu ſequendum: & quamquam imbre torrentes inundaverant valles, ad Mataguajos biduo pervenit.

1654-68. Sociorum receſſus.

Luxanus plane ſecurus erat, etſi barbari quotidie per menſem una convenerant, & eum invocatis devoverant geniis. Medina cedendi neceſſitatem denuntiat; non cunctandum; bellum anceps præcavere, quam occaſionem facere ſatius eſſe. Cedendum tamen ſeorſim rati ſunt, ne barbaris ſuboleret, apertam eſſe conjurationem. Luxanus primo cum reliquis Salazarii Indis abiit, obtenta comparandæ annonæ cauſa. Medina biduo munitatus ſacram ſupellectilem noctu convaſat, ante auroram excedit.

Jam rumor per Tucumaniam diffamatus erat, Miſſionarios captos, deinde interfectos a Mataguaiis in provinciam irruentibus. Is fuit apud Xuxuim motus, ut qui loco præerat D. Didacus Iñiguez Patribus, ſi viverent, fugiendi mandata miſerit, & milites qui moras rumperent, & recedentibus præſidio eſſent. Sed militibus illi non procul ab urbe, ubi mortui plangebantur, occurrunt. Infauſtum cœptorum ſucceſſum ſolabatur trium ſenum æterna ſalus, quos Miſſionarii recens a baptiſmo ſic morientes viderant, ut non dubitaverint ſe prædeſtinatorum auxilio, Deo miſerante, veniſſe.

Miſſos repetunt Mataguaii

Nec unde ſibi perſuaderent defuit, tres neophytos apud Deum de ſalute ſuæ gentis eſſe ſolicitos; nam traditores Mataguaii poſt conſpicua reſipiſcentiæ ſigna, ut redderentur Miſſionarii contenderunt. Et Provincialis quidem propendebat; ſed Prætor obſtitit primo, deinde annuit, ea tamen lege, ut milites præſidio eſſent, donec de vera infidelium diſpoſitione conſtaret. Dum iter parabatur, generalis Indorum rebellio a D. Petro Bohorquez mota, quæ extremam Tucumaniæ vaſtitatem minabatur, ad contrahendas copias Prætorem compulit, qui veritus ne Chacoenſes etiam rebellarent, miſſos periculo revocavit.

Socii apud Mocobios.

Motus quievit authoris ſupplicio: & D. Alphonſus de Mercado Prætor (a) ad præfecturam Fluminis Argentei promotus eſt. Anno 1664. ad Tucumaniam revocatur; ſed bellum in Calchaquios motum prius conficere juſſus eſt; quare Bonis Auris diutius conſedit quam vellet, optabat enim Mocobios agros Eſteci populantes arcere. Ut ſui vicem ſuppleret Bonaurenſi Curiæ fuit author, ut duos de Societate mittere, qui fœdus cum Mocobiis conciliarent. Præſes D. Joſephus (b) Martinez de Salazar de mittendis Radam Provincialem interpellat, qui delectos Auguſtinum Fernandez, & Petrum Patricio jubet Eſtecum ſe conferre. Eſteco Pongo (c) arcem non longe diſtantem petunt: quo invitati convenerunt Mocobii primum, deinde fœderatorum deputati. Pax data & accepta fuit, quam Prætor poſtquam venit in Tucumaniam ratam habuit: & obtinuit illa quandiu provinciæ præfuit Mercado.

1670. Bellum integratur.

Ut præfectura defunctus eſt, bellum integrarunt barbari: & pagum Indorum Oſas nomine Xuxujanæ ditionis multa incolarum ſtrage, & ſacræ ædis excidio devaſtarunt. D. Angelus de Paredo (d) Mercadi ſucceſſor periculum provinciæ ex hoſtium vicinitate novit, ac dum contrahit copias, D. Joannem de Amuſategui jubet cum expedita manu incurſus

(a) Idem qui ſupra dicitur D. Alphonſus de Villacorta.

(b) Non Joſephus, ſed Joannes ſupra nominatur.

(c) Nomen indicum *Pongo*, ſeu *Pungu* locis aliis commune idem ſonat quod latine fauces & portæ, Græce πύλαι, Hiſpanice *angoſturæ*.

(d) Peredo, non Paredo.

Digitized by Google

sus cohibere. In aciem prodit Amusategui pro religione: quod ut militi significet, explicat vexilla duo, quorum alterum B. Mariæ, alterum Crucifixi a barbaris apud Osas pessum dati effigie distinguebatur.

Hispani hostium fines ingressi.

Nuntio disparuit hostium turba; sed quia recessos hic provinciæ securitatem non fecerat, Prætor majoris belli confert apparatum. Cohors Xuxujana, eodem qui barbaros fugaverat duce, Saltensis, Estecana, Tarixana, armatura æque atque disciplina incondistum agmen, sed idoneis ductoribus, Chacum eodem tempore adorini jussæ sunt. Die 26. Augusti Tarixana cum Hispanis quinquaginta, Chiriguanis (a) duodecim supra centum, duce D. Didaco Porcel de Pineda, Xuxujanæ se junxit, & ad arcem a S. Francisco iter instituunt. Inde ad Rubicundum amnem, viæ duce Mataguaio proditore, qui Pinedam mediis intulit hostibus imprudentem.

Chiriguanorum vigor.

Erant in prima acie triginta Chiriguani, qui primum obvios adoriuntur; multitudine contempta, usque ad amnem persequuntur, in adversum erupant littus, trium horarum spatio contra Mocobios amplius bis centum pugnant, quorum hos occidunt, illos vulnerant, de suis nullo nisi leviter sauciato. Nocte superveniente pars utraque in castra se recepit. Postridie prima luce 8. Septembris hostium quingenti ultra flumen se sistunt, quos Pineda aggredi parabat. Sed monitus est, trajecto flumine arcem a S. Francisco, quæ modico præsidio tenebatur, oppugnandam, quam si occuparet hostis, adverso marte deerat receptus; expectandas Estaci & Saltæ cohortes. Igitur otioso militi exstruendæ novæ arcis negotium dedit, quam a Guadalupe nominavit.

Firmandæ pacis elabitur occasio.

Nondum post quindecim quam expectabantur dies cohortes venerant. Quo intervallo firmandæ ea parte securitatis elapsa est occasio. Adolescens natione Toba, qui ante biennium captus religioso Tarixanæ cohortis capellano serviebat, hosti fœderatorum Tobarum ducem alloquendi tempus nactus est, quem & ad pacem pronum invenit. Hujus mandato Hispanum de pactis interpellat: prædam & Indos captos restitutum iri.

Fides accepta est: & Toba ut animi sinceritatem probaret Hispanis, solus in horum castra venit, ubi comiter acceptus rediturum se pollicetur cum sociorum principibus. Cœptorum ampla spes erat, quæ tamen concidit nimia Capellani in suum Indum fiducia. Quamquam monuerat dux, ut famulo invigilaret, libertatem qualibet circumcursandi reliquit. Postridie Toba trans flumen in conspectum venit. Quæritur adolescens, qui interpretem agat: nec usquam apparuit.

Ad suos defecerat; quibus ait, Hispanos fœdus facere, ut incautos opprimant. Haud ægre suspicacibus animis persuasum fuit. Tobam se videndum præbuisse, ne infidelis audiret, verisimile est. Non diu moratus abiit, infecto cum Tobis negotio, gente earum regionum potentissima, & quæ una reliquis Hispanorum hostibus obsistere posset. Sed princeps eo magis transfugæ præstitit fidem, quod Hispanorum aciem viderat ad bellum instructam non perfunctorie. Unde confecit, de concilianda pace verba dari.

Hostium clades.

Spe fœderis dejectus Amusategui Rubicundum superavit, vel prælio decertaturus, si usus ferret, vel ad munienda loca dum venirent socii. Mocobiorum pauci occurrunt, quibus ille captis Guadalupem redit. Eo ut intraverat, adsunt Saltenses & Estecani. Tunc ille copias in utramque dividit ripam secundo amne progressuras. Alæ dextoræ insidiabantur hostes, quos detectos Hispani oppugnant, fugant, & in silvas quam longe sine discrimine possunt persequuntur. Quatuordecim Mocobii, duo Tobæ, oves & equi capti sunt.

Tunc Amusategui, qui sinistram ducebat alam, superato flumine longius hostes insequitur, & complures cædit, quorum capite per viam exponit. Acerbissimum est genti, quod ea ratione clades accepta vulgetur: ideoque cadavera condere interfectorum ejus est labor. Tandem Hispanus, qui non aliud quam deserta mapalia offendit, annonæ penuria arcem repetit, ubi Tarixanos, Saltenses, & Estecanos dimisit: ipse Xuxujanos domum reducit. Per Rubicundi ripas Mataguajos infestissimam gentem occupandi spes erat; sed illi moniti per noctem nemore se tuentur, Hispanorum arbitrio relictis commeatu & impedimentis. Nonnulli ex insidiis sagittarii Amusategui tergo leviter, gravius capite Hispanum alterum vulnerarunt: quare ad tutiorem locum, cui *Ramada de Ledesma* nomen est, viæ compendium arripitur.

1672. Reductio apud Estecum.

Hæc expeditio Peredi Prætoris sententia belli præludium erat, donec Christiana religio illac firmaretur, non intermittendi: ideoque Jesuitas ut castra sequerentur invitavit. Sed oppugnant illi, si aliquando apud eas gentes cum exercitu apparerent, ægre deinceps conciliandam fiduciam, ut Evangelio subderentur necessariam. Author deinde fuit, ut Reductio prope Estecum locaretur ex Indis, quos ipse miti consuetudine devinxerat. Et P. Christophorus Gomez (b) tunc Societatis Provincialis annuit, data opera P. Patricio Fernandex. Hic qui Missionum laboribus consenuerat, eam lætus acceptavit; sed dum iter parat Estecum, morbo occubuit 4. Augusti 1672. (c).

Pro-

(a) Hi sunt Chiriguani *de Cujambujú* Tarixensium Hispanorum socii, cum Montani, quos *Cordillerizos* appellant, infesti ut plurimum sint.

(b) Notus apud Sotuelum Opere inscripto *Elogia Societatis*.

(c) Optimam hoc authore Chiquitorum Historiam habemus. *Charl.* * Hic Patricius Fernandez author esse nequit Historiæ Chiquitorum, cum diu ante obierit, quam illa Missio inceptaretur. Author inscriptus est Joannes Patritius Fernandez, qui suam contulit partem. Sed verus author est P. Dominicus Bandiera Senensis, qui Italice scriptam Hispanice reddendam tradidit P. Petro Lozano. Neapoli deinceps Italica restituta ex vulgata Lozani versione.

Digitized by Google

Provincialis, dum ſubſtituendi deſiderio ſuſpenſus erat, litteras a P. Didaco Altamirano, primario Theologiæ in Studio Cordubenſi Profeſſore accepit, eam ſibi provinciam depoſcente. Altamirano mox adjungitur Bartholomæus Diaz, cui in Tucumania nato facilior erat cum conterminis ſermonis uſus. Reductioni nomen fuit a S. Franciſco Xaverio.

Prætor poſtquam firmitati ſedis, qua erat pietate, & religionis ſtudio providerat, in aciem deducit copias, quot non viderat unquam Tucumania, licet non pluribus quatuorcentum Hiſpanis, & totidem Indis conſtaret ſumma. Eam dividit in tres partes, quarum prima & ſecunda ex militiis provincialibus, Cordubenſibus & Ribogianis, ducibus D. Petro de Abila, & D. Petro Bazan, Aurati fluminis curſum uſque ad confluvium Rubicundi, qui dicitur ibi Flumen Grande ſecutæ ſunt. Tertia ex Saltenſibus & Xuxujanis, duce D. Didaco Ortiz de Zarate, quam proxime ſequebatur Prætor cum nobilium & triariorum cuneo, Eſtecum recta ſe confert.

Prætoris religio. Eodem præiverant Miſſionarii, quibus ut caſtra ſequerentur Prætor perſuaſerat. Sed Provinciali pridem expoſita incommoda in memoriam revocante, ſententiam depoſuit. Contendit vero Prætor ut antequam in Reductionem abirent, copias duabus Eſteco leucis congregatas verbi miniſterio & ſacramentorum uſu expiarent: quod illius exemplo præeunte proſpere ceſſit. Severiſſime vetuit injurias, blaſphemias, ſcandala: & ea ratione confectum eſt, ut religionis exercitia bimeſtri quo bellum obtinuit ſpatio, vel ut in optime conſtituto præſidio obſervarentur.

Bello geſta. Secunda Julii iter ad Flumen Grande ſuſceptum eſt, ad cujus oram arx lignea conſtruitur, quæ perfecta die 25. a S. Jacobo Hiſpaniarum Patrono, cujus erat feſtum, nomen habuit. Manipulos inde plures Prætor expedit, dato ſingulis ad inveſtigandos hoſtium receſſus viæ duce, cum mandatis comiter eos accipiendi qui ſe ſponte dederent, & aliis ſignificandi ad extremum perſequendos. Pauci conceſſerunt: reliqui ad reluctandum impares ad inacceſſas diffugiunt ſilvas. Horum capti ſunt multi; & MDCCC. (*a*) per Xuxujanos cum Saltenſibus ad Jacobæam Arcem translati, ibique amiciſſime habiti.

Tarixanis cum Chiriguanorum fœderatis, duce D. Didaco Marin de Armenta & Zarate, mandatum erat a Charcarum Curia (*b*), ut ſimul cum Tucumanis in Chacum procederent. Hi obſiſtentem Indorum turbam profligarunt, impedimentis captis, & receptis equis, quos ex Hiſpanorum paſcuis abegerant. Nocte ſequente pugnam integrarunt barbari duce Tobarum dynaſta, qui Chacoenſium bellatorum ſummus audiebat: Impetum Hiſpani licet improviſum repulſarunt; ægre tamen. Chiriguani ſocii ſubito pavore correpti diſparuerunt: quorum fuga & Armenta progredi prohibitus eſt.

Munimentum condidit, in quo Tarixanos præſidio & captorum cuſtodiæ reliquit: ipſe vero cum delectis triginta quinque, & ſex reliquis Chiriguanis, Tucumaniæ Prætorem aſſequi conſtituit. De via ſæpe certatum eſt, & triceni barbari capti, in quibus Tobarum dynaſta, quem nuper memoravi, nomine *Criſoe*. Ex eo novit, Prætorem Eſtecum rediiſſe: quo nuntio & ipſe repedavit. In munimento depoſita recipit: & copias ad unum incolumes Tarixæ reſtituit. Eſtecum reditus.

Interea Reductio Xaveriana languebat, eo maxime quia noluerat Prætor, ut parum tutam Patres inhabitarent; ſed ut Eſteci pernoctarent, per dies ſingulos itineris & reditus octo leucas (*c*) confecturi. Et quia mora brevior erat, quam ut poſſent proſelytos omnes inſtruere per ſe, per appoſitos catechiſtas pueros informabant. Dum ædes ſacra conſtrueretur, crucem erexerant, ad quam dato ſigno ad preces & catechiſmum conveniebant adulti. Eodem tempore, ne abeſſent, cibaria diſtribuebantur, & munuſcula iis quorum probaretur docilitas & obſervantia. Reductio deſerta.

Ad conciliandum proſelytorum animos illud efficaciſſimum erat, ægrotantium cura. Puerorum pleroſque lepræ genus quoddam infeſtat, quam ſuperſtitioſis illi curant geſticulationibus, nec vanitatem experti errorem deponunt. Præſentia remedia adhibuerunt Patres; ſed cum alii diverſis occumberent morbis, Indis ita perſuaſum eſt, baptiſmo interfici, ut ægrotantes pueros abderent. Et Patres aliquando, dum infantes morituros quærunt, ut invitis parentibus baptizent, in vitæ diſcrimen conjecti ſunt.

Popularium ebrietas nondum abolita par ſæpe diſcrimen fecit. In ſumma ex Xaverianis incolis vel unum reddere Chriſtianum deſperatum erat. Spes tota conſtabat junioribus paucis docilioribus, quibus per parentes licebat quamlibet vitæ rationem amplecti, fœminis doctrinæ aſſiduis, & nonullis gratiæ rebellia corda triumphantis præter opinionem miraculis. Fœminæ generatim eo dociliores erant, quod in Chaco ſobriæ ſunt, & cautæ, atque ita educatæ ne otiantes illocabiles ſint. Fœminarum ſolertia.

Eſtecum urbs Socios etiam diſtinebat. Ingruerant vitia, & timendum erat, ne pravi exempli contagium conſuetudine & uſu Hiſpanorum in Reductionem ſerperet. Prætor quidem diu moratus Eſteci, qua erat pietate & moribus fecit, ut plures in officio continerenren-

(a) *Dix-huit cents* habet author, forte per errorem vel exceſſum.

(b) Tarixa in Tucumania non eſt, ſed in præfectura Charcarum, & in diœceſi Platenſi. *Charl.* * Sed ſubeſt Proprætori (Corregidor) proprio cum regionis circumjacentis tractu, cui a *Chichas* nomen eſt.

(c) Octo fortaſſe paſſuum millia; eſt enim locus ea diſtantia prope Miraflores antiquæ ſedis ruderibus diſtinctus, ubi forte Reductio ſita fuit: cum ſit inveriſimilis in tanta octo leucarum diſtantia quotidiana procuratio.

Digitized by Google

rentur. Sed hujus commodi particeps Reductio non fuit: & tunc maxime patuit, quantuli æstimandi neophyti sint secus Europæos collocati.

Cur Prætor re infecta cesserit. D. Angelus Peredo arma non deponenda pollicitus, donec Tucumaniæ fines conquiescerent, cœptis hærere coactus non una de causa fuit. Captorum custodiæ non satis erant, neque militi commeatus. Cadebat hyems, qua solum tempestate potest exercitus quantumvis modicus illac locorum duci. Tempus pluviarum imminebat, quo exundatia late flumina viam obstruunt: ideoque reditum copiarum maturavit, Estecum ingressus tertia Septembris.

Tunc Altamiranus datam de captis in Reductionem Xaverianam referendis fidem in memoriam revocavit. Sed Prætor animadvertere jubet, si tot barbari inviti, neque vi continendi, in eundem pagum, & nullo quidem præsidio munitum agerentur, omnium & totius belli fructus jacturam esse timendam; nec periculum tum suum, tum Socii inter barbaros amissa libertate furentes contemnendum esse. Neque relinquendos Esteci in urbe, quæ ex Tucumaniæ opulentissima in extremam devenerat inopiam, immunita, & agros passim depopulantibus Indis.

Quo devenerint capti. Captos in provinciis meditullio facilius observandos locare animum induxerat. Sed consilium pace ducum perficere non potuit, qui suis meruerant stipendiis, ut præda compensandis; nec acerbandos putavit, quibus ad promovenda cœpta, dum tempus ferret, indigebat. His igitur satisfactum voluit, ea tamen lege ne captos haberent mancipiorum loco; ut fidei rudes aptarent; nec quidquam prætermitterent, ut sincere ad Christum converterentur.

1673. Utrum posset nova Reductio sustineri, deliberatum est. Et quia incolæ spem nullam bonæ frugis fecerant: & in plerisque odium in Hispanos ardere visum est, cum reliquis eodem pacto distributi sunt. Patribus id minus acerbum fuit, quod non meliora ipsi quam Prætor de Reductione sperarent: nec nisi commotis ut in finitimis provinciis Tucumanensibus Hispanis, contendere poterant, ut Guaraniorum immunitas communis esset. Id tamen a Prætore impetrarunt, ut omnia pro virili ex æquo & jure peragerentur, ne ab uxoribus mariti, filiive a parentibus distraherentur: ut nondum uxoratis, antequam traderentur commendatario, integrum esset sponsas eligere, ut simul atque baptisati, matrimonii sacramentum fieret.

Indorum servitium refutatur. Voluit Prætor quadraginta de primis familiis Cordubensi Collegio commendari, non tantum ad remuneranda Sociorum de Provincia & de Religione merita, sed quod ab eis Indos mitius habendos crederet, melius erudiendos, & facilius Christo conciliandos. Sed donum refutarunt, primo quia non decebat exemplo servitium comprobare, quo haud aliter atque plerique commendatarii abuti diterentur; deinde quia, cum capti pauciores essent, quam ut expetentibus satisfieri posset, mœrorem privatorum augere nolebant; demum quia dedecebat amplius ex bello lucrifacere, Prætore sibi nullam ejus prædæ partem vindicante.

Ad fidem conversi. Peredus nihilominus pueros quosdam elegit folertiores, collegiis per Tucumaniam distribuendos, ut doctrina instructi operam Missionariis præstarent, catechistæ & interpretes. His ita constitutis Diaz Saltam, Altamiranus Cordubam rediit. Prius tamen quam discederent infantes omnes (a) numero septem & septuaginta baptizarunt, quorum nomina in album relata ad parochias, quibus erant adscribendi transmiserunt, ut doctrina, dum ætas ferret imbuerentur. Reliqui fuerunt post distributionem plures captorum utriusque sexus ætate aut valetudine inutiles, & vulgo refutati. Alendos donec commode collocentur Jesuitæ suscipiunt: quo charitatis officio cuncti Christo conciliati sunt.

1674. Promovendi belli obstaculum. Exitus expeditionum, quæ majoris belli præludium erant, ad promovenda cœpta Prætoris animum solicitabat, rati perculsos identidem hostes, vel jugum subituros, vel certe minus infestos fore. Sperabat, capiendos captosve amissam præbituros conventionibus ad firmandas in Chaco sedes; vel obsides futuros pro sufficiendis Missionariis, qui in media gentium barbarie versarentur victimarum instar; atque blando sub commendatariis procurando cultu conciliandos Hispanis barbarorum animos, ne putarent fidem Christianorum insidiosam esse libertati. Sed de postremo hoc articulo Peredus ex proprio sensu miti atque pio rem dijudicaverat. Tertiam itaque expeditionem adornabat, obstaculis intermissam, quibus alia deinde succedunt, donec præfectura defunctus est.

1677, 78. De Calchaquiis. Sic a Chaco cessatum fuit usque ad annum 1677. quo P. Altamiranus Provinciæ præpositus de integro Missionem eo deducere, & sibi charam a S. Xaverio Reductionem restituere contendit; sed ortis difficultatibus abterritus inceptum prolatavit. Anno sequente quidam Franciscanus eandem provinciam per S. Fidei ingressurus, veniam petit a Superioribus suis, a Prætore, ab Episcopo, haud ægre impetratam. Zelo puro, commendabili studio ferebatur ille; sed dum putat his ad successum satis esse, deceptus est. Immunitum apud Calchaquios se sistere ausus, iniquo accipitur animo. Palam edicunt barbari, ad S. Fidei repedaret, audire se nolle. Id obfirmantium habitus ulteriora, ni faceseret inde, minabatur. Recedit igitur, ratus culpæ vertendum, si

vis

(a) Nihil hic video de quæsito ad baptizandos infantes parentum consensu, qui nec ipsi baptizati erant, nec pro mancipiis habendos Prætor edixerat. Forte id minus necessarium visum est: & invitos non fuisse parentes est verisimile.

vis a barbaris illata belli diſpendioſi fieret occaſio (a).

1679. Luſitanorum conſilia.

Nihil certe cum infeſtis barbaris bello tunc moto magis intempeſtivum. Circa ſequentis anni medium monitus eſt D. Philippus Rege Corbalan Paraguariæ Prætor, ad Januarium Flumen quatuordecim navium adornari claſſem, copias conſcribi, arma comparari, commeatum, & univerſum deducendæ coloniæ inſtrumentum. Haud ita poſt cognovit, ad Gabrielidas inſulas, vel proximam continentem ſpectare proras; auſpiciis hæc fieri Infantis D. Petri Portugalliam regentis, qui eo conſilio copiarum regni delectum in Braſiliam miſerat, & imperium detulerat D. Emmanueli Lobo tunc Januarienſi Prætori, natalibus & meritis claro. Imo Aſſumptione vulgatum eſt, Luſitanorum manum ad occupandas Paranæ & Uruguais Reductiones, vel certe ne Bonas Auras auxilia mitterent prohibenda, terra proficiſci.

Prætorum ſolicitudo.

Paraguai Prætor nuntium expedit & ad Paranam, ut Indi parati ſint, & Bonas Auras Prætorem D. Joſephum Garro certiorem faciat. Illinc reſponſum eſt, Reductiones eſſe monitas, ſed immunitas ex quo armis ignivomis ſpoliatæ fuerant. Factum hoc erat Regis mandato anno 1661. ex documentis D. Bernardini de Cardenas, & Fr. Villalonis declamationibus reddito, ut ejus generis arma Aſſumptione deponerentur, nec Indis niſi pro Regis ſervitio, & contra Mameluccos permitterentur.

Decretum deinde revocatum erat, ſed arma diſſipata, certe modica pars neophytis reddita: nec Prætor potuit ſclopos bis centum & ſexaginta plures ſufficere, dum pro regiis etiam copiis deſiderabantur. Ut ad tuendos fines Indi alacriores eſſent, duos a virtute & ſolertia probatos Tribunos militum renuntiavit, cum mandatis ut Braſiliam verſus ſpeculatores mittant.

Reductionum exploratores.

Mandata faciunt celeritate pari atque conſilio. Tres manipuli, quorum ſinguli armatis quatuorcentum conſtabant, ad Braſiliæ fines concedunt. Primus Paranam ſubit fluviali itinere: Duo reliqui terrâ iter habent, alter ad Piratiningam verſus, alter ad mare, cujus oram perluſtravit late ad meridiem. Peragratis tercentum leucis nihil hoſtile occurrit; ſed poſtremi ad Caput a S. Maria converſi in Luſitanos incidunt, qui dum Januarii claſſem ante vertunt, navem fregerant. Ductor incolumis cum turba naviculam aptaverat, qua partem vectorum remiſerat in Braſiliam. Ipſe cum reliquis viginti quatuor Bonas Auras petebat, ubi nondum vulgatum eſſe putabat Braſilicum apparatum.

Luſitanos capiunt.

In hos incidit tertia exploratorum turma, quæ ſi primis cederet motibus excitatis hoſtium, quorum conſilia noverat, conſpectu, qui ſimul illata per Paulitanos mala in memoriam revocabant, actum erat de ſingulis. Id tamen enixe commendaverant Miſſionarii, nequid hoſtiliter agerent, tantum ſe defenderent, ſi oppugnarentur, donec monitus Prætor ſententiam ferret. Quinetiam moderatio mandata ſuperavit. Poſtquam providerant, ne capti elaberentur, longo & difficili defeſſis itinere, fere nudis, & omnium ut e naufragio indigentibus, de tenui commeatu partem largiuntur, jumenta & viæ duces addunt ad Triregiam Reductionum proximam, centum inde diſtantem leucis, ubi ea humanitate accepti ſunt, quam forte inter ſuos requirerent.

1679. Acta cum Præfecto Miſſionum.

Ibi nuntiatum eſt, D. Emmanuelem Lobo ad Gabrielidas claſſis anchoras jactaſſe. Eum aſſequi optabant: & ductor gratia fretus, qua Japeivi (b) acceptus erat, petit a Curione commeatum & viæ ducem ad ſuos. Id ſibi eſſe integrum negavit ille; Miſſionum Præfectum in S. Thomæ Reductione quindecim diſtante leucis morantem conveniendum.

Præfectus erat P. Chriſtophorus Altamirano ortus in S. Fidei ex primis Paraguai debellatoribus. Litteras ad eum dat Luſitanus civiles & officioſas. Sed ratus his non ſatis fore ut votis annueret, ſubdidit Regis Catholici intereſſe, ne difficilem ſe præberet: e repulſa bellum naſciturum Hiſpanis Paraguajenſibus grave, & Carolo II. acerbum fore ſi temere adhiberetur fomes. Addidit Regum Luſitaniæ in Societatem beneſacta, quæ gratiam reliquorum per Europam Regum facile ſuperarent.

Altamiranus reſpondit, condolere ſe naufragorum calamitati: noſſe quantum deberet Societas Seren. Portugalliæ Regibus, pariter atque Auguſtæ Auſtriacorum Stirpi. Sed religioſæ diſciplinæ addictum ab adoleſcentia, libros Regum non ſatis intelligere, ut de re propoſita judicaret. Eſſe Bonis Auris Regis Catholici Prætorem, quem adire oportebat. Sibi eſſe ſatis notum, ut crederet facile conceſſurum quidquid Regis Miniſtrum non dedeceat.

Bonas Auras itur.

Ductori, cujus nomen nullo novi documento, ſed quem D. Georgium Suarez Macedo eſſe crediderim, infra memorandum, ex reſponſione perſuaſum fuit, eundum Bonas Auras, quamquam ibi ſe retinendum non dubitaret. Altamiranus ad iter neceſſaria ſuppeditari juſſerat, quatuorcentum hominum præſidium, rates & commeatum, & quidquid obſequiorum res ferret. Menſtruo itinere ſecundo Uruguai ad oſtium amnis *de las Conchas* ventum eſt, qui ab occidente Argenteum influit quatuor circiter ſupra Bonas Auras leucis.

Moni-

(a) Circa Tertii amnis confluvium, ubi turris Gaboti fuit olim, eſt Catchaquiorum Reductio ſatis infrequens ſub Franciſcanorum cura: cujus initium forte ad hoc tempus, vel ad hoc inceptum referendum ſit.

(b) *Japeju* nomen eſt vulgare Reductionis a *Tribus Regibus*.

Digitized by Google

Quomodo accepti sint.

Monitus Prætor Majorem Accensum (a) D. Joannem de Cabrera Velasco, & suam ipsius rhedam ad excipiendum ductorem, & Bonas Auras deducendum; obviam procedere jubet. Cum in plateam venit prætorii, a præsidio, quod ordinatum aderat, ritu militari salutatur. Eum Prætor apud se donat hospitio, reliquis de comitatu in præcipuas urbis domos distributis, & commode acceptis. Luce sequente Prætor, qui noverat hospitem fuisse de primis in bello Lusitanico ducibus, ejus gratia ludos instituit, & quibus fuerat stipatus Indorum lustramen. Armatos miratur ille longe a viatoribus diversos, maxime cum volutationes obeunt, & prælium simulant.

Quatuorcenti erant numero in binas acies divisi, quarum altera Hispanos, altera Lusitanos referebat. Per feciales primum jura reciprocarunt primi pili, & desperato consensu bellum solemni ritu denuntiant. Utrinque ad vexilla curritur, classicum sonat, & concurritur, acrius quam pro ludo. Cedunt denique Lusitani, & profligantur penitus. Multi corruebant mortuis similes. Signiferi summa contentione reluctantes, vexilla vivis non auferenda simulabant. Mortuis abrepta victores ad Prætorem deferebant: quod honoris ad Lusitanum hospitem ille transtulit. Hic vero palam professus, invincibiles futuros, qui pari ordine, dexteritate, virtute seria bella gerant.

Bonis Auris retenti.

Post festa Prætor hospitem convenit, & amaturum se ait, si ratum habeat apud se cum suo comitatu retineri, cum non possit nisi majestatis reus abeundi facere copiam. Hæsit hospes, quod Prætorem Lusitanorum in Gabrielidas adventus ignarum arbitraretur. Sed plura post eum adventum acciderant, quorum ipse ignarus erat. Cum Indi exploratum ad fines missi sunt, solvit simul catascopium ad explorandos sinus, navalia, & insulas secundum utramque fluminis Argentei oram. Sed speculatori, dum putat Lusitanos non ausuros tam prope urbem consistere, quæ provinciæ caput est, circumire S. Gabrielis insulas non subiit.

1680. Colonia a D. Sacramento.

Ut nemine conspecto redierat, cum aliqui ad continentis sinum, qui trans eas insulas tutior est Bonarensi portu, & e regione amplioris insulæ jacet, lignatum convenissent, ædificia recens ad culmen perducta mirati vident. Prætorem admonent, qui protinus nuntium mittit ad sciendum, quæ gens, quæ statio. Ut in conspectum venit, alloquium petentis signum explicat. Conceditur, & ad singula respondetur quæsita. Loci præsidem requirit: a quo scapha mittitur, & fides publica. Obstupuit nuntius arcis conspectu affabre structæ, atque munitæ, machinarum, æthiopum, & promptuarii pleni armis, munitionibus, & omni constituendæ sedis apparatu. Stabant & naves quatuor in anchoris.

D. Emmanuel Lobo, qui præerat, omnia examinandi copiam fecit, & in acta referendi, quæ nuntius ad Prætorem detulit, qui postridie ad Lusitanum mittit qui pro Rege quærat, quo jure locum Hispanæ ditionis occupaverit. Respondet ille, Lusitanos Brasillenses sui Regis imperio munitos posse in cunctis non habitatis continentis locis considere: & re in Curia Januarienſi considerata, locum eo commodiorem, qui Brasiliæ pars erat, non subvenire.

Prætoris Hispani interpellatio.

Quinetiam id scripto respondit: quo lecto Prætor Bonaurensi evacuandum solum ex jure denuntiavit, quod a Rege Catholico sæculi spatio possessum erat: nec novis rebus turbandum fœdus inter Hispaniam & Lusitaniam recens. Ad hæc Lobo, stare se ait, & staturum in sui Regis territorio. Prætor nequid omitteret, ac fortasse temporis quæstum ut faceret, disceptationem protrahere. In consilium advocat Episcopum D. Antonium Azeona Imberto, cum Theologis, Jure consultis, & quotquot noverat Cosmographiæ peritos.

Examinatum ibi est jus Hispani in solum a Lusitanis occupatum. Scripta est dissertatio, cui chartæ batavicæ quibus utuntur nautæ Lusitani, & pactum anno 1668. constituti fœderis, quo Brasilia a Paraguaria S. Vincentii provincia definitur, ad juncta sunt. Horum omnium exemplar ad Lobonem mittitur per eos qui rei summam penitius enucleare possent. Ad extremum orat Prætor, ne bellum quod tanto steterat sanguine, integrare cogatur in gentem quam pariter amabat, atque æstimabat.

Lusitanorum sententia.

Lobo primi responsi tenax missis a Prætore chartam ostendit geographicam Ulyssipone confectam anno 1678., ex qua tercentum leucæ secundum litus maris a Januario ad Flumen Argenteum, & ultra flumen hoc continens usque ad Tucumaniæ fines ad Lusitaniam spectabant. Lineæque ibi ductæ provincias Paraguariæ & Fluminis Argentei cum urbibus ibi per Hispanos conditis, ut Brasiliæ partem designabat. Imo Lusitanorum quidam obfirmare ausi sunt, ad Potosii fodinas jus & ditionem suam extendi, nixi fortasse Alexii Garciæ itinere, quod sub hujus initium Historiæ narravimus.

Petitionum excessum mirati Hispani, quo nitantur interrogant, chartas & fœdus inculcant, atque ditionum terminos. Promontorium (b) *a Sancta Catharina* nunquam non ad Castellæ ditionem spectasse. Lusitanos, qui eam elegerant sedem, non expostulante Lusitano Rege, pulsos ab Hispanis. Quodsi Castellani locum destituerant, sponte solum mutasse cum aliis provinciis, quas colere maluerunt.

Mandatum pellendi Lusitanos.

His rationibus Lobo concedere visus alt tandem, ab uno Rege, cujus mandato venerat,

(a) Sargento-Major.

(b) Sancta Catharina nomen est, non promontorii; sed insulæ circa gradum 28. lat. austral. inter Januarium & Flumen Argenteum.

Digitized by Google

rat, movendum se loco. Quo responso accepto, Prætor maturandum censuit necessarii belli apparatum. Limam & Platam munitos mittit, qui de Lusitanorum cœptis, ac de iis quæ nequidquam ipse, ut desisterent tentaverat, Proregem & Curiam edocerent. Priusquam inde responderetur, novum Castellani juris in territorium, quod Lusitani ceperant, examen instituitur. Cumque una omnium sententia indubitatum esset, Prætori ut coloniam, cui a SS. Sacramento nomen inditum erat, oppugnarent, provincia datur.

Quibus copiis.

Mandata Prætor Lusitano denuntiavit: quo in sententia obfirmato, copiarum delectus fit, non tantum ad Flumen Argenteum, sed in Tucumania ex potestate pro Rege facta. Sanctafides & Confluentia ejusdem præfecturæ civitates singulas non amplius cohortes conscribere potuerunt. Quatuor Cordubenses, duce D. Francisco Gomez de Texeda, suffecit Proprætor D. Martinus de Garoien nobilis Cantaber, non regiis, sed provincialibus expensis instructas, equis etiam. Quod cum Garoien Prætori Tucumaniæ D. Joanni Diaz de Andino nuntiasset, & ratum habuit, & per reliquas præfecturæ civitates vulgatum voluit, ad imitandum Cordubæ exemplum hortatus.

Indorum ter mille.

Garrus Bonaurensis Prætor Præfecto Missionum ad Uruguaim mature scripserat, ut tria neophytorum millia expediret. Sed nuntius biscentum & quinquaginta leucarum iter emensus, tardius quam e re foret ad præfectum venit. Tarditatem compensavit expeditionis celeritas. Undecim dierum spatio Indi procincti ad iter erant, centeni pedites, equites vero, sagittarii, hastati, & funditores quinquageni. Omnibus de commeatu consultum erat, quem portabant quingenti muli. Totidem boves sequebantur ad tormentorum usum, cum medico instrumento, & equis quatuor mille, ad turbandos instructis hostium ordines, si æquo solo pugnandum esset.

Copiæ Japejuum ex præscripto conveniunt ad condictum diem, sonantibus tympanis, explicatis signis. Aberant tamen imperati duces Hispani, quos Indi frustra expectarunt diu: & quia annona absumebatur, morbidaque hiems ingruebat, Missionarii castrenses, ut ire pergerent, in se recipiunt. Ante discessum capita biscentum, pars obitu, pars affecta valetudine, desiderata sunt. Supplementum illico fit, additis tercentum ad complendas cum opus esset cohortes. Japejuo iter fit tripertito, tribus Indis ductoribus. Et quia Japejuum ad Uruguaim situm est, trium ordinum medius triginta ratibus imponitur, reliquis hac illac terra progressis, ut sibi invicem auxilio esse possent.

Ad castra perveniunt.

Ad castra denique, quæ tres leucas a Colonia distabant, perventum est. D. Antonius de Vera Muxica obviam venit, qui dum tardæ Hispanorum copiæ conveniebant, insueti belli disciplina exercendos suscepit: quod summa docilitate mirantibus magistris brevi perfectum est. Interea Lusitanus hostium tarditate profecerat: novis arcem propugnaculis muniverat. Milites vero atque duces e veteranis tracti erant copiis, quæ Portugalliæ Regnum Brigantino Duci detulerant.

Lusitan auxilii t ditas.

D. Emmanuel Lobo dignus erat tot fortium Imperator. Sed accidit inopinanti, quod tantæ multitudinis exercitu oppugnaretur. Animum solicitabat auxilium, quod a Januario sero petitum expectabat. Idque acceserat incommodum, quod incœptum non satis antequam excederet explicatum, aliquibus injustum, plerisque temerarium videretur, ita ut nullus Januarii inventus sit, qui nomen dare vellet. Quamquam is, quem sui loco præfecerat, magnifica obtulit præmia, & filium Ordinis Christi equitem, ad excitandam nobilitatem, conscendere jussit, nemo ut se sistere induxit animum. Imperio utendum fuit & vi: qua re tardum venit auxilium, & inutile.

Hispa rum vir

Bonaerensis melius licet secundatus non amplius quatuor millibus tam Hispanorum, quam Æthiopum, & Indorum, qui ut plurimum servi erant, recensere potuit, nec destituendam præsidio censuit urbem provinciæ caput, cum nulla Hispanorum navis erat, & Lusitano erant quatuor, quibus ad divertendas hostium vires facilis erat aditus, & descensio. Sed Muxica tercentum Hispanos cum Guaraniis ad occupandam arcem satis esse ratus, oppugnandi facultatem rogat.

Iterata nuntiat

Hanc priusquam concederet, rursus experiri voluit Garrus, num posset bellum evitari; provinciæ incommodum, & cariturum fine, si turpis videretur Lusitano post incœptum cessatio. Loboni objicit, viribus iniquis arcem servari non posse: nihil prætermissurum se pollicetur, ut ex angustiis emergeret, in quas conjectus erat. Si mallet, quod prudentis erat recedere, necessaria ad reditum suffecturum, redditurumque a Guaraniis captos. Obsecrat, ne consilium, quod religio, ratio, & honestas suggerit, rejiciat. Ne decipi se velit cœpta a suis etiam gentilibus improbata sustinendi desiderio.

Rejicit

Literas, quibus hæc continebantur, ad Muxicam mittit, cui nondum copiam fecerat obsidionem oppugnatione mutandi; sed qui copias ita locaverat, productis alis, equitibus equo descendere jussis, equis post extremam aciem ordine positis, ut exercitus bis vero major appareret. Plures itaque Lusitanorum temeritatis ducem insimulant: persuasumque fuit, cum tubicen ab Hispanis ad alloquium venit, conditionibus æquis cessurum; quas ille, dum ex metu ortas arbitratur, tumidus refutat.

Oppu tionis do.

Muxica de successu simul ad Prætorem refert, atque monet, si oppugnatio differatur, vereri se ne copiæ hiemis & laboris impatientia dilabantur. Ad hæc Prætor agere jubet pro arbitrio; quo exercitus castris exit prima luce. Constitit deinde dum sacrum celebratur, in quo neminem non divinum Christi corpus suscepisse proditum est. Lux reliqua

Digitized by Google

qua ordinandæ oppugnationi datur: & postridie 6. Augusti media nocte ire pergit. Equorum quatuor millibus sine magistro, qui singulos regeret, prima constabat acies. Media tribus Guaraniorum ordinibus, quos sui duces & tres Hispani, D. Joannes de Aguilar, D. Alexander Aguirre, D. Joannes de Frutas præcedebant. Agmen claudebant prætoriales copiæ.

Universi pedites ibant pro prætoris mandato, ut videlicet mœnium tormentis primum in equos explosis, immunes copiæ possent scalas admovere; priusquam tormenta rursus instruerentur. Sed neophytorum tribuni admonuerunt, sic oves ad macellum duci: equis nullo moderante turbatis tormentorum jactu, ordines turbatum iri: turbatione profecturum hostem, impetu ex arte facto. Rem probe animadvertit proprætor, miratus Indos, belli id genus rudes, prima oppugnationis imagine cognovisse quod nec prævideratipse, nec aliquis ducum (a). Igitur post aciem extremam equos laxare jubet, ad primamque promoti Guaraniorum ordines ad arcem perveniunt prima luce. Oppugnationem Dux incœptari vetuerat, donec explosa catapulta signum daretur. Sed neophytorum quispiam propugnaculum, qua neminem viderat, superare ausus, dormienti excubitori caput abscindit. Miles, qui factum viderat, ut obsessis hostium propinquitatem notam faciat, catapultam explodit. Tunc neophyti, quos, nondum satis clara luce, latuit unde sonuisset strepitus, incœptandæ oppugnationis signum esse putaverunt: nec mora totus ordo, quem dynasta Ignatius Amandau antecedebat, propugnaculum subit. Lusitani totum illac exercitum imminere rati turmatim accurrunt: ignem colubrinæ admovent, quæ iniquo pondere crepuit. Simul irruunt aliunde duæ reliquæ Guaraniorum alæ: quod tunc primo animadvertunt obsessi, cum undique intra arcem fit impetus; atque pyrii pulveris promptuarium occupatur.

Ea fuit colonorum consternatio, ut de ducibus quidam Simon Sarto cum militum decuria scapha arrepta ad naves evaderent; sed actuario, in quod triginta conscenderant Hispani, intercepti sunt. In scapham aliarum tot numero conveniunt, ut impedito remorum usu immota steterit. Adnatantes Indi, deditionem indicunt, atque reluctantium interitu scapham invertunt.

Lusitanæ fœmine facinus.

Interea neophytorum quidam propter murum scalas requirunt. Dum portantur, muro agglutinati Hispanos invitant ut tergis adreptent. Ascendit primus D. Joannes de Aguilar qui Lusitanico vexillo hispanicum substituit, sed immissa plumbea glande brachii jacturam fecit. Lusitani a pavore primo in se recepti pugnam instaurant summa vi. Deducibus Emmanuel Galbam undique circumcursans militem accendebat verbo & exemplo, Lusitanum se meminisset, vel nomine formidandum Castellanis. Et ea gessit, ex quibus etiam hostes occumbentem acceptis vulneribus, misericordia & lacrymis prosecuti sint. Heroidem duxerat uxorem, quæ ensem manu premens haud impar marito pugnavit. Postquam ille cecidit, Hispani fœminæ virtutem admirati, ut se dedat, clamores iterant. Illa vero, dum irruit mariti vindex, quo acrior vocabat pugna, quæsitam mortem invenit.

Undique ardebat prælium: Lusitanorum animos acuebat honor, & indicum Amandai ordinem perturbatum in fugam converterunt. Ille vero suorum fugam indignatus adest stricto ferro, & pudorem excitat. Tunc illi, ut quos vivere post fugam pigeret, in Lusitanos furunt, in deditos etiam post aliorum cædem. Vel linguæ se dedentium ignari, vel Mameluccorum memores peperciissent nulli, nisi per Hispanos indicto pugnandi fine.

Accepta clades.

De Lusitanis fere biscentum desiderati sunt, cæteri capti. Lobo certamine absuit æger. Ab Indis quæsitus ad necem ut belli author, a D. Antonio de Vera custodiendus fuit, & excubandum præ foribus, ne ingrederentur. Ipse deinde ingressus multam jacenti salutem officiosus dicit: offertque quidquid in præda suum erat. De reliquo haud ægre conventum est. Indi, quibus plurium rerum valor ignotus erat, pretiosissima quæque derelinquunt Hispanis. Fuit qui capsas offendens electro plenas, hoc abjecerit, aurichalcum servaverit. Sex ceciderunt Hispani, Indi triginta occisi, his plures vulnerati.

Ex bello favor.

Missionarii, qui cum neophytis venerant, cadentibus æque amicis atque inimicis præsto aderant: eoque magis utrisque se probarunt, quod sæpe, nec ab una tantum parte, præsens impendebat vitæ discrimen. Id tamen faustum ex bello cessit, ut multi siniştram de Reductionibus opinionem deponerent, noverintque quanti ad pares casus esse illæ possent. Provinciali gratulati sunt Peruvii Prorex Archiepiscopus D. Melchior Liñan de Cisneros, Superiores Magistratus, Prætores & viri principes.

Per universam Americam Meridionalem vulgatæ diu sunt neophytorum laudes, qui amplius biscentum leucarum iter plerique fecerant, media hieme, prope nudi, tunc enim braccati tantummodo bellatum ibant: nec ad quartam omnium partem arma igniferа fortiti erant, cum copiis artis bellicæ peritis & cataphractis dimicaturi. Scalis superanda erant mœnia, pyrobolariis & tormentis horrida. Nec arci expugnandæ plurimum eos contulis-

(a) Indos fortasse Missionarius aliquis admonuit ut de incommodo errore Ducem interpellarent, non quod superaret ille puerilem captum, sed quia in similibus mos Guaraniorum est cæce obtemperare.

Digitized by Google

liſſe negari poterat. Et nullo vel unius maravedini (*a*) regio ſumptu bellum conficiſſe compertum erat.

Eo melius de Regia Corona meriti ſunt Indi, quod eodem tempore Anglus quidam prædo, rapto juxta Panamam navigio uno, perſequentibus licet quinque Lima expeditis, oras ulterioris Americæ vaſtaverat, atque ſuperato Mairæo freto, ingentes in Angliam reportaverat opes. Namque prodiit fama, tot caſus vitandos, ſi Chilenis Peruaniſque oris præſidio eſſent Guaranii. Id Archiepiſcopus Prorex ad Indiarum Senatum retulit: & D. Andreas Robles, qui Garri ſucceſſor recens venerat ex Hiſpania, 3. Septembris ad Prorogem litteras dedit, obteſtatus ne remunerare ſineret pro eam eximiis in Statum meritis neophytos.

Interea neophytorum reductio.

Sed de iis quos remunerari voluit, prope abfuit ut ipſe male mereretur. Ad Curiam retulit de neceſſitate oppidum Guaraniorum frequens condere propter Bonas Auras: decretumque fuit ex Regii Senatus conſulto, e Reductionibus in eam ſedem deducendas mille familias. Id conſtat ex alio Philippi V. decreto litteris contento ad Fluminis Argentei Prætorem D. Brunonem Mauricium de Zavala datis 12. Decembris 1726. quibus additur: „ Sed Carolus ſecundus gl. mem. cum animadverteret, fidelibus Indis gravem eſſe poſſe climatis mutationem, & valetudini adverſum inſueti aeris uſum, decretum revocavit ſcheda data anno 1683. “ Nec dubium, quin revocatum ſit conniventibus Miſſionariis apud Carolum Secundum, cui haud ægre perſuaſum fuit, Paraguajenſes Chriſtianos non diu fore quales erant, ſi propter urbem ejus frequentiæ, imo & propter Hiſpanorum prædia conſiderent (*b*). In eamdem cum Carolo ſententiam convenit Philippus ſucceſſor, & Indiarum Senatus,

(*a*) Moneta Hiſpanica eſt, cui denarius Gallicus fere comparatur. Hiſpani vulgo rationes ineunt maravedinis. *Charlev.* * Maravedinorum, eorumque valoris diverſitatem vide apud Marianam *De Ponder. & Menſ.* cap. XXIII. Sed in præſentia & ſimilibus proverbialiter accipitur pro minimo pretio, ut ſi obolum appellaveris.

(*b*) Lett. Edif. tom. XXI. pag. 326. *Charl.* * Cauſa valetudinis ſupra memorata ſæpe cavetur in Jure Hiſpanico Indiarum, maxime libro VI. ne Indi vel in Hiſpaniam, vel in alias extra natale ſolum Americæ provincias abducantur. De moribus periculum, cauſa eſt æque vera, ſed minus propagan-da.



HI-

Digitized by Google

HISTORIA PARAGUAJENSIS.

LIBER DECIMUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Matriti & Ulyſſipone de Colonia tractatus. Fœdus proviſionale. Miſſio ad Monduim. Guenoarum regio & gens. Miſſio ad Jaroos irrita. Iter in Chacum. Senta mons. In miſſos conſpiratur. Duplex martyrium. Honor redditus. Mors in Sardinia nova. Cœpta fruſtrantur. Tucumaniæ calamitas. Tarijæ collegium. P. Arce miſſio ad Chiriguanos. Ad S. Crucis de la Sierra. Prætoris manitum de Chiquitis. Chiriguanæ Reductiones deſeruntur. Chiquitorum regio. Morbi. Mores. De religione ſenſus. Lingua. S. Crucis ſitus. Prima Reductio. Arce adverſa valetudo. Tarijam venit. Mamelucci apud Chiquitos. Hiſpani cum Chiquitis occurrunt. Prædonum cædes. Chriſtianitatis incrementa. Inter provincias viarum communicatio. Difficultas. Conatus irriti.

1681. De Colonia tractatus.

Principem Portugalliæ interregem male habuit nuntius de occupata per Hiſpanos Colonia: de quo & apud Regem Catholicum per Matritenſem Oratorem conqueſtus eſt. Modernus quidam Braſiliæ Hiſtoricus (*a*) ait, D. Petrum de integrando bello minas, ni auſus emendaretur, intentaſſe: Carolum II. minis abſterſiſſum ad placandum Luſitanum miſiſſe Juvenazzium Ducem: hunc acceſſu prohibitum, donec Infantis voluntati parendi mandatum exhibuit: D. Petro arcis & prædæ reſtitutione ſatisfactum eſſe: hinc D. Franciſcum Naper de Lancaſtre ſibi & Portugalliæ reſtitutum, & ad ſumptus compenſandos, præfectura Januarienſi cum appendice Coloniæ in meliorem ſtatum redactæ remuneratum.

Sed hunc authorem, dum geſta confundit longe diverſa, feſellerunt documenta. Certum eſt enim D. Emmanuelem Lobo Coloniæ conditorem, diem extremum obiiſſe in Peruvio captum, quo arce expugnata abductus erat. Quodſi D. Franciſcus Naper de Lancaſtre, qui fortaſſe Lobonis legatus erat, aut claſſis ſubſidiariæ præfectus (*b*), Januarii & Coloniæ Prætor deinceps renunciatus eſt, non ex eo conſeceris quod Braſilienſis Hiſtoricus temere affirmat. Certum eſt etiam, a Juvenazzio perſuaſum eſſe Luſitano; quem compulit, ut de prorogandis Braſiliæ finibus incœpto cederet (*c*): Interregem eo redactum ſuiſ-

(a) Rochapita, Hiſt. de America Portugueſa.

(b) Aut forte Naper ſumptus belli exhibuerat.

(c) Id quod Charlevoix hic pro certo habet, minus eſſe verum conſtat ex articulis fœderis infra memorandi cujus apographum præ manibus eſt. I. Rex Catholicus mandata dabit, ut in Prætorem Bonaurenſem pro operationis modo condigne animadvertatur. II. Arma, tormenta, munitiones, inſtrumenta, & belli apparatus in arce & colonia a Sacramento capta reſtituentur, vel Prætori D. Emanuelli Lobo, vel a Principe ſubſtituto. III. Coloni univerſi occupata fide exacti, qui apud Bonas Auras retineantur, in Coloniam redeant, vel pro abſentibus totidem, quibus integrum erit, ut ibi morentur & habitent, donec controverſia diriman tur; aggeres ex terra tantum extruant ad collocanda tormenta, & habitacula ſi priora non extent; nova tamen munimenta erigere non poſſint, nec domos lapideas, terreaſve, aut ædificium ullum durabile & permanſurum. IV. Colonarum numerus, donec cauſa judicetur augeri non poſſit, nec inferri arma, aut belli apparatus, ullius ve generis merx. V. Incolæ ab inſectandis, ſolicitandis, conſuetudine vel commercio ferquentandis Reductionum, Doctrinarumve Hiſpanæ ditionis fidis abſtinebunt: nec in eos eorumve Doctrinas, religioſos, eccleſiaſticos, aut ſæculares, vi aut uſu, res novas ulla ratione molientur. VI. Ad extirpandas diffidentiæ cauſas Princeps mandata dabit, ut de commiſſis per Paulitanos in Hiſpana ditione inquiratur, meritas exiget pœnas, redditis Indis, armento, & præda quavis, & ne in poſterum ea committantur. VII. Bonaurenſibus uſus erit loci, & commoda armenti, lignorum, venationis, piſcationis, & carbonariæ, perinde atque ante ſedem a Luſitanis conſtitutam: nec prohibebuntur, quin eodem loco cum eiſdem amice conſiſtant. VIII. Portu, & ſinu Regis Catholici naves utentur ut pridem, ligna cædent, quaſſata reficient, nullius venia ad oræ uſum, vel adjacentis campi requiſita. IX. Interdictum commercii Caſtellanorum in Braſilia, Luſitanorum Bonis Auris, in Peruvio & reliquis occidentalibus Indiis inviolatum ſit: nec pœna remittetur in utroque regno contra tranſgreſſores conſtituta. X. Hoſtilia cœpta poſt diem 6. Auguſti 1680. reparentur, rerum ſumma ex præſenti fœdere reſtituta. XI. Bonaerenſis Prætor poterit, quæ poſt arcem occupatam addiderit, munimenta & ædificia ſubvertere. XII. Nullum ex præſenti conventione detrimentum poſſeſſionis, proprietatiſve alterius utrius ditionis juri accreſcat; ſed ſalvum & incolume illud ſit cum ſuis cujuſque privilegiis & prærogativis tituli, cauſæ, & temporis; nam conventio hæc proviſionalis tantum eſt, & inter Coronam utramque lite pendente concordiæ ſignificativa. XIII. Commiſſarii utrimque æquo numero conſtituentur, ut intra biennium a fœdere confirmato ſpatium conveniant, uti anno 1524. Imperatoris & Regis Portugalliæ mandato factum eſt: & ab inita collatione (conſumto jurejurando præmiſſo) trium menſium ſpatio, Commiſſarii jus proprietatis de finibus lata ſententia dijudicabunt, quæ ſi diſcors ſit, ad Summum Pontificem deferatur, ut infra annum a diſcordi ſententia litem dirimat. Quod vero a Commiſſariis conſentientibus, vel ſi diſſentiant, a Summo Pontifice decidatur, ratum erit utrimque & inviolatum. XIV. Belli apparatus ab utraque parte intermittetur. XV. Conditiones hæ obſervandæ ſunt a ſubditis utriuſque partis, & in contumaces a Principibus animadvertendum, qui & illata damna non pen-

fuiſſe ut ſtationem in Colonia, vel in vicinia peteret, & tutum a ventis, piratiſque receſſum, ſi forte Luſitani vi tempeſtatum Flumen Argenteum ſubire cogerentur.

Id ea lege datum eſt, ut loci proprietas Caſtellanæ ditioni aſſereretur: ne familiæ Luſitanæ plures quatuordecim locum habitarent: ut domos ex ligno tantum & paleis ædificarent: arx extrueretur nulla: ut Bonaurenſis Prætor viſitandi jus haberet, & ſedem, & naves eo commercii cauſa appulſas: ut Luſitanus reſtituenda juraret CCC. Indorum millia, & armenta per Paulitanos e locis Hiſpanæ ditionis abducta: ut commiſſarii utrimque conſtituerentur judices, numquod jus Luſitano eſſet, Coloniam ad Fluminis Argentei oram deducendi, aut judicium Summi Pontificis arbitrio remitteretur, anni omnino ſpatio decidendum.

His ita conſtitutis, 7. Maii fœdus ſubſcriptum eſt, quo Rex Catholicus petitam ſtationem relatis conditionibus ratam habuit. Mox celebrata ſunt comitia, quibus inter utriuſque gentis Commiſſarios conventum eſt, ut ad Summum Pontificem mitteretur cauſa (a), quæ nimirum vertebatur & tranſigenda erat ſecundum lineam Demarcationis. At fœdus executione imperfectum fuiſſe videtur, nec a Regis Catholici Senatu præviſa factæ conceſſionis incommoda. Nam vicina audentiſſimi competitoris ſedes, cui præſto ab Hiſpani hoſtibus auxilia ſunt, eui ad tuenda & promovenda cœpta favet Braſiliæ propinquitas, æterna diſſidiorum ſcaturigo ſit. Fœdus proviſionale.

Dum

penſabunt juxta artic. IX. Fœderis Generalis inter utramque Coronam conſtituti: quod præſentis conventionis pars ſit. XVI. Intra menſem a conventione approbata, duplicia mandata expedientur, ut opere perficiatur. XVII. Rex Catholicus & Portugalliæ Princeps de his pactis obſervandis fidem obligant. Subſcribentibus legatis 7. & Rege Catholico, 25. Maii 1681.

(a) Eo nonniſi poſt multam & irritam diſceptationem conventum eſt, qualis narratur in Opere Hiſpanico, quod inſcribitur: „Manifieſto Legal, Coſmografico, Hiſtorico en defenſa del derecho de la Mageſtad Catholica de Carlos II. y de la ſentencia pronunciada por ſus Juezes Commiſſarios en 20. de Febrero de 1682., nel Congreſſo de las dos Coronas celebrado en Badaxoz para la deciſion de las demarcaciones de la America. Y ſobre la ſituazion de la Nueva Colonia del Sacramento, que embio a fundar el Seren. Principe D. Pedro en 1679. Por D. Luis de Cerdeño del Conſejo de Indias, y Juez Commiſſario Plenipotenciario del Congreſſo. " Narratur ibi, Caſtellanos Commiſſarios ſententia lata judicaſſe, Coloniam intra ditionis Hiſpanæ fines ſitam eſſe: ductam lineam meridionalem 370. leucas ab Inſula S. Nicolai, Americam Auſtralem diſſecare ad boream oſtio *Elemian* amnis (Appellatio mihi aliunde ignota, ſed quæ cadere videtur in amnem alias dictum a *Pinzon*: cujus nominis etiam eſt promontorium, quod & Boreale appellatur, vulgo *del Norte*, atque *de Humos* circa gradum I. lat. bor.); ad auſtrum litore maris ſub trigeſimo primo gradu, trigeſimo minuto altitudinis poli, octoginta tribus a Capite a *Sancta Maria* leucis. Luſitanos declaraſſe tantum, Coloniæ ſitum intra fines contineri Portugallicæ ditionis. Quia vero peritorum ſententia in rem judicatam non tranſiit, eoſdem Principibus reſervaſſe jus reſtitutionis, dum locorum longitudines certius innoteſcerent. Diſſentientibus Commiſſariis, cauſa ad Summum Pontificem devoluta fuit, ut intra annum definiretur. Sed nondum intra ſæculum fere definita eſt.

Animadvertit Cerdeño, negotium datum Commiſſariis fuiſſe, ut de proprietate loci ſententiam ferrent: contenditque, Luſitanorum ſuffragia commiſſioni minime reſpondiſſe, quia ſimul de proprietate loci ſententiam ſe pronuntiare ſignificant, atque in eo quod determinant, jus reſtitutionis reſervant Principibus. Præterquam quod, qua ducenda eſſet linea a polo ad polum, ex commiſſione explicare debuerunt, nec explicarunt. Ajunt Luſitani, ſuum Principem eſſe poſſeſſorem. Sed poſſeſſionem appellant occupationem violentam, clandeſtinam, ex tempore reſiſtente D. Joſepho Garro Prætore Bonoaerenſi. Poſſeſſor revera Rex Catholicus erat: ac proinde cum judicium de proprietate ſit, cauſam obtinet, niſi competitoris jus ad evidentiam comprobetur, etiam ſi tituli poſſidentis eſſent ambigui.

Titulo caret Portugallia, nam ex Fœdere Turreſillano & Colonia, & tota fere Braſilia, extra fines Luſitanæ ditionis ſunt, undecumque pactæ 370., leucæ ab inſula Salis, S. Nicolai, S. Antoniive, computentur: etiam ſecundum vitioſam Joannis Texeiræ in Congreſſu a Luſitanis productam chartam geographicam, qua uti malunt. Sunt hiſtorici, qui dicant, lineam præſcriptam eſſe, ut bipertiti Globi pars occidua Caſtellæ, ortiva Portugalliæ cederet. Falſum tamen hoc eſt: Centum omnino leucæ ad occaſum & meridiem Portugalliæ datæ primo ſunt, per Turreſillanum Fœdus additis biſcentum & ſeptuaginta. Tituli Regis Catholici ſunt, inventio prima, Alexandri VI. literæ, tranquilla poſſeſſio a die 26. Januarii 1500., quo Vincentius Jañez Pinzon in Braſiliam venit: Ajunt, Petrum Cabral fuiſſe primum Braſiliæ inventorem. Falſo tamen. Authores vero, qui allegantur, præter Marianam qui deceptus eſt, inventorem eſſe affirmant, non primum (* Cabral poſt duos menſes quam Pinzon Braſiliam reperit, ut contra Bruzen de la Martiniere notarunt Trevoltiani anno 1737. artic. I.).

Menſura leucarum 370. inenda eſt ab inſula S. Nicolai, quæ inter Capovirides Turreſillano Fœdere determinatas eſt media. Non ab inſula S. Antonii, quæ quo magis occidentalis eſt, eo magis Portugalliæ arridet; nec ab inſula Salis, quæ propior orientem cum ſit, magis favet Caſtellæ. Præſcriptum eſſe ajunt, ut ad occidentem computentur. Quo tamen id unum ſignificatur, ut terminus *ad quem* ſit occaſus. Secus enim quid eſt quod anno 1524., ut ab inſula Salis computarentur, petitum eſt? Ajunt, præpoſitiones *a, ab, ex*, eſſe termini *a quo* excluſivas, terminum vero *a quo* eſſe cunctas a Capite Viridi inſulas. Sed præpoſitiones terminum indicant, nunc incluſive, nunc excluſive. Citaturque Barboſa Dict. 105. nu. 13. At Caſtellanis, cum anno 1524. inſulam prætulerint a S. Antonio, periit aliam eligendi facultas. Equidem; cum electio prima effectum ſortita eſt, quo caruit illa, connitentibus in Congreſſu Luſitanis, ut a Salis inſula numerus leucarum duceretur. (* Id eo tempore contenderant, quo de Moluccis lis erat, an finibus Caſtellæ, an Luſitaniæ continerentur). Tandem ajunt, Alexandri Bulla electorem non conſtitui Caſtellæ Regem. Sed Bulla habet *a qualibet inſularum*. Dictio vero *Qualibet* non nihil eligendum relinquit. Electio vero in donatione permiſſa, penes donatarium utique eſt. Turreſillano autem Fœdere rata ſit Alexandri Bulla; qua parte non reformatur. Hæc in ſumma Cerdeño.

Digitized by Google

Ad Mondaim Reductio.

Dum provincia Fluminis Argentei motibus his agitabatur, tranquilla res erat apud Paraguariam. Reſtabat nihilominus Aſſumptione quoddam in Socios amaroris ſedimentum. Et Epiſcopus D. Fauſtinus de las Caſas animadvertit illico, inviſam fore in novis Reductionibus illorum operam, concedendumque non nihil adverſantibus: id quod per occaſionem modo narrandam apparuit. Indi quidam errantes, quibus Miſſionarius acceptus fore videbatur, ad Mondaim convenerant amnem in Paranam a borea defluentem gradu vigeſimo quinto, minuto trigeſimo. Prælatus monitus virum religioſum mittit eximio præditum zelo: quo tamen accedente, barbari dilabuntur in ſilvas, neque ſequenti aures præbent.

Ut nuntium accepit Epiſcopus, eum revocat, hominem pium licet & probum, impoſito muneri haud eſſe parem ratus. Quærit in clero qui conciliandæ barbarorum fiduciæ idoneus ſit, nec reperit niſi Capituli cathedralis Decanum. Sanctus erat & prudens, qui diœceſim ſede vacante gubernaverat, & a zelo cupiditate libero commendatus. Pronus & lætus annuit ille, nec ad Mondaim iter intendere moratur.

Indos quærit abſentes & vagos, fecitque comitate ut ab aliquibus audiretur. Mox tamen cognovit, magis eſſe officioſos, quam proficiendi cupidos, fiduciamque præpediri libertatis jacturæ metu. Hæc dum ad Epiſcopum ſcribit, addit, Evangelio non ſubdendos, niſi Patres Societatis Jeſu mitterentur. In eamdem ille ſententiam haud ægre venit: verituſque, ne ſalutis barbarorum coram Deo reus audiret, ſi Aſſumptionis incolis plus concederet, ad præfectum Paranæ literas dedit, ſemper ſed tunc maxime ſibi perſuaſum eſſe, Societatem ad Paraguajenſium converſionem cælitus deſtinatam: binos mitteret Socios, qui ad Mondaim cœpta perficerent.

Præfectus reſpondit, quamvis Societas gentis a qua non vocatur (a) convertendæ curam invita ſuſcipiat, eos tantum, quos aberrore trahit, & ultro ſequuntur, curare ſolita, ſui voluntati Epiſcopi ceſſuram: & quos mittat non habentem, ſe a Provinciali petiturum. Impetratos Aſſumptionem mittit, quibus Epiſcopus inter amplexus ait, onus ſibi impoſitum oves, quæ paratæ videbantur, in ovile contrahendi, in eorum humeros transferre. Miſſionarii fiduciæ Prælati reſpondere polliciti, Mondaim petunt. Indi certiores facti cuncti conveniunt, & Deo dante catechumeni bis mille intra bimeſtre conſcripti ſunt. Sed prius regionem luſtrare pergunt, quam Reductionem collocent.

Regionis deſcriptio.

Nulla forte in Paraguaria magis impervia ſit, æſtuans ſupra modum, ſilvoſa, & humida, ea dumorum denſitate, ut Indi tantummodo ab infantia nudi, atque nuditate durati, non cruentata poſſint incedere pelle. Apri, & tigrides innumeræ non bene armatis exitiales. Viperæ tot numero, ut vix gradus non calcatis promoveri poſſit. Sed omnium incommodiſſimæ ſunt mille aerem obſcurantium inſectorum formæ: neque mirandum in regione paluſtri, & radiis ſolis inacceſſa, cum arborum proceritate, tum perpetuis herbarum citris. Hinc ſpiritus ſilvicolarum gravis & morbidus. Peditibus ſolum via eſt, ſine commeatu, qui continuo corrumpitur, peragranda.

Satis nota erant Paranaenſibus Miſſionariis regionis incommoda. Nihilominus Provinciali fuit difficilius inter competentes eligere, quam mittendos invenire. Primo per Hiſpaniam de Mondai Reductione nuntio vulgatum eſt, nulli veterum cedere neophytorum numero & religione: templum eminere affabre conſtructum, & incolis univerſis ſatis eſſe tectorum: Miſſionarios obiter ad Paranam veniſſe habitu horridos, corpore undique cicatricibus conſuto, & veſte lacera ex parte tantum operto: voce & ſermone ſolum fuiſſe notos. Sed fructus laborum ſolatio erat, ut nullam ſua miſſionem pluris æſtimarent. Doctor Xarque (b), cui narrationem hanc acceptam refero, Mondai Reductionis nomen tacet (c).

Guenoarum regio.

Dum nova ad Paraguariæ boream ſub æſtuoſo cœlo condebatur eccleſia, ad auſtrum de convertenda Guenoarum gente res erat, quæ vaſtam inter mare, Uruguaim, & Flumen Argenteum regionem colit, ſeu potius incertis ſedibus percurſat: ubi hiems riget, venti nulla terræ inæqualitate, non ſilvis prohibiti, per latiſſimas planities ſumma vi flant. Æſtate fere perpetuo pluit, ſæpe tonat; terra identidem humefacta, & frequentibus rivis aut paludibus irrigata, immenſis bicornium gregibus paſcua ſuppeditat.

Indis etiam abundat victus venatione facili, & ultro naſcentium herbarum, radicum, fructuum quæſtu comparatus. Dum tractum aliquem exhauriunt, alio commigrant: quod non magno ſtat omnia ſua ſecum portantibus: quibus ubique tectum & indumentum eſt, nec alia requirunt. Tigridis pelle veſtiuntur, pilis intro verſis, dum hiems ingruit. Tuguria quatuor omnino conſtant palis, & pro tecto atque muro rudibus ex paluſtri quadam iride mattis. Exigua uſque adeo ſunt, ac depreſſa, ut familia quantumvis modica vix tota cubare poſſit. Pellis altera pro culcitra, altera pro ſtragulo eſt.

Gentis ingenium.

Perpetua cum finitimis bella gerunt Guenoæ, neque unquam arma deponunt. Dum ho-

(a) Falſum hoc eſt, nec credo reſponſum hactenus rati habendum a Sociis; neque enim decet roganti ſolum, & te vocanti auxilio eſſe; ſed indigenti quamvis non rogaverit, quamvis renitatur, dummodo ſpem faciat converſionis.

(b) Xarque, Lib. 3. cap. 22.

(c) Nomen Mondaicæ Reductionis eſt *El-Jeſus*, a Mondai amne ad locum cæteris Reductionibus propinquiorem translatæ juxta pagum a Trinitate. Gentibus vero ſeu tribubus, ex quibus coaluit, *Monticulæ* generale nomen eſt, quibus aliqui additi ſunt Guajachi.

Digitized by Google

hostis imminet potentior, vires conferunt, positis per dynastas ignibus, ut bellatores una conveniant. Sed vel ad arcendas tigrides armatos semper incedere oportet. Passim occurrunt armentorum gregibus allectæ. Pares sunt unius anni vitulo, capite grandi & rotundo, quali leones afri. Tibiarum ossa cava non esse proditum est; mira certe fortitudine sunt, sed renibus debiles, ut vulneratas ibi haud ægre confeceris. Cum vitulum, quo maxime vescuntur, apprehendunt, guttur primo abscindunt, bibunt deinde fluentem sanguinem, tandem viscera vorant. Corpus eo trahunt ubi humari possit, dum putrescat devorandum. Putridas carnes appetunt, quarum odore feruntur eo, ubi humana cadavera jacent; quæ proterea ut tuearis, ingentibus saxis aut truncis contegenda sunt (a).

Viperæ & colubri.

Viperarum hujus regionis tam præsens venenum est, ut equus calce morsus repente consistat, cadat, moriaturque brevi, cruore per universos corporis meatus effluente. Nec minus exitialis serpentium tinnulorum, quorum genus in America etiam boreali vulgare est, morsus, minus tamen præsentanea pestis, ut medicamen passim obvium adhibere liceat. Etiam Guenoæ consueverunt, digitorum pedum & manuum articulos cognatis obeuntibus sibi amputare. Arguti audacesque sunt fures, a quibus in Reductionibus finitimis nihil tutum. Bello domari possent, sed Missionarii maluerunt, subditos Christo conciliari.

De convertendis consilium.

Quam ob rem a Reductione Sancti Thomæ profectus 7. Septembris P. Franciscus Garcia cum neophytorum manu, post trium mensium excursionem, quinquaginta Guenoas retulit, in quibus nonnulli erant dynastæ. Successu motus anno sequente per subseciva tempora excursionem iteravit auspice Deo; nam proselytorum sat fuit, ut anno 1685. nova locaretur sedes, aliarum spe facta. De Jarois Guenoarum vicinis spes erat major, quod & Hispanorum, & Guaraniorum, quos subinde visitabant, erant amici. Plures etiam Christo nomen dederant.

Missio ad Jaroos irrita.

His etiam sedem a S. Andrea dictam posuit P. Franciscus Ricard; eos tamen a veterum Christianorum consortio æquo citius sejunxit. Quo tempore de Jarois securior erat, postquam solemnissimi festi Vesperas cantu celebraverant, & solidæ pietatis specie; primo mane Principes Richardum conveniunt, velle se cum suis omnibus pristinam repetere vivendi rationem. Inopinato nuntio suspensus quærit, numquid quod tæderet commisissent, numquid desiderarent, quod præstare posset. Negarunt illi: imo suis omnium votis semper ad cumulum satisfactum esse. Unam deficiendi esse causam, quod affirmaverat, Christianorum Deum esse in omni loco, omnia conspicere, omnia cognoscere, nihil ejus oculos latere, ne mentis quidem arcanum. Nec suos, nec se velle usque adeo perspicacem & oculatum Deum: a Diis indigenis non tam prope observari: in silvis cogitare quodlibet, agere, loqui clam omnibus licere: ea libertate nihil amplius æstimare se.

„ Sed excidit-ne, ait Missionarius, quod etiam sæpe affirmantem audistis, solum Christianorum Deum esse Deum verum; reliquos Deos esse vel dæmones, vel nihil; neminem illius imperio subtrahere se posse; nihil vel in silvis, aut cavernis clam Deo cogitari posse; pro merito dandas pœnas, a vobis maxime, si post cognitum Creatorem vestrum ac Dominum, ingrati, nec ignoratione excusati deficiatis? " Nihilo magis sermone de sententia moti, omnes ad unum terga vertunt.

Non experti superaverit fidem, quid cor apostolicum patiatur tot laborum sperato fructu, tot animarum optata salute frustratum. Non alia magis re clarescit, Dei servos incassum terram colere & serere, nisi Deus sementem fœcundaverit. Quod quando non vult efficaci voluntate, reliquum est, ut judiciorum ejus profunditatem adorent, ad secundandum semper comparati, etiam cum justitiam exerit, misericordiæ consilium. Hujus veritatis in memoriam revocandæ, nova deinde Missionariis Paraguajensibus venit occasio.

Dum ad Paraguais orientem prosperi demore atque adversi eventus alternabantur; adesse tempus regnum Dei per Chacum amplificandi, ratus est novus Jesuitarum præpositus Thomas Baeza. Erat Tucumaniæ Prætor D. Ferdinandus de Mendoza Mate de Luna, atque Episcopus D. Nicolaus de Ulloa Augustinianus ad promovendam Religionem, & commoda Provinciæ procuranda intenti: quibus haud ægre persuasum fuit, nec terrore nec vi aperiendum fidei Chacum; nec Hispani dominatus firmandi spem, esse, nisi Christiani essent incolæ, vel Christianismo conciliati. 1683-85. Iter in Chacum.

Sic dispositis Baeza præconceptum consilium aperit: quo probato ad perficiendum elegit P. Didacum Ruiz Aragonium, in Cordubensi Studio Theologiæ professorem, & P. Antonium Solinas Sardum, Olienæ natum, qui Saltam Prætoris sedem profecti sunt. Eodem prævenerat Lic. D. Petrus Ortiz de Zarate, stirpe Cantaber, cujus originem refert Doctor Xarque ab Infante Bela filio Jacobi Aragoniæ Regis, & Alphonsi Castellani nepote. Filius & nepos erat Xuxujanæ Vallis domitorum, cujus urbem ejus pater condiderat. Septemdecim natus annos duxit Petronillam de Ibarra patritiarum in Cantabria Ibarræ & Murguiæ domorum hæredem, ex qua duos filios suscepit. Sed conjuge, quæ subito corruente turri oppressa fuit, viduatus, altaribus deinceps servire constituit: cœpit-

(a) Fama est satis vulgaris inter indigenas, ex dormientibus, vel occisis, prius tigrides ex odore notos appetere Æthiopes, deinde Indos, postremo Hispanos.

Digitized by Google

pitque viginti ſex annorum ætate Cordubenſem Scholam frequentare. Sacris initiatus Xuxuim repetit, urbanæ parœciæ præfectus. Mox Judex Eccleſiaſticus rei decimalis, Sancti Officii Commiſſarius, & Cruciatæ renuntiatur. Tandem ab Ill. Franciſco de Borgia poſt Maldonatum Tucumaniæ Epiſcopo diœceſis Viſitator conſtitutus, ea integritate & zelo provinciam obivit, ut Regius Indiarum Senatus de promovendo ad Epiſcopatum conſultaret, cum de morte nuntius in Hiſpaniam venit.

Miſſionarios ut victimas contemplanti in periculi & laboris ſocietatem aſciſci placuit. Jam pridem eodem conſilio Curias Americæ, & Indiarum Senatum ſolicitabat, ut Chacum aggredi liceret: ac tandem miſſorum conſortium impetravit. Cum de conſtituenda Reductione res eſſet, vel ea reſtituenda, quæ poſt D. Angeli de Peredo diſceſſum erat deſerta; de præſidio militari, de opificibus, & famulis providendum Ortizio fuit: hiſque ſumptibus attribuit quidquid ſupererat rei familiaris.

Mons Senta. Sic in evangelicam a Servatore Mundi Apoſtolis commendatam paupertatem redactus, Xuxui urbe 20. Aprilis 1683. cum Sociis excedit, præmiſſis quatuor & viginti Hiſpanis, Indiſque quadraginta, quos quarta Maii aſſecutus eſt. Sexta Sentæ montis tenuerunt culmen: unde ſereno cœlo totum fere Chacum conſpicitur; eo vero aſcenſuris, leucarum ſexdecim conficiendum eſt iter. Apex nunquam offuſcatur nubibus (*a*); ſed ſub pedibus vaſti pelagi ſæpe ſpecies eſt, terra penitus (*b*) ab oculis diſparente.

Spectantibus Miſſionariis præſagium fuit, infidelitatis tenebras, quibus regio ſubjacet, a ſe non diſſipandas; fructum laboris ſperandum a cœlo, cujus ſplendor & majeſtas non aliunde locorum conſpecta clarius emicant. Ut in campeſtria deſcenderent, quaſi mergere ſe oportuit in ſuppoſitam nubem, qua ſic aer inundabatur & obſcurabatur, ut elata ſubinde voce compellandi fuerint invicem, ne diſſociarentur. Illud ex obſcuritate commodum accidit, ut præcipitia, horridaque deſcenſus ſpecies celarentur oculos, ne apparerent inſuperabilia. In vallem ventum eſt tandem, ſterilem, & incommodo duplici plane inhoſpitalem.

Primo quod etiam hieme cyniphum & ſimilium inſectorum ingruit peſtis, eaque per æſtatem eſt, ut nec quieſcendi, nec commorandi ſit locus. Deinde quia exundantibus fluviis auxilium intercluditur, obſiſtentibus feritatis indomitæ barbaris. D. Martinus de Ledeſma propugnaculum ibi extruxerat, cujus tamen reliquæ tantum erant ruinæ. A barbaris, quibus nimium ſe crediderat, tot numero oppugnatus eſt, ut ex centum quos ducebat Hiſpanis, paucos in Tucumaniam reduxerit, majorem partem vulneratos, aut valetudine affectos.

Miſſionarios ibi convenit Oxatarum gentis dynaſta, qui eos ad mapalia ſua deducit, ac cedentibus poſtridie pluribus ejuſdem gentis, Tobis etiam, atque Tagnis, quorum ductu in planitiem *de Ledeſma* ventum eſt. Cum omnes ad fidem optime comparati eſſe viderentur, Reductio a S. Raphaele dicta oblineatur, in quam primo familiæ CCCC. conſcriptæ ſunt; Hiſpanis, Indiſque de Ortizii comitatu ſeorſim collocatis. Sed hieme appropinquante, qua (*c*) ad Tucumaniam viarum uſus intercluditur, de annona mature providendum fuit, ne novi coloni fame dilaberentur. Eam provinciam ſuſcepit P. Ruiz, quo abſente duo reliqui Miſſionarii viciniam, ut vacabat, percurſantes nova proſelytorum incrementa corrogarunt. Reductio a S. Raphaele.

Poſt aliquod tempus Ruizium Salta cum commeatu ceſſiſſe nuntiatum eſt. Prætor, Epiſcopus, & civium principes largos fecerant ſumptus, & Major Accenſus (*d*) D. Laurentius Arias auxilio erat cum militum manu. Miſſionarii cum eorum parte, quos ſecum retinuerat Ortizius, exierunt obviam in ſacellum ſex leucis diſtans, quod B. Virgini ſacraverant. Inde mittit Ortizius, qui Ruizium moneat, ne ſolitum iter per Colorati amnis vadum ſequeretur, ſed ſemitam, quam ipſe ſtraverat, in ſacellum deſinentem, ubi expectabatur.

Expedito nuntio a Mataguajo dynaſta monetur, Tobas & Mocobios in ejus & ſocii caput conjuraſſe. Nondum cum Solinas deliberandi tempus fuerat, cum 17. Martii (*e*) prima luce prodeuntes e ſilva vident centum & quinquaginta Tobas, & quinque Mocobiorum turmas. Secundo nuntio monet Ortizius Ruizium, ne flumen tranſmitteret: ſi cum milite venientem barbari conſpicerent, vim & ſervitutem veritos in præceps ruituros; ſe cum P. Solinas daturum operam, ut diffidentia diſſiparetur, depoſitiſque armis, vel Chriſto conciliarentur barbari, vel retrocederent. Conſpiratio in Miſſionarios.

Mox ad celebrandum ſe comparat poſt Solinas. Ut rem divinam perfecerat, appropinquantes Indos rogat numquid velint. Pacem reſpondent illi. Tunc Solinas accedit, & uterque barbaris munuſcula diſtribuit, grati animi ſignificatione accepta. De felicitate deinde veri Dei cultorum ſermonem inſtituunt: & a perfidis circumdantur, audiendi aviditatem ſimulantibus. Tunc incondito clamore appetiti jacu- Proditione occiduntur.

(a) Falſum hoc eſt, vel hyperbolicum, de die namque videris apicem nubibus ſubjacentem.

(b) Id recte habet; ſed montibus aliis eſt commune.

(c) Imo poſt hiemem intercluditur viarum uſus eluvionum cauſa, ideoque per hiemem de annona aliunde invehenda conſulendum eſt. Certe Hiſpani aciem de Tucumania in Chacum ducere conſueverunt hieme potius.

(d) Sargento-Major.

(e) Fortaſſe Maii; quando quidem hiems ea tempeſtate proxima fuiſſe dicitur.

Digitized by Google

culis, & iteratis clavarum ictibus conficiuntur. Eodem impetu in reliquos de comitatu octo decemve sævitum est. Cadaverum capita omnium ad triumphum abscindunt, quem ex cranio bibentes celebrare consueverunt.

Reductio vastata.

Ad occupandum Ruizium manipulum antea miserant, sed per viam ex Ortizii monito refutatam. Ille vero id quod erat suspicatus, certior tandem fit die 25. per Christianum, qui sub initium stragis editæ fugerat. Properat cum commeatu in S. Raphaelis, unde distabat leucis octodecim; sed locum penitus vacuum invenit. Hispani & Indi ab Ortizio relicti in Sentæ radicem concesserant; & coloniam dissipaverat terror. Arias Ruizii comes barbaros insequi voluit, sed quia serius venerat quam ut assequi posset retrocedit.

Honor confessoribus redditus,

Ad sacellum iter intendunt, ubi cadavera sagittis horrida, & a volucribus laniata jacebant præter Ortizii exuvias ad sacelli vestibulum, partem intra partem extra, incertum a quo distractas. Solinas erat ad oram silvæ, ex cingulo rosario, & uno vel altero precatorio libello cognitus. Hujus Saltam, Xuxuim Ortizii reliquiæ translatæ sunt. Utrique per omnes Tucumaniæ civitates honor habitus est, nam præter causam, qua in vitæ discrimen erant conjecti, compertum fuit, odio magorum interfectos, ut deorum inimicos. Sed aliquantum super hæc a Lozano (a) memoriæ proditum est. En quod ille narrat:

In Sardinia revelatur.

Byttiæ, quod est Sardiniæ oppidum, Capuecinorum cœnobio nobilitatum, Religiosus quidam Olienensis, P. Solinæ conterraneus, cum ad communem sederet mensam, lætabundus exultavit prope ad considentium scandalum. Præsidi post prandium increpanti ait, Deo revelante se noviſſe, P. Solinas S. J. popularem suum martyrio coronatum in Chaco Paraguai provincia, nec potuisse lætitiæ supprimere motus. Jubet Præses id ipsum scripto tradere. Scriptum sacramenti religione munivit, & subscriptum a Præside, reliquisque cœnobitis Olienam mittitur, ubi servatur authographum. Anno sequente ex Paragnaria rei summa nuntiatur.

Interea Tucumaniæ Prætor de Arias & de Ruizio solicitus, auxilio in aciem prodit; sed a Xuxujano Proprætore, qui præcesserat, incolumes ad S. Salvatoris reducti sunt. Jesuitæ Sociorum exemplo moti Chacum sudore & sanguine identidem irrigatum, demum fide & pietate fœcundandum rati, Missionem eam tunc maxime expetebant. Sed Indici Senatus consulto de prohibendis exteris, eo contractus erat operarum numerus, ut Missionibus constitutis, ibique unde major quam a Chaco spes erat constituendis, ægre sufficerent.

Incœptum irritum.

Peruvii Prorex, & Tucumaniæ Prætor, Hispanis indecoram existimabant barbarorum impunitatem, quorum insolentia blanditiis invalesceret. Dux Palatensis pro Rege persusum exemplo barbaris esse voluit; non impune gentem offendi virtute & imperio potentiorem, Mortuo itaque D. Josepho Endino (b) Paraguariæ Prætori substituit interim D. Antonium de Vera & Muxica cum mandatis, ut in Tucumaniam transiret ad castigandos Ortizii & Solinæ interfectores.

Adfuit Muxica cum Hispanis quatuorcentum, Indis quingentis: petiitque a Baeza Sociorum par, ut Indorum curam susciperent, siquos inveniret sinceræ sui deditioni paratos. Armatam Missionem aspernabatur Provincialis; annuit tamen novi Paraguajensis Prætoris voto, misso P. Ruizio cum coadiutore Josepho Estrada. Esteco prodiit acies 5. Julii 1685.

Expeditionis infaustæ narratione supersedeo, cujus emolumentum centum omnino captis constitit. Sed & Hispanis quorumdam ducum vecordia, coram tercentum armatis, atque vallo munitis, equi totidem ablati sunt: & ex annona dilapidata fames horrida regredientes oppressit. Itaque belli, quod lætam adeo spem fecerat, is fuit exitus, ut barbari eos esse Hispanos opinarentur, a quibus parum esset timendum, quos impune vastatis finibus adoriri possent: isque fuit per plures deinceps annos rerum cursus, ut in ea sententia obfirmarentur. Privatis intenti commodis Tucumaniæ Prætores, provinciæ populatores arcere cessarunt, & eo res publica devenit, ut finitimarum civitatum colonos, ad levandam ex agrorum vastitate indigentiam, focis peregre abesse oportuerit.

Regia mandata.

Calamitatis remedium haud difficile erat, si Regis Catholici consilium in Indico Senatu susceptum observaretur; qui de Ortizii & Solinæ casu certior factus judicaverat, destinatæ sedi solidandæ non aliud defuisse, quam ut Chacoënsibus persuaderent, nihil eorum libertati adversum intendi, sed ut veri Dei cognitione bearentur, Regis auspicio tuti. Nempe voluit Rex, ut infidelibus eorum tantum commoda quæri persuasum esset.

Ad Prætorem itaque Tucumaniæ mandata dedit 6. Decembris 1684., Patribus S. J. significanda, ut gentium conversioni de more adlaborate pergerent, proselytis affirmarent, immunitate sponte se dedentium sub fide regia potituros; pares videlicet fore Paranæ & Uruguais accolis.

Ut tamen principio securitati consultum esset barbaris se credentium efferatis & natura perfidis, voluit Carolus II., ut viginti aut viginti quinque militibus stiparentur, quos ipsi eligerent, & quod ad sui tutelam idoneos judicarent, & ad sinistram de Hispana gente, atque de religione Christiana opinionem abluendam. Prudentissimis mandatis fructus, quem sperare decebat, non respondit. Jesuitis vero, siquid de Chaco solidum esset audendum, alio vertenda consilia persuasum fuit.

Tarixæ collegium.

Post multam consultationem in eam sententiam

(a) Descr. Chorogr. del Gran Chaco. §. 51.

(b) Forte D. Joanne Diaz de Andino, qui supra dicitur fuisse Paraguariæ Prætor, deinde Tucumaniæ.

Digitized by Google

tiam ventum est, quæ prospere cessit, sed præter opinionem. Alio consultantium, alio Dei consilia spectabant. Gentibus nomine solo notis irrita de Chacoensibus cœpta profuturæ erant. In provincia Charcarum, sub gradu quadragesimo primo (a), minuto quadragesimo tertio latitudinis australis, conditum erat in Valle cognomine oppidum Tarixa, cujus finibus conterminæ sunt præcipuæ Chiriguanorum sedes, quorum aliqui Hispanis erant fœderati. Jesuitæ spe Chacum introeundi Tarixam oculos conjeceranr, ut mittendis esset statio & recessus; sed incolis chari incolatu carebant.

1690. Anno 1690. obita Missione per P. Ruizium cum socio, in Collegii desiderium moti sunt cives, quod fundare in se recepit D. Josephus Campero de Herrera, Alcantarensis Eques, Marchio, deinde a Valle de Toxo, cum uxore D. Joanna Clementia Bermudez. Auditorium Platense, & Archiepiscopus potestatem fecit a Rege confirmandam, ad quem ipse & Curiæ Præses D. Christophorus Mexia literas dedit. Prælati literas videsis in Documentis.

Carolus II. eam sedem tam habuit: cui præpositus P. Dombidas, dum primos colligere fructus sperabat, Chiriguanosque, quorum conversio potissimum intendebatur, adire decreverat, mandata Generalis accepit. Chilæ provinciam visitandi. Alium Deus apud Tarixam cœptis præponendum elegerat, quem eo tempore experimentis virtutibusque ad destinatum aptabat opus.

Primus Chiquitorum Apostolus. Hic erat P. Josephus (b) de Arce in Palma Fortunatarum insula natus, ubi maturare in Societatem adscriptus est. Adolescens in Paraguariam venit, prædicationi ut erant animi dotes addicendus, quamvis difficillimas obire Missiones optaret. Ut voti fieret compos, ad Indiarum Apostolum confugit. Febricitanti cathareticum indicitur, sed diverso medicamine per errorem adhibito in extremam vitæ discrimen conjectus est. Bæza Provincialis desperata præterquam ab alto charisubditi sanitate, votum nuncupandi copiam fecit, de procuranda infidelium conversione. Simul S. Franciscum Xaverium invocavit, atque periculo omnium exiit.

Missio Magallanica. Mittendos in eam Americæ partem, quæ Freto Magallanis claudiur, prædicatores ea tempestate fama vulgaverat. Haud ita pridem P. Nicolaus Masardi Jesuita Italus ex Chile profectus, totam fere regionem lustraverat, ubi Geographi Patagones collocant, quid nec eo nomine, nec affecta corporis majestate hodie noti sunt. Ibi Christum annunciaverat, & martyrii donatus erat palma. Mox carnifices pœnitentia ducti Missionarios petunt, testati confessorem Christi videndum se præbuisse post obitum, mœstos consolatum esse, spe facta venturos socios ad docenda, quæ se prædicante refutaverant.

Cum Jesuitæ Tucumanenses illorsum excurrerent, eorum quempiam barbaros convenisse verosimile est. Illud constat, de mittendis eo tunc Sociis e Paraguaria, nominatim P. Arce post receptam sanitatem, deliberatum fuisse. Sed ex iis quæ mox nuntiata sunt, incœpto cedere oportuit. Chilenses Hispani Mascardium ulturi, regionem ubi occisus erat bello aggrediuntur; Paraguajensibusque vitio vertunt, quod in alienos fines irrumpere velint. Quid post hæc acciderit, latet. Anno tamen 1703. ibi per Chilenos Socios inita est missio, ubi Mascardius ceciderat. Et ex Paraguaria nuper accepi, Missionarios, quo hæc scribo (c) tempore, promovendis ad Fretum usque Missionibus esse intentos.

Arce apud Chiriguanos. Ex eo ad Chiriguanos vertuntur consilia, & Arce eo mittendus jubetur Tarixam de via concedere, collegiique jam ad culmen perducti possessionem obire. Vix pervenerat, cum Chiriguani quidam adsunt a Pilcomajo cum dynasta suo, idque summis precibus adnituntur, ut apud se considere velit; certum sibi esse, Societatis Patrum curæ se tradere. Tunc demum persuasum Arceo fuit, sanitatem a Deo receptam, ut ejus gentis saluti operam daret; sed occasio hæc tantum fuit eorum, quæ nondum in mentem venerant.

Chiriguanorum dispositio. Arce lætus annuit advenarum votis, sed cognita infidelium duritie cordis, cupiditate, & levitate mentis nusquam stabili, Guaraniis Catechistis atque interpretibus negotium dedit, ut veram barbarorum dispositionem explorarent, voluntatemque sincera pro virili confirmarent. Neophyti mandata faciunt, nec prætermittunt quidquam, ut quæ sibi commoda ex fide provenerant, Chiriguanis essent communia. Pastorum maxime solicitudinem in rerum egestate levandi, & tuenda nequa ratione turbaretur libertate, commendarunt.

His sermonibus Chiriguani concedere visi sunt; fuit tamen quod animum solicitaret. Alii Chiriguani Rubicundi amnis accolæ Tarixam venerant, qui responderunt Arceo eos conciliare nitenti, vereri gentem ne Patres Societatis apud se considentes blanditiis captarent quod traderent Hispano. Suspicionem dissipare contendit ille; sed novit ex impatiente moræ tædio, operam perdidisse.

Sociorum excursiones. Horum exemplum primos a sententia non dimovit, qui noluerunt loco cedere, nisi Guaranii spei de Missione factæ darentur obsides. Dati haud ægre sunt, ut interea catechistam agerent, & penitius animos investigarent. Eos Arce cum P. Michaele de Valdeolivas post duos menses secutus est. Tribunus Militum D. Didacus Porcel de Pineda, nomen Chirigitanis charum, sub militari sago Apostolus, qui prope secuturum se spoponderat, simul cum filio iter intendit; sed valetudine apud Mataguajos affectum domum repedare oportuit.

Fi-

(a) Imo sub gr. vigesimo primo.

(b) Josephus Augustinus.

(c) Scribebantur hæc quo tempore ora Magallanica lustrabatur; de quo in Libro XXII.

Digitized by Google

Filius pietate genitori par. Missionarios comitari perseverat. Illi vero aliquot Mataguajum familias Christo pepererunt, quas in Salinarum vallem cum juniore Porco profecturi præmittunt. Pilcomayam inter & Rubicundum jacet hæc vallis, constituendæ Reductioni percommoda; sed opus erat Chiriguanorum consensu. Ad primum itaque pagum contendunt Missionarii cum suo duce; ubi comiter accepti in magnam prosperi successus venerunt spem.

Sed moniti, dynastæ propinquos a subditis alterius non longe distantis interfectos esse bello, conciliandis primum animis adlaborant. Ad offensum Principem se conferunt; ad obsistentibus Tobis hosti confœderatis, iter occluditur. Eum convenendi, & alloquendi desiderium; quisque obstaret euntibus, per expeditum nuntium referunt; quibus respondit, optare se causam itineris ex ipsis audire, obviam se venturum, nisi vulnere, dum suos ulciscî nitebatur, accepto prohiberetur: in extremum conjectum esse discrimen, nisi ad se tuendum Hispanos movissent.

Tarixam itaque Patribus regrediendum fuit. Chimeo transeuntes incolas efferatos offendunt, quod de se tradendis Hispano consilium versari, diffamaverant dynastæ duo; at sermone Porcellis placati sunt. Eodem convenerant Guarani, ad explorandos Chiriguanorum animos præmissi, qui nullibi non optime comparatos reperisse indigenas, testati sunt.

Dissidentes reconciliantur.

Non longe Chimeo distat Tariquea, ubi pagani sacerdotes Hispanorum primum obvios vivos comburere constituisse ferebantur. Patres dum experiri coram volunt, an ex vero rumor esset, miratur dynastam & Indorum turbam lætam occurrere. In amplexus certatim ruunt, testanturque nihil antiquius sibi esse, quam ut Patrum curæ se dent. Quin etiam Tarixam ut redeant ægre concedunt. Hinc Arce Guaranitorum motus nuntio, cum P. Joanne Baptista Zea brevi mora excessit post impetratum auxilium, & reconciliatos dynastas: quod uno ultro citro eundi labore fecit.

Illud prope miraculum fuit, in gente indictæ secundum libertatem cupida, occisorum propinquos iram paci Arce fundendæ postthabuisse. Nullus deinde aggressore dynastæ doctrinæ christianæ avidior fuit, subditis imitantibus exemplum, & conspirantibus, ut Missionarium apud se retinerent. Id ut facilius impetraret dynasta, filium infantem exhibuit baptizandum. Annuit Arce, qui priusquam ibi gradum firmaret, finitimos Pagos, eorumque de religione Christiana sensus circumlustrare constituit.

Milites Hispanos, qui Tarixa venerant dimittit, & comitante Zea Guapaim amnem petit propter montium Chiriguanorum juga. Extrema hoc itinere passi sunt, duce carentes, & commeatu; venerunt tamen in populos, eos videndi, audiendi, & retinendi cupidos. Nonnullos etiam noctu proximos volentes baptismum [illegible] ad Guapaim oram pervenitum est, occurrit in lacrymas effusa Chiriguani dynastæ soror, quæ ait, a Prætore Sanctacrucensi capitis damnatum, nec manus quærentium, nam mortem evadere posse: irent ad Prætorem, rogarentque ut a persequendo cessaret.

Arce & Zea apud S. Crucem.

Opportuna Missionariis visa est occasio ad conciliandam gentem, cui diem salutis illuxisse credebant. Pro fratre oratores se fore pollicîri, eum exhibere jubent: quocum profecti ad Sanctæ Crucis perveniunt 3. Octobris. D. Augustinus Arce de la Concha Prætor erat, a quo amice excepti dynastæ veniam facile impetrarunt.

Prætoris consilium de Chiriguanis.

Cum Chiriguana gens ex parte intra illius præfecturæ fines constituta sit: ad Christianam religionem convertendæ, Hispanisque sincera atque perpetua pace reconciliandæ, consilium aperit P. Arce: Prætoremque rogat, uti qua valet authoritate, cœpta secundare velit. Prætor, cujus erat experientia & religionis, respondit, de sui & fœderum zeli puritate non dubitanti, certum sibi esse, satius fore alio quam ad Chiriguanam gentem respicere, cujus nota erat a Christianismo aversio, levitas, cordis duritia, diffidentia, perfidia.

Chiquitos commendat.

Addidit, martyrii, quod significaverat, spem satis non esse ad gentem eam aliis præferendam, a regno Dei manus avertit. Chiquitos, qui non longe aberant, fœdus secum haud ita pridem firmasse minime anceps. Missionarios petere; e Peruvio advehi non posse, ubi ægre populis sibi creditis Jesuitæ sufficiebant, & soli Moxi plures occupabant: Chiriguanos itaque relinquerent, quos una cupiditas incessebat Chiquitorum curam suscipiendi, quos spondebat fore docilis, rem sui per litteras cum Provinciali tractaturum, & si foret occasio, cum P. Thyrso Gonzalez Societatis Præposito, quocum sibi vetus erat amicitia.

Animas se quærere, responderunt Socii, ideoque a Prælatis mittentur ad Chiriguanos missis ad Chiriguanos eundum, nec stolam sua sponte mutare posse. A Prætore digressi Guapaim repetunt, ubi Chiriguanorum ex impetrata dynastæ libertate gratia, memoriam de Chiquitis obliteraverat. Sed peregrinis Indis, ut sedem apud se locarent, id negant, non defecturos si perseverent pollicîti: & qui fidem obligent, de Guaraniis quosdam ibi relinquunt, ut erudiendis interea pueris operam darent.

Ad Guapaim Reductio.

A Chiriguanis non ante dimissi sunt, quam in locum statuendæ Reductionis, ut ipsi judicabant, peromnemodum convenirent. Ratum illi habent, & futuræ sedi parato sacrificio die Præsentationi B. Mariæ sacra, nomen a Præsentatione fit. Septem dynastæ eo se cum subditis conferre pollicentur: & Socii floridæ Christianitatis ad Guapaim cogendæ spe, negotiis alio vocantibus expediri properant, ut extremam cœptis manum imponant in reditu. Una diebus aliquot progressi discedunt, Zea Platam ad consulendum Archiepiscopum

&

& Curiæ Præsidem de ratione cum Chiriguanis agendi, Arce ad Salinarum vallem, ne victus inopia consilium turbaretur, Junior Porcel ab Arce nunquam eo usque discessurus, qui in passim obviis difficultatibus præsentem tulerat opem, comes ire pergit.

1691. Missioni Chiquitorum obstrepitur.

Primæ difficultates in apostatas referendæ, cum subruentes inceptæ, sed in majus discrimen ab Hispanis rei summa conjecta est, quos male habebat in Valle Salinarum destinata Reductio. Excursionibus illac ad captandos Indos assueti, insuperabile cupiditati vepagulum esse arbitrabantur. Eam calumniis oppugnarunt, Platam usque diffamatis, quarum auctorem indignati Regii Senatores facessere jubent, consilium promovendi provincia data P. Zea. Chuquisaca cum P. Didaco Centeno Tariram proficiscenti, quo tandem pervenit medio Martio 1691.

Dissidentiæ seminatæ.

Hinc convenit eodem Arce, cum utroque deinde Chiriguanos confines visiturus, ex quibus proselytorum supplementum ad Præsentationem deducere meditabatur. Ut plurimum grati animi significationibus accepit; a nonnullis tamen sinistræ affectionis observarum vestigia. Mox compertum sui, de se cæde vel exitio exercendis consulturi, comitiis dynastis duobus apostatis, quorum meminimus, qui pellices si religio prævaleret abigendas, vel quod fidei summa calamitas est, solam mutandum prævidentes, occasionem anteverterе tentabant.

Vim apertam adhibere non ausi, solicitabant animos in Hispanos generatim, præsertim in Patres Societatis, ut libertatis Indorum specie studiosos, revera occultos gentilium furorum emissarios, ad illiciendos indigenas. Hæc in Chiriguanos nonnullos divulgarunt, quorum aliqui Tariquean ingressi, dynastem quo nullus Missionariis magis addictus erat, in suas trahere partes nitebantur; ille tamen sic Patrum causam spectavit, ut importunos sententiam mutasse crederetur.

Conspiratio detecta.

At mox monetur Arce, conspirationem in furtum, & proselytorum, quos in valle Salinarum congregaverant, cædem maturari. Imo & rumor invaluit, Tobas apostatarum suasionibus in aciem prodiisse, Paramoque Zeam & Centenum ad Guapaim profectos, in eorum incidisse manus. Tobas quidem in arma convenerant, vallem Salinarum populaturi; sed mutato consilio retrocessuros. Missionarios quoque superatis per dynastam quemdam in una possessionis insidiis, Præsentationem advenisse, compertum deinde est.

Provincialis consilium.

Interea literas a P. Gregorio de Orozco Provinciali accepit Arce cum mandatis, ad incepta feliciter promovenda expedire, ut Reductio quam posset proxime Tariram locaretur, ita solidata, & ab infidelibus tuta, facilius deducerentur aliæ, quas oportebat sibi propinquas erigi ad eam versus Chaqui partem, quam Chiriguani occupant. Consultissimum quidem id erat. Et quia Tariqueæ vallis ad Provincialis votum propius accedebat, locique dynastam commendabat probata fides, eo protinus contendit Arce.

Chiriguanorum comitia.

Eum dynasta comiter accepit, inviolabilis amicitiæ fœdere instaurato. Addidit tamen, cum de suis aliqui, atque de vicinis sensus alios manifestassent, suum non esse quidquam inscio ejus regionis principibus constituì: speraret se officio devinciendos, ut consentirent: a se vocandos extemplo: orare se ut & ipse comitiis interesset. Annuit primo Pater: indicuntur que ad Julii trigesimam. Sed ex apparatu & ritu comitiorum exitum minus felicem timere cœpit: pensatisque omnibus, apud dynastam absentiam excusavit.

Nocturnum commissam ad deliberandum expectant; & primo fit epulum, sæpe chorcis interminendum & cantu. Ad singulas choreas bibitur in gyrum, atque invitatis propinatur. Deinde libcantur sententiæ. His usque ad lucem primam prolatis, quamquam hiems erat media, in flumen omnes abeunt lavatum. Inde separantur, frontem volucrum pennis ornant, & corpora vario depingunt colore. Prandium inceptam, instar cœnæ pridianæ peragendum.

Senatus consultum.

Missionarium rursus invitaverant, qui respondit, cantu se magis delectari, quo longius sonat. Diem orando ut noctem fere transegit, & vespere decretum denuntiatur, posse Patres Societatis Reductionem in valle Tariquea locare, ternis tamen pactis, primo, paganos extra vallem non transferendos: deinde nemissem, ut Christianus sit, vel monogamus, compellendum: tertio, nullius nec Ecclesiæ servitiis addicendos pueros.

Dissimulavit Arce quid de conditionibus sentiret: & sic respondit; ut nulli non satisfactum denique sit. Sperabat, Christianismo prævalente, haud segne persuadendum ethnicis etiam quod e re publica foret, vel ut ipsi pacta revocarent. Voluit cœtus, ut pluribus sententiam explicaret. Adventare vesperum respondet ille, postridie vero dynastas convenit, ad quos sermonem habuit, attentos primum, plausu deinde acclamantes.

Conditur Reductio.

Tariqueanus dynasta orsus: Christianorum Deo gratias egit, quod genti Patrem salutis animarum studiosum, & omnium commodis faventem præbuisset. Postquam dixerat, Missionarium deducunt, & locus Reductioni deligitur. Possessionem alit ex jure, imposito nomine a S. Ignatio, quod festo Sancti Societatis Conditoris prodiisset decretum. Manus illico admoventur operi, dum Pater in vallem Salinarum diverteret, promovendo. Eo mox quam pervenerat, adest nuntius, de Reductione nisi actum esse.

Motus sedatur.

Accurrit cum Porcele propere, simul atque opportune. Apostatæ, qui constituendæ sedi repugnaverant, & alii seducti plures infecerant. Sed præsentia Missionarii & Tribuni vacillantes confirmavit, & exercitos seductores vero vel abegit, vel continuit. Reliquum erat ut abscissa pestis vel oppressa radicitus evelle-

re-

retur. Prudentiorum sententia fuit, ut regimen statueretur cum imperio ad frænandos reipublicæ perturbatores: egitque Arce apud consilii hujus authores, ut protinus moderator eligeretur. Electus est *Chamdiburi* dynasta, cui maxime gesta omnia accepta referre oportet. Ut unanimi consensu admissus ampsius observaretur & timeretur; a Tarixano Prætore, ut virga Subprætorum insigni publice donaretur, impetratum est.

De Chiquitis nova petitio.

Quædam cum Provinciæ Præposito transigendi necessitate, Tariqueam cum Subprætore regredi non licuit Missionario: quo factum est, ut nunquam redierit. Nam litteras interea accepit Orozcus a Prætore Sanctæ Crucis, ut Arceum instituendæ Chiquitorum Missioni destinaret rogante: quanti ad religionis incrementum, & ad Regis obsequium interesset, ponderabat: affirmabatque tandem, incœptum id esse, quo nullum Societatis zelo post ejus in eas provincias adventum, dignius accidisset. His litteris in angustias redactus est Provincialis, qui operarum inopia Chiquitis Arceum concedere nequibat, nisi abjecta de reducendis Chiriguanis opportunitate, & perpetuum fortassis intercluso Missionariis Chaco.

1692. Sociorum supplementum.

Sed adfuit præter opinionem Providentia; quæ Arceum Chiquitorum Apostolum, & novæ in America Meridionali Christianitatis conditorem decreverat. Paulo postquam litteras Sanctacrucensis acceperat; nuntiatur Provinciali, quadraginta Socios descendisse Bonis Auris. Ex quibus quinque cum antiquorum pari ad S. Crucis de Monte jubet ire: Arceumque substituto Tariquæ P. Tolo, eodem se conferre. Erravit quidem, dum Bonaurensi Rectori mandata dedit, ut adversis Fluminis Argentei aquis missos expediret; nam post casus varios & tempus, iter in portum repetendum fuit, ad Sanctæ Crucis accessu prohibitis.

Arce nihil moratus loco cessit. Præsentationis sat bene constitutam invenit sedem; sed cum impar esset opera duobus, Centenum secum abducit, Zea residet aliquandiu, deinde subrogatis PP. Suarez & Cavallero, Arceum sequitur. Totus ibi labor in baptizandis infantibus morituris erat: adulti verba dabant, etiam ii qui Reductionem expetiverant: momenta frustraverant gratiæ, & spem fallebant conversionis.

Chiriguanorum Reductiones desertæ.

Missionarii, longanimitate Dei servorum digna, rebellium corda pulsare perseverabant, & pristinos sensus reformare, cum repente commoti barbari ædem sacram, domumque Patrum comburunt, qui ad Sanctæ Crucis vitæ periculo evadunt. Tariqueæ casus celerior fuit. Continuerunt se Socii, quandiu ii tantum, quibus semper diffiderant, adversati sunt: postquam vel fidissimi defecerunt, terra deserenda fuit ingrata & sterilis.

In vallem Salinarum, cum fidei reliquiis migratum est, brevi quiturum asylum. Quod si nondum de Chiriguanæ gentis conversione desperatur, id est quia decet Evangelii præsertim ministros, Deo misereri diem dicere. Jam Chiquiti cœperant irritos in Chaco Sociorum conatus compensare: ac tandem successu compertum est, recte de utriusque judicasse Sanctacrucensem Prætorem. Priusquam progrediar, gentem noviss oportet, quæ hujus deinde Historiæ nobile argumentum est.

Chiquitorum regionis descriptio.

Nomine Chiquitorum appellantur plurimæ numero infrequentes nationes in eo tractu regionis sitæ, quem ab Oriente (a) discriminant Moxi & Baures; interiis ad Occidentem finibus. In latitudinem explanatur ad boream, ad austrum arctatur. Extenditur vero a gradu decimo quarto altitudinis australis ad vigesimum primum. Qua regio spectat ad ortum, paludibus abundat (b), & fluviis aliquot irrigatur: occiduam partem secant duo flumina, quæ juxta fontem propinqua, in diversa deinde discurrunt, ac tandem in Mamoreem & Amazones confluunt. Guapai, & Pirapiti (c) hæc flumina sunt.

Primum recens natum *Flumen Grande* dicitur, immerito quidem etiam quando adolescit: quod & aliis Americæ Meridionalis fluentis usu venit. Guapais vocatur, dum semicirculum fingit, quo Sanctacrux oppidum continetur. Parapiti, cum e Chaco Chiquitiam adlabitur, nomen habet a S. Michaele. Inde dicitur Sara: quod nomen a Guapais etiam confluvio ad Mamoreem usque retinet. Perpetuo montium dorso regio definitur ad boream, ad meridiem Chaco. Undique nemorosam complent alvearia, & apes *Opemus* maxime quas dixi, quibus cera & mel præcipua indigenarum opulentia fiat.

Amnium paludumque litora testudines occupant, & feræ venaticæ: atque plura loca gallinæ, simii, cervi, tubali, rupicapræ. Sed colubrorum, viperarumque major est copia neque unum id genus reptile veneno magis minusve præsente purum sit. Sunt quorum virus, morso licet extremo pede, caput confestim occupat, mentem alienat, corpus totum debilitat, vita privat. Reliquorum ut plurimum virus letho caret, & sanguine per universos corporis meatus fluente vaporatur, lenta solum relicta virium debilitate. Tellus efœta, & plane sterilis (d) esset, nisi post Septembrem ad sequentem Majum pluviæ obtinerent, quibus non tantum rura fœcundantur, sed lacunæ & rivi fiunt, brevi piscibus exuberantes. Subsidentibus aquis seritur maizium seu frumentum turcicum, gossypium, canna dulcis, oriza, tabaccum, aliique fructus

(a) Nonnisi ab ea parte, quo occidens boream respicit.

(b) Abundat utique dum ingruit pluviarum tempestas: de reliquo aresci.

(c) Parapiti potius.

(d) Silvosam tellurem esse sterilem ægre crediderim, quamquam forte speciali cultu exerceri & parari petit: & semina quædam respuit, aliorum fœcunditate compensata.

Digitized by Google

ctus & legumina. Vitis & triticum ignota sunt. Æstuat ubique; alicubi supra modum. Clima varium morbos inducit frequentes & periculosos, apoplecticos maxime: & pestilentia annuam agit periodum. Mors tamen obvenit non tam morborum vi, quam medicorum stultitia, quorum ars tota, qualiscumque sit ægritudo, remedio duplici constat. Affectam partem primo fugunt. Secundo fœminam popularem morti devovent. Chiquiti videlicet omnium causam malorum fœminas arbitrantur: qua opinione maritis uxores perosis commoda, facile medicus ad mortis decretum pronuntiandum adigitur. Decretum vero nulla suspendit provocatio, nam qui medicus, & caciquius est & carnifex. Curationem aggressus, sumptibus ægroti, cui maizii paululum porrigit, large sibi cibat. Escas fastidientem mori sinit, non sua sed se occidentis culpa.

Illud primum interrogat, an ægrotus chicham effuderit, quæ cervisiæ genus est vehemens ex oriza (*a*), Indorum omnium hujus continentis delicium. Deinde, an testudinum carnes, alteriusve animantis, porcis projecerit. Si quæsito primo ægrotus annuat, ubi acrius dolet corpus exsugitur. Quo si dolor non cessaverit, spiritum chichæ præsidem, cui pœnæ dantur, ait Physicus esse placandum. Secundo quæsito ut respondet, terram medicus circum jacentem vi summa concutit, ad abigendum infestum spiritum (*b*).

Gentis animi. Ex nomine ab Hispanis indito, breviori inter Americanos statura Chiquitos esse judicaverit quis. Falso tamen. Staturâ vulgo sunt supra mediocrem. Siqua fides Ferdinandio (*c*), sic appellati sunt ab humili mapalium ingressu reptantibus pari: quo videlicet munimine utuntur contra hostium sagittas, & contra perennes muscarum, & insectorum id genus turbines. De cætero corporis habitu sunt virili & robusto, judicio recto, egregio mentis acumine: veraces, & qui modice participant communia Americanis Meridionalibus vitia, inconstantiam, indolentiam, desidiam: laboriosi vel sunt, vel facile deveniunt; quo Guaranios superant magno primorum pastorum commodo. Præter ebrietatem ab uberibus epotam vitio carent, quod utique vulgare sit. Gens, qua nulla fortasse illius continentis castior, nulla quæ docilior corrigenti cedat.

Vultus conformatio a nostris minimum distat: nec Indum ab Hispano nisi colore olivario distinxeris. Dum viginti annorum ætatem excedunt, comam nutriunt, prolixaque venustari credunt. Barba pullulat rara & sera. Fœminæ interula induuntur, seu involucro, cujus manicæ cubito breviores sunt. Parum distat virorum habitus. Juniores a Missionariis inventi sunt nudi plane; in solemniis tamen varii coloris plumis frontem ornabant. Sunt agiles, intrepidi, & arma dextere tractant Paraguajensibus communia.

Regimen, bella, conjugia. Imperii nullius erat forma; sed consilio seniorum plurimum concedebant. Dynastarum dignitas obveniebat, non hæreditate, sed fortitudine, nullo ditionis addicto jure. Bellum facile indicebant, interdum una vires experiendi causa. Ex eo finitimos terror invaserat. Erga captos mites, quibus filias nuptui dabant, & filiorum locum. Solis dynastis digamis esse licebat. Privatis una erat uxor, quam tamen repudiare, & commutare integrum erat. Bellator, aut venator rudis ægre collocabatur. Puerorum educatio nulla.

Vitæ ratio. Vicos in silvis habitabant, paleata tuguria. Epula, maxime quibus honorabant advenas, biduum aut triduum obtinebant. Dœmones primo adjurabant, ne festa turbarent, magnis aerem clamoribus, clavarum ictibus terram verberantes. Convivium fere totum chichæ potu constabat, & ex ebrietate in bacchanalia desinebat. Vulnerati pars major abibant præter occisos, inviratis nihilominus gratiam habentibus, nec propter res per ebrietatem gestas infensis.

Primo diluculo evigilantes mane prandebant: canebant deinde tibiis, dum sol rorem, quem infestum sanitati putabant, exsiccaret. Ad meridiem agros curabant, vel opus aliud, si ager esset inundatus. Reliquum diem ludi obtinebant, salutationesque. Fœminarum labor aquatione & lignatione constabat, maizium & orizam coquendi cura, filumque gossypinum torquendi ad indumenta, & lectos pensiles, quibus soli utebantur conjugati, reliquis super ligna sat disparata, & impositam stoream cubantibus. Sole cadente cœnabant, & a cœna commigrabant in lectum ætate grandiores: juniores noctis partem saltabant, hinc pueri, illinc puellæ. Post messem venatum ibant in plures turmas dispertiti. Cibaria ut servarent insumabant, & Augusto mense ad sementem parandam aderant.

De religione sensus. Nullum apud Chiquitos religionis vestigium; sed timebant dœmones, horribili ajebant specie apparentes. Animas credebant immortales, quibus & escas apponebant pro funere, armaque, ut exhaustas venatione supplerent. Lunam matris nomine appellabant, deficientem a porcis morderi rati, & morsu cruentari, eo quod deficientis color subrubicundus est. Ad abigendos porcos illorsum sagittas ejaculari non cessabant, donec luminis jacturam repararet. Tonitrus & fulgura a mortuorum animis cum stellis, quas habitabant rixantibus cieri putabant. Veneficios adnumerabant hostibus humani generis, discerptis quos haberent suspectos.

Præter modum superstitiosi futura præsagie-

(*d*) Non ex oriza fit chicha vulgaris, sed ex maizio seu frumento indico: nec nisi diu acescere & fermentare sinatur, usque adeo vehemens & forte genus potionis est.

(*b*) Non igitur duobus tantum remediis constat medicorum ars: ut Historicus scribit; sed tribus saltem, fustu videlicet, fœminarum cæde, & terræ circa ægrotum concussione.

(*c*) Joannes Patritius Fernandez; *Relazion Historial de los Chiquitos.*

Digitized by Google

giebant ex pſittacorum, & animalium voce. In armis etiam futurorum ſigna captabant. Imminente hoſte vel caſu pallebant, & palabantur per ſilvas de conjuge, filiiſve non ſoliciti. Nec de victu ſibimet providebant: panicum terrorem ſecutis aliquando fame, ærumnis, exterminio.

Hiſpanos licet peroſi, & manu captos dire vexandos rati; chariſſimum quodque caput, uxorem, filium, ſororem haud ægre venumdabant, cultello, parive pretio. Illud eſt non minus mirandum, ex ſuperſtitione uſque adeo paventes & timidos, cum in præſens diſcrimen mentem non reflecterent, eſſe intrepidos, nec ob virium imparilitatem unquam prælium refutaſſe.

Chiquitorum ſermo. Chiquitorum ſermo difficilis eſt ad diſcendum: & ſingulis tractibus, interdum pagis peculiaris eſt, comparanduſque a primis Miſſionariis labore ſummo. Verum non idiomate ſolo, neque nomine diſtinguebantur Chiquitorum pagi, ſed moribus, natura, & iis quæ ad religionem ſpectant. Alii alios civilitate, ſuperſtitione, docilitate, feritate ante ibant. Erant qui dæmones ſpecie viſos, auditoſque colerent inſtitutis ſacerdotibus. Atque oppido barbari, & perfidia famoſi reperti ſunt.

Prima de Chiquitis notitia. Primis Peruvii debellatoribus noti fuerunt Chiquiti, quos bello domare non potuerunt. Videre licet egregium P. Joſephi Acoſtæ Opus *De Procurandam Indorum ſalute* (*a*), Cl. Juriſconſultum D. Joannem Solorzanum cap. IX. Politicæ Indicanæ (*b*), & Ill. D. Alphonſum de la Peña Epiſcopum Quitenſem (*c*) in Præfatione Secundi Libri ſui Itinerarii. Nuſlus ſeu Onuphrius de Chaves, cujus ſæpe memini hujus Hiſtoriæ Libro ſecundo, qui cum Chiquitis bellum gerere coactus eſt, aliquandiu poſt conditam Sanctæ Crucis urbem eos amicos habuit. Ægre tamen adducor ut credam, quod a nonnullis proditum eſt, Caſtellano vectigales feciſſe (*d*). Illud conſtat, poſt urbem translatam a D. Franciſco Toletano Peruvii Prorege (*e*), fere ſemper cum Hiſpanis bello diſtentos, donec anno 1690. D. Auguſtinus Arce de la Concha fœdus inſtituit fide catholica mox accepta perennaturum. Opportunum ſcilicet tempus arripuit D. Auguſtinus, cum excurrentibus in eam regionem Mameluccis, Indis bellandum erat, averſis & adverſis.

Jam pridem Chriſtus Chiquitis annuntiatus erat; ſed incertum quare neglecti. Tempore certe de quo loquimur, nullum ſupererat veſtigium Chriſtianiſmi. Plures quidem ante Sanctacrucenſium tranſmigrationem Chriſto nomen dederant, apud quos colonorum quidam itineris tædio reſederunt, condito ad cujuſdam montis radicem pago, cui a Sancto Franciſco nomen eſt. Alii ad Moxos defecerunt; alii per Mamoreëm aqua Maragnonem, inde Hiſpaniam uſque profecti ſunt. Id eſt dolendum, quod Panoquiſi Chiquitorum natio Crucenſibus commendati, urbe translata rebellarunt, cum ſervitute abjecta fide, cum libertate concepta rabie contra Hiſpanos.

Novus i Crucis li tus. Poſtea ſecundo fuit urbs ſub gradu decimo-quarto, minuto vigeſimo latitudinis auſtralis, ſecundum montes quibus ad boream dividitur Chiquitorum regio, & perpetuo jugo Xarajes attingunt boream inter & ortum. Additum eſt nomen a S. Laurentio (*f*) hodie quoque in publicis actis adhiberi ſolitum. Latet decretæ a Toletano pro Rege translationis cauſa, nam de bello Chiquitorum, quod aliqui ſignificarunt, conjecturam non probo, cum bellum translatione poſterius ſit. Caput eſt Sanctacrux provinciæ cognominis ad civilem Charcarum conventum ſpectantis, cujus Epiſcopus Platenſi Metropolitano ſubeſt.

Ut ad votum redeam D. Auguſtini de Arce Prætoris, cum Chiquitorum animos conciliavit, ad Chriſti fidem paratos invenit. Spem fecit, Sociorum curæ tradendos, nec propterea timendum libertati. Sic Deo providente fundamenta ſunt jacta reipublicæ Chriſtianæ poſt Guaranicam ſecundæ, cui numero tantum cedat. Sic P. Arce præter opinionem in eam provinciam venit, ut Divinæ Providentiæ de Chiquitorum converſione conſilium miniſter ſecundaret.

Hiſpan obſtant. Hoc ſimul novit, atque a ſolo Deo rei exitum ſperandum cenſuit. Sanctacruce jam aberat Marchio *de la Concha*: nec ſucceſſor de converſione Chiquitorum uſque adeo ſolicitus erat. Colonis etiam pluribus inceptum diſplicebat, nec ad Miſſionarium abſterrendum quidquam prætermiſſum eſt. Difficultates primo exaggerant. Quibus non cedenti laborum inutilitatem perſuadere nituntur. Evangelio ſubjici non poſſe barbaros hominis tantum præferentes ſpeciem, totius ſæculi ſpatio non domitos, natura ab omni religione abhorrentes, qui vicinorum etiam ritus etſi minus cupiditati adverſos aſpernantur: quorum notum erat contra Hiſpanos odium & feritas: qui fidei Chriſtianæ votum ſimulabant, hoſtem veriti duplicem: a Mameluccis liberos, aciem priſtino furore converſuros in Hiſpanos: Miſſionariis primum impetum exitialem imminere, aut certe perpetuam ſervitutem: quodſi tigridum immanium voracitatem evaderent, climatis intemperie, & peſtilentia peritu-

(a) Seu de Promulgando apud Barbaros Evangelio.

(b) Libri Primi crediderim, ſi de Politica Hiſpanice ſcripta ſit ſermo, nam Opus latinum *De Jure Indico ſeu de Indiarum Gubernatione* aliter diſtribuit Author.

(c) Nempe Ill. Montenegro in Opere Hiſpanico *Itinerario de Parrocos*.

(d) In tanta Chiquitorum diverſitate veriſimile eſt, inſtar Guaraniorum aliquos vectigales fuiſſe; reliquos non item.

(e) Præfuit Toledo pro Rege ab anno 1569. ad 1581.

(f) Dicitur etiam de la Barranca: locaturque ab aliis ſub gr. 21. m. 9.

Digitized by Google

rituros operarios alibi locorum Religioni, atque Statui utiles.

Vis Indis illata.

Non inexperto causæ contingit hic sermo. Neque latebat, Sancta Cruce institutam esse mercatorum societatem, cujus sumptibus emansores vagabantur ad capiendos Indos; in Peruviumque & finitimas provincias venum abduci eo ex multitudine pretio, ut fœmina & proles cum ove & agno commutaretur. Nec latebat, cum mancipiorum satis non erat ad commercium in regione aliqua, gentibus non male meritis litem intendi, ac per speciem injuriam ulciscendi, bellum committi, reluctantes occidi, reliquos manu capi.

Pro Rege reprimitur.

Dedecus Hispanæ genti, & religioni paucorum cupiditate illatum, & impunitate invalescens pii dolebant. Sed Magistratus severius agere non audebant, periculosos veriti motus. Quin etiam aliquandiu post accidit, ut Moxorum Chiquitorumque Missionariis apud Charcarum curiam conquestis, dives quidam & potens reorum patrocinium ita susceperit, ut Curiæ fuerit supersedendum, causamque remiserit ad Peruvii Proregem Principem *a Santo-Bono*: qui summa imperii vi tantum nefas exterminare constituit. In vendentes, ementesve Indum pœnam capitis; in Prætores aut Præsides id commercii tolerantes magistratus jacturam indixit.

Arce ad Chiquitos iter parat.

Remedium sero adhibitum primis Chiquitorum Missionariis non profuit (*a*). Noverat Arce campum quem coleret extricandi difficultatem, sed objectus labor addebat animos, eo maxime quod Inferni adversus id genus cœpta molitiones, felicis exitus præsagia sunt ut plurimum. Preces primum adhibet: eos, a quibus magis erat timendum, prævenit & alloquitur ea comitate atque efficacia, ut conciliatos esse crediderit.

Quos tamen haud satis noverat. Irreligiosos quidem, palam offensato Dei ministro, se profiteri nolunt; quinimo loquenti assentiuntur specie, verbaque dant, quorum fidem liberare non curabant. Laboribus insalubri cœlo susceptis brevi defuturum opinabantur, aut barbarorum manu periturum. Fore sperabant, ut opus fastidiret ingratum & sterile, aut in superandis, quas parabant, difficultatibus desponderet animum. Sed & ipsi, quocum res esset, ignorabant.

Chiquitorum status.

Apostolicus vir Sanctacruce viæ ducis desiderio moratus, binos tandem ad Pinocas reperit, primam Chiquitorum gentem, ad quam trium hebdomadum itinere venit cadente anno 1692. Sub aditum triste occurrit spectaculum. Pestilentia generalis ingruerat: qua mox mortuorum quos extempore baptizaverat, atque morientium turba morbidum spiritum alternante, omnique auxilio destituta circumseptus fuit.

Illud admirationi, dolori simul, & solatio fuit, plerosque eorum tantum infelicitatem male habere, qui pridem non baptizati decesserant: laudabantque Deum, quod se tanto malo fecisset immunes. In sermones pii Marchionis *de la Concha* hi sensus referendi sunt, dum pacto fœdere, de admittendis Missionariis consilium indidit. Fructus indigenas, quod reliquum erat, offerunt Dei ministro, polliciti ne destitutos vellet, ecclasiam domumque ædificare, & necessaria omnia sufficere, cum venatum exire possent.

Prima Reductio.

Ægre invitantibus annuit; nam mandatum erat, ut postquam gentis statum explorasset, ad lacum usque Xarajesanum mittendis Sociis obviam procederet. Sed iter, omnibus coram pensatis, ut tunc erat, impossibile visum fuit, nec deserendos in eo statu Chiquitos, ut usu nullo, spe nulla periculum faceret. Ibidem itaque constitit gaudentibus Pinocis. Imo & gaudium ad restituendam ægris sanitatem juvisse videtur, qui paucis post diebus in silvam accurrunt, proceram dejiciunt arborem, & crucem erigunt. In loco ædi sacræ construendæ destinato postrema Decembris collocatam proni venerantur, Patre *Vexilla Regis* canente, & B. Mariæ litanias: quo solemni ritu toti Chiquitorum genti Dei Genitricis auspicium conciliaret.

1693. Gentis docilitas.

Ad fabricam ædis sacræ Indiarum Apostolo dicandæ protinus collatæ sunt manus, ut post dies decem sacrum in ea celebratum sit. Principio usque adeo læto respondit eventus. Ea doctrinæ, atque baptismi erat aviditas, ut nullum Missionario vacaret tempus. Nec templum unquam vacabat mane aut vespere, noctis etiam parte repetendis transacta, quæ centies per diem tradebantur rudibus & obliviosis; quorum tamen docilitas & discendi ardor laborem mitigabat. Votis & lacrymis baptismum petentium satisfacere optabat Dei minister. Sed Indorum levitatem experti Missionarii diu tantum probatos adultos baptizare decreverant, Infantes igitur, & imminente mortis periculo ægros solum abluebat Arce.

Ægrotat Arce.

Interea Panoquisii, quorum majores Christiani fuerant, & propius antiquum Sanctæ Crucis situm habitabant, Missionarium ad se vocant: quod si concedere non posset, veniam faceret eundi. Filiorum loco habendos qui venirent, cum respondisset ille, frequentes adsunt, & catechumenis adnumerari petunt. Tunc ecclesia minor extitit, quam ut omnes caperet; Missionariusque in diem sæpe documenta iterare coactus, succubuit tandem. Labore & victus inopia debilitato febris ardentior accessit, qua sibi diem extremum adesse credidit. Sed in tugurio undique aperto cum jaceret omni penitus auxilio destitutus, & febris & debilitas repente disparuit.

Tarixam revocatur.

Vires cœlitus reditas dum cœptis promovendis devovet, Provincialis mandatum accepit, ut se Tarixam conveniret. Et licet cognoverit, id jubentem ignorare quo loco res es-

(*a*) Nempe adhibitum remedium post annos viginti, cum Princeps *a Santo-Buono* Peruvio pro Rege præfuerit ab anno 1716. ad 1720.

Digitized by Google

esset, fecit ut Chiquitis probaretur iter, non deferendos pollicitus. Author simul est, ut propius amnem a S. Michaele commigrent, salubriorem & tutiorem locum. Provincialis edixit, Præsentationem ad Guapaim ut rediret, oportere: apud Chiquitos operandum a PP. Didaco Centeno, & Francisco Herbas. Ille tacitus iter quo jussum erat arripit.

1694. Mameluccı apud Chiquitos.

Hoc tempore Mameluccı præter opinionem Chiquitorum fines adorti sunt, ad Panoquidem intenti, cujus incolæ prænoniti ad repugnandum se componunt. In insidias hostem attractum partem ex abdito cædunt, partem in fugam compellunt. Anno sequente prædones *Taus* Chiquitorum gentem adorti occupant, & complures abducunt. Ad Panoquisios inde divertunt, qui adventus nuntio fidem abnegant. Nihilominus imparati licet, hosti adverso strenue repugnarunt.

Sed imprudentes fugit, dum adversa oppugnabantur fronte, per circumductam a tergo hostium manum fœminas & pueros abduci. Moniti fugiunt hoste non persequente, sed rato id quod erat, suorum amore traditum se venturos. Venientes comiter accipiunt, principes honorant, cunctis in Brasilia commodam sedem polliciti. His artibus agebant Mameluccı, ut ad ad occupandam Xaverianam Reductionem, trans amnem a S. Michaele recens latam, duces esse vellent.

Secunda Reductio.

Triste nuntium accepit P. Arce Præsentatione, quam quod Chiriguanis nihil erat credendum, deferere constitutum erat: nec discrimen veritus in Mameluccorum manus incidendi; charis Pinocis auxilio venire properat. Panoquisios, qui catenam evaserant, adjunctos ducit in campum juxta Jacopum amnem, ubi Reductionem locare decreverat. Locus erat silvis circum vallatus, & eo tutior; in quem Chiquiti convenientes sedem a S. Raphaele constituunt. Ibi moratus aliquandiu Arce pueros baptizat, reliquos ad baptismum disponit.

Acies contra Mameluccos.

Ire pergit, & quam Mamelucci viam tenerent, certior factus Xaverianos monet ut sibi caveant. Inde ad Sanctæ Crucis contendit, & petit opem. Centum & triginta milites cum strenuo duce delecti sunt, quibus in S. Xaverii tercentum Chiquitorum accedunt. Ductor Reductione primum vacuata, quam loco parum tutam judicaverat, castra metatur propter S. Michaelis amnem. Exploratores mittit, per quos postridie novit, hostem vacuatam Reductionem occupasse. Eodem die literas accepit ad Reductionis Missionarium scriptas, quarum tenor hic erat:

Literæ Mameluccorum ducis.

„ Reverende Pater, huc veni cum duplici fortium meæ gentis militum cohorte. Nullum vobis damnum struimus. Quosdam nostrorum quærimus transfugas. V. R. potest in suum se pagum cum suis neophytis recipere, ubi timendum sibi nihil sit. Deus V. R. servet incolumem. -- Antonius Tirraez. "

His lectis copiolæ adversus hostem aciem ducunt; sed ille cognito ex equorum vestigiis Hispanorum adventu, recesserat. Nihilominus de armento Xaverianæ Reductionis alio transferri viso per Indos admonitum, spes prædæ revocavit. Eum sequitur Hispanus, & nona Augusti hora tertia post meridiem assequitur, Longo itinere fessum militem quiescere jubet, maxime ut in crastinum S. Laurentii Crucensium Patroni festum sacra officia procuraret. Arce & Xaveriani pastores neophytos comitati confessiones audiunt, & rem divinam peragentes pane fortium reficiunt universos. Prima luce dirigitur acies.

Mameluccorum clades.

Armorum deditionem Mameluccis primum indicere constituerat Ductor, & in renuentes impetum facere dato signo. Priusquam daretur, Indus partis adversæ Hispanum occidit, cujus casus bina Mameluccorum cæde rependitur. Sic inita pugna acri committitur furore: ceciderunt que duces Antonius Firraez, & Emmanuel Frias: quorum milites consternati, in flumen se præcipites agunt. Dum tranant, sclopis appetiti cadunt & ipsi omnes præter sex, quorum tres vulnerati sunt capti. Ex Hispanis desiderati sex omnino. Quot ex Indis ceciderint, proditum non est.

De liberandis Panoquisiis, quotquot fuerant capti, mille & quingentis, deliberatum est, quos Firraez delectæ militum manui custodiendos tradiderat. Sed consilium evanuit ducum discordia. Ad Sanctæ Crucis cum captis reditus fit: quos Prætor D. Lusius Antonius Calvo ad Platensem Curiam remisit. Tres vero Mamelucci natatu elapsi ad custodiam captorum properant, & ignari Hispanorum recessus, adesse affirmant: quo tota custodum manus in fugam se convertit: nec nisi paucos numero captos abducere potuit.

1694.-95. Mameluccı alii per Indos fusi.

Magnis itineribus ad Paraguaim se confert, ubi conscendit. Cum vero ad amnis ostium, qua Brasilicum iter est, applicaret, alteram ejusdem instituti manum obviam habuit: quam facile ad integrandum bellum adegit. Non diu post occurrentes forte Chiquitos adoriuntur, qui tamen multa hostium cæde reliquos fugant. Quinetiam Guaraii Mameluccorum socii, fœderis incommoda experti, ad Chiquitos deficiunt, & eorum exemplo fidem amplectuntur. Panoquisios etiam fugam sequi coactos, victores recuperasse videntur.

1695.-96. Reductionis transmigratio.

Interea Xaveriana Reductio Lusitanorum metu ad Sanctæ Crucis admota, removendo metu Hispanorum fuit. Colonorum quidam neophytos abducebant ad agrorum cultum; pastores etiam renitentes vexabant, atque novis fidelibus scandalo erat vitæ licentia. Quare transferendam denis octonis ad boream leucis sedem censuit Arce, data Lucæ Cavallero mutationis perficiendæ provincia, quam ex opportuna fecerat necessariam incolarum in dies diminutio, & se Hispanis subtrahentium in silvas fuga, ubi plures fame & inopia perierant.

Nova Reductio.

Cadente anno 1696. PP. Herbasius & Zea extremam sedi a S. Raphaele manum imponunt. Sed uno & altero sequentibus annis ingruens pestilentia necessitatem fecit emigrandi

di ad orientem ſecundum Guabim amnem, qui Paraguaim influere eo tempore credebatur, navium utique impatiens, ut deinde compertum eſt. Tertia ſuccedit Reductio a S. Joſepho nomen habens, Marchionis a Valle de Toxo ſumptibus, opera vero Philippi Suarez & Dionyſii de Abila. Laboribus & diuturna victus inopia pene confectis datus eſt ſocius Antonius Fideli, recens ex Europa advectus.

Obitus Miſſionarii.

Breve fuit ſolatium & auxilium. Cum e ſalubri Calabriæ cœlo in totius Americæ peſſimum translatus, & juvenili robore fretus, labori non parceret, nec niſi modica ut plurimum mandioca veſceretur, ſic elanguit, ut nondum exacto biennio vitam amiſerit. Lacrymis funus proſecuti ſunt Chiquiti. Doctrinæ vero deſiderium potens apud Deum rogatu ſupplere deinde viſus eſt. Ebrietas eo uſque penitus exterminari non potuerat. Ex quo tamen Fidelius occubuit, omnium ſententia potus inebriantes proſcripti ſunt.

Chriſtianitatis incrementum.

In pagum a S. Joſepho trina convenerat Chiquitorum gens, Boxoi, Teoti, & Penoti, quibus familiæ quædam adjunctæ ſunt Pinocarum & Ximarorum. Zea & Fernandez author Hiſtoriæ novæ hujus Reipublicæ, Reductionis a S. Joanne Baptiſta fundamenta locarunt; ſed illo Guaraniis Reductionibus præpoſito, non licuit Fernandio ante triennium ſolitis excurſionibus operam dare. Ad hæc pleriſque popularium peſtilentia ſublatis, pagum viginti quinque ad S. Joſephi orientem leucas migrare oportuit. Simul Reductiones promovendi fervebat opus, atque ſpes erat, non diu fore quin regio qua late patet a Tucumaniæ finibus ad Paraguariam Chriſtianis frequentaretur. Miraculo erat celer novæ Chriſtianitatis progreſſus in gente, qua nulla totius continentis magis a regno Dei aliena credebatur aliquando, perfectioniſque culmen quo novi Chriſtiani tam cito pervenerant; emicabat enim charitas pura & ardens in hominibus ejuſdem quidem originis & linguæ, ſed nullo communi uſu fœderatis, imo crebro inter ſe diſcordantibus odio & bello.

Spiritus Apoſtolorum fideles recens in Chriſto regeneratos ita inſederat, ut ad propagandum illius cultum mortem oppeterent; neque ſe defenderent, cum ſuaſiones ſagittis refutabantur; ſortem fratribus inviderent eam ob rem interfectis; & quod forte ablactatis a ſumma barbarie difficilius ſit, æquo animo adverſos atque proſperos vitæ caſus ferrent, a Deoque probati perfecta pace fidelitatis atque conſtantiæ experimenta ſuſciperent. Mutationem eam Excelſi brachio adſcribendam palam erat miniſtris, maxime Chiquitos cum Chiriguanis, aliiſque, Chacoenſibus, & ubique geſta cum ſucceſſu comparantibus.

Illud etiam ex Chiquitorum reductione ſperabatur commodum, ut inter Tucumaniam & Paraguariam temporis & viæ compendio facilior eſſet communicatio (a); nondum quippe hinc inde commigrari poterat, niſi ad San-Ctæfidei ſecundo flumine deſcenderetur, ad penetrandum in planities immenſas, quibus ab ea urbe & Bonis Auris Cordubi diſtat. Si chartam geographicam ſpectes, facillimum iter fore videtur Pilcomajo amne; quo tamen ut adveneris, regio trajicienda eſt latiſſima & infeſta, nec eo tempore ſatis nota. Ad hæc Pilcomajus non ubique navium exiguarum etiam eſt patiens.

1696.-99. Paraguariæ & Tucumaniæ intenta communicatio.

Quo ad loca Chiquitorum ad boream ſpectantia impervia tunc habebantur, nec illac curſum dirigere oportebat barbaris nationibus intercluſum; tum quia Paraguais ora occidentalis a gradu vigeſimo primo ad Xarajes paluſtris eſt valde ad uſque Chaqui meditullium; tum quia fluvialis ea parte navigatio Pajaguas infeſtos habet. Quinetiam, ne Mameluccis contra Chiquitos illac ſterneretur via, timor erat.

Novæ quidem Chriſtianitatis cultores, cum luſtrata ut ad collocandas Reductiones opus erat regione, ad Paraguaim uſque penetrare contenderint, perpetuo Indorum armatorum occurſu retrocedere coacti ſunt. Horum Indorum quidam apud Chiquitos catechumenus, ad ſuos exemplo & ſermone conciliandos & invitandos, rediit aliquandiu poſt, nec incaſſum. Eo duce P. Michael de Jegros & Franciſcus Herbas cum quatuordecim neophytorum manu tribus in pagis officioſe accepti ſunt. Ire pergunt, & rati litus eſſe Paraguais, crucem erigunt longe ſpectabilem. Sed lacus erat a Paraguai diverſus & diſtans: nec alius extitit laboris fructus, quam ut barbari, qui redeuntes mactare decreverant, aliorum conſilio ſententiam mutaverint. Obviam procedunt, & comiter acceptos ad S. Raphaelis comitantur, ubi & perſeverarunt.

1700.-02. Primus conatus irritus.

Cum Herbaſius dubitare non poſſet, ad Paraguaim uſque ſe veniſſe, Provincialem Nuñez (b) convenit, a quo mandatum accepit, ut cum P. Zea, & Paranæ Miſſionariis, atque coadiutore uno, adverſum Paraguaim ſubiret, occidentalem raderet oram, donec in conſpectum erectæ crucis veniret. Cuncti Aſſumptione conſcendunt 27. Junii 1703., a Pajaguais multa paſſuri, qui Paranaenſem neophytum, dum Patrum munuſcula perfidis diſtribuit, coram occiderunt.

1703. Conatus ſecundus.

Auguſti vigeſima prima mirantur ad dex-te-

Crux per infideles erecta.

(a) Longe aberrat hoc loco Hiſtoricus, neque enim de communicatione agebatur inter Tucumaniam & Paraguariam; ſed inter Miſſiones Guaranicas & Chiquitorum, aut inter Tucumaniam & Chiquitiam per Paraguaim. E Paraguaria in Tucumaniam facile iter fit ſecundo flumine; certè facilius non eveneris intento apud Chiquitos Reductionum progreſſu, & incremento, nec Pilcomajo, quod infra fugerit Charlevoix. Santafide euntibus in Tucumaniam, in planities immenſas, vulgo *Pampas* penetrandum non eſt, quæ longe ſiniſtrorſum jacent; maxime ſi viam arripias *Del-Tio*.

(b) Laurum Nuñez.

Digitized by Google

terum redemptionis humanæ signum, tunc maxime cum a Pajaguais erectum audiunt, qui ex iis quæ a Christianis de virtute crucis acceperant, sperabant se a tigridibus nimium infestis liberatum iri. Postrema Octobris luce *Xarayes* lacum ingressi sunt, triumque hebdomadum spatio oram occidentalem explorant cruce nulla signatam. Quare Assumptionem reperunt, perventuri 6. Januarii 1704., ubi & nota fuit P. Joannis Baptistæ Neuman, qui de Paranaensibus missis erat mors, quem valetudine affectum actuariolo de via remiserant.

Tertius conatus. Infausto secundi conatus exitu non absterritus Provincialis, jussit Fernandium ad S. Raphaelis curatorem cum locorum peritis eo contendere, ubi ab Herbasio & Jegros crux erat erecta; situm accurate notare; Assumptionem descendere secundo Paraguai, ad cujus oram locus etiam tunc credebatur esse. Fernandius iter suscepit Octobri 1704. cum Henrico Adami coadjutore, & Chiquitorum manu; A tertio itineris die certum habuit, pro Paraguai amne lacum palmeto definitum acceptum ab Herbasio, Octoginta nihilominus leucas progreditur, nec reperit quod quærebat, flumen quod in Paraguaim defluere.

Octo itineribus posse inde ad Paraguaim venire, barbari quidam monent. Et quamquam addiderant, viam securi per medias silvas aperiendam esse, & pluviarum tempestate imminente, verendum esse ne iter & reditus intercluderetur, periculum facere maluit, sed irrito conatu. Pedibus aqua plurimum redeundum fuit. Ex eo morbum contraxit Adamus, quo in S. Raphaelis obiit anno sequente. Illud Fernandio solatium fuit, quod viæ duces, cum ad viciniam explorandam de via deflectunt, septuaginta Guarajos omnis ætatis & sexus obviam habent, qui ad S. Joannis reducti Christo dederunt nomen.



HISTORIA PARAGUAJENSIS.

LIBER DECIMUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Obiit Philippi V. littera. De Gallis solicitudo. Colonia Lusitana. Infideles instigati. Coloniæ obsidio. Expugnatur. Neophytorum generositas. Reductiones visitantur. Progressus apud Chiquitos. De P. Cavallaro. Manacicas adit. Chacoenses Tucumaniam infestant. Estechi excidium. Salta Prætoris sedes insultatur. Bellum adornatur. Hispanorum copiæ. Arx Bonæ Vallis. Mocobii & Aguilate ad Abipones secedunt. Hostes ad angustias redacti. Malbalarum occursus. Ad Bonam-Vallem considunt. Factum ex errore. Cum Malbalis fœdus. Expeditionis exitus. Oxatarum deditio. Prætoris solicitudo de Malbalis.

DUm nova Hispaniæ & Religioni in Paraguariæ finibus ad boream subditur provincia, Philippus de Francia, Dux Andegavensis, Philippus nomine quintus, Regum Catholicorum thronum ascendit. Sed verendum fuit, ne Maritimi Potentatus Austriæ fœderati in eam Americæ partem Potosii fodinarum fama pellicerentur: nec differendum de muniendis Bonis Auris mandatum. A primo imperii anno, & Prætorem jussit arcem vallare, & Provinciali Jesuitarum injunxit, ut per singula quatuor mensium intervalla tercenos mitteret Indos, operam Prætori, ut e re publica foret, præstituros. Addebatque, hæc quo sperabat studio peragentem, societati consueta in exequendis Regum prædecessorum mandatis, daturum documenta.

Literis aliis 3. Martii monuit Rex Provincialem, ad Paraguai provincias hostem intentum esse. Ad solicitandos animos mitti monachorum par, ut colonis persuadeant, Austriacum catholicam religionem servaturum, si ejus partes sequerentur; jam esse Londini Trinitarios duos, alterum Castellanum, Germanum alterum, Bonas Auras transituros, ut in eam regionem penetrent personati ut sunt: cucullum deinde receptaros, scripta divulgaturos publicis & privatis sermonibus confirmanda, ut non tantum nativos Coronæ subditos in defectionem impellant, sed Indos quibus se Missionarios esse apostolicos mentientur; sequendos tandem a laicis duobus, quorum alter Comiti Harrachensi, olim Matriti Cæsaris Oratori, a secretis erat.

Simul injungit, ut si noverit, in eas provincias (*a*) ingressos exteros Hispanosve religiosos, aut personas alias suspectas cujusvis status conditionisve illæ sint, in Hispaniam revehi curet, ut id suo nomine etiam aliorum Ordinum prælatis indicat, a regiisque ministris ad perficiendum quod ex lege sit, auxilium petat. Vult quoque ut inquirat, num quis fide publica, quam Rex ipse subscripserit, non munitus ea regna subierit: clam Bonas Auras accedentem capi curet, ad Curiam Hispalensem cum scriptis penes eum repertis mittendum: ut a prælatis regularibus rationem exigat de monachis in eas provincias adventantibus, ac de laicis accedentibus aut recedentibus certior fiat, ut in eos, Hispani alienigenæve sint, pro merito animadvertatur, vel in Hispaniam expediantur cum juridiciali actorum instrumento. „Hæc te, subjungit Rex, monitum volui, ne in iis quæ divini obsequii, atque mei sunt, exequendis ignorationem excusaveris, De acceptis his literis quam primum admoneri volo. Rex. Matriti. 5. Mart. 1703.“

Hispaniæ Regem hæc scribentem nihil adhuc a Lusitano timuisse verisimile est, cui se legitimum Caroli II. successorem probaverat. Sed licet mandata ad Austriaci tantum, & Alti Potentatuum ab Austriaco stantium molitiones spectarent; imperata Boni Aeris munitio non minus erat necessaria, siquid a Brasilia incœptaretur contra Paraguariam. Philippi V. decreto 12. Novembris 1716. novimus, D. Augustinum (*b*) de Robles Fluminis Argentei secundo Prætorem anno 1698. veritum, ne a Gallis in Bonas Auras fieret descensio. Ex certo namque monitus erat, in Gallia classem adornari, quorsum illa respiceret, latere. Sed tardum nimis acceperat nuntium; nam classis apparatus novam Carthaginem respiciebat, anno 1697. occupatam.

De Gallis solicitudo.

Nihilominus Indos bismille a suæ præfecturæ Reductionibus mitti jussit, qui sex menses cum Missionariis in castris extra urbem perseverarunt. Quo tempore exacto, cum de Gallorum adventu nullus esset rumor, abeundi copiam fecit. Censuit tamen Prætor, non dimittendos sine præmio, maxime quia sibi, ut solent, de annona providerant, nullo regio stipendio. Merita computavit unius in dies singulos, & in singula capita regalis drachmæ (*c*), quæ vulgo numeratur Indis militantibus, scilicet secundum absentiæ a propriis singu-

Indorum generositas.

(a) Per eas provincias Philippus V. Reductiones intelligere videtur. *Charlev.*

(b) Andreæ potius ut supra dictum.

(c) Nonnisi sesqui-regalis drachmæ: tantumdem quippe numeratur Indo, ut infra, & in decreto Philippi V. decimo sexto memorando continetur.

gulorum focis dies: obtulitque XC. scutorum octiregalium millia. Indi vero refertam supellectilem urbano Regis armamentario addici oportere significant (a).

1703.-05. Instauratur Colonia.

Prætori adversus hostem Paraguariæ non memorem vigilanti, alter imminebat prope, cui plus æquo fidebatur. Ut primum de Hispani Regis obitu, ac de successione Andegavensis, illius ex sorore neporis resciscitum est, Brasilianis persuasum fuit, a pluribus Europæ Principibus impetitum, Lusitano Coloniam instauranti non repugnaturum. Prius tamen quam quidquam molirentur, Prætorem Bonaurensem prohibere contendunt, ne a Reductionibus auxilium petat.

Fœdus cum infidelibus.

Fœdus cum idololatris inierant, Reductiones inter & Coloniæ solum habitantibus: quos armis ignivomis & commeatu necessario donaverant. Hi Christianis licet infesti & a Lusitanis secundati, neophytos Mameluccis etiam formidandos adoriri cunctabantur. Instigati tamen a fœderatis Japejuum (b) oppugnant, occupant, expilant, sacram ædem, & supellectilem profanant, equos abigunt, & armenta. Neophyti, quibus arma capiendi tempus defuit, ægre vitam & libertatem in proximas dilapsi Reductiones fuga tuentur.

A Prætore auxilium petunt, & modicum impetrant. Duo armatorum millia contra hostem aciem dirigunt, non diu quæsitum. Prælium committitur multa utrimque cæde. Infideles tandem retrocedere, deinde fugere. Opem a Lusitanis petunt, qua refecti pugnam instaurant. Utrimque summa vi, & æquo marte certatum primo est. Singulis diebus quatuor sequentibus prælium iteratur, nec nisi brevi ad reparandas vires intervallo cessabant. Quinta demum luce victoria sic a neophytis stetit, ut omnes ad unum hostes, Indi Lusitanive, interfecti vel capti sint.

1705. Colonia oppugnatur.

Interea Lusitani Coloniam a Sacramento refecerant clam Bonaerensibus, & ita munierant, ut nec timerent Hispanos, nec sibi temperarent, D. Alphonsus Joannes de Valdes Inclam post Robles Fluminis Argentei Prætor regia mandata 9. Novembris 1703. a D. Melchiore Portocarrero Comite Monclovano Prorege subscripta accepit, ut Lusitanos omnino pelleret e Colonia, collatis suæ præfecturæ & Tucumaniæ copiis. Litteras ille ad P. Josephum Mazo, & Josephum Saravia, illum Paranæ, hunc Uruguais Reductionibus præpositum dat, ut quam celerrime possit, neophytorum mittant quatuor millia. Simul ad Provincialem Cordubæ morantem, regiam mittit schedam, qua Rex non dubitare se ajebat, quin Prætori regia mandata exequenti, quam posset, operam conferret. Ut has litteras accepit Nunez, Reductiones petit, ubi neophyti maturabant iter. Octava Septembris excedunt, ductoribus quatuor dynastis, totidem Missionariis, ac totidem Sociis chirurgis. In tres ordines dispertiti erant, quorum duo se conferunt secundo Uruguai aqua, tertius terra, cui centenæ quinquagenæ boves grandæ fuerunt.

Hic primus in castra Hispanorum venit decima quarta Octobris. Non procul ab arce oppugnanda constituta erant; jamque convenerant veteranæ copiæ, novique delectus, quorum numerus proditus non est. Quarta Novembris reliqui post casus varios adsunt cum equis sex millia, & multis onerariis, tempestate & inopia pabuli pene confectis, dum parato commeatu parcendum erat itineris & reditus causa. Imo & victus defuisset penitus, nisi boum compararetur venatu, quorum copia Indis Hispanisque sufficit.

Arx occupatur.

D. Balthasar Garcia Ros, qui obsidioni præerat, Regi, Indiarum Senatui, Proregi, Americæ Hispanicensis Curiis, & copiarum Ducibus, edito documento testatus est, castrensium laborum pondus humeris Indorum incubuisse totum; brachiis ad aggeres admovisse tormenta; oppugnationis partes obiisse primas, adversus obsessorum machinas impavidos. Muros invadentium accessu sic hostes consternati sunt, ut in naves quatuor, quæ recens auxilio venerant, arci servandæ impares, vel in re pestivas confugerint, machinas & munitiones non curantes, quibus arcem abunde instruxerant. Parvo rei summa stetit Hispanis. De neophytis quinquaginta desiderati sunt, bis centum vulnerati.

Alterum generositatis documentum.

Martii decima septima 1705. Indis redire licuit; post refutatos nummos octi regales CLXXX. mille a Prætore oblatos stipendii loco, sesqui regali diurno pro absentiæ a suis cujusque pagis tempore in singulos distributo. Hæc omnino de præsenti bello ex documentis Hispanicis acquirere potui. Dubos Abbas haud ita pridem fato (c) functus, Academiæ Gallicanæ dum vixit a secretis, doctis lucubrationibus notus, author mihi est adjunctorum, quæ narratione testis ex visu accepta fortasse scire juvabit. Ille quidem tempus non notavit; sed narrata uni secundæ obsidioni Coloniæ convenire possunt. Testem vero appellavit navarchum Gallum tunc forte Bonas Auras appulsum.

De obsidione a necdotum.

Portum, dum obsidio parabatur, ingresso Prætor occurrit machinarii desiderio mœstus. Operam offert ille, quam Prætor acceptam habuit. Arcis petit ichnographiam, extemplo exhibitam. Dum quærit, quibus oppugnanda esset copiis, Prætorem Indos Jesuitasque adventantes magni facere miratur. „ Cui bono, ait, gens hæc? Oppugnantes videris, respondit Prætor. Ego vero defendam arcem vaticinor.“

Nuntiato Indorum adventu, Prætor equo procedit obviam, machinario comite. Binos angustias superantes vident neophytos, & cohortes ut emergunt ordinari, parata arma & tormenta quædam. Ordinem, silentium, expe-

(a) Petr. Edif. t. xxi. pag. 417. Charlev.

(b) Hæc quæ de Japejuo dicuntur, de quapiam suburbana seu rustica statione verum sis.

(c) Dubos mortuus est anno 1742. 23. Mart.

Digitized by Google

peditionem; & impavidam aspectus torvitatem miratur Gallus. Primos Hispanice alloquenti id tantum respondent: *Los Padres*, Missionarios qui sequebantur significantes. Unus horum accedit, atque, unam genti linguam esse suam, se fore interpretem, mandata facturos ne dubitaret.

Locum designavit præ cæteris hostium jaculis obnoxium, quibus Indi vicem reddere non morantur. Mox assiliendi muros veniam petunt, & murum nondum satis labefactatum esse respondenti ajunt, suum id fore ut res conficiatur. Pro voluntate ut faciant, finitur. Cumque loco moverentur, ab arce fit tormentorum explosio, quam illi sustinent imperturbati. Nec scloporum, dum propius accedunt jactu, pluribus licet cadentibus absterrentur, donec progredientium usque firmitas intrepida Lusitanos fugavit. Gallus addidit, Patrum tranquillitatem haud minus miratum se, qui solo Breviario muniti ad cadentes neophytos accurrebant, morituris auxilio. Quod ministerii perinde obibant, atque si seorsim in templo confitentes audirent.

1705.-07. Reductiones lustrantur. Illud constat, obsidionis exitu indicanæ hujus militiæ famam invaluisse; & Rosii ducis testimonio fidem neophytorum Regi Catholico probatam esse, persuasumque non aliis in America copiis magis esse fidendum. Obsequium a Rosio præstitum Paraguajensi Præfectura remuneratum est, addito in mandatis ut Reductiones lustraret. Visitationis actis litteras ad Regem addidit ille, quibus testatur, eum esse pagorum omnium statum, qui fidem propriis oculis non intuentium excedat; addendum esse nihil ordini constituto; morum innocentiam, pietatem concordiam neophytorum, erga pastores observantiam & amorem esse supra quam exprimi possit; neminem esse quin pro Dei, & pro Regis obsequio vel mori paratus sit.

Chiquitorum Christianitatis incrementa. Paria jam de re publica Chiquitorum dici possent, cœlo benedictionibus affluente, imo & prodigiis supra naturam cultorum operam secundante. Testes sunt oculati, eo minus refutandi ex S. Augustini sententia, quod naturam earum gentium immutasse, Deique crucifixi cultum infidelibus persuasisse sine miraculis, mirabilius longe sit. Palam est, Deum populo in fide novo superna protectionis documenta exhibentem, illius fiduciam excitare voluisse. Gratitudo vero neophytorum pro acceptis a Deo beneficiis; cordis simplicitas, qua divina obibant obsequia; studium infidelium animos Christo conciliandi, Dei cultores multiplicandi, detractis etiam sibi necessariis ad divini cultus incrementum; & altarium ornatum, valuit utique apud Deum, ut virtutes sinceras remuneraret, atque centies plus redderet, quam religioni sacraverant. En exempla quædam.

Providentiæ erga neophytos documenta. In Reductione a S. Joanne tempus instabat victum comparandi, sed nondum ædes sacra perfecta erat: nec potuit neophytorum ulli, ut ea re opus intermitteret, persuaderi; profitentibus universis, nolle se cibo carere, quam imperfectam relinquere domum Dei. Vix dum perfecerant, e finitimis silvis adversus pagum prodeunt aprorum greges, velut sui deditionem offerentes intra teli jactum, neque dum jacula iterantur, fuga dissipati sunt.

Cum a siccitate pago alteri extrema immineret fames, universi coram Venerabili Sacramento prostrati pro pluvia preces intendunt, protinus contra quam aeris species erat exauditas. Pestilentia S. Raphaelis Reductionem depopulante, ut primum lue nondum afflati, oppido pauci, popularium sanitatem deprecati sunt, omnes ad unum ægroti convaluerunt. Ibidem anno sequente in summa annonæ penuria, fœminæ quædam templum adeunt, & Jesu Christo populi calamitatem repræsentant. Ante noctem tot ex locis collatam opem accipiunt, ut non unquam pari rerum omnium abundaverint copia.

Neophytus quidam Didacus nomine, dum alterius pagi extruendo templo adlaborat, in morbum, & ex eo in vitæ discrimen incidit. Mori non pigebat: optabat tamen domo Domini operam præstare. Orat Dei Matrem; & postridie mane cum robustissimis conferentem manus cuncti mirantur. Aliquandiu post in terram dejicitur ab assiliente tigride: inter ungues sacra Jesu & Mariæ nomina vocat; & extempore relinquitur a bellua modice scalpturatus.

Justitiæ documenta. Benefactis quædam adjunxit Dominus justitiæ documenta, quæ ad confirmandum instabile gentis ingenium, præmuniendumque contra seductionem & scandala, æque necessaria sunt, atque efficacia. Missionarios etiam interdum severius agere oportuit, & putrida membra corporis sanitati posthabita resecare. Nec resecuisse pœnituit. In protervi unius locum tot docilium copia successit, ut locandis sufficerit novis Reductionibus.

Studium salutis animarum. Nulla erat, unde in finitimas regiones non excurrerent per intervalla neophyti, raro sine proselytorum supplemento regressi. Turmatim ibant, signo Crucis, aut Deiparæ præcedente. In pagos infidelium ingressi, divini famulatus, & socialis vitæ commoda prædicabant; præcipua deinde Christianæ doctrinæ explicabant capita: & nonnunquam sexaginta familias, genere diversas, nec ulla Chiquitos affinitate attingentes reportarunt, quæ subito in eamdem civitatem, & in eamdem prope naturam coalescebant.

Plurium martyrium. Horum apostolorum multi suso pro Christo sanguine purgati sunt, mortis nuntio popularibus ad martyrii desiderium erectis. Ad S. Joannis Christianus quidam relatus est, ventri alte infixa sagitta vulneratus. Nequidquam adhibitis medicamentis, curator extrema sacramenta ministranda censuit languenti, quem ut disponat, ad ignoscendum, & habendam ei gratiam, qui pro Christo moriendi occasionem fecerat, hortatur. Respondit ille, id ipsum Deo dante sentire se: imo & libenter vi-

Digitized by Google

vitam & sanguinem pro eo qui sagittam torsit, offerre Deo. Post sacrum ministerium pastor abiit, jussis qui adstabant monere se, cum obitus appropinquaret. Postridie mane, ut valeret solicito fit obviam, aitque, ex quo Christi corpus acceperat, dolorem quievisse penitus, obductamque vulneri cicatricem.

Pronum ad fidem est, tot gratiis novam Christianitatem irrorantibus, & reciproca neophytorum fidelitate motos pastores nihil prætermissuros, quo spem soverent adeo lætam. Hæc quidem cogitatio vires & animos addebat, ad tolerandos Missionis labores plane immodicos. Nam præter aeris intemperiem, hostibus circum obsessa erat, & in pastorum perniciem conjuratis, & ad gregem dissipandum intentis. „ In Europa cum essem, ajebat missorum quidam, vividum salutis animarum zelum ad has Missiones suscipiendas, sat esse arbitrabar. Sed experto crede, perfecta tui abnegatione, abdicatione rerum omnium præter Deum, perpetua sensuum mortificatione, vitæ contemptu, & in divinæ providentiæ sinum se, suaque omnia consignare opus est. "

P. Cavallero labores.

Dixi, P. Cavallero Reductioni a S. Francisco Xaverio præpositum fuisse. Eo forte nullus perfectior fuit Apostoli Indiarum imitator. Excurrens de more cum delecta neophytorum manu, ad Indos venit, quorum conversio erat cordi, tam exsanguis, incultus, & habitu lacer, ut a comitatu barbari quærerent, numquod esset fugitivum Hispanorum mancipium? Duram vitæ rationem augebat corporis maceratione, quæ non semel a prælatis moderanda fuit. Sed interdictis pœnitentiis nova semper patientiæ documenta subrogabat crucis amor.

Hispanorum occursus.

Monitus anno 1704. Indos Puraxios Hispanum veritos in silvas defeciisse, eos investigat, in ovile referendos. Hispani quidam servitia captantes occurrunt, quorum ductor furenti similis, nisi retrocedat, minas intentat. Sed Pater minime commotus officiose respondet, atque ire pergit: nec obstitit Hispanus. Puraxios indicato loco non reperit; sed ulterius duo tresve adolescentes ex summis arboribus explorabant, qua tenderent Hispani: ex quibus cognitum Puraxiorum recessum adit.

Pluviam precibus impetrat.

Dispersos congregat haud ægre, attentisque annuntiat Christianorum Deum. Volentes erudit, & oblatos abluit infantes. Universi deinde supplices orant, ut miseris condoleat, pluviamque agris necessariam a Deo, quem annuntiaverat, impetraret. Misetato spem facit petentium fides, exauditum iri. Crucifixum, quem manu semper gestabat, terræ infigit: Indos adorare jubet, precesque repetere a se pronuntiandas. Finitas sequitur uber pluvia. Sed felicia apud Puraxios cœpta pene obruit brevis ad Tapacuras excursio.

Hispani, quos haud ita pridem offenderat, recessus conscii diffamarunt, Jesuitarum personatum verum esse Mameluccum, qui ad Tapacuras transeuntis specie, suos adibat, rediturus ut vinctos Puraxios in Brasiliam abduceret. Hi haud tardo rumore turbati, experiri nihilominus volunt, an redeuntem Hispani, quod jactaverant, captum ad S. Crucis amandarent. Mox rediit, nec Puraxii dissipatum rumorem celant, quem ille indicio causæ facile refutavit. Indignum Hispanorum quorumdam factum.

Arte frustrati, vi & imperio contendunt, ut solum mutet. Dux remotis arbitris Missionarium convenit, & post egesta convitia subdit, superioribus mandatis se instructum; & pro Rege imperat, ut in Prætorio Sanctæ Crucis sistat se. „ Falleris, pacato vultu respondit ille, si te credis metui, aut nefaria molimina tua ignorare me. In recessibus his, & silvis scelerum pœnas apud homines vitaveris. Numquid etiam apud Deum, cujus sanguine redemptis scandalo es? Pœnas dabis opinione citius. Me vero neque minæ, neque artes tuæ a sententia dimoverint. A Deo missus te invito progrediar. Cave nequid Indorum, qui sub regiis auspiciis reducuntur, libertati adversum commissas. " Missionarii constantia.

Hispanus mutire non ausus terga vertit. Mox Puraxii Indum Missionario sistunt gente Mañacicam, qui Hispanorum eorumdem manus effugerat, & Chiquitorum sermonis satis peritum. Seorsim examinatus indolis eximiæ speciem præbet. De Deo Christianorum alloquentem intentus audit, quidquid ageret Pater, imitabatur. Ejus exemplo flectebat genu, manus levabat in cœlum, auditas repetebat preces. Ex eo gentis ingenium magni fecit Dei minister, ac de concilianda Christo consilium suscepit.

Puraxii de reliquo Hispanorum metu liberi, servatori grati animi signa per dynastam exhibent, qui ad visitandos Arupores vicinos, viæ ducem præiturum se pollicitus, addidit; „ Cum Tabaxiis etiam fœderatis ineumdem pagum associati conveniemus, Tu nos veri Dei leges docebis: neque nostram docilitatem defideraveris. " Annuit Missionarius, Aruporesque ita comparatos invenit, ut post explicata Sanctæ religionis summa capita, octoginta infimæ ætatis pueros baptizandos obtulerint.

Ex morbo convalescit.

Dum inde se confert in finitimum ejusdem gentis pagum, insueto languore pressus, & æstuante febre, arboris trunco admotus collabitur: mortem operiebatur, Indis de comitatu medicam inopiam deplorantibus. Fors tulit, ut gallinam offenderint, quam coctam & appositam respuit; neophytoque juxta languenti deferri jubet. Tunc de Mañacicis subiit cogitatio cum instinctu se, fide Deo data, pro illorum salute devovendi, si convalesceret. Votum simul nuncupavit, atque disparuit febris languorque, & Indorum escas appetivit vel insipidas, nec viam sequi prohibitus est.

Voti obex.

Consilium aperit indiviso Puraxiorum dynastæ, a quo prætermissum est nihil, ut quem tenere amabat, a sententia dimoveret. Palam esse ait, Mañacicas tibi ignotos esse: gentem esse numero frequentissimam, bello terribilem, & in Hispanos, qui recens quædam apud eam per vim gesserant, furentem:

in

in eorum perniciem conjuraſſe: vias omnes occultis duriſſimi ligni aculeis obſtructas eſſe, nec impune prætereundas: id ſe expertum, cui eo adire nitenti, cedendum retro fuit.

Quid reſponderit. Tamdem addit, Patrem amplexus & illacrymans: Quid objeceris in te furentibus? Deum meum objiciam, reſpondit Apoſtolicus Vir, Deum meum, atque Deum ſuum. Crucifixumque manu tenens, en ait ſcutum meum. Nihil timeo, dum de exequendis & promulgandis Salvatoris mei, & Domini mei mandatis res eſt. Niſi Deo permittente, nocere non poſſunt. Quid mihi magis optandum, quam obedientem occidi? Te vero nolim in diſcrimen adduci. Recede cum tuis. Si gratus venero, monitus accede, ſi lubet.

Indi ſequi avent. Hæc audientem dynaſtam par zeli ardor & flamma corripuit: neque ſe, neque ſuorum quemquam incomitatum dimiſſuros profitetur; ſi vivum tueri non poſſent, mortuum ulturos, aut commorituros. His dictis arma tundit, qui apud eam gentem jurandi ritus eſt, & manum deligit bellatorum, qui coram Dei ſervo eadem proteſtati ſunt. Erudiendis ſibi dies aliquot dari petunt; infantes baptizet, pluviam a Deo poſcat. Annuit ille, crucemque erigi jubet, ante quam elata voce preces fundit, non tamen exaudiras.

Eventus mirabilis. Tunc auditum meminit, Indos hos bello iniquo inhumana quædam patraſſe cœleſtibus iris obnoxia. Ait itaque: „ Quid a Deo poſt talia commiſſa ſperatis? Reſipere primum oportet. Deum iratum placate: in gratiam redite inimicorum: reparate damna. Deus veniam dabit. “ Cuncti mandata ſe facturos promittunt: nec mora ad liberandam fidem proficiſcuntur. Vix mille paſſus confecerant, cum cœlum nubibus obducitur, ac mox abunde pluit. Ire perſeverant, promiſſa faciunt, & læta meſſis exuberavit.

P. Cavallero apud Manacicas. P. Cavallero non diu cunctatus eſt incœptum de Mañacicis proſequi cum Puraxiorum præſidio. Poſt dierum aliquot iter amne trajecto in vallati pagi conſpectum veniunt, quo ſemitæ ducebant, quales a dynaſta prænuntiatum erat. Tunc Puraxii expaveſcere; ſed Miſſionarii dictis in ſe recepti ſilentio pedetentim accedunt. Ad vallum cum perventum eſt, mirantur, neminem obviam apparuiſſe. Ipſe Miſſionarius ſcriptis litteris teſtatur, ſe etiam dum vallum ſuperaverat, pavore correptum, quem tamen diſjecit neophyti recens baptizati conſpectus, qui manus innoxias levabat in cœlum, & pro ſalute infidelium vitam, labores, & ſanguinem offerebat Deo.

Status primi pagi. Pagum ingreſſis non aliud in conſpectum venit quam ambuſta tuguria, & terra cadaveribus ſtrata. Indi ut retrocedatur authores ſunt. Sed Mañacica nomine Izu, qui ſe totum Miſſionario crediderat, non longe diſtare monet pagum alterum: quo Indi rurſus animis erecti concedunt. Dum eo veniunt ut videri poſſet, ſolus cum interprete Pater antevertit, ad quem ille nimium ait eſſe quod timeret. Sed tunc gradum concitat: pagumque ingrediuntur cadente ſole. Ut a barbaris viſi ſunt, imbellis turba loco faceſſere jubetur: & illi vultu fero atque minaci occurrunt advenis.

Ad ſecundum tranſit. Izu clamavit, nequid mali adverſus hominem committerent, minime inimicum. „ Inimicus certe non ſum, proſequitur Miſſionarius, ſed veri Dei legem, & veram vobis felicitatem annuntio. “ Tunc accedunt Puraxii, quorum dynaſta Patrem admonet, a Mañacicis circumcludi. Id jam ille animadverterat, & nonnihil ſagittarum eſſe jactum; ſed non alias animo præſentior. „ Vox intima, litteris memoratis refert, nondum extremam mihi adveniſſe horam ſuggerebat, & ſagittis appetitus Crucifixum ea tranquillitate manu tenebam, qua inter meos neophytos conſiſtens.

Infideles mitigantur. Haud aliter imperterritus interpres, quo denſior erat barbarorum turba, accedit, ſignificatque magni eſſe momenti quod nuntiare vellet. Loquentem audiunt, ac de neceſſitate Chriſtianam fidem accipiendi, ad hujus vitæ & poſthumam felicitatem, ſic verba fecit, ut arma depoſuerint. Spiritus Sanctus, qui paucorum dierum neophyti linguam diſertam fecit, cor infidelium derepente mutavit, ut ordinatim ad pedes Miſſionarii convenerint, Crucifixum venerantes, dum Puraxiorum dynaſta ad cultum Salvatori Mundi præſtandum hortabatur, atque cum ſuis appropinquabat. Tunc mirantibus univerſis utraque gens concors officia ut inter amiciſſimos alternat.

Interea Izu a cognatis adjutus eximiam crucem dolabat, in medio foro erigendam. Quod ut fit, attentis infidelibus per interpretem de Salvatoris hominum morte ſermonem habuit Miſſionarius. Quo finito principes orant, ut apud ſe manere velit. Id ille maxime optabat; ſed inſtabat hiems, qua neceſſarius ad S. Xaverii reditus intercludebatur. Ad Mañacicas itaque ait, aliquot ſe menſes abeſſe oportere; primo vere rediturum.

Dei providentia erga Miſſionarium. Promiſſo confirmati, ut ad iter equum dono accipiat compellunt. Singuli ſinceri amoris documenta præbere certant, & in viam longe deducunt. Diſceſſuro ſe ſiſtunt fœminæ atque pueri, qui ſupplices baptizari cupiunt. Sed providente Deo factum eſt, ne facili & læta ſpe diutius immoraretur. Ut exceſſerat, vicini alterius pagi Maponus (quod miniſtrorum religionis nomen eſt) dynaſtæ ſuo denuntiat, Deorum eſſe voluntatem, ut ad infeſtum advenam interficiendum properet.

Annuit ille, accurritque cum expedita bellatorum manu ad pagum, unde Pater recens abierat. Prope aberat, cum Maponus viæ comes de receſſu certior factus, author eſt dynaſtæ, ut notæ ſemitæ compendio fugientem intercipiat. Sed dynaſta in ſe reverſus reſpondit, quærendum prius numquid mali machinaretur homo ille, cum inſontem occidi inhumanum ſit. Reſponſione commotus Maponus cum paucis Deorum cultui devotis præit:

Digitized by Google

& loci dynaſtam, quo Miſſionarius diverterat, rogat cur Deorum gentis inimicum acceperit?

Cui reſpondet, ad puniendum peregrinum ſacerdotem, ſi eſſet male meritus, ſe ſatis eſſe; ſed quem Deorum appellabat inimicum, amicum eſſe ſuum, ſibi creditum, & amicitia dignum. Præter benefacta alia ſe Puraxiis reconciliatum, nec niſi ingratiſſimum poſſe benefico advenæ faceſſere negotium. Tunc Mapono comites inſuſurrant, pauciores ſe eſſe, quam ut longius procedat. Rabiens ille extantem crucem dejicere parat; ſed a loci dynaſta prohibitus recedit, ultionem Deorum interminans. In furoris acceſſu mox obiit: & ſublatis eodem caſu, qui in caput Miſſionarii conjuraverant, Chriſtianorum Dei miniſtrum cœlitus protegi vulgatum eſt.

Regionis deſcriptio.

Gentem noſſe juvabit a finitimis longe diverſam, hodie Chiquitorum rei publicæ coagmentatam. Vigenis binis conſtabat ea tempeſtate pagis, a ſe invicem non dependentibus, quibus nomen erat cuique ſuum. *Ingritucas* nomen erat primi, *Sibacas* ſecundi pagi ſimul & tribus, quo Cavallero venit. Jacet regio duorum dierum itinere a S. Xaverii fano, ſcilicet juxta boreale Chiquitiæ confinium. Pyramidis ſpeciem refert, cujus baſis ad meridiem ſpectat: ubi illud eſt ſingulare, quod in meditullio ſint Indi, quibus cum Mañacicis nihil nec idioma convenit. Pluribus interciſa eſt rivis piſculentis, ſilviſque circundata, quæ longe ad orientem & occaſum patent, adeoque denſis, ut ſoli nunquam non impervia ſint. Trans ſilvas eſt vaſta ſolitudo, inundata ut plurimum.

De animantibus.

Terra etiam inculta plures fert fructus. *Vainilla* vulgaris eſt, haud aliter atque *Coco* a palma diverſum. Hujus fructus melopeponi magnitudine par adhæret trunco, quemadmodum reliqui hujus generis. Ex animantibus Famacoſius capite tigridi, corpore cani villatico ſimilis, cauda caret: æque pernix atque ferox. Occurrentis tantum vitaverit fauces inermis, qui arborem ocius adrepat. Quinetiam ibi non diu tutus ſit, nam fera aſcenſu prohibita clamat, aliaſque convocat ad extirpandam arborem, brevi niſi jaculis confodiantur caſuram. Ne propagatione regio vaſtetur, en Indorum inventum. Intra cratitium ſeptum conveniunt plures, & clamores ingeminant. Undique accurrunt Famacoſii; dum tamen terram excavant ad convellendum vallum, telo impune conficiuntur. Mopoſica potens Mañacicarum gens ægrius hoſtem ſpecie quidem minus periculoſum, quippe aviculam (*a*), abigere potuit. Eo irruebat impetu, ut immunitos occideret. Qua id ratione fieret, non proditur; ſed totam fere gentem non alia peſte periiſſe aſſeritur.

Gentis origo & natura.

Colore ſunt olivario Mañacicæ, ſed eleganti fere corporis habitu. Morbo obnoxii alias inſolito, qui lepræ genus eſt, qua veluti piſces ſquamis, corpus obducitur & incruſtatur, nullo tamen dolore aut incommodo. Origo cum Chiquitis communis proculdubio eſt. Sed civili bello diviſi ſunt; idioma vero ſic aliarum gentium conſuetudine degeneravit, ut ſe invicem loquentes non intelligant. Nihil de origine prima præter ferocitatem ſervant, cui acceſſit idololatria Chiquitis ignota, & eſus humanæ carnis. Latet unde deos ſuos extraxerint.

Regimen.

Haud inelegans eſt pagorum forma: recti calles, plateæ publicæ, tres quatuorve grandiores ædes, in aulas & cameras diſtributæ, dynaſtæ principumque officialium habitaculum. Aulæ comitiis, & deorum ſtabulo deſtinatæ ſunt, nec alia ſunt templa. Ex ligno ſtructura ſatis affabre fit, aſcia licet lapidea. Pagi non procul inter ſe diſtant. Incolæ ſalutationes alternant, & convivia, non antea ceſſatura, quam omnes ebrii ſint. In comitiis præſidet dynaſta, ſequitur Maponus, deinde medicus, tertio duces, ac tandem reliqui ordine ſemper uno.

Dynaſtarum imperio obediunt cuncti. Illorum domos ſubditi faciunt, & reficiunt, agros colunt, primis regionis fructibus menſas inſtruunt, cenſumque pendunt in ſingula capita. Uxores plures ducere poſſunt: unam ducunt, cui a fœminis par, atque a maribus dynaſtæ, honor, obſervantia, cenſus exhibetur. Tributum eſt venationis & piſcatus decima, nec ad venandum, piſcandumve licet ire invito dynaſta. Dignitas obvenit hæreditate: idque futurus hæres in juniores non conjugatos imperium exercet, quod bene gubernandi tyrocinium ſit. Aptatum pater ſibi ſubſtituit: ipſe vero tunc vacat, ſed priſtina obſervantia officiiſque non fraudatur. Mortuo parentatur ſolemni funere, cadavere in murata cavea depoſito.

De religione ſenſus.

Gens eſt ſuperſtitioſa. Antiqua traditio fert, Evangelium ibi ab Apoſtolo Thoma, ejuſve diſcipulorum aliquo, prædicatum eſſe. Illud eſt certum, inter fabuloſa dogmatum monſtra non pauca emicare chriſtianiſmi veſtigia. Illud maxime, ſi vera narrantur, quod de Deo-Homine apud Manacicas fertur, quorum traditio eſt, venuſtiſſimam fœminam viri neſciam infantem peperiſſe, qui ætate major mirabilia fecit, mortuos ſuſcitavit, claudis gradiendi, cæcis videndi poteſtatem fecit, & coram frequente populo in ſublime elatus Sol quo illuſtramur devenit. Si propior diſtaret, ajunt Maponi, oris lineamenta paterent oculis.

Dæmones colunt, qui ut illi ajunt, horribili forma videndos ſe præbent. In Deorum turba tres eminent cæteris majores, ex quibus trinitas quædam, nempe pater, filius, & ſpiritus coaleſcit. Binominis eſt pater *Omequaturiqui*, & *Uragoſoriſo*. Filium dicunt *Uraſana*; ſpiritumque *Urapo*. Uxor patris *Quipoci*, mater *Uraſanæ* extitit & virgo. Pater, ajunt, vo-

(a) Avicula forte dicitur infeſtiſſimus veſpertilio; de quo alias, qui dormientium venam ſcindit, mortiſque ſoporem inducit.

Digitized by Google

voce loquitur elata & clara: filius haso: ſpiritus vox eſt, vel tonitruum vel tonitruo ſimilis. Quipoci interdum oculis apparet ſplendenti forma. Patris eſt juſtitia ſcelerum ultrix. Filius, mater, ſpirituſque pro peccatoribus orant. Diis tribus commune nomen eſt *Tiniamara*.

Cultus. In aula quæ templi vicem ſubit, pro adyto ſparium eſt, quo numina tria deſcendunt adoranda, & reſponſa datura. Eo unus ingreditur Maponorum princeps; nam Maponi uno plures in ſingulis oppidis numerantur. Quodſi alius a Mapono pedem inferat, reus eſt capitis. Comitiorum maxime tempore numina conveniunt, adventuſque prænuntiatur edito rumore. Tunc comitia ad bibendum & ſaltandum intenta ſuſpenduntur. Una omnium voce exclamatur: Pater, veniſti jam? Reſpondentem audiunt: Jam veni. Pergite filii, genio indulgete. Opima vobis piſcatio, & venatio parata eſt. Accepta mihi bona omnia referte. Dicta reverentes excipiunt, & potare atque ſaltare pergunt. Inebriati debachantur: comitiaque fere cruentant interfectorum ſanguine.

Maponus intra ſacrarium nihil madeſit minus. Vox ſonat, ſitire Deos: confeſtimque paratur vas, *chicha* impletur, floribus ornatur, & portandum traditur oppidano, vel oppidanæ magis conſpicuis. Velum ſubmovet Maponus, & oblata ſumit. Eſurientibus diis eadem ratione ſufficitur eſca. Cui hæc proſint, nemini latet. Sed eum etiam *vivere* oportet, nec vivere aliunde vacat, aut decet. Aliquando prodit e ſanctuario ad placandas ebriorum rixas: ac tunc ſilentium primo indicit, fuſe deinde promiſſa deorum explanat audientibus, de cumulandis omnium votis. Fuit aliquando qui reponeret, *chicha* deos exhilaratos. Quod cum Maponus unde prolatum intelligeret, ex eo promiſſa deorum in imprecationes & minas degenerarunt.

De orcenlis, & inferioribus diis: Quandoque deorum interpres claſſicum canit ad oppugnandum, expilandum, igne & ferro delendum pagum aliquem. Etiam tunc obediendum barbaris eſt: idque perpetuus eſt odiorum fomes propagationi gentis infeſtus. Veriſimile ſat eſt, pago in quem primo ingreſſus eſt Cavallero, nec præter cadavera, & ſemiuſta mapalia quidquam reperit, eam pari mandato vaſtitatem inductam eſſe. In inferioribus diis ſunt qui præſident aquis. Idque ſonat *Iſituus*: quo nomine appellantur. Eorum eſt amnes & lacus percurrere, atque opplere piſcibus. A piſcatoribus invocantur, qui pro thure tabacum adolent. Venationi præſunt alii, qui quemadmodum Iſitui, ideſt Maponi, captorum primitias ſibi vendicant. De reliquo hi ſacrifici noti ſunt impoſtores, qui religionem ad proprios detorquent uſus; ſed ſeductio prævalet.

Dogmata & paradiſus. Animi ſunt immortales Mañacicarum ſententia: eoſque nexu corporum abſolutos cœlo æternum beandos invehi a Mapono exiſtimant. Poſt funus hic accipit familiæ dona, ad animæ labes abluendas aquam ſpargit, propinquos ſolatur, ſpemque facit non diu fore quin de mortui felicitate nuntium accipiant. Diſparet aliquandiu. Redux familiam cogit, os ad hilaritatem componit, lacrymis temperare jubet, luctumque deponere, quandoquidem anima defuncti venerat in cœlum, ſuos expectabat.

Exaggerat quanti ſteterit iter. Poſt impervia ſilvarum, montium, lacuum, & fluminum, ventum ait eſſe in amnem ligneo ponte junctum, cui Tatuſius Deus præeſt, Maponos cum ſarcina in cœli viam deducturus. Pallet deus hic, calvam horridam, & vultum oſtentat, corpus uteribus plenum & ſuffarcinatum. Eumes, animas intercipit aliquando, ut expientur, maxime ſi juniorum ſint. Si qua reluctetur, præceps devolvitur in flumen. Atque ex eo Mañacicis perſuaſum eſt, calamitates in familiam, imo & in gentem derivari.

Paradiſum ſibi confingunt deliciis inopem. E denſis arboribus fluit gummi animorum cibus. Simii ſunt nigri, mellis copia, piſcium caritas, & aquila temere volans, de qua multa comminiſcuntur inſulſa. Deorum ſingulis ſingula ſunt habitacula; atque virgini matri, nanu &. Quipocim deam vocant, omnium diviſſimum & commodiſſimum. Frequentes ſunt ſilvæ; & ad refrigerandum æſtum ambulacra. Piſces, quales pro diis, pſittaci vulgares. Tres animarum claſſes, altera ſubmerſorum, altera eorum qui moriuntur in ſilvis, tertia in tugurio defunctorum. De mortuis in bello, aut in ebrietate, nulla ratio habetur, nec de virtutibus etſi de paradiſo ſermo eſt.

Status gentis ſub adventum Miſſionarii. Hæc erat gens, quam Evangelio ſubdere conſtituit Cavallero. Qua neceſſitate ad S. Xaverii redeundum fuit, ibi præter opinionem morari oportuit uſque ad Octobrem 1706. Neophytorum manu ſtipatus, luſtratis de via proſelytis, ad Sibacas venit, cujus Maponus anno præcedente in illius conjuraverat caput. Mortui, ut ſupra dictum eſt, flaminis caſum, pœnam eſſe a diis Miſſionario confœderatis irrogatam, Sibacis perſuaſum fuit; vindictamque parem ſubituros ſe, niſi redeuntem æquo animo acciperent. 1706.-07.

Sibacarum converſio. Eam opinionem ille falſi primum redarguit: & dynaſtæ ante omnes perſuaſit, Chriſtianorum Deo vindici Maponum & conjuratos dediſſe pœnas. Eo tamen plures moti ſunt, quod Maponi filius & ſucceſſor a Chiquito quodam adoleſcente Miſſionarii comite Chriſto conciliatus fuit, & quod converſus eodem die de paganis principibus duos ipſe convertit. Tunc univerſi profitentur, ſe Chriſtianos eſſe velle: poſtridieque in forum ad audiendum Chriſti præconem conveniunt, cui palam illico fuit, cordium Dominatorem auditoribus imperare.

Poſt concionem crucem ſublimem & aram conſtituit, expoſita Salvatoris, B. Mariæ, & S. Michaelis imagine. Populus in genua pronus elata voce ſecundum Dei miniſtrum eas ingeminat preces: „Jeſu Dominus noſter, eſto nobis pater. Maria mater Dei, eſto nobis mater.“ Ex tunc aliud fere nihil toto perſonabat

pago, ſummo viri Dei, quod nec exprimere, nec comprimere poterat gaudio. „Mi Deus, ajebat, dum populum hunc audio te Creatorem & Dominum confiteri, ad cumulum labores mei remunerati ſunt. Te adoret, & amet, tibi ſerviat. Hæc tota merces mea ſit.“

Catechumeni fervor.

Eas jam fides radices egerat in corde Sibacarum, ut adverſus perſecutiones ſtare poſſet: abfuitque prope, ut Maponus ſuo baptizaretur ſanguine. Ab infidelium turba improviſo appetitus primo increpatur, quod deorum minister, qui ad tuendum eorum cultum omnium maxime teneretur, extero impoſtori, atque ejus impietati concederet. Deinde ut reſipiſcat hortantur, ſcandalum removeat, dynaſtam revocet ad priſtinam ſuorum religionem, operamque det, ut exemplo errantes exemplo in viam reducat. Si abnueret, deos fore vindices, primaſque ex eo pœnas exactum iri minantur.

Ejuſdem conſtantia.

Increpationem æque atque minas deridebat ille, quo infideles in furias acti, pugnis & calcibus impetunt, & fuſo ore ſanguine cruentatum relinquunt. Supervenit amicus, qui calamitatem miſeratus ait, infideles efferatos haud ceſſaturos, quin cœpta conſumment: ſpecie ſaltem Deos coleret, idque dynaſtæ perſuaderet. Talia ſe facturum totus negat ille, ſed vero Deo pro fidei dono libenter immolare, vitam tuendaque ad extremum uſque ſpiritum vera, quæ certus noverat. Conſtantem demum ſpe dejecti perſecutores a virtute laudarunt.

Rebus uſque adeo proſpere fluentibus, Miſſionarium apud Sibacas conſiſtere oporteret, ſaltem dum ſedes ea firmaretur. Sed miſſus erat, ut ſementem ſpargeret Evangelii, terramque pararet ab aliis irrigandam. Hic perpetuus Apoſtolorum, dum primo mittebantur, mos fuit, quorum prudentia Spiritus, quo regebantur, inſtinctu nitebatur. Eos vero cum Scriptura comparat, tum aquilæ volanti, tum nubibus vento circunductis, ſatis ſignificat, lumen quandoque ſequutos non ſuum.

De Quiriquicis.

Animum igitur præter opinionem induxit vir apoſtolicus, ut ad Quiriquicas diuturno bello cum Sibacis diſcordes tranſiret. Horum dynaſta, quem de ſe comitando interpellaverat, nihil ut Patrem a ſententia dimoveret, prætermiſit. De ſe addidit, diſpendioſum ſine compendio ſuum fore in medios hoſtes adventum, imo adverſum intentæ converſioni gentis. Miſſionarius ait, ſperare ſe fœdus inter utrumque pagum conciliandum primo. Et ille quidquid timoris erat, amicitiæ poſthabuit, qua tenebatur. Simul itaque cedunt, ac dum in conſpectum pagi ventum eſt, duos neophytos Pater præire jubet, ad ſpeculandum quid incolæ pararent.

Hi referunt, magnos eſſe motus. Quemdam deorum cultui devotum animos ſolicitare: Maponum vociferari, nimium invalidos fore Deos, niſi adverſus inermem unum tuerentur ſe; motus ſedandi copiam non fuiſſe. Nuntio imperturbatus progreditur Miſſionarius. Mox poſt inconditum ululatum prodeunt cataphracti infideles, ordineſque laxant, ut accedentes intercipiant.

Qua ratione excipitur.

Tunc Dei miniſter Chriſti Genitricis iconem ſublimem oſtentat: barbarorumque tela parantium manus ita diſſolutæ ſunt, ut vix arma tenere poſſent: quare conſternati in proximam ſilvam fuga ſe recipiunt. Terror in pagum propagatus incolas exegit præter unum *Sonema*, popularium converſionis deinceps interpretem. Succedit Pater, qui dum omnia luſtrat, incidit in bina ſanctuaria, idolaque, qualium ſupra memini. Zelo motus idola fregit, aras ſubvertit, accenſumque immiſit in rogum quidquid eorum cultum & apparatum redolebat.

Sibacarum dynaſta tunc ait, conciliando cum Quiriquicis fœderi locum non eſſe: illinc abeundum ubi nihil tutum erat. Cui Pater reſpondet, eum poſſe recedere, imo precatur ut recedat: ſe ad Evangelium infidelibus prædicandum veniſſe, eos ſibi expectandos eſſe. Et ad Chiquitos converſus ait, teneri neminem. Hi vero ad commoriendum ſe eſſe paratos ſignificant. De integro contendit dynaſta, ut ſecum in ſuum pagum ſe recipere velit: atque renuenti vale dicit.

Miſſionario Breviarium recitante, de transverſo ſe ſiſtit Indus corporis habitu procerus contemplanti ſimilis. Nempe librum, quem attente legi videt, carmen continere judicabat, quo barbari exarmati erant, illumque manibus abripere nititur. Pater quid mente voluteret barbarus, quem pagi dynaſtam eſſe cognovit, ſuſpicatus ſtudet, ut errore depoſito intelligat, ſe ſuoſque mali dæmonis opera decipi, excœcarique.

Hæc ille tacitus audit: elatis deinde humeris domum divertit, unde ſagittarum faſcem ad ſuos portat in ſilvam. Nocte proxima conſilium advocat, cui & interfuit Sonema, qui hærentibus varietate ſententiis, ait, nefas eſſe homini probo & miti negotium machinari. Nec pluribus ad rem tranſigendam fuit opus. Admiſſo regendos ſe tradere conſtituunt una omnes. Patrem conveniunt, qui in tugurium ſat incommodum ſe receperat, accedenteſque, ut quos expectaſſet, amplectitur. Illi quiddam homine majus eſſe rati, proſternunt ſe, veniam petunt, quod in ejus vitam conſpiraſſent, & eo perſeverant habitu, donec jacentes ſublevat.

Pagi converſio.

Maponus deinde venit, ad modeſtiam & reverentiam conformatus ac tacitus. Eum vir apoſtolicus amplexus aſſidere jubet. Ad reliquos mox egreditur circum tugurium ſtantes, atque ſumma doctrinæ Chriſtianæ capita explicare incipit. Aures intendunt, ſed oculos identidem ad Maponum conjiciunt, quid ille ſentiret ſciendi cupidi. Non diu ſuſpenſos tenuit. Ut Pater loqui ceſſavit, in genua pronus erat, ut diſcipulis adnumerare velit ſe. Converſuſque ad ſuos, palam ſe erraſſe fatetur, Chriſtum Jeſum eſſe verum Deum, una Chriſti lege poſſe homines ad ſuæ creationis finem perduci,

Digitized by Google

ci, eam cunctis amplecterentur; se vero ut pristinam purgaret infidelitatem, quod acceperat lumen, undique propagatum ire.

Dum Dei minister gaudio perfunditur, neophyti comites in Maponi ruunt amplexus. Erigendæ confestim cruci nullus non manus admovere gestit. In forum maximum triumpho vehitur, Chiquitis litanias de Passione cantu alternantibus. Exultant Quiriquicæ, qui postquam erectam adoraverant crucem, infantes undique contractos baptizandos offerunt. Concedit Missionarius, isque numerus erat, ut diem totum exegerit, brachia sæpe defecerint collapsa, & corpori curando vix suffecerit tempus.

1707. Ad S. Xaverii reditus.

Ne fructus quotquot spes erat colligeret, obedientia fecit, qua ad sui gregis curam vocabatur; nec reditum fortasse intercludendum diutius prolatare licebat. Lacrymis discedentem longe prosecuti rursum veniendi fidem exigunt, dum tempus faveat, idque etiam Chiquitos orant. Pueros exhibent ad ecclesiæ cultum aptandos, e quibus tres admissi sunt. In S. Xaverii constitit ad 4. Augusti 1707., quo tempore cum nova Chiquitorum manu profectus est; voluit tamen Sibacas prius visitare. Dynasta monitus obviam venienti procedit cum piscium commeatu. Lætis undique acclamationibus excipitur, & ad manus osculum concursus fit. Cum eos inter & Eiritucas belli semen intercederet, hos ad se vocat, & extempore adsunt. Expostulantes audit, reconciliatosque haud ægre æternum fœdus jurare jubet.

Postero die convocatis de mysteriorum christianæ fidei sanctitate sermonem habet, & cantica tradit, quibus prima capita continebantur eorum lingua; quæ illi per pagos & rura modulari non cessabant. Tam vivida atque sincera fides erat, ut miris supernæ beneficentiæ documentis remunerari meruerit. Missionarius, postquam se absente natos baptizaverat, adultosque paraverat ad baptismum, ut ad Jurucares cæde rapinisque ea loca depopulantes se conferat, rogatur. Annuit ille, & quia nullus erat viæ dux, ante in Pagum venit quam crediderat. Tunc monet individuum Chiquitorum comitatum, ut actum contritionis eliciant generali absolutione donandi. Extemplo paganus eorum testis quæ gerebantur, ad ejus pedes prolabitur, ac una convivere, & commori se velle profitetur.

Jurucares convertuntur.

Maponus pridie monitus de Patris adventu, & rebus suis timens, si admitteretur in pagum, incolas ut ex Deorum consulto in silvas egerat. Pauci reliqui erant, qui & viso elabuntur præter adolescentem unum specie amabilem, atque natura mitem. Huic Dei minister adblanditus munuscula quædam tribuit, quibus ille grato animo acceptis ad populares transit nuntius, exterum sacerdotem monstri coloribus adumbratum longe aliud esse, virum esse suavissimum & affabilem, quem si dii expavescant, næ rudes hominum cognitores illi sint.

Id satis fuit, ut cuncti domum se reciperent. Venientibus occurrens ita se probavit, ut loquenti proni concesserint. Ejus verba sic temperavit Spiritus Sanctus, ut continuo falsa numina abjuraverint. Eos jubet omne superstitiosi cultus instrumentum in forum producere: quod ob eorum oculos conculcatum igni tradit. Author deinde est, ut bello cum finitimis abstineant: & dynasta cum primoribus gentis maturaturum se pacem cum hostibus universis pollicetur. Addidit, ne mors ætate gravem se ante baptismum occuparet vereri. Sed Pater, a quo nondum satis erudiri potuerat, securum esse jubet, in reditu baptizandum. Pignus promissi, & contra diaboli metus amuletum petit crucem, quam facile impetravit. Infantes domum complures baptizat; atque ad liberandam Quiriquicis datam fidem se confert.

Acta apud Quiriquicas.

Frequenti occursu acceptus est apud eos; sed amoris significationibus nonnihil violentum, & causam animadvertit. Ejus absentis opera pestilentiam in pagum immissam esse crediderant, quod eum in primo adventu interfectum voluissent. Errorem tollere nitenti, dynastam mori nuntiatur. Accurrit & phrenesi delirantem invenit. Genua flectit, & lacrymis Deum orat, ut animam Christi sanguine redempram redemptionis fructus participem esse velit. Delirium repente cessavit, ægrotusque in se receptus verba docentis reverenter audit, inspirata sensa profert, baptizatur, desitque vivere cum prædestinatis.

Postridie indicta est generalis supplicatio, & B. Mariæ, cujus præferebatur imago, ad depellendam contagionem patrocinium imploratur. Languentes deinde visitat Missionarius, angelicam salutationem recitat singulatim post exquisitam in Jesum Christum fidem, sacram admovet imaginem Crucifixi, frequens dum populus preces simul multiplicat: nec diu fuit quin omnes ægroti convalescerent, sinistris suspicionibus etiam ex memoria revulsis.

De Cazoquiis.

Ad Cazoquias inde excurrit Cavallero. Quo ut iter intenderat, alterius pagi dynasta cum frequenti subditorum comitatu adest, imputatque quod nondum ad se divertisset. Amice acceptum Pater invitat, ut se ad Cazoquias præeuntem sequatur. Prior cum Chiquitis in forum venit, Crucifixum manu tenens. Grandine sagittarum salutatur, quibus duo de comitatu, quorum alter B. Virginis iconem gestabat, vulnerati sunt. Ad Patrem conjectæ, ut manu invisibili interceptæ cadebant. Dum tamen progreditur impavidus, mirati barbari arcus abjiciunt, aut tenere nequeunt.

Ad notum Maponum accedit vir apostolicus, & voce simul miti atque intrepida: Nonne vides, ait, nihil vos adversum me posse, quandiu a vero Deo, cujus legatus sum, protegar? An hæc possint contemnenda numina vestra? Cæcitatem vestram videte. Adorate Deum, qui unus & verus Deus est, cui pœnas dabitis exhibitum lumen aspernantes.

Maponus, qui monitus de Patris adventu,

vi-

Digitized by Google

vicinum dynaſtem diis auxilio vocaverat, ita repente mutatus eſt, ut ſemet ipſe non noſſet. Miſſionarium amplectens hoſpitio accipit. Sequitur dynaſta depoſitis armis, qui & Patri plurimam ſalutem dicit, & Mapono gratulatur converſionem, atque felicitatem eum hoſpitem apud ſe habendi. Perſeverare jubet.

Sanitas miraculoſa.

Interea Miſſionario nuntiatur, Chiquitos duos ex vulneribus acceptis male habere. Eo properat, ubi cruentati tacebant calicibus infeſtati, nec erat præter folia plantarum, quo plagas obligarent; ſed gratias agentes Deo pro vitæ periculo infidelium ſalutis cauſa ſuſcepto. Eorum alteri paucos ante menſes baptizato ſagitta brachium transfixerat: iſque erat ex nervorum læſione dolor, ut animo ſæpe linqueretur. Præſentius erat alterius periculum, cui ex imo ventre, quo vulneratus erat, viſcera fluebant, ægre recepta. Sed utrique ſanitas præter ſpem accidit.

De Sabaracis.

Quo duplici miraculo tandem Cazoquiis perſuaſum eſt, unum Chriſtianorum Deum eſſe colendum. Idque tantum Miſſionario fuit reliquum, ut credenda agendaque doceret. Subaracarum etiam dynaſtæ, quem Cazoquiarum Maponus auxilio vocaverat, eundemque eſſe crediderim, qui venienti obviam occurrit, dandum fuit, ut pagus ejus viſitaretur. Magnis honoribus acceptus eſt, & barbarorum gaudio, qui non alium a Chriſtianorum Deo ſibi eſſe colendum illico profeſſi ſunt, ægrotantium omnium ſanitate remunerati, dum Cavallero initium Evangelii S. Joannis ſuper eos pronuntiavit. Brevis mora fuit, Eccleſiam ſuam repetere coacto. Quam primum poſſet redeundi promiſſo mœſtos ſolatus diſcedit, comitante uſque ad S. Xaverii juniorum turba.

Singularis eventus.

Ampla prætereunda fuit ſilva. Ad Archangelum Tobiæ ducem, Angeloſque Mañacicarum cuſtodes dum confugit, venit in Arupurocos, a quibus benigne acceptus eſt. Inde ad Bahocas, quos eventu ſat ſingulari ad Chriſtianiſmum pronos invenit. Jam illac prætergreſſus in tugurio non ineleganti hoſpitio donatus erat, ubi pendebat flagellum ut pœnitentium, ſpinis horridum. Rem miranti ajunt, ejus generis apud omnes eſſe copiam. Uſum quærit a dynaſta, qui reſpondit: *Indos* Borrillos convictum noſtrum amantes accepimus quondam. Gens ferox atque ſuperba mores noſtros contemptui & deridiculo habuit; quare nobis acerbatis inſolentes perdere ſententia ſtetit. Nocte intempeſta viros omnes interfecimus, fœminas atque pueros reſervavimus ad ſerviles operas. Peſtilentia ſupervenit, neque dubitavimus pœnam eſſe pro malefacto cœlitus irrogatam. Audieramus, inſtrumentum pœnitentiæ, quod apud nos miraris, a Chriſtianis expiantibus, peccata adhiberi ſolitum; eoque nobis uti libuit. Crucem ereximus, ante quam diebus ſingulis flagello cædebamur. Cælicum proculdubio ſalutis remedium, nam peſtilentia brevi ceſſavit, nec ulli deinceps lethalis fuit. Crucem colere perſeveramus; atque beneficii memores ſalutaris pœnitentiæ monumentum ſervamus.

Tucumaniæ vaſtitas.

Optabat Cavallero, priuſquam ad S. Xaverii rediret, cœpta apud Mañacicas promovendi curam alteri Miſſionario tradere. Sed nullum a Provinciali obtinere potuit; quod nullum in eam provinciam extrahi paterentur Tucumaniæ ſtatus. Ex quo Chiriguani Miſſionarios ſolum mutare compulerant, Hiſpanis ipſi infeſti eſſe deſierant. Sed in Tucumania, quaſi non alius immineret hoſtis, ſecuritas ad nimiam indolentiam evaſit. De finitimis Chacoenſibus perſuaſum erat, Peredi bello territos nihil auſuros. Sed barbari ſecuros aggredi, & provinciam inermem impune populari ſe poſſe rati ſunt.

Eſteci ruina.

Illud accidit Tucumaniæ malum, quod præſides ſecuritati finium indormirent, & privatis publica poſthaberent commoda: quod barbaros non latuit. Cum Hiſpani remotioribus agris illata vaſtitate non evigilaſſent, in loca ſuccedunt, ubi minimum timebantur: prædiiſque expilatis, oppida etiam oppugnare ſunt auſi, inaudita immanitate, & compluribus incolarum ad incitas redactis. Eſtecum penitus ſubverſum eſt (*a*), ex ruderibus arce extructa, quæ nec diu ſtetit.

1708. Salta inſultatur.

Eo publica res devenerat, cum D. Stephanus de Urizar Nobilis Cantaber, Eques Jacobæus, qui pluribus annis in Italia conſpicua meruerat ſtipendia Regis mandato Tucumaniæ præfecturam ſuſcepit. Ut Saltam venerat, quæ tunc (*b*) ordinaria Prætoris ſedes erat, Indi ad inſultandam urbem ſe ſiſtunt: quorum inſolentia notam fecit muniendi fines neceſſitatem. Chacum quam plurimis copiis adoriri ſtatuit; ſed cum pauciores eſſent, quam ut poſſent nova occupare loca, partaque tueri, facile cognovit hoſtes non tam ſubmittendos quam acerbandos, niſi mores miteſcerent, & inconſtantia Chriſtiana fide firmaretur.

Nihil tamen ante conſtituere voluit, quam expertorum conſilium exquireret. Horum ſententia fuit, bello tantum defenſivo, & extruendis arcibus conſtante, aut fœdere conciliando, non inſtaurandum imperii decus; ſed caſtigandam inſolentiam barbarorum. Belli autem offenſivi diſpendia noluit in ſe recipere Prætor niſi Regio Curiæ mandato, cujus conſulto ad Proregem Limanum remittitur. Hinc auſpicatus eſt pro Rege imperium Marchio *dos Rio* (*c*), qui Prætori Tucumaniæ reſpon-

(a) Eſtecum terræ motu ſubverſum eſſe dicitur; ſed quod poſt ruinam inſtauratum non ſit, in barbarorum incurſus referri oportet, & in aeris gravitatem.

(b) Tunc erat, & modo etiam eſt.

(c) Hic erat Hiſpanus Orator in Gallia, cum Carolus II. obiit, cujus poſtremas tabulas Ludovico XIV. exhibuit. *Charlev.* * Nomen erat Emanuel Omms de Santa Pau, olim de Seotmanat, & de la Nuza, Marchio de Caſtel-doſ-Rius, qui pro Rege ſuſcepit imperium Limæ 7. Julii 1707.: tenuitque ad 22. Aprilis 1710. quo mortuus eſt in Civitate Regum.

pondit, Tobis, Mataguaiis, Mocobiis, fœderatisque bellum denuntiandum: adjunxitque sententiam Theologorum de belli justitia & necessitate.

Belli apparatus.

Ut Prætor responsum accepit, quatuor petit Socios a P. Antonio Garriga Paraguai Visitatore, a quo missi sunt Franciscus de Guevara, Balthasar de Texeda, Antonius Machoni, & Joachinus de Jegros. Nempe victis hostibus ea lege pacem Prætor offerre decreverat, ut Missionarios apud se haberent, observarent, & hortationibus acquiescerent. Machonium, quem Capitulum sede vacante Vicarium Generalem (a) Castrensem constituerat, apud se retinuit: tres reliquos in separandas copias distribuit.

Expeditionis apparatus celerrime confectus est. Hispani omnes signa non secuti sumptus, ut facultates erant, suppeditarunt, & partem maximam Prætor de suo contulit, ad libras octiregales sexaginta mille. Septingentis Hispanis constabat exercitus præter duces, Tarixanum, & Ribogianum militem, Estecanæ Arcis manipulum, Chiriguanorum auxilia, & quingentos Indos. Assumptione milites quingenti, Confluentibus centum, tercenti Sanctafide conscribendi erant. Sed trina hæc cohors Chacoenses finitimos continere jussa est, ne suppetias hosti ferrent.

1709-10. Chacum acies aggreditur.

Per plura simul loca acies Chacum aggreditur, ad occupandos undique hostes, ne alter alteri veniret auxilio. Castra paraverat Prætor, & casus omnes sic præviderat, ut nihil anceps ex re nata definiendum reliquerit. Arma tenentes occidi jusserat, nam priore bello servati, factum esse gloriabantur ex metu ne par pari redderent. Fœminas & quatuordecim annorum ætate minores capiendos esse decretum est.

De Lullibus, quorum recessus sæculi spatio latuerat, Mocobiis haud ita pridem affines esse notum erat. Quorum fidem experturus Urizar Alphonsum de Alfaro Jacobæum tunc Proprætorem, deinde Prætorem Tucumaniæ, eo binas cohortes mittere jubet, ut eos ad belli societatem deducat, aut certe suadeat, ne auxilio hosti sint. Ad Elteci arcem castra locaverat, ubi Jesuitæ nondum dispertiti verbi ministerio, & generali omnium communione copias expiarunt.

Xuxujana deinde atque Saltensis bina cohors ad Rubicundum Flumen accedere jubetur, ubi *Flumen Grande* nomen habet. Michaelitana, quæ vulgo Tucumana dicitur; forte quia Sancti Michaelis urbs Tucumaniæ antiquissima est, eodem, viæ tamen compendio missa, ut arcem extrueret, iniretque fœdus cum Malbalais. D. Antonius de Aldurralde dux erat, qui captum anno præcedentis gentis ejus Indum baptismo aptari curaverat. Neophytus hic, Antonius nomine, bene moratus erat, hero & Hispanis charus.

1710. Arx a Valle bona.

Decima Julii 1710. cum frequenti triariorum comitatu Esteco prodiit Prætor, partemque copiarum, quam longe progressam crediderat, octodecim inde leucis castra munivisse miratur, scilicet ad orientalem rivuli (b) oram, qui propter Estecum ab eo nomen habet, deinde a Valle Bona dicitur. Ibi morandi causa fuit, quia exploratores ultra quatuordecim leucas regionem vastatam invenerant (c). Deinde quia iter erat impedimentis impervium (d), & altis caveis interciſum (e). Tandem, quia cum eo loci ventum est, hostes in vicinam convenerant silvam, proculdubio ut Hispanis longius progressis Tucumaniam invaderent nullo præsidio munitam.

Hostium recessus.

Id causarum ratum habuit Prætor; sed hostis erat opinione propinquior; nam dum equi pascebantur incustoditi, complures pene ob Hispanorum oculos abacti sunt, quos deinde recuperavit D. Hieronymus de Peñalosa abigeos assecutus. Haud ita post D. Stephanus Nieva & Castilla cum quinquaginta militum manu ad explorandum missus retulit, nullum Indorum visum; in pagum venisse recens desertum, quandoquidem & foci ardebant, & cacabi ad focum erant escarum pleni; in silvam confugisse, creditum primo est, postea vero notum, Mocobios esse qui duce Notivirio Saltam insultaverant, nunc vero ad Abipones delapsos sequentibus Aquilotis.

Infestissimi hostium recessu lætus Prætor non prævidit, turbinem eo magis ad Fluminis Argentei præfecturam admoveri, quo a Tucumania recedebat: ut deinde referam. Bonævallis arcem novis auctam munitionibus, & valido præsidio firmatam a Sancto Stephano vocavit, præfecto D. Nicolao *de la Vega*, apud quem de Sociis constitit P. Jegros.

Hostes ad extrema redacti.

Cum arx hæc inter diversas exercitus partes medium teneret, ibi ad vigesimam Augusti commoratus est Prætor: quo tempore sæpe manus consertæ sunt, barbaris ubique fu-

(a) Vicarii Generalis officium a Jesuitarum instituto alienum fuisse videtur ex literis Apostolicis Urbani VIII. *Vota quæ*, datis 25. Jan. 1631. in Bullario Societatis Ed. 1757. tom. I. Instit. pag. 142. ibi: „Quæcumque officia, quorum officiales jurisdictionem Ecclesiasticam .... extra ipsam Societatem exercent sub prædicto voto & prohibitione comprehensa fuisse & esse declaramus & decernimus.“ Forte Machonius nondum erat hujus voti professus, qui circa annum 1752. in vivis erat. Forte non officium obiit, sed aliquarum tantum facultatum, quæ Vicarii propriæ sint, exercitium ex ambulatoria commissione.

(b) Non rivulus, sed de maximis, qui Chacum alluunt, amnis est *Salsus* nomine, qui nunc *del Pasage*, sive a Trajectu dicitur, nunc ab Esteco, atque a Valle Bona.

(c) Vastatam videlicet combusto armentorum pabulo.

(d) Impervium semitis obstructis virgultorum vitio.

(e) Scrobes frequentissimæ sunt a formicis indigenis excavatæ, quæ equitem aliquando capiant, & ita mollibus clivis cumulatæ, ut gradum fallant.

Digitized by Google

fusis, & quod e silvis egredi non ausi aquæ & annonæ penuria laborabant, ad incitas redactis. Plures etiam sunt capti, promulgato Prætoris edicto, capientibus ea lege relinquendos, ut miti ratione haberentur, & Christianæ religionis imbuerentur doctrinis.

Augusti vigesima post sacra in honorem Sancti Bernardi Saltæ patroni celebrata, ad Rubicundum amnem iter intenditur, quo non ante diem 27. post casus varios, maximamque sitim perventum est; nam ea regio quam Aguiloti colunt, pluviis inundari solita, considentibus aquis aresci t, silvosa licet. Ad hæc securi sæpe aperienda via est, & aperta formicarum lustris extuberat adeo latis altisque, ut collium modicorum speciem referant. Equis ibi pessum euntibus, temporis dispendio complanandum fuit iter.

Præterea cum Tucumana cohors & Saltensis aquationis difficultate seorsim incederent, dux illius Aldurralde ad Auratum usque flumen venit, unde Simonem Garciam Valdesium cum expedita manu præmisit, cui & fidum viarum ducem Antonium adjunxit ad internoscenda barbarorum vestigia. Antonius ad notum suæ gentis, dum fugit hostem, recessum venit; sed Malbalaa nullo reperto, ad ducem regreditur, qui Rubicundum cum peteret, pabuli penuria interceptus, arci extruendæ dabat operam. Collatis manibus ad culmen perducitur diebus quinque propugnaculum a Sancto Joanne dictum, ubi impedimenta cum custodia reliquit. Iter deinde sequitur ad amnem die 24. (a) superatum.

Malbalaarum occursus.

Rari apparebant Indi qui visis hostibus in silvas conjiciebant se. Tandem die 28. post confectum sexdecim leucarum iter, sole cadente, incidit prima acies in infidelium globum recens castra metatum. Erant Malbalaæ, qui loco freti paludosa voragine circum vallato provocabant Hispanos. Sed non diu stetit animus. Septem cæsis, octo captis primo impetu, cæteri secundo non expectato convertuntur in fugam, prædam Hispano relinquunt equos quinquaginta, & oves aliquot.

De fœdere consilium.

Miti ratione habiti sunt capti, Antonii gratia qui caduceatorem ad suam se gentem iturum spopondit, annuente duce. Sed erat de captorum numero fœmina quædam, quam allocutus ducem monet, si mittatur ea fœdus facilius conciliandum: quod & ratum habuit Aldurralde. Paucis postquam fœmina equo & muneribus instructa discesserat horis, primus excubitor accurrentem equo videt Indum, qui a Præfecto admissus castra fidens ingreditur. Quo iter, interrogatus respondet, cibaria quærenti fœminam popularem occurrisse, ex qua noverat, filium quem diu fleverat mortuum, vivere apud Hispanos, quem videre vellet.

Lætus oc cursus.

Erat Antonii pater, quem ille notum amplectitur, nudumque vestibus operit sibi detractis. Filius patrem de heri, & Hispanorum erga se humanitate remotis arbitris allocutus, & de Christianæ religionis cultu verba fecit. Addidit quidquid in mentem venit, ut persuaderet e re suæ fore gentis fœdus cum Hispanis, quorum potentia tranquillitatem sponte fœderatis afferebat: a Præfecto impetraturum se, ut Malbalaæ ad Bonævallis amnem locarentur, quam sedem olim occupaverant, Morobiorum jam non timenda infestatione liberam.

De colloquio Antonius ad Præfectum refert, qui fidem dat, ut gentis dynasta se tuto convenire possit de pace, inducias fore, donec transigatur. Ad dynastam contendit Antonii pater spe, ad Præfecti votum cuncta cessura. Trigesima Julii regressus cum secundo genito viginti annorum ætate, ait, venturum secum dynastam, nisi uxoris obstitisset diffidentia, donec certior fieret spes.

Malbalaæ ad Vallem Bonam.

Posteris diebus Malbalaæ quidam deditione sui facta ad Hispanos accedunt, quos deinde cæteri, secuti sunt. Cum imbellis turba, & impedimenta lente procederent, primus ante vertit dynasta, qui dum venit ad Præfecti conspectum, ait, obsidem se tradi. Honorifice acceptus est ab Aldurralde, qui ut parem pari fiduciam rependeret, ad suos redeundi copiam fecit. Augusti 16. perveniunt familiæ quatuor centum, ita acceptæ, ut utrimque diffidentia disparuerit. Petit dynasta collocandæ genti sedem, ad Bonævallis amnem datam.

Error ad versus.

Auspicatum fœdus tantum non corruptum ex errore fuit. Cum Hispanorum annona tot indigentibus fœderatis minus sufficeret, ad comparandam hi silvas petunt; quo tempore Valdesius cum diu desiderato commeatu in castra venit. Rerum gestarum ignarus miles vagantes Indos hostes ratus aggreditur, & nonnullos capit. Alii fuga dilapsi ad traditores clamant. Præfectus rumore excitatus accurrit: Hispanos continet, qui fugientes persequebantur, atque his errorem excusat. Malbalais simul commeatus allati partem distribuit: qua largitate quietem restituit.

Tunc monet Aldurralde Prætorem de intento fœdere, qui ut nuntium accepit, ad consummandum opus equum conscendit. Obviam procedit Tucumanensis cum dynasta, hujusque bellatoribus Malbalais. In latam planitiem eodem tempore ventum utrimque est, ubi Prætoris comitatus sat frequens & speciosus in oculos barbarorum simul incidit. Indi præter ilia pennis volucrum præcincta, nudi vehebantur equo. Frontes ornabat vitta splendentibus adverso sole conchyliis distincta. Dum Prætor primo in conspectum venit, a Tu-

(e) Scilicet 24. Julii, ut ex sequentibus apparet.

Digitized by Google

Tucumanis ſclopetorum bombo ſalutatus eſt; a Malbalais vero expreſſo digitis ori admotis ſibilo: quo gaudium & reverentiam ſignificant.

Dynaſta pilum, quod manu geſtabat, & pilo vexillulum Hiſpanice inſcriptum „Jonaſteté bellicoſæ gentis Malvalaarum dynaſta communi ſententia pacem (*a*) offert" Prætori exhibet, quod ille tacitus accepit. Dynaſtam deinde & comites complexus ait, quandoquidem ſe deditum ultro venerant, mala Hiſpanis illata genti Malbalaarum condonare ſe. Iter deinde ſequuntur ad Tucumana caſtra: tranſiturumque Prætorem per Malbalaarum ſedem, de more gentis officioſæ ſalutarunt matres.

Pacta cum Indis.

A Tucumano caſtro, cui *a Roſario* nomen erat, ad S. Joannis (*b*) ubi Saltenſes conſederant venit Urizar. Ibi de Malbalais conſultatum eſt, utrum in deſtinato loco eſſent relinquendi, an Bonas Auras transferendi, ubi facilius ſub Miſſionario continerentur. Omnium ſententia fuit, Tucumanenſem de concedenda, quam petiverant, ſede conſilium præcipitaſſe, ob incommodam videlicet Mocobiorum propinquitatem. Quin etiam in receſſus ſuos dimitti præſtare, quam ibi conſtitui, judicarunt aliqui. Sed penſatis omnibus, datam fidem ſervandam, confectum eſt tandem; prope locum extruendam arcem, ſpecie quidem contra illorum hoſtes, revera ut in officio continerentur, & quæ Miſſionariis eſſet præſidio.

His ita conſtitutis, Prætor Indis denuntiavit, fœderatis & ſubditis Regis adnumeratos eſſe; ratam eſſe donationem ſedis, quam olim occupaverant: integram fere dynaſtæ, ejuſque filiis dignitatem, cui Conrectoris munus addere ſe pro Rege: Antonium ejus cognatum Accenſum Majorem fore (*c*): miſſurum ſe qui terram colere, domos ædificare, victuique providere docerent: Hiſpanos in vicinia relinquendos auxilio contra quemvis: in controverſiis nihil per vim decernendum, ſed ad proximæ arcis Præfectum, aut ſi mallent, ad Prætorem provinciæ cauſam deferrent, mandata facturi. Hi per quos id pactorum denuntiatum eſt, Dynaſtæ, Accenſo, atque ducibus veſtimenta & inſignia pro cujuſque gradu diſtribuunt.

Jonaſteté reſpondit, nihil prætermiſſuros Malbalaas quo tot benefactis reſponderent, regia mandata facturos; ut fœderatos & ſubditos decet, eoſdem habituros ſocios & hoſtes; conſuetudinem cum Mocobiis & Chacoenſibus aliis interdictam fore niſi Prætoris venia; bella gerentibus Hiſpanis, caſtra ſecuturos eorum imperio; Miſſionariis fore dociles, & reverentes, arcis præfectum monituros quidquid in Regem peccaretur; magiſtratu apud ſe fungentes prohibituros quidquid initæ paci, & Prætoris voluntati adverſaretur.

Geſtorum ſeries.

Interea, cum de Xuxujanis, quorum dux erat D. Antonius de la Tixera, nihil reſciretur, ad explorandum quo deveniſſent, mittit Prætor D. Joannem de Elizondo cum DC. armatorum manu. Viæ ducem adjunxit ex captis Mocobium gente, ſceleſtiſſimum caput. Oderat Hiſpanos; ex quibus captos vexaverat incredibili immanitate. Meritorum pœna dilata erat ſpe, gentilium qui transfugas ad Abigones ſecuti non erant, receſſus revelaturum. Elizondum nihilominus monuit Prætor, ut invigilaret, erat enim cur a perfido ſibi caveret.

Septembris 16. caſtra movit hic globus. Sed paucis poſt diebus ex Tobis captis a D. Gregorio Martinez de Salazar, partem eorum novit, quæ ſcire votum erat, quatuor dynaſtas cum ſubditis deditos Xuxujanis; hinc Hiſpanos inter & Chiriguanos ſocios nonnihil diſſidiorum contigiſſe. Hæc narravit ex captis fœmina, qua reliquum celante ſeu ignoratione, ſeu voluntate, Prætor minus de militiis ſolicitus in ſpem venit certiora brevi intelligendi.

Elizondo crebro cum Indis obiter prælian-dum fuit, quos ubique profligavit: & confectis adverſo flumine ſexaginta fere leucis, in arcem a S. Franciſco venit, quam Xuxujani extruxerant prope ruinas S. Jacobi *de Guadalcazar*. Ibi nuntium accepit, in eadem conveniſſe caſtra cum Xuxujanis Tarixanos & Chiriguanos; hos cum Tobarum, quos ceperant, copia feceſſiſſe, quapropter & Tarixani cum ſuo Subprætore retroceſſerant; Tixeram vero cum uno Xuxui milite hoſtes perſequi non auſum; principio ita perculſos Tobas & Mataguajos, ut pacem poſtulaverint, imo & Chriſtianos ſe fore polliciti ſint. Ex ſucceſſu tamen conſtat, id intendiſſe tantum, ut nullo perſequente in tutiora loca ſe recipere poſſent.

Felicius a Tixera cum Oxatis tranſactum eſt, qui Hiſpanorum amicitiæ & religionis cupidi, ſinceram ſui deditionem fecerant. Hos prope S. Franciſci arcem collocatos invenit Elizondus, cui Prætor Indis perſuadendi negotium commiſit, ut Bonas Auras ſe transferri vellent. Conſulto judicabat, confirmandam inconſtantium populorum ſocietatem cum Hiſpanis, dum a vicinia cæterorum amoverentur; ſed fortaſſe ignorabat, ut ex vero Chriſtiani eſſent, etiam a coloniis ſeparandos (*d*).

Ad

(a) Nunc pax dicitur & fœdus: nunc deditio, & ſubmiſſio. An ſtudio?

(b) Plura hujus nominis propugnacula fuerunt. Quod vero hic nominatur aliud eſſe oportet a cognomini nuper memorato, & a Tucumanis conſtructo, niſi Saltenſes in alieno Tucumanorum munimento conſederant. Alterius a S. Joanne caſtri ruderа extant e regione Xuxui juxta Pongum, qui Rubicundi ramus eſt.

(c) Sargento-Major.

(d) Si de Bonis Auris, non urbe, ſed præfectura ſermo ſit, poterant Oxatæ transferri, & eo loco conſtitui, ut nullibi magis a coloniis diſtarent.

Digitized by Google

De Malbalais providentia.

Ad Malbalaas tunc Prætor primas curas intenderat: & in mandatis Aldurraldio & Nicvæ, per quos in attributam ſedem deducendi erant, illud erat potiſſimum, quam mitiſſime habendos; dynaſtæ ac ducibus fidendum; ad firmandam horum authoritatem, & in Hiſpanos fidem, honorandos ubique; cavendum, ut arcis ſimul atque caſarum fabrica eodem tempore perficeretur; ita locandam arcem, ut cum ad tuendos ea parte fines, tum ad iternendam Hiſpanis in Chacum viam eſſet utilis: dynaſtæ perſuadendum, ut annonæ copiam pararet, nec eſſe quod ab hoſte timeret, exercendos mature juvenes agrorum cultu. Sed quoniam pagus trans flumen exundationum cauſa condendus erat, ſuminimentum etiam ea parte locandum, quod quinquaginta militum præſidium caperet.

Legatis hæc mandata executis, cum auxilio a Prætore mittendo, contra Mocobios ad Bonævallis orientem reliquos eundum erat, in belli ſocietatem acceptis Malbalais aliquot, ad experiendam videlicet illorum fidem: quam quidem Prætoris mandatum indicenti probaverunt. Legatorum tamen iter inauſpicato ceſſit; nam præmonitis Mocobiis, in tutum ſe recipiendi tempore uſi ſunt, nempe ob auxilii, quod promiſſum erat, deviantis tarditatem. Brevi tamen fuit quo id incommodum, jacturaque compenſaretur.

HISTORIA PARAGUAJENSIS.

LIBER DECIMUS SEXTUS.

ARGUMENTUM.

Tullium fœdus. Gentis deditio. Binas alias Prætor conciliare nititur. A Bonis Auris auxilium. Casus singularis Hispanæ puellæ. Chunupit se dedunt. Vilellæ elabuntur. Oxatarum reductio. Lullium. Malbalaarum cum Mocobiis fœdus. Oxatæ translati. De Lullibus. De Magnacicis. P. Cavallero martyrium. Morotoci. Quiezii. Zamuci. Sociorum neophytorumque cædes. De Chiriguanis. Lullium vices. P. Macboni solicitudo. Intenta provinciarum communicatio. Status Chiquitiæ. P. Aguilaris missio. Salinæ. Cujabæ aurifodinæ. Bellum Chiriguanicum.

1710. Cum Lullibus fœdus.

DUm Chaqui recenſebam incolas, Lulles bifariam diviſos, in magnos parvoſque eſſe narravi: & utroſque incertum quorſum diſparuiſſe. Neque mirandum; nam erant multa vaſtæ regionis loca, quo nondum Hiſpani penetraverant. Notum eſt tandem, non longe diſtare a Tucumaniæ finibus; & quem auxilio miſſum fine Libri præcedentis deviaſſe ſcripſi, eo per errorem venit, unde prope aberat parvorum Lullium ſedes. Tunc prima deſtinatione fraudatus, hos Indos Hiſpanis conciliare contendit, & belli contra Mocobios habere ſocios: quod porro utilius erat, quam auxilium legatis præſtandum.

Pergit itaque qua caſus tulerat, quo deſineret error ignarus. Dynaſtem Lullium nomine *Galvan* offendit, qui de Hiſpanorum acceſſu certior factus, ne progrederentur obſtabat cum bellatorum globo. Et quidem ut in conſpectum errantium venit, ducem adit, & progreſſu interdicit, quod nollet viam illac ſterni Mocobiis ad infeſtandam ſuam gentem; procedere nitenti non impune futurum. Dux reſpondit, ſe eſſe fortiorem quam ut timeret, ad pugnandum tamen non veniſſe: imo Tucumaniæ Prætori cordi eſſe cum Lullibus fœdus, non refutandum certe, ſi illi ſibi conſultum vellent.

Hinc de conciliando fœdere ultro citroque deliberari cœpit ſpe læta. Sed orta militum ſeditione, quos forte male habebat error per inculta & ignota loca, ceſſatum fuit, & retrocedendum. Haud ita poſt Accenſus Major Vega Lullibus Hiſpanos, quos fama appropinquare noverant, fugientibus occurrit: quibus ait, nihil Hiſpanos adverſum eos moliri, imo paratos eſſe ad confirmandam amicitiam. Horum conſcius dynaſta *Coronel* ad Accenſum venit, ad quem Lullianam, ait, gentem eo nimium acerbatam eſſe, quod quidam Tucumaniæ Prætor nomine D. Gaſpar de Bavaona Hiſpanis convivere volentem refutaverat; & quod Epiſcopus D. Emmanuel Mercadillo (a) petenti Miſſionarios, ſubditamque fidem promittenti aures occluſerat. Addidit, eamdem ſibi uſque conſtare, obſidemque tradidit filium, quem & ipſe ad arcem Sancti Stephani de Valle Bona comitari voluit.

A D. Stephano de Nieva præfecto liberaliſſime acceptus, ut gratiam rependeret, ſubditos nullis conditionibus ad arcem contrahit: quibus humanitate officiiſque Præfecti, atque P. Segros, qui forte aderat, plane ſatisfactum eſt. Coronel æternam cum Hiſpanis amicitiam ſe petere ait: ut univerſa parvorum Lullium gens in unam alteramve Reductionem conveniret, daturum operam: eodem allecturum magnos Lulles: quod ut perficeret, Præfecto contra Mocobios aciem ducenti comitem iturum.

Fidem accepit Nieva, qui ad dynaſtem ait, dum Prætor ſedem genti deſtinaret, conſtitui poſſe ſecundum arcem, & ſementi tuto adlaborare. Acta probavit Prætor; ſed Lullibus denuntiavit, fœderatis non accenſendos, niſi ſequentibus concederent pactis, genti utique commodiſſimis. 1. Hiſpanienſi Coronæ adſcribendos, ſubditos liberos ſub immediata Regis clientela, nullius particularis commendatarii ſervitio obnoxios. 2. Sedem quæ decerneretur accepturos, data fide, fore genti quam poſſet commodiſſimam. 3. Priſtina cum Malbalais odia obliteranda, condonatis Hiſpanorum exemplo injuriis; utriuſque gentis dynaſtas de tollenda odiorum cauſa conſulturos: diſſidia, ſi qua in poſterum intercederet, arbitrio Prætoris terminanda. 4. Si magni Lulles in fœdus convenirent, jungendos, ſeparandoſve, ut ſua illorum intereſſet Prætoris arbitrio.

Nihil horum non acceptavit Coronel: & primo Malbalais reconciliatur epulo ſolemni, in quod cautum eſt nequid inordinatum irreperet. Mox Aldurralde & Nieva contra Mocobios arma moveritis juſſi ſunt, hic Lullium, ille Malbalaarum ducere globum: quod fidei & virtutis periculum utrique ſubeunt læti. Quarta Octobris prodiit acies, ut Notinirium oc- Gentis deditio.

(a) Prælatus hic Romæ promulgatus 8. Julii 1694. de Sociis mittendis non curabat: quos veſtigiis omnibus ad extremum uſque ſpiritum inſectatus eſt, prædeceſſorum Tucumaniæ Epiſcoporum nullius exemplo. *Carlev.*

occuparet, qui Abiponiam petens in latebras abdiderat se, quas tamen arrisquerat maturè monitus.

Ad Abipones demum venit minus frequenti quam quo excesserat comitatu; nam Chunipii (*a*), quorum regionem & sedes transgredi oportuit, irati quod Hispanorum aciem eo locorum converterant, gentis partem adorti internecione delent. Hispalenses Tribuni pro elapsis hostibus parvorum Lullium manipulum, cui præerat Galvan, ternasque tribus, quibus omnino constabat magnorum Lullium gens, nacti sunt.

Nuntium Prætor accepit, cum binas gentes conciliare nitebatur; Hispanis nunquam infestas, nec arma nisi lacesserentur (*b*) movere solitas.

Fœdus intentum. Erant Chunipii, quorum nuper memini, & Vilellæ Malbalaarum socii; sed hostes Tobarum, Mocobiorum, Aguilotum, Matagua-jorum, & Palomerorum. Bello abstinebant præterquam defensivo, quo tamen cum concordia, tum virtute fere prævalebant. Mitis ingenii causa charos habebat Urizar. Eoque magis ut conciliarentur ardebat, quod vitiis barbarorum confinium prope immunes sunt: & quos inopia evangelicæ morali, atque unitati Christianæ, in Reductione victum fortituros, aptabat.

A Bonis Auris auxilium. Hæc consilia versanti Prætori nuntiatur, Hispanos CC. a D. Emmanuele de Velasco Fluminis Argentei Prætore auxilio mitti: jamque adventare adverso Rubicundo. Veritus, ne rerum quæ gerebantur ignari gentes conciliandas propter viam errare solitas invaderent, binam armatorum manum expedit, ducibus D. Ferdinando de Lisperger, & Joanne de Elizondo, ut Chunupios Vilellasque solicitent, & offerant sedem amicis Malbalais propinquam, quorum sortem imitati atque experti felices sint. Si Bonaurenses occurrant, moneant duces, nequid adversus eas committant gentes; sin aliter scriptum pro fide publica relinquerent dynastis, Hispanis illac transeuntibus exhibendum.

Quinta Octobris profecti sunt legati. Lisperger flumen superavit. Elizondus non diu post in Malbalaas incidit, a quibus de Chunupiorum vicinitate certior fit. Per nuntium monet, se adesse cum Prætoris mandatis de instituendo fœdere. Adest illico Chunupiorum princeps, qui legato significat, non ingratam suæ genti fore Hispanorum amicitiam; adblandienti tamen non se credidit totum: ac de sede apud Malbalas locanda palam edixit genti displiciturum.

Legatus non ultra progressus, literas Prætoris tradit ad Bonaurenses. Bina deinde cruce in locis, qua poterant Hispani transire, erecta scriptum in eamdem sententiam affigit: atque monitus Mocobios esse trans flumen, ad Prætorem revertitur. Lisperger interea triduum progressus nullum vidit Indorum. Mox dum castra ponit, de recentibus Mocobiorum vestigiis nuntium accepit. Ea sequi jubet: inventaque fuit barbarorum turba, quorum alii ad tuguria considebant, alii ad fluminis ripam piscabantur.

Horum conscius Lisperger ad occupandos iter intendit: & simul tuguria atque piscatores adoriri jubet. Sed priusquam impetus fieret, utrique in flumen conjecerunt se: Sequuntur Hispani; ex aqua tamen induti & armati ducum imperio revocantur. Puellam tunc vidit legatus fluitantem ac pene submersam. Equitem subvenire jubet, qui natandi nescius, nec moram se denudandi passus, in gurgitem se totum projecit. Cum ad puellam venit, cujus unum tantum brachium extabat aqua, defuit quo firmaret gradum. Invocato Deo vires contendit, brachium arripit, puellam extrahit. Hispanæ puellæ casus.

Qua ratione emersisset, etiam ipse ignorabat; sed eo magis miratur puellam animo, perinde ac si nihil accidisset adversum, sedato loquentem hispanice: *Señor, vamos a casa*; Mocobiam namque crediderat esse. Sed erat Hispana Francisca Tobar nomine, tunc decennis, quam pridem haud procul a Salta captam abduxerant Mocobii. Capillitium abraserat herus de more gentis, & brachium ustulaverat. Invadentes Hispanos speculati barbari mergendam projecerant in flumen, ne latebras & recessus aperiret popularibus. Sed pro incolumitate sibi cœlum obstrinxerat. Ea ætate preces in dies singulos consuetas non intermiserat: & quid ageret quærenti respondebat, Deo votum pro libertate offerre se, quam meritis Deiparæ sperabat.

Chunupiorum deditio. Interea flumen repente exundaverat, ac de Mocobiis qui medium attigerant, submersi sunt: fœminas & pueros oram non prætergressos Hispani servarunt. Mapalia comburunt, equos viginti prædantur. Post biduum triduumve Malbalaam forte obvenientem mittit Lisperger, qui aliam non longe distantem Chunupiorum tribum ad colloquium invitet. Postridie venit princeps bellatoribus triginta stipatus, & quid se velit Hispanum interrogat. Ait ille, Prætorem copiarum delectum fecisse ad castiganda Mocobium latrocinia, insontes nationes pacificasque immunes eumdem esse velle. Talis cum sua sit, posse in Tucumaniæ finibus Hispani fœderis commoda cum Malbalais jam expertis sortiri. Consilium probavit princeps: nec mora ad convocandos subditos concedit, operam pollicitus, ut gens tota Prætoris arbitrio se crederet.

Vilelli deficiunt. Reliqui erant Vilellæ; sed fides habita perfidissimo spem fefellit. Prætorem huic legato adjunxisse narravi (*c*) viæ ducem Mocobium, monito ut caveret, atque primo peccantem mor-

(*a*) Alias Chunupii dicuntur.

(*b*) In his erant Chunupii, qui tamen paulo ante, contraquam soliti erant, arma movisse dicuntur adversum Mocobios non lacessentes.

(*c*) Non huic legato, sed Elizondo adjunctum Coquinium supra narratum est. Forte Lisperger tunc cum Elizondo in eamdem aciem convenerat

monte puniret. *Coquini* nomen erat scelerato, qui principio nihil peccavit, aut fortasse proditorem fefellit occasio. Lisperger, cui ad solicitandos Chacoenses non alius erat interpres, facile credidit, caput sibi obnoxium nihil contra datam fidem moliturum.

Infidelem non satis noverat. Mortem Coquinius pensi non habebat, dum odium exereret in Hispanos; Vilellasque seorsim alloquendi tempus nactus est. Illos apud hos adeo infames fecit, ut gentem Chunipiorum exemplum sequi paratam averterit: idque tantum extorqueri potuit, ut neutri adhæreretur parti. Lisperger comperta fœdus respuendi causa, perfidum internuntium suspendii damnavit. Fatale decretum animo constans accepit Coquinius, sopito lætior odio, quam irrogata cæde tristior.

De muniendis finibus consilium.

Cadebat tunc October: & flumina exundare cœperant. Quare vallatis Tucumaniæ finibus novas ad custodiam copias delegit Prætor, quæ bellum confecerant, dimissis. Præfectos jubet per intervalla mittere, qui hostium recessus explorent, & prædas agant. Nullus tamen præter Tobas in conspectum venit. Hi primo deditionem sui datis obsidibus simularunt, sed læsa fide. Eorum plures capti sunt, obsides retenti: nec magnopere gentem jactura movit.

Oxatarum Reductio.

Aliunde Prætor Oxatas Tixeræ tribuno attribuendos judicaverat, cui erant dediti: nec fuit post factum, quod fecisse pœniteret. Arce novis ex præscripto munitionibus vallata, Oxatis significavit Tribunus, ut e regione considerent: & ita se probaverat Indis, ut sua illorum interesse crediderint: imo pro munere, quod alias suspectum foret, gratiam habent. Ex hac maturæ facilitate consilium eos in Reductionem contrahendi dum esset Missionarii copia susceptum est.

Lullium Reductio.

Difficilius fuit parvos Lulles ex sententia cogere: quanquam principio omnium obsequiosissimos se præstiterant. Dynastæ Galvani subditi propter Bonævallis amnem infra Malbalaas sedem amabant: Prætoremque, cui jam ea displicebat, difficili dynastæ ingenio concedere oportuit, non alia quam de Malbalais, ad continendos Lulles adhibita securitate. Neque tantum retam habuit eam sedem Prætor; sed etiam sumptus collocandæ fecit. Colonelis subditi magnis Lullibus adjuncti. Patres Societatis petierunt. Sed antequam annueret Prætor constantiam experiri voluit.

1711. Malbalaarum cum hoste commercium.

Malbalaas etiam, expertus diutius forte quam par esset, pastoribus destitutos reliquit. Nam P. Jegros, cui commissi erant, extra pagum, Bonævallis præsidio simul intentus, habitabat. Prætor hinc inde monitus, a Mocobiis seductos esse, ut viribus collatis Tucumaniam invaderent, vix ab exemplo continuit se. Sed maluit tandem Bonas Auras sub cui custodia translatos a Vallebona. Inauspicata fuit ductoris electio. Malbalais excessus haud difficilis fuit. Sed post aliquot itineris dies negligentem custodiam trucidare constituunt: interfectisque ductore & militibus quatuor, cum in reliquos venissent non imparatos, fuga dilabuntur. Hispani ex errore sapientes & cauti residuos Bonas Auras inducunt, mitibus commendatariis tradendos; quorum plerique motæ seditionis expertes Christo sincera fide dederunt se.

De Oxatis & Lullibus reliqua.

His Prætori persuasum est, nondum e provinciæ finibus sibi cedendum. Salta, ubi hiemaverat, Bonam vallem repetit, ubi & prætorium constituit. Nihil hac expeditione contigit memoria dignum. Illud tantum litteris Prætoris ad Garrigam Socionum Visitatorem, infra memorandis, proditum est, Lulles & Oxatas non modo Prætori satisfeciisse, sed doctrina salutis imbui summis votis expetiisse. Historiæ Chacoensis scriptor, qui minutatim narrat hujus belli casus, de Chunupiis præter ea quæ supra dedimus, nihil addidit. Quo pronum ad fidem est, si fœdus cum Hispanis initum observarunt (*a*), de amplectenda Christi fide non ultra cogitasse.

De Lullibus & Oxatis in binam Reductionem cogendis serio deliberatum est. Quarta Septembris 1711. ad Garrigam literas dedit Urizar pro Rege, ut curam susciperet. Procul ille visitationis eo tempore cursum obibat. Sed P. Matthæus Sanchez collegii Cordubensis Rector, ad quem literæ missæ sunt (*b*), respondit, nullum Oxatis Missionarium concedi posse, quod ex Hispania voto annorum tredecim spatio nullus venerat, P. Burgesio (*c*) per Hollandos capto, qui anno præcedente supplementum ducebat. Ex Europa solverat cum Archiepiscopo Limano, ut deinde narrabitur.

Ad Lulles quod attinet, addidit Sanchez, P. Machonio qui ab ineunte bello eos excoluerat, curam demandari posse. Prætor, quem Missionis casus & inopia operarum non latebat, Bonas Auras tandem misit Oxatas, quorum perseverantiæ timebat, si prope natales silvas, & confines barbaros pastore destituti permanerent. Ad D. Joannem de Arregui, sicut Malbalaas Oxatas mittit, spe certa virum æque pium atque nobilem, integrum, & salutis Indorum studiosum, clientum conversionem servitii lucro prælaturum.

Lullium Reductio.

Ad Lulles deinceps curam intendit Prætor, sede ad amnem Bonævallis nomine a S. Antonio constituta, cujus possessionem jam adierat Machonius. Ne sedibus Hispanis contermina, & a commendis libera turba turbaretur, apud Regem contendit, ut quæ constituerat, rata essent. Quod a Philippo V. decretum esse testa-

(*a*) Nec observarunt fœdus, nec ut observarent ulterior opera data fuit.

(*b*) Missæ vero sunt literæ, quia Rector Cordubensis vice Præpositi Provincialis procul absentis fungebatur.

(*c*) P. Franciscus Burges Ulyssiponem abductus cum Missionariis, ubi in libertatem restituti sunt, conitente maxime P. Alvaro Cienfuegos postea Cardinali, cujus discipuli fuerant unus vel alter de Missionariis captis.

Digitized by Google

statur, qui Regio Indiarum Senatui a secretis erat, D. Franciscus de Casteson, litteris ad P. Joannem de Castañeda Indiarum Procuratorem datis 10. Januarii 1712., & a Lozano transcripti (a), quarum summa est, placitum esse Regi, ut non modo Lulles, sed quotquot Chacoenses in Reductionem convenirent, Patrum S. J. curæ subessent, eademque forma, officiis, atque privilegiis regerentur, quibus Guaranii ad Paraguaim & Flumen Argenteum spectantes.

Præter assertam libertatem cavit Urizar, ut ab infidelium seductione, ab hostium incursionibus, & a fame tuti essent Lulles. Non tantum victum suppeditavit, dum agrorum cultus redderetur; sed voluit, ut præsidiarii Bonævallis ædificandis eorum tectis manus admoverent. Tuendos secundum arcem collocaverat intra tormentorum jactum, atque pagum muro circumdedit propter irruptiones. Per occasionem belli noverat, parum magnis & parvis Lullibus inter se convenire, eoque separandos: ideo Reductionem bifariam muro distinxit, ut singulas partes singuli Missionarii curarent quidem; non inhabitarent tamen, ut videlicet in arce præsidiariis pro Capellano essent.

1712. P. Jegros Machonio socius additur: & utrique pernoctandum erat intra arcem. Hæc omnia providente Prætore, & sumptus erogante transacta sunt; qui discessurus Saltam Lulles ad concionem vocat, hortaturque, ut pastorum vocibus audientes sint. Victum deinde atque vestitum ad sequentem annum promittit se daturum, eâ tamen lege, ut proprio deinceps labore sibi consulant. Fidem illi inviolatam, æternam gratitudinem, & obedientiam, se reddituros professi sunt, nec Prætor de promissorum sinceritate dubitavit. Ingenium tamen satis noverat, ne nimium constantiæ fideret. Ad hæc contagium ingruerat, quo ceciderant multi, plures in silvas defecerant, ut sub Prætoris excessum tota Reductio bis centum supra mille capitibus constaret.

Satis superque ad probandam curatorum patientiam illi erant. Barbaros primum ratiocinandi capaces facere oportuit, vitam vivendi socialem, victumque labore comparandi. Id illi imperfectissime assecuti sunt: victusque a Prætore diutius quam putaverat sufficiendus fuit. Infelicius cessit fidei mysteria docendi, & sanctitatem Christianæ moralis persuadendi labor. Vitiis omnibus, quorum barbari stupidissimi capaces sunt, obnoxii, gratiæ miraculo opus erat, ut sibi temperarent. Quin etiam Evangelii sanctitate primo denuntiata, sic consternati sunt, ut diu in se redituros desperatum sit, quamvis præcepta ad eorum mentis debilitatem accommodarentur.

His accessit vulgaris opinio de mortifera baptismi vi, quam licet innixam consuetudine infantes, dum mors imminet, baptizandi, Lulles ita prorogaverant, ut diu Missionarios habuerint grassatorum loco: nec hi ad ægrotantes accedere poterant, qui omni solatio destituti mori malebant, quam illorum manu levari; atque in loca pastoribus abdita & inaccessa transferri se curabant.

Ministrorum tandem patientia, & in tot adversis perseverantia motus Dominus laborum fœcunditatis aliquando futuræ spem fecit. Interdum prædestinatorum, quos Deus apud aversissimas gentes sibi reservatos voluit, aliquis præter spem extitit; nec aliud tunc, quam Spiritus Sanctificatoris operationem secundare opus erat. Ex his morientem prærmanibus vidit Machonius vicennem adolescentem, toto corpore variolarum pustulis exulceratum, & vermibus undique scatentem, patientiæ miraculum, & ex amore teneræ in Dei voluntatem resignationis. Miræ conversiones.

Sæpe Missionarios, cum hunc, tum socium instinctus impulit, ut ægris sanitatem, si baptizarentur, promitterent; & eventus a cœlo instinctum fuisse probavit. Fœminam offendit Machonius, quæ infantulum animam agentem sinu tenebat. Postquam ut eum baptizari sineret, frustra contendit, intra se receptus Dominum orat, ut ministerium divinæ gloriæ causa susceptum honorare velit. Orat Indiarum Apostolum, ut innocentis parvuli apud Deum advocatum agat; & ad matrem conversus ait, sibi certum esse, restituendum sanitati filium, si baptizanti non obstaret. Puerum illa porrigit: baptizatusque convaluit. Læta mater etiam ipsa ad baptismum erudiri petit: quæ fidem Christo datam ad extremum usque spiritum servavit.

Sed conversioni Lullium obstabant maxime tres eorum, qui nomen Christianum, quod diu ante susceperant, fœdissimis vitiis infamabant. Quod apud suos authoritate valebant, ad conciliandos nihil prætermiserat Machonius, munuscula, blanditias, beneficia: & rem se confecisse crediderat. Ferdinando trium principi, Tribuni Militum; duobus reliquis Calixto & Gregorio Centurionum munus impetraverat. Sed quod in fructibus nonnullis ignis facit, amor beneficus cor corruptum non emollit, sed indurat. Ferdinandus ut mores suos Prætori probaret, erga Missionarium se continuit; spe amissa, & frænum abjecit. Conversionum obstacula.

Cum pastor aliquando contra impudicitiam & ebrietatem publice declamaret, sermonem interrupit ille, non esse credendum Hispano sacerdoti; se Indos vidisse passim, qui palam Christianismum professi, potu quotidie madent, nec id a pastoribus imputatur. „ De fœminarum commercio addidit, „ Hispanorum exemplo conficitur, Christiana religione licentiam non frænari: Christiani enim cum sint, nescit nemo quemadmodum sibi imperent. Sat est vidisse quod in hac sæpe per singulos dies fit. " Haud difficile intellectu est, qua ratione concio sermonem acceperit, in qua non unus erat testis in arce commissorum.

Ma-

(a) Descr. Corogr. del Gran Chaco. pag. 426.

Plurium defectio.

Magnos Lulles nondum infecerat contagium. Sed quos corrumpere non potuit Ferdinandus, ita acerbavit, ut multi a Reductione defecerint. Prope abfuit, ut manus inter se conferrent, belliquæ civilis horrores pateretur nova hæc colonia. Missionarii non semel in vitæ discrimen, dum dissidentes pacare student, conjecti sunt. Reverentiam tandem animi præsentia, & ministerii gratia sibi conciliarunt, modico tamen semper operæ pretio.

Machonius infamatur.

Ferdinandus interea ratus, dum Machonius adesset, non destituendam sedem, quod inter sceleris conscios convenerat, nervos simul intendit, ut calumniis perculsus vel solum ipse mutet, vel a Prætore revocetur. Atrocia vulgarunt, sed quorum enormitas fidem elidebat. Hac dum parum proficiunt, alio se convertunt. Ferdinandus reconciliatum se simulat magnis Lullibus: & per occasionem morbi apud eos invalescentis, quo de primoribus quidam periclitabatur, ait, salutis remedium esse fugam. „ Quod, addit, ut persuasum vobis sit, præire juvat. “ Nec mora Reductionem deserit, sequentibus primo familiis quinquaginta, deinde magnorum Lullium pluribus, qui & ægrotum principem abducunt nolentem, erat enim catechumenus, & baptismum accipiendi certus.

Viri principis baptismus.

Postridie mane Ascensionis festo movitus Machonius equo transfugas sequitur, qui jam intra devsum confederant nemus quatuor leucas a Reductione distans. Indo comite eo penetrat, & Calixtum obvium habet hasta munitum, & quo iret quærentem. Ad ægrotum se venire respondit, medicamina quædam & opem ferre. „ Mortuus jam est, & sepultus, ait apostata, vade retro. “ Oculis huc illuc circum jectis, vidit Missionarius ut humani corporis molem seorsim jacentem & oppertam panno. Equo descendit, & qui mortuus dicebatur vivum quidem, atque mente sanum invenit, sed ægre anhelantem.

Sua ejus causa venisse ait decumbentem amplexus: num baptismi perseveret votum quærit? Affirmantis in memoriam revocat fidei summam, & consentaneis sensis exercitum baptizat, spiritumque baptizati extremum excipit. Reliquos deinde nequidquam conatus in ovile reducere, retrocedit, mœrorem asserta animæ Jesu Christi sanguine redemptæ salute consolatus, & spe suggestionibus apostatarum liberos docciliores experiendi.

Incommoda Reductionum amicitiam.

Ægre ejus naturæ barbaros, metu aut lucro potius quam æternæ salutis desiderio, Hispanis conviventes optatis sensibus imbueris. Obstabat maxime gentium vicinitas a regno Dei alienissimarum; & veterum Christianorum exemplum, qui religionem exteriori cultu illustratam dehonestabant moribus. Hinc Missionarii in ea sententia confirmati sunt, Reductionum domesticarum Christianos Chiquitis & Guaraniis, tanta familiaritate liberis, pares nunquam fore.

Sed præterquam quod animus erat, Regis obsequium, & provinciarum tranquillitatem, qua parte poterat, secundare: nec erat sperandum, fructus fore per omnia quales in locis obice liberis; in mentem revocabant identidem Missionarii, ubique gentium prædestinatos a Deo esse, quorum promovendæ saluti se paratos semper esse oportebat; apostolatus premia a successu minime pendere; legatum satisfacere, si momenta gratiæ rimetur, nec tempus datum elabi sinat incassum.

1708. 12. Apud Chiquitos excursiones.

Dum hæc in Tucumania, & Chaqui finibus gerebantur, P. Cavallero ad Magnacicas regressus de legendo & servando discursionum fructu consultabat, positis quo proselyti convenirent reductionibus. Cum regio pene tota nemorosa sit, commodiorem sedi locandæ situm non reperit, palustri campo Tapacuris, & Paunacis propinquo, ubi pagum oblineavit a *Conceptione*. Non procul trina gens aberat, præter modum agrestis & timida: pacifica proinde, quæ ægrorum cultu distenta, neque ad venationem mentem advertit, neque ad colligendum quo silvæ abundant mel. Mares æque atque fœminæ nudi erant: & speciem quamdam cultus dæmoni reddebant, metu innixam, & amore lucri, quo in exoticos superstitionum ritus divagabantur.

Hos adit vir apostolicus, invenitque tam dociles quam speraverat. Dæmonum metum exemit timor alius inspiratus salutaris & mitis. Socialis vitæ cultu subsidii ad necessaria nunquam defuturi securitatem fecit: quo haud ægre in novam Reductionem convenerunt. Principio *chichæ* potum permisit, quo sobrie utebantur. Superstitiosos tamen ritus opinione tardius abjurarunt: noctu quippe funus pristino ritu ducentes deprehensi sunt; sed acri reprehensione, & terroris exemplo, ex quo Magonus præses nunquam revisendus disparuit, absterriti sunt.

Viciniores Mañacicæ facile in novum pagum convenerunt, reliquis ad Xaverii fanum reservatis. Hos ut deduceret, adfuit P. Herbasius; sed præter ossa dissipata nihil reperit, partim confectis pestilentia, partim fugatis incolis. Nuntium refert Cavallero Conceptione commoranti, cujus ecclesiæ informandæ anno toto distenti ambo sunt. Herbasius deinde manet, Cavallero ad revocandos qui fugerant, & contrahendos proselytos mortuorum supplementum discurrente.

In gentem primo venit, cujus & nomen & situm Historicus Chiquitorum silet (*a*), narrare contentus, perpetuum cum Mañacicis bellum gerere; finitimis esse minus agrestem; ordine politico gubernari; pagos esse frequentes; calles rectos, domos elegantes, commodas, & ornatas; bellatores parmis uti plumis affabre intertextis; fœminas delicata texere vestimenta floribus distincta.

Objectum est Missionario, rem fore periculo plenam, si genti se credat bellicosæ, & Mañacicarum hosti, quibus cum noverat eum con-

(a) Nomen erat Paiconés. Gentis idioma Baurann affine, diversum tamen. *Chr. Rodr.*

conciliasse fœdus. Sed procul erat metus: imo complures neophytorum alacres in periculi societatem adduxit. Finibus appropinquanti globus Indorum occurrit, in eumque aures dedignati pharetras evacuant. Nullum collineas se mirantur: eo magis quod ne gradum quidem continuit. Accedentis comitate devincti sunt, atque officiosi parmarum pulcherrimas & cibos offerunt. In pagum deducto secundum fanum foro imminens hospitio donant.

Singularis eventus.

Nocte prima ducendum erat funus: & Missionarium insedit curiositas ritus examinandi. In forum medium primo producitur cadaver: ad amplexus accedunt propinqui, amicique, atque *vale* prolato, singuli suo, recedunt. Suppositio igne rogo imponitur. Collecti cineres multo gemitu, planctu, & cærimonia urna terrea clauduntur. Mox armiferi succedunt plures, & aciem in foro dirigunt: separantur deinde; ad exitusque viarum in forum desinentium silentio accurrunt. Tunc neophyti Missionarii comites pavore correpti, ut ante ducem cedat loco authores sunt, idque tanta contentione, ut assentiri oportuerit, ne a se deserto deficientes, & a Reductione simul præ pudore deficerent.

Gens per Hispanos vastata.

Sperabat anno sequente redire posse; sed Hispani tres pagos adorti, reluctantes occidunt, cedentes capiunt & abducunt, adeoque vexarunt, ut complures de via desiderati sint. Triste nuntium accepit Cavallero in S. Xaverii quo diverterat. Optabat ad colligendos dispersos regionem percurrere; sed obduci plagam, ne recrudesceret, sinere oportuit. Tantus erat adversus Hispanos barbarorum ardor.

1711-12. P. Cavallero animi vigor.

Conceptionem itaque repetit, cujus incolarum precibus dandum fuit, ut situs aeris infesti causa mutaretur in bellam planitiem inter Puizocas ad ortum, Cosocas ad boream, Casiricas ad occidentem mediam. Hi nuntios miserant, ut ad se docendos accederet. Sed a Puizocis ineundum, intus suadebatur. Prius tamen quam sententiam firmaret, Dei voluntatem exquirit. Preces, jejunia, lacrymas, corporis macerationes adhibet, ad indagandum quo tendere oporteat: ac tandem ad Puizocas inclinavit animus, etsi nunquam de his cogitatio suberat non trementi, frigide sudanti, ut in præsenti vitæ discrimine languenti.

Hinc adversam valetudinem expertus lecto decubuit. Abjectus etiam animo Deo gratias agit, quod suam sentiret imbecillitatem: acceptatque perfecta resignatione quidquid Domino de se placitum esset. Continuo animi vigorem recuperavit, profectusque est Concetione cum neophytis tricenis senis, corpore tamen adeo fractus, ut per intervalla comportandus fuerit. Acceptissimus fuit in primo Puizocarum pago: haud aliter in secundo. Concinno habitaculo donatus ipse atque neophyti, seorsim tamen bini aut terni; nullus non laute habitus.

A Puizocis occiditur.

Missionarium dynasta primo visitavit officiose: ac de adventus causa longum sermonem alternavit: mox quidpiam causatus abscedit. Dum vacat Dei servus, Breviarium arripit, nec absolverat pensum, cum adsunt, consternati neophytorum aliqui, interfectos esse reliquos nuntiant, nec morandum, si vivere velit. Ex his unus perseverantem imponit humeris, & fugientes sequitur; assequi non poterat gravatus onere. Vestigiis insistabant infideles, qui sagittam Patri inter scapulas infigunt. Tunc deponi se jubet, & neophytum fugere.

Lethali vulnere exanguis crucifixum in terra firmatum arrigere potuit, in genua procumbit, & Deo sanguinem pro interfectoribus offerentem plurimo clavarum ictu conficiunt 10. Sept. 1711. Neophytorum viginti primi Mañacicarum fidei testes ante verterant. De iis qui fugerant, quinque ex acceptis vulneribus Conceptione desiderati sunt, mortis coram Deo ea causa pretium se nosse, usque ad extremum vitæ spiritum professi.

Gesta post ejus obitum.

Patri illacrymarunt universi, quibus notus erat, Indi. De recipiendo cadavere consultabatur, cum Puizocæ Christianos vicem redituros veriti præoccuparunt. Quid Conceptione ageretur explorant: ac de neophytis rure dispersis quemdam occidunt, fœminarum par abripiunt. Ita in Reductione turbatum est nuntio, ut in silvas plures confugerint: & P. Joannes de Benavente (*a*) ecclesiæ curator auxilium petiverit a Sancta Cruce. Militum cohortem Prætor misit, qui eo recta profecti, ubi Cavallero ceciderat, sole occidente perveniunt.

Quo habitu corpus inventum.

Cum recipere cadaver in mandatis esset, castra locant usque ad sequentem lucem. Media nocte vident lucernam haud procul, modo deficientem, modo accensam. Accedunt primo mane: eratque ibi quod quærebatur cadaver, sinistro genu terra innixum, dextro pede in scrobem immisso aqua plenam. Manu sinistra nitebatur caput, crucifixum e regione positum oculis contemplanti simile. Nullum toto corpore corruptionis (*b*) vestigium. Mulo imponitur, cum crucifixo, & quidquid circumcirca reliquum erat: atque Conceptionem iter intendunt, ubi Benavente vestes & reculas defuncti dispertitus est. Is fuit unius de primis ejus Christianitatis conditoribus exitus.

Moroto corum natura, & regimen.

Quinis jam illa constabat sedibus, in quarum fervore & ordine nihil erat desiderandum. De sexta erigenda hoc anno deliberatum est. Cum P. Zea in S. Raphaelis ageret, neophytos plures natione Boxos ad explorandum loca secum ducit: qua excursione casu incidit in gen-

(a) Natus Villafrancæ *del Vierzo*: obiit apud Chiquitos post annum 1750.

(b) Incorruptio temporaria videtur fuisse, & qua tantum immunitas a gravi odore significatur; nam interrogatus Benavente in extrema senectute respondit, cadaver fuisse instar reliquorum. Sed de narrato corporis statu dum primo repertum fuit, fidem fecit Sanctacrucensis ex visu testis quidam. *Chr. Rodi.*

Digitized by Google

gentem novam, cui occurſus commodiſſimus accidit. Erant Morotoci, lingua & moribus a finitimis diverſi. Statura proceri, viribus robuſti. Haſtas & pila conficiunt ex duriſſimo ligno: ea dextere tractant, & ejaculando recta collineant.

Penes fœminas erat imperium, quibus maritos oportebat non tantum obtemperare ſed cuncta rei familiaris obſequia præſtare. Binam educabant prolem, alteram alterius ſexus. Reliquam recens editam ſuffocabant, nec ſolum ad curarum levamen, ſed ad velamen licentiæ. Quamquam dynaſtæ erant & duces, nulla publici regiminis forma. Fœminæ per familias exercebant imperium. Dynaſtarum & ducum authoritas bello ceſſante ceſsabat.

Ad S. Joſephi reducuntur.

Regio jacet ſub gradu vigeſimo, minuto trigeſimo latitudinis auſtralis, ſicca, ſterilis, & montibus intercluſa. Silvæ palmarum ſunt, ſpongioſæ medullæ ſuccus expreſſus pro potu. Quamquam gelu per hiemem ſæpe concreſcit, veſte carent mares & fœminæ; quare pellis fertur eſſe duriſſima, & unum alterumque tranſverſum digitum denſa (*a*). Traditum eſt a Boxis puerorum par, ut Chiquitorum linguam addiſcerent. Dum balbutire norunt, per P. Suarez ad ſuos reducuntur interpretes. Eorum opera Miſſionarius ſumma doctrinæ Chriſtianæ capita tradidit, quæ tota gens reverenter excepit, & nondum elapſo poſt anno ad S. Joſephi convenit.

Quiezium converſio.

Morotocorum indicio de nationibus aliis reſcitum eſt, nominatim de Quieziis. Hos convenire jubet Suarez neophytos quoſdam, quibus linguæ cauſa duo pueruli crediti ſunt. Mox ſuccedunt parentes de filiis ſoliciti, quos ut lætos vident, ſeque liberaliter acceptos, ſui etiam deditionem faciunt, atque genti ut ſe dedat totam authores ſunt. Aliquot familiæ ſedibus antiquis adhæſerant; ſed anno 1715. Suarezium illac tranſeuntem ſequuntur.

Regio Zamucorum.

Ad auſtrum ea tempeſtate curas intenderant Miſſionarii Chiquitorum; quod Chaco appropinquantibus, inde ad orientem convertendis ſpes erat viam ad Paraguariam ſternendi. Per proſelytos notæ ſunt gentes, quarum ſitus opportunus conſilio promovendo viſus eſt. In his erant Zamuci in decem pagos diviſi, ſatis amplo terrarum ſpatio. His igitur Chriſtum annuntiare conſtitutum fuit.

1711-21.

Difficultas erat ex operarum penuria tanta, ut S. Joannis incolæ haud ita pridem in reliquos diſtributi ſint pagos, uno videlicet paſtoris deſiderio. Eos tamen brevi reducere oportuit, quod pagi novis infidelium incrementis referti, non omnes caperent. Reductio tamen non eodem poſita fuit loco, ſed novem decemve leucis a S. Joſephi inter boream, & ortum, in amœno campo, cui nomen erat *Naranxal* (*b*), data novæ ſedis cura P. Joanni Baptiſtæ Xandra, quæ deinceps cum primis frequentata eſt.

Apud Zamucos inchoata Reductio.

Anno 1716. P. Zea adverſus Zamucos in aciem prodiit cum delecta Chiquitorum manu. Id procellarum & turbinum paſſus eſt, ut ex camporum alluvione non plures quatuordecim leucis diebus octodecim confectæ ſint. In vicos deinde venit in vaſtitatem redactos, ubi triginta omnino barbaros reperit, quos Chriſto conciliatos ad S. Joſephi miſit. Gens erat Topiguia nomine. Haud procul erat ſilva decem leucis lata, per quam via ſecuribus aperienda fuit. Paſtoris exemplo & neophytorum zelo exhauſtus eſt labor improbus. Diebus novendecim ſaltum ſuperaverant; quamquam aſilli & inſecta ſimilia noctem pariter atque diem infeſtabant.

Poſt ſilvam in ſterilem planitiem ventum eſt, quam ulterior ſilva terminabat æquo labore ſuperanda, cum regio ſit venatus, imo & mellis alias vulgaris minime ferax. Radices tantum fert, quarum amaritudinem vel famelici horreant. In binos ſuccedunt vicos, quorum incolæ per nemora errabant victus cauſa. Eos exquirit Zea, pluribuſque haud ægre perſuadet, ut ad S. Joſephi concedant. Eodem & ipſe cum ſociis repedare coactus eſt, viribus ad progrediendum fractis.

Zamucorum converſio. 1717.

Cordi erat de Zamucis inceptum, quod ut promoveret, pluvias ceſſare non ſivit, ex S. Joannis profectus cum Chiquitis duodecim Februario 1717. Poſt exactos tamen dies quindecim, ut viam per medios ſaltus aperiret, prope abfuit ut alluvione mergeretur, quare tandem regrediendum fuit. Menſe Majo viam repetit, venitque ad primum Zamucorum pagum decima Julii. Indorum ex ejus conſpectu lætitia documentis probata quotquot gentis inopia fert, laſſitudinem reparavit. Hortanti primum ad exhibendum Deo Chriſtianorum cultum, reſponderunt, nihil magis ardere ſe: nondum adoraſſe, quia nemo ante ipſum adorare docuiſſet.

„ Votum comprobate, ait Zea, extructa Deo æde ſacra, quo ad illius cultum & obſequium conveniatis. “ Dynaſtæ duo ſe paratos profitentur; addunt tamen, ſedem ea commodiorem exquirendam, nec dubitandum quin gens conveniat univerſa. Conſilium probat Miſſionarius, quod dum perficiunt, ad comparandum divini cultus inſtrumentum, ædiſ conſtituit: voluit tamen ante diſceſſum primitias cultus Chriſto reddi. Crucem erigit, quam pagani, dum Chiquiti *Vexilla Regis* modulantur,

(a) Hyperbolen crede. Equidem plura tranſcribo quam credo; nam nec affirmare ſuſtineo de quibus dubito, nec ſubducere quæ accepi. Q. *Curt.*

(b) *Naranxal* nomen eſt Hiſpanicum, quod pomarium ſignificat malorum laureorum ſeu medicorum. Sunt ejus generis pomaria ſponte nata præter Chiquitiam etiam in Paraguaria. Quia vero fructus barbarorum lingua anonymus eſt, vulgo creditur pomarium utrobique ortum ex rejectaculis Hiſpanorum temere delictis, ampliatumque volucrum excremento: ea eſt enim malorum ubertas, quæ colonorum induſtriam ſuperet.

Digitized by Google

tur, & B. Mariæ Litanias, proni adorant. Reductionem a S. Ignatio vocandam ait, & reditum celerem pollicitus abit cum obviis centum Indis, quos ad S. Joannis refert.

Jegros & Romerus apud Zamucos.

Ut eo pervenerat, litteras accepit Præpositi Generalis cum provinciæ præfectura. Repugnanti advenit, qui reliquos vitæ dies Zamucorum saluti procurandæ dicaverat. Obtemperandum fuit tamen, ubi interpellationis viam obstruit locorum distantia. P. Michaeli (a) de Jegros incœptum delegat anno 1718. resumptum. Sed quamquam aridam tempestatem prævenire studuit, ne cum neophytis & impedimentis periret siti, regredi coactus est. Septembri cum coadiutore Alberto Romero cœpta prosecutus in adversum incidit incommodum exundantium aquarum. Post obitum non semel submersionis discrimen, ægre perventum est in proximam Zamucorum sedibus silvam. Inde Chiquitorum aliquos præmittit adventus sui nuntios, qui dynastæ scipionem offerant elegantem, coloratamque vestem, pretiosissimum Indis donum, atque dynastæ gratissimum erga Chiquitos officioso.

1718.

Qua ratione accepti sint.

Postridie cum principibus paganorum venit obviam Missionario, quem ex silva gradientem honorifice salutavit. Ad locum ventum est, ubi crux exstabat, & populus expectabat frequens. Hilaritas emicabat ore cunctorum, quos inter ait dynasta, etsi magna erat annonæ penuria, nemini usque ad adventum Patris abire permissum; a se vero impatiente desideratum; missos identidem plures ad explorandum; se quandoque exploratoribus adjunctum. Solicitudini par esse gaudium ex ejus adventu, qui datam a P. Zea fidem liberare venerat.

Interea nihil de factis promissis factum erat, ne locus quidem ponendæ Reductioni designatus. Sed dissimulandum cum Caciquio visum est Missionario, qui lustrata vicinia locum ostendit, quem ille probavit quidem; sed multa ibi desiderari ait, longius exquirenda; ad S. Joannis rediret, omnia pararet, dum ipse subditos in Reductionem convocatum iret, ad culmen antequam rediret perducendam.

Cessit extempore Jegros, nec præter dies paucos in S. Joannis moratus rursus præmissos Chiquitorum sequi properat. Neophyti Zamucorum pagum desertum, mapalia in cineres redacta mirantur. Miratur & Jegros proxime assecutus. In diversa mittit qui speculentur quo devenerint. Ac tandem intellectum est, aliquot itineribus ad piscolentum distare lacum, eoque ducentes semitas insidere. Romerus, qui indivisim venerat comes, periculum adeundi suscepit cum Chiquitis aliquot. Per devia recessum Zamucorum attingunt, qui conspectis gaudio gestire cœperunt.

Quærit Romerus, an fidem P. Jegros, & Deo Christianorum datam obliti sint. Non, respondent illi, simul atque Missionarium convenire parant. Et quidem plures redeunti comites adjuncti sunt, dynasta duce: nec nisi de baptismi voto, de Christianis moribus loquebantur, nihil quo mali cujusquam suspicionem ingererent, donec prima Octobris impetu in Chiquitos facto duodecim confodiunt. Eodem tempore dynasta Romerum adoritur, cujus caput impacta securi findit, nudatoque corpore fugit in silvarum abdita. Chiquitorum duo reliqui ad Jegros festinant, simul ad S. Joannis redituri. Interfecti.

Nuntio consternatæ sunt Chiquitorum Christianitates. Socios vero recreabat spes facta, Zamucorum regionem Christianis fuso sanguine fœcundatum iri ut fit: atque cœli benedictio in Chiquitos & Indos alios fidei cultores exuberans. Christianorum fervor, salutis animarum zelus qui nullum non pervaserat, innocentia, pietas, & virtutum universitas prodigii referebant speciem. Non aliud expetere videbantur neophyti, quam ut Deo novos semper adoratores conciliarent: reliqua posthabebant omnia: spe martyrii certabant ut excursionibus apostolicis accenserentur, quibus maxime constabat proselytorum incrementum.

Cum a Christianis sæpe dissiderent gente, lingua, moribus, & indole, patientis animi contentione opus erat, ad cicurandos erudiendosque. Sed neophyti, etiam pueri, atque fœminæ id laboris pro virili mitigabant. Maxima pastorum erat solicitudo, ut a Mamelucis tutos redderent, interdum ab Hispanis, quibus nondum Chiquiti paribus armis repugnare poterant, utque proselytos assuefacerent stato labori quo victus constat; nam de Chiquitis jam supra dictum est, haud ægre laborioso evenisse: nec erat horum exemplo quidquam efficacius ad superandam ingenitam illorum desidiam.

Dum de via per Zamucos ad Paraguariam sternenda contendebatur; ad boream propius aperiendæ data est provincia P. Arceo, & P. Bartholomæo Blende. Junior Missionarius hic erat Brugis ortus conspicua stirpe, qui recens in Paraguariam venerat. Jam pridem conscenderat cum D. Petro Levanto Archiepiscopo Limano, Sociisque unde triginta; sed licet navis Angliæ Reginæ fide publica munita erat, capta per Hollandos Ulyssiponem vehitur, ubi Sociis Bonas Auras iter sequi datum est. Archiepiscopus in Hollandiam deportatur cum Blende, qui Prælato esset a lingua. Male cessit navarcho; nam expostulante D. Petro apud Status Generales, cum de indigna Jesuitas habendi ratione, tum de Anglicæ fidei contemptu, cum classiariis exauthoratus est. 1715. 19. A Pajaguais cæsi.

Ar-

(a) Tres Jegros germanos fratres Assumptione natos Paraguajensis Societas numerat: Michaelem, de quo modo: Joachinum in Chaco Missionarium, de quo supra: Sebastianum de Chiriguanis & Tobatinis benemeritum.

Digitized by Google

Archiepiſcopus deinde Hiſpaniæ reſtitutus (a) Blendem retinere voluit, ut ſibi eſſet a confeſſionibus. Sed ille Domini ad Paraguariam vocantis voluntati obtemperandi veniam petit, & impetravit. Gades primo, inde Bonas Auras venit anno 1712. Paranæ Reductionibus biennalem operam præſtitit impiger, & magna ſpe, cum litteris Provincialis ſocius Arceo datur cum Guaraniis triginta. Aſſumptionem petit, ubi Arceus præſtolabatur, paratumque a Collegii Rectore aphractum cum pari cymbarum conſcendunt 24. Julii 1715.

Prætor, qui probe noverat, quanti ad Regis obſequium, & Evangelii propagationem momenti eſſet inceptum, ad portum eos cum primoribus civitatis deducit. Et in Cathedrali Venerabile Sacramentum pro felici eventu fuit expoſitum. Amplius centum leucas adverſo Paraguai amne confecerant, cum Pajaguæ ad aphractum appulſi, ſpecie inermes, & Guaicuruos aut Mamelucos fugientibus ſimiles, ajunt ad Societatis Patrum ſinum ſe confugere, Chriſtianiſmum fide & moribus profitendi cupidos. Sed clam monitus Arce, ne ſe crederet, dicto profecit: & barbari ſpe fruſtrati recedunt. Haud procul inde Guaicurui ſe ſiſtunt, navigiumque occupandi conſilium minus caute diſſimulant; ſed ventus ſubito exortus diſcrimen avertit. Sex fere menſium itinere ventum eſt in *Manioré* paludem Paraguai ab occaſu adhærentem ſub gradu latitudinis 18. At ventorum adverſitate borealem oram luſtrare non licuit, ubi P. Fernandius amnem eſſe ratus crucem erexerat, & viæ ſigna ad S. Joſephi Chiquitorum tenendæ reliquerat.

Oram occiduam legit Arce ad Chiquitos iturus, Guaraniis quindecim, & binis Hiſpanis P. Blende relictis cum mandato, ut rediturum expectaret. Ad traſiciendam ignotam regionem, & inhoſpitalem, in qua ægre quo fames aut ſitis levetur inveneris, inter perpetua deviandi, atque in manus barbarorum incidendi diſcrimina, amplius menſe fuit opus. Deo providente Zeam Provincialem obviam habuit, qui ſemivivum duxit ad S. Raphaelis. Imperio retentus, poſt aliquot dies viam repetit, parum validior quam venerat. Ex indiciis brevior quidem fuit reditus, de cætero haud commodior.

Aphractum ubi reliquerat, non reperit, quod nautæ rediturum deſperantes, Blende nequidquam reluctante, ſolverant Aſſumptionem verſus. Dum hæret incertus Arce, literas accipit a Zea, ut ad paludis oram ſe expectet, Aſſumptionem ſimul venturos. Navigium diſparuiſſe, reſpondet ille, ad S. Raphaelis ſe contineret. Pajaguas cogitare ſe, quorum ope ſperabat Aſſumptionem tranſvectum iri: Aprili proximo ſe reviſuros. Provincialis reſponſo non expectato, iter ſuſceperat; ſed ingruentibus pluviis poſt menſem retroactus, latentium non procul barbarorum inſidias vitavit ignarus.

Quod diſparuerat navigium, Aſſumptione non comparuit. Pajaguæ eminus inſecuti primo, tandem applicant, legemque veri Dei ſe doceri velle mentiti, aſcendunt frequenti numero. Impetu mox facto imparatos occidunt, tribus ſervatis. Nulli peperciſſe tradit Fernandez (b), in inſulam projeciſſe cadavera, Blendæ medium; expilato navigio faces admoviſſe, poſtquam altarium inſtrumentum corruperant, quod ad Chiquitos vehebatur. Sed P. Jacobus de Haze ejuſdem provinciæ Socius, litteris (c) ad Provincialem Flandro-Belgicum datis Bonis Auris 13. Martii 1718., aliter factum refert, quod cum contigerit in Paraguai amne, pronius eſt ut Bonis Auris & Aſſumptione de adjunctis conſtaret magis, quam apud Chiquitos, ubi tunc erat Fernandez.

Ex litteris ergo P. Hazæ, Pajaguæ capto navigio omnes jugularunt præter Blendem, Hiſpanorum quemdam, qui navarchum agebat; & ſuæ gentis neophytum Miſſionarii interpretem, cujus ingenuitas barbarorum ducis gratiam conciliavit. Ut in ſuas venerant ſedes Hiſpanum jam inutilem venundant. Ex quo jam tunc combuſtum fuiſſe navigium veroſimile ſit. Miſſionario deinde mapale conſtruitur, cui & interpres relictus eſt. Captivitate uſus eſt Blende, ut veram libertatem aſſereret indigenis, cujus ut cognoſcerent pretium nihil prætermiſit. Zelo quamquam miti acerbati ſunt juniores maxime, quorum perditi erant mores; importunumque cenſorem de medio tollere conſtituunt. Abſente duce ad mapale conveniunt. Neophytus, cui nomen erat Franciſcus, ut vidit armatos, ſuſpicatus animum, precibus, lacrymis, minatus etiam iras venturi ducis, conſilium avertere fruſtra contendit. Imo ipſe cecidit primi furoris victima. Adoleſcens moribus innoxiis, qui annis duodecim apud Paranæ Reductiones exactis, ultra ſe dederat Miſſionario, ſi cum gentilibus ſuis eſſet agendum, interpretem.

Latet quid carnifices ad ſequentem uſque lucem moratum ſit, qua primo mane ad Blendem, qui nota cæde neophyti, noctem cum Deo tranſegerat, aciem dirigunt. Ut ex incondito barbarorum clamore conſummandi ſacrificii horam adeſſe cognovit, roſarium collo circundat, atque infidelibus obviam procedit. Dum venit in eorum conſpectum, genua flectit, caput nudat, manibuſque ante pectus decuſſatis, habitu oris ſereno & tranquillo lethalem ictum præſtolatur. Pajaguarum unus capiti primus clavam impegit: mox reliquorum lanceis transfoditur. Cadaver ſpoliatum ad oram fluminis trahitur, ut pueris ludibrio ſit; ſed alluvione, quæ nocte ſupervenit, videri

(a) Archiepiſcopus Limanus renuntiatus erat 7. April. 1710. Ad Sedem deinde Pacis Juliæ, ſeu *Badaoz* translatus, antequam Limam veniret.

(b) Hiſt. Chiq. cap. 17.

(c) Letr. Edif. tom. XIV.

deri deſiit. Hæc ex Pajagua tunc præſente nota ſunt, deinde capto ab Hiſpanis, & ad Paranæ Reductiones deportato.

P. Arce parem ſortitus eſt vicem. Ignarus quo deveniſſet aphractum, binas arbores ad Maniorem cædi jubet, & ratem confici, in quam non plures capientem cum ſex neophytorum aſcendit. Reliquos ad Provincialem expedit cum litteris, quibus ſecundo monebat, Aſſumptione, dum perveniret, ad Chiquitos profecturum, ubi expectari ſe optabat. Non liquet quo uſque ſecundo amne deſcenderit, nec ante biennium certior de irreparabili jactura factus eſt Zea.

Illud eſt memoria proditum, Pajaguas eoſdem, qui aphractum occupaverant, ad ratem obviam appropinquaſſe: Miſſionarium, dum putat æquo animo accedere, atque dum flumen ſubierat, neophytos ne quos habebant ſclopos, exploderent continuiſſe; liberaliter adblandientem adortos interfeciſſe cum pari neophytorum, captos ſervaſſe reliquos: cadaver in litus depoſitum Guaicuruis inſequentibus reliquiſſe, quorum lanceis confoſſum fuit. Hæc a quatuor neophytis, qui Pajaguarum manus evaſerant, & ad S. Raphaelis pervenerunt anno 1718., narrata ſunt.

Aliorum cædes.

Nihil ea tempeſtate in flumine tutum erat. Cum anno 1717. Miſſionarii plures Sanctamfidem deſcenderent, inde Cordubam profecturi, navigium quo P. Blaſius de Silva, & Joſephus Mazó vehebantur, captum a Pajaguais eſt, a quibus cum triginta neophytis ſubita irruptione præoccupatis, occiſi ſunt. Combuſtum navigium ſequenti ſaluti fuit, quo P. Haze nuper memoratus vehebatur; nam igne quo ardebat excitati vectores, contra Pajaguas concitato remigio aggredientes, ſclopos parant, hoſtemque in fugam avertunt.

1713. 19. De Chiriguanis.

Dum hæc apud Paraguaim & Chiquitos gerebantur, Chiriguanos Jeſuitæ Hiſpanis reconciliare curabant, multis Patrum receſſionem dolentibus. His ea fuit occaſio. Cum P. Franciſcus de Guevara, qui Tarixenſia caſtra in Chacum ſequutus erat, Tarixam rediiſſet, Chiriguanum dynaſtem reperit *Moringá* nomine (*a*), cui ita ſe probavit, ut bonæ fidei proſelytum fecerit. Hunc Tariqueam comitatus eſt, ubi ſedem firmaverat, Reductionemque poſitam olim fuiſſe narravimus. Officioſe a paganis admiſſus in ſpem venit, conſtituendæ ſolide religionis.

Hucuſque potuit conſpici, poteritque deinceps non ſemel, id genus conſilia a Chiriguanis ſuſcepta magna cum contentione; nec Miſſionarios reſpondere cunctatos eſſe, ea facilitate, quæ Dei miniſtros decet, cum gratiæ momentis utendum eſt, & occaſione, qua licet abutantur plures, aliqui ſalvantur. Ad hæc, Chiriguanæ gentis converſio ſummi erat momenti ad ſternendum in Chacum fidei aditum: rem haud ſine piaculo negligendam. Ut præſens occaſio fuit, de ſtatuenda in valle Salinarum Reductione deliberatum eſt. Eo deducitur Guevara frequenti Chiriguanorum comitatu, quos Moringa commoverat; ubi extructo ſacello, fungi cœpit miniſterio. Proſelytorum numerus in dies augebatur, dynaſtis aliquot adjunctis. Quodſi Guevara Sociorum ſcitum de non baptizandis adultis niſi morituris, vel diu probatis, poſthabuiſſet, brevi totus pagus Chriſtianorum fuiſſet.

Dynaſtæ baptiſmus.

Moringæ tamen id gratiæ ſummis expetentis votis abnuere non potuit: maxime quod per noctes ſingulas, ajebat ille, eos pateretur abſceſſus, quibus ſe ſuffocandum timeret. Ne vero dynaſtæ precibus acquieſcens, alios offendat, id ſimul adnitentes, ait, Tarixam ſibi eundum; dynaſtæ ſalutis fore reum, ſi interea moreretur. Addidit, Hiſpano qui prope aberat, pietate conſpicuo, negotium ſe commiſſum ire baptizandi quotquot ſe abſente periclitarentur.

Guevara diutius quam putaverat, abfuiſſe videtur. Illud eſt certum, P. Ludovico de la Roca Provinciali, cum anno 1715. Tarixam veniſſet, Marchionem Valletoxanum Chiriguanorum deputatos exhibuiſſe, ne apud ſe Reductionem erigere cunctaretur poſtulantium. Petitionem ſecundavit Marchio, cui datum eſt ut Guevara votis Indorum concederet, adjuncto P. Reſtivo Collegii Saltenſis Rectore, apud Guaranios olim miniſtro, quorum ſermo Chiriguanis communis eſt. Ambo in vallem Salinarum ſe conferunt, Reductionem *a Conceptione* ſuſcepturi 28. Auguſti.

Mirus e- ventus.

Exultabant Chiriguani; ſed inde ſpes major, quod eorum fides miraculo confirmata cœlitus ſit. Querebantur jam diu, videndos ſe præbere dæmones, forma horribiles, atque minaces. Hinc perpetuus erat pavor, & ſæpe animorum defectio. Sperabant ea calamitate ſe liberandos miſſorum adventu; poſt quem illa fuit aliquandiu ſuperſtes. Moniti Patres, ut cruces in tuguriis ſingulis locisque publicis exponant, authores ſunt; quo penitus ceſſavit infeſtatio. Gratiæ quædam poſt hanc, B. Mariæ patrocinio a Chiriguanis adſcriptæ, & converſio pene miraculoſa famoſi præſtigiatoris, ſpem auxit non ſuſpendendi baptiſmi.

Sed experienda diutius fuit gens inſtabilis. Noverant Miſſionarii vereri ſolitos Indos, ne in exteras ſedes contracti ſubderentur Hiſpanorum ſervitio: nec Guaraniorum Chiquitorumque immunitate diſſipatus erat timor: quare nullum ab eis etiam gratuitum officium admittere coacti ſunt. Id quod erat ſuſpicantibus proſelytis acerbum fuit: ac ne ſinceritas converſionis anceps ſonaret, agrorum cultum ædis ſacræ ſtructuræ poſt habuerunt, nequidquam renitentibus Sociis, ſuadentibuſque ut ſibi atque ſuis familiis de habitatione providerent.

Tunc

(a) Forte *Miringá*: eſt enim medius æquali inter Tariqueam & Salinas diſtantia locus *Miringá*, nomine dynaſtæ proprio, ſeu a dynaſta mutuato.

Digitized by Google

Tunc eos, qui parati erant, baptizari oportuit: & gratia sacramenti optatos maturare fructus visa est. Conceptionis oppidum spe floruit Christianitatis a Chiriguanis montibus in Chacum derivandæ. Spes eadem satis diu perennavit, ad inferendos cœlo adultorum plures, præter infantes turbæ adjunctos immaculati Agni triumphum decoranti.

Reductio Lullium. Quam P. Machonius ex trium apostatarum recessu conceperat, non minus solida videbatur. Fervor is erat, ut curator ab omnium infantium baptismo, ad complures, quos aptatos invenerat, adolescentes ablaendos, gradum fecerit. Conjugatorum baptismum diutius distulit, nec nisi morituros ablaebat, quod Reductionem apud Vallembonam non diu permansuram præviderat, ibi autem permanenti periculum præsens dissipationis esse.

Primo quia ager infœcundus erat frugum, quæ paganis necessariæ sunt. Armenti maxime desiderabantur pascua. Secundo, quia sedes prope aberat ab infidelibus ejus gentis, transfugis, & a fide alienisque vicinitas Lullibus, ut sunt natura inconstantes, & seduci faciles, exitiosa erat. Tertio quia nondum assueverant labori ad victum necessario. Naturalem gentis otiositatem secundaverat facilitas, qua D. Stephanus de Urizar ferebat opem, licet semper annonam suppeditaret, atque moneret desereudos si otiari pergerent; minas enim iteratas nec unquam opere perfectas, ludum esse, nec largitatem contrahendam existimabant.

1716.-19. Indorum desidia. P. Machonium, ut exemplo studium accenderet, laborantem spectabant otiosi. Cum vero laborando defessus, instrumentum porrigeret cuidam, frigide respondit ille: *Euge mi Pater, euge: strenuus es opifex*: manumque adhibere dedignatus est. Nec deducendis ad pascua bobus a Prætore missis, nec in frusta dividendis dum ad vescendum cædebantur, operam præstabant. Cum hæc præsidiarii principio fecissent, ut rudes erudirent, existimabant, palamque objectabant, servilibus ministeriis obeundis, nequo ipsi indigerent, arcis præsidium constitutum esse.

Ea de causa Reductionem frequentabant Hispanorum milites. Sub initium a Prætore eligebantur, qui barbaris essent exemplo. Sed arcis ab urbe distantia, atque onus interdiu noctesque excubias agendi fecit, ut exilii loco haberetur. Itaque prædium sæpe libidinosis constabat, quos nec præfectorum vigilantia coercere poterat, nec Prætoris edictum capitale in scandali authorem latum, nec pudor quo posthabito fœda perpetrabant.

Reductio transfertur. Illud erat malo remedium, ut Reductio ab arce removeretur in situm commodiorem: quod ut Machonius Prætori probaret, Saltam profectus est. Arcem *de Miraflores* petit, a S. Stephani decem distantem leucis propter eumdem amnem ibi appellatum *ab Estero*. Optima ibi esse pascua certus erat; ligna, lapidesque cum cœmentitios, tum calcarios. Prætor, quia inutilis erat arx, & male constituta, facile annuit, præsidio ad S. Stephani transmigrare jusso. D. Antonio de Zurita executio delegata fuit: Missionariisque datum, ut arcem destitutam, arcisque sacellum ocum parent. His celerrime confectis Lulles 10. Augusti 1716. solum mutarunt, mutatis etiam sedium titulis, ut Miraflores a Sancto Stephano diceretur, Bonavallis a Rosario (*a*).

Indis persuasit Machonius, loci mutationem insigne Prætoris beneficium esse; sed & monuit, militum ministerio privatis laborandum esse; Miraflorea laborem quam Bonavalle leviorem futurum; inexcusabiles fore, si corporis æque atque animarum dispendio otiari perseverent. Illi mandata se facturos pollicentur, atque promissa faciunt. Sed oportuit adhuc a Missionariis ad opera deduci, & interdum graviora succollare. Hinc morbo contracto Jegros Condubam transmittendos fuit.

Subrogati Antonii de Montixo valetudo brevi sic afflicta est, ut nunquam potuerit restitui: magno utique Missionum detrimento, quibus industria mechanica utilissimus, claris natalibus & pietate venerandus erat. De Miraflorea præsertim benemeritus, eo deductis fluentis aquæ laticibus: quod impossibile factu principio creditum, sanitatem oppressit.

Ad Prætorem litteræ regiæ. Regem celare noluit Urizar, qualem Christianæ atque regiæ Lullium fidei excolendæ operam navarent Missionarii. Nec Philippum V. latebat hujus Prætoris solicitudo de promovendis provinciæ commodis, nec religiosus de infidelium conversione zelus. Regis litteras accepit, quibus post insignia fiduciæ documenta significat, quanti ejus virtutem habeat: hortaturque, nequid ad fovenda recta Lullium consilia prætermittat. Et quidem quandiu vixit, nihil quod desideres prætermissum est.

Reductio pene deserta. Sed Reductio non diu qualis primis a translatione annis perseveravit. Apostatæ Ferdinandus & Calixtus neophytorum animos solicitare non cessabant, ut eos quos jam seduxerant, sequerentur. Et quia sibi persuaserant, voti fore compotes, si Machonium de medio tollerent, mirum quot ad opprimendum lapides moverint. Ille vero Dei providentia fretus, novem quibus eam procuravit Ecclesiam annis, per medios laqueos ire non renuit quo debitum vocabat, solus vel cum inermi Indo, etiam qua facile posset deprehendi. Nec porro quispiam ausus est, eum unquam adoriri vel insultare.

1721.-24. Revocatus tandem a Præposito Provinciali successorem habuit P. Jegros sanitati restitutum, æqua passurum ab apostatis: quos miratur post aliquantum tempus supplices ad se venire, ac petere in Reductionem admitti. Caute ut par erat admissi sunt; sed Ferdinandus post semestrem perseverantiam iterum de-

fe-

(*a*) Nomen a Rosario obtinuit, dum stetit arx. Ex quo tamen successit Isistinum Reductio, dicta est a S. Joanne.

Digitized by Google

fecit. Calixtus ad mortem usque perseveravit, variolis dum male factorum pœnitebat sublatus. Filiarum quædam haud ita post eodem morbo pie decessit. Totum deinde pagum pervasit contagio. Cum vero Jegros, sociusque Laurentius Franló in æstu meridiano quiescerent, cuncti Reductionis incolæ, præter adultos octodecim valetudinarios, & pueros centum, ad natales fugerunt silvas, sexaginta leucis a Miraflorea distantes.

De transfugis solicitudo.

Missionarii nota magnorum, & parvorum Lullium secessione, eorum vestigia sequuntur, quos propius abesse censebant. Non assecuti, ad ægrotantium curam regrediuntur, neophytorum ferventiorum aliquot missis post transfugas. Ad notos hi pervenerant magnorum Lullium recessus: eoque facilius ad reditum moti sunt, quod morbus etiam in asilum ingruerat. Ægrotantes Miraflooream relati convaluerunt. Parvi Lulles reditum promittunt, dum morbus cessaverit: nec data fides fefellit spem. Reductio Prætoris studio magno fervoris incremento reparata est.

Obitus Prætoris.

Felix, si D. Stephanus de Urizar diutius viveret; obiit tamen Majo 1724.: quo simul concidit Tucumaniæ prosperitas. Dum a Rege successor constituitur, quidam interim mittitur a Platensi Curia. Sed ne frangeret quam Urizar servaverat navem, revocandus fuit, tardiusculo quidem decreto. D. Antonius (a) de Alfaro, cujus sæpe memini, Prætor deinde a Rege, & Generalis Tucumaniæ Præfectus renuntiatus, plausu & lætitia accipitur, ubique magna, sed brevi; nam præfecturam vixdum obierat, obitu dimisit, quod simul vulgatum est, atque fines provinciæ a barbaris inundati.

Lullium transmigratio.

Tunc Lulles, quibus nihil erat tutum, Miraflorea cedere oportuit. Dum sedes opportuna quæritur, multi dilapsi sunt; reliqui ne simul elabarentur, ad suburbana S. Michaelis translati sunt. Me latet emigrationis successus. Ea erat pietas & probitas Michaelitarum, ut nihil magis consentaneum Jegro in mentem venerit. Illud est certum, si Lulles ut se dedebant Hispano, in Guaraniorum aut Chiquitorum Reductiones distribui potuissent, eo majus fore Status & Religionis lucrum. Chaqui & Tucumaniæ viciniam sedibus his esse parum commodam, tota hujus Historiæ serie conficitur.

De provinciarum communicatione.

Incommodum esset levius, si Urizaris consilium de lustrandis custodiendisque finibus servaretur: quod dum obtinuit, barbari dispariuerunt e remotioribus etiam prædiis. Tucumaniæ civitates exploratorum agmina per vices submittebant, nec erat qui non sponte ad consuetas calamitates, hostiumque incursiones arcendas, auxilia conferret. Michaelitæ anno 1719. ultra flumen Grande progressi rivum invenerant, quem putarunt, brachium esse Pilcomaii.

Hac optatam provinciarum communicationem expediri posse speravit Urizar; atque re cum Josepho de Aguirre Jesuitarum Provinciali consultata, in eam sententiam ventum est, ut P. Montixo, qui Lullium Reductionem eo tempore procurabat, secundum rivum descenderet cum Michaelitis usque ad confluvium: P. Philippus Suarez cum Sebastiano de San Martin Chiquitorum Missionario ad Zamucos se conferret, & PP. Gabriel Patiño, atque Lucas Rodriguez cum Coadiutore Bartholomæo de Niebla, & familiari Faustino Correa, Paraguaicæ navigationis expertis, ex Paraná per Paraguaim ad os Pilcomaii venirent, quo etiam reliquæ binæ partes convenirent, ut collatis experimentis, quid in rei summa certum esset, conficeretur.

Consilium frustratur.

Anno 1721. profecti sunt. Sed Montixi comites, cum alveum rivi successu non ampliari animadvertissent, nec ad Pilcomajum versus derivari, brachium esse non posse rati, terga verterunt: quare, frustrato reliquorum concursu, res infecta fuit. Satis deinde compertum, ait in sua de Chaco lucubratione Lozanus, rivum Michaelitarum Pilcomajum influere quidem, sed nullo viarum compendio, nam Pilcomajus ipse non ubique navigia patitur.

Spes irrita.

Paranaensibus mœror accessit, spe amissa jacturam lucro compensandi. Obviam venerat Indorum gens, cui Christum annuntiaverant, sperabantque Paranæ Reductionibus aggregandam. Sed Tobæ id quod erat suspicati diffamarunt, Jesuitarum consilium esse, ut Hispanis dediti miseram procul a fœderatis servitutem servirent. Reditus ad Paranam casibus aliis acerbatus est, novoque turbine, qui Paraguajensium Sociorum animos solicitare cœperat. Ne tamen res alibi locorum ejus continentis gestas, diu posthabeam, nec alia sibi nimium connexa disrumpere deinde opus sit, præmittere saltem juvat quod eo tempore, de quo sermo esse cœpit, apud Chiquitos contigit.

1721.-29. Status Missionis Chiquitorum.

In Missionibus harum regionum non alibi quam apud Chiquitos uberior messis erat. Jam hi omnes in Christi fidem convenerant, spirituque apostolico moti, modo soli, modo pastorum aliquo duce, post infideles discurrebant, in suæ felicitatis societatem alliciendos. Excursionum fructus erat plerumque proselytorum copia: quos ut erudirent, atque ex vero Christianos esse docerent simul cum Missionariis dabant operam.

P. Aguilar.

D. Jacobus de Aguilar recens eo venerat ex voto. Post preces diu irritas, alia tunc cogitanti datum est, ut mitteretur; additis a Provinciali mandatis, ut eas Reductiones visitaret. Ad cultum scientiarum natus, sub adventum ex Hispania, Missionibus Uruguaicis addictus erat; mox revocatus ad Cordubæ Universitatem Theologiæ professor: quo in munere præclarum sui dedit specimen. Se vero existimabat non ibi esse, ubi Dei voluntas erat, non ubi diu permanendum esset.

Chi-

(a) Alphonsus vocatur alibi.

Digitized by Google

Chiquitorum Miſſionem petiit, & impetravit: experimento prius ſat acerbo, eorum inſtar, qui ad magna vocantur, a Deo probatus.

Miraculo ſanus. Sed prope abfuit ut vix notus deſideraretur. Viſitationem ineuntis in pedem irrepſit acari genus quoddam, in Coloniis Gallorum appellatum *Chique*, ab Hiſpanis *Pique* (a). Ignotum periculum diutius quam par erat neglexit: nec niſi poſtquam acerbum dolorem paſſus erat, Indi manum adhibuit, qui plagam curaturus aſperavit. Viſitator ire pergit, mox tamen gradum ſiſtere oportuit. Gangræna pedem occupaverat, reſecandum ne ſerperet. At ubi chirurgus, cui medicamen id genus crederetur? dum præſentius erat malum, quam ut ille poſſet Sanctacruce vocari (b). Hominum auxilio deſtituti qui convenerant Miſſionarii, divinum implorant, & S. Patris Ignatii patrocinium. Ejus auſpiciis novendiales preces inſtituunt: atque prima luce cum peracto ſacro, ad curandam plagam accederent, ſanum pedem mirati ſunt, nullo vulneris veſtigio.

Salinam invenit. Cœpta dum promovet, animadvertit, morbos tot inter proſelytorum incrementa Reductiones depopulantes, ſalis inopia invaleſcere, qui Sanctacruce magno ſumptu vehendus parcior erat, quam pro neceſſitate. Apud Morotocos & Zatienos S. Joannis ſano finitimos fortaſſe reperiendum monitus, eo miſit Chiquitorum manum. Poſt indaginem multam deſperare cœperant, cum eorum quidam e clivi vertice vicinam paludem dumis undique ſeptam vidit. Feſſus & æſtuans lotum accurrit. Fundum pede tangit quaſi glaciatum fragile, acceptumque manu fruſtum ſalem eſſe comperit. Moniti ſocii ſarcinas inſtruunt, & ad S. Joannis convehunt. Sal eſt bonus, ſed ſubacerbum ſapiens: quod tamen facile corrigas. Eo viam breviorem ſterni curavit Aquilar: ſtatuitque, nequis inermis, & qui Zatienos hoſtes arcere non poſſet, mitteretur.

Aguilar & Caſtañares apud Zamucos. Hoc anno 1721. ad infidelium gentem, quæ Cujabaenſium metu ad S. Joannis appropinquaverat, neophytos mittit, quorum opera Chriſtianorum ovili addita illa eſt. Anno ſequente, exacta viſitatione, ad Zamucos ipſe mittitur, quos cicurandi nova ſpes erat. Poſt Alberti Romeri cædem ad inacceſſa loca fugerant: quæ tamen ſuperare Aquilar animum induxit. E S. Joſephi profectus 29. Aprilis 1722. comitem habuit Auguſtinum de Caſtañares (c), virum, dum ſalus animarum vertebatur, nihil non audentem.

Conver. ſiones præter ſpem. Ad Zamucos viæ compendium erat regio nemoroſa S. Joanni finitima, Carrerarum receſſus, qui Chiquitos oderant, manus conſerere non auſi. Miſſionariis tamen nihil ab eis tutum erat. Circumeundum itaque fuit, nec ventum eſt ad primam Zamucorum ſedem niſi poſt octoginta fere leucas. *Cucurates* proprium nomen habent, qui refutatis alio progredi cogunt Miſſionariis. Mox a vicinis Ugaronnis appetiti bello, reſipiſcunt, cognitoque Patrum ad S. Joannis reditu, eo ſe conferunt anno ſequente.

Ad Chiquitorum pagos frequentes accedebant Luſitanos veritæ barbarorum turmæ, quos tamen, ut ſunt natura leves, facile tenebat diſcriminis oblivio. Cum horum plures a S. Raphaele defeciſſent, Aguilar, qui aderat, eorum reditum a Domino petiit, & impetravit. Transfugis occurrit Indorum grex alius, & ipſe Luſitanos fugere viſus, quem recipientes ad S. Raphaelis invitant, ubi, ajebant, Patrum optimus Indos habet filiorum loco. Dictis acquieſcunt, eoque ſimul ſe conferunt.

Miſſionis ſtatus. Is erat tunc, fuitque diu poſt novæ hujus chriſtianitatis ſtatus. Si Chiquitis tantum conſtaret, ſolo numero Guaranicæ diſpar eſſet. Sed ad tot proſelytos gente diverſos informandos tempore opus erat: mirumque quanti ſteterit nondum labori aſſuetos ſuſtentare, defectiones, atque barbariem pati, gregiſque providere ſecuritati, uſque ad Aguilaris adventum. Nondum eo uſque Chiquiti arma moverant, niſi ad vim illatam ſibi repellendam. Contra barbaros autem, qui provinciam S. Crucis infeſtare poterant, munimento erant, licet pro Hiſpanis non pugnarent. Chiriguani etiam omnium infeſtiſſimi & bellicoſi cum Chiquitis concurrere verebantur. Et hi ſæpe ſignificaverant, invitos Hiſpanorum ſigna ſecuturos ſe peregre, Guaraniorum inſtar.

1726. 29. Chiriguanorum irruptio. Advocandi nihilominus fuerunt anno 1726., quo turbo Chiriguanorum a montibus ortus, Sanctæ crucis ſtrage & rapinis inundavit, nec profanis, nec ſacris abſtinuit, Hiſpanis maxime ſeorſim obviis, nullo ætatis ſexuſve diſcrimine, infeſtus. Chiquitis etiam procul erat incommodus hoſtis, quatenus Sanctæcrucis acceſſu prohibitos, vel vinum ad celebrandum e Peruvio petere oportebat. Id tamen neophytos nunquam a ſententia & a loco dimoviſſet, certos nihil adverſum ſe a Chiriguanis audendum.

Chiquiti contra Chiriguanos. Id tantum ut cognoſcerent egerunt, contra vim non fore imparatos. Sed Aguilar Curiæ mandatum accepit adnitendi, ut armatos mille auxilio mitterent Hiſpanis. Convocatis ducibus perſuaſit, ſuum ipſorum eſſe id obſequii Regi Catholico exhibere, tunc maxime quando Dei honor tuendus erat, cujus templa, aras, & imagines corruperant Chiriguani. Mille conſcripti fuerunt ex cunctis Reductionibus; ſed ſoli quatuor centum ex propinquioribus adeſſe potuerunt.

Chiriguani fuſi. Comes adjunctus Aguilar: neque diu fuit, quin quanti ejus eſſet præſentia innoteſceret. Authoritate fuit opus ad continendos neophytos a quopiam Hiſpanorum acerbatos: patientia ad toleranda illata ſibi incommoda: prudentia ad cavendum, ne quod ex diſſidio rei publicæ diſpendium accreſceret. Chiquiti cum

(a) Alias ab Hiſpanis dicitur *Nigua*, a Guaraniis *Tung*.

(b) Verius eſt, nec Sancta Cruce futurum medicinæ illius peritum.

(c) Auguſtinus de Caſtañares Saltenſis, a Mataguaiis in Chaco interfectus anno 1744.

Digitized by Google

cum præliandum fuit; conſpicuum virtutis ſpecimen ediderunt, Chiriguanis compluribus cæſis, centum ſupra mille captis, reliquis ad montium juga fugatis, ubi mille alii capti ſunt. Et hæc victoria ne uno quidem capite victoribus ſtetit.

Poſt aciem Chiquiti ad ſua ſe recipiunt, prædæ expertes. Sed Chiriguani clade potius acerbati quam fracti, gentis & ſociorum viribus contractis, arma non deponenda jurant, donec acceptum dedecus abluant hoſtium ſanguine. Prætor Sanctacrucius præteritæ diſcordiæ cauſarum forte non ignarus, bello ſuſtinendo ſine Chiquitis impar, Platam ſe confert, ut Regii Senatus conſulto, quod ipſe deſperabat, auxilium impetraret. Ad Proregem etiam literas dediſſe videtur ex ſequente Curiæ Præſidis ad Aguilarem reſcripto. --

Adm. R. P. D. Franciſcus Antonius de Argomoſa Prætor Sanctæcrucis huc venit ex mandato, quod ab Excell. D. Prorege accepit hæc Curia, ne Chiriguanis impune ſit illata anno proxime elapſo Tarixæ clades. Biſcentum Chiquitorum auxilio ſibi opus eſſe ait tum quia Chiriguanis terrori ſunt (*a*), tum propter copiarum penuriam. Equos & commeatum ſuffecturum ſe ſpondet. Peto itaque atque injungo, ut Prætori tot Indi quot poſtulat mittantur, imo plures aliquot, qui forte ægrotantium vicem ſuppleant. Operam det V. R. ut exeunte Majo, certe ineunte Junio, Sanctacruce ſint, nequa mora bello fiat, ſed ante pluviarum tempeſtatem finem habeat, ne re infecta retrocedendum ſit. Cum certus ſim, te pro virili curaturum, ut conſilium quod tanti ad Dei Regiſque obſequium eſt, ad exitum felicem perducatur, quod reliquum eſt, oro Deum ut te diu ſervet incolumem. Platæ 13. Aprilis 1722. (*b*) D. Franciſcus Herboſo.

Ut has litteras accepit Aguilar, in quatuor Sanctæcruci propinquioribus pagis delecti ſunt biſcentum & quadraginta pugnatorum. Ne pedites ſerius ad Sanctæcrucis venirent, ubi Prætor equos promiſerat, jumentis atque commeatu donati ſunt: quod ſecutus hiemis rigor, atque pluviarum copia magis neceſſarium fecit. Hujus itineris comes eſſe non potuit Aguilar, qui recens a Laurentio Rillo Provinciali mandatum acceperat, ad Miſſionum Guaranicarum præfecturam tranſeundi: qua haud impari ſucceſſu defunctus eſt. Acies ſecunda.

(a) Terrori fortaſſe dicuntur eſſe Chiquiti Chiriguanis telorum venenatorum uſu, quo deinceps contra Luſitanos pugnaturi prohibiti ſunt; contra barbaros qui jus belli & gentium non obſervant, forte conſueto.

(b) Imo 1728.

Digitized by Google

HISTORIÆ PARAGUAJENSIS

LIBER DECIMUSSEPTIMUS.

ARGUMENTUM

Paraguajenſium Sociorum ſtatus. D. Didacus de los Rejes Prætor. In jus vocatur. Antequera ex Quæſitore Prætor. Rejes vinculis elabitur. Mandata pro Rege. Non obediendum Aſſumptione decernitur. Antequeræ denuntiantur. Rejes capitur Confluentiæ. Legatur D. Balthaſar Garcia Ros. Nova pro Rege mandata. Epiſcopus Coadjutor. D. Balthaſaris cum exercitu adventus. Reditum denuntiat Antequera. Socios exterminat. Prælium committit. Socii duo capti. Raimundus Llanas. Antequeræ triumphus. Epiſcopi adventus. Prætoris Bonaerenſis delegatio. Antequeræ anguſtiæ.

1717. 19. Paraguajenſium Sociorum ſtatus.

POſt D. Bernardinum de Cardenas Sociis Paraguajenſibus ſatis tranquillæ res fluxerant: id quod in neophytorum merita referendum eſt, in laborum apoſtolicorum ſucceſſum, in auxilium requirentibus Prælatis exhibitum, atque in fiduciam colonorum urbis & ruris, pauperum maxime, quorum ſpiritualibus, temporalibuſque commodis nunquam non præſto aderant.

Sed & perennabant apud multos odiorum ſemina neophytorum cauſa, quos ſervitiis tandem perſonalibus Socii exemerant, & quorum numerus infidelium converſorum ſupplementis augebatur. Nihil provinciæ commodius, nihil utilius, ſi rei ſumma ex prudenti conſilio libretur, hac finium Regni Dei prolatione. Regi, Regio Senatui, Epiſcopis, Prætoribus, civium fideliſſimis perſuaſum erat, Chriſtianitatum harum ſplendorem eo maxime privilegio niti, abuſumque commendarum inſuperabile fore converſionis gentium repagulum. Sed commodum perſonale, publico & religionis cultu charius, multis erat cauſa, cur Reductionibus ruinam familiarum imputarent, quæ patrimonio fraudabantur, Indorum videlicet ſervitio.

Hac animorum diſpoſitione expectabatur, Aſſumptione maxime, Socios percellendi occaſio, Indorumque libertatem ſepeliendi Reductionum ruina. Occaſionem fecit quorumdam ſtomachus, unius ambitio, & inopinatus ſucceſſuum ordo: quo Miſſiones afflictæ ſunt, reſpublica turbata, explicata rebellio, in extremam utique deſitura coloniæ perniciem, ſi barbari confines colonorum turbis uti noſſent, ſi neophyti iidem, quorum ſervitus omnino quærebatur, ad rebelles exarmandos auxilio non adeſſent.

Novus Paraguai Prætor.

Diu deſideratus erat Paraguai Prætor, cum præter opinionem accidit, ut D. Didacus de los Rejes a Rege conſtitutus vulgaretur. Honeſta ſtirpe natus in Portu a S. Maria e regione Gadium, Aſſumptione conſederat, ubi conſulatum obierat Provincialem (*a*). Honorabilis, atque ex miti & pacifico ingenio vulgo charus, connubio nobilis, dignuſque communi opinione magiſtratu quo fungebatur. At non paucis, qui novum hominem ſibi, natalibus, meritis, aut obitis officiis imparem exiſtimabant, acerba fuit repens exaltatio. Admittendum negabant aliqui, quod lege prohiberetur colonus in ſua civitate Prætorem agere. Quia vero Rex id obſtaculi miſſo diplomate removerat, pacate ſatis poſſeſſionem adiit.

Cum primoribus agendi ratio.

Ex renixu deliberato novit Prætor, cum primoribus agendum ſibi, nec imperioſius, nec humilius. Sed hæc extrema fortaſſe non temperavit ex æquo, cautiorque quam confidentior oſtendit, eorum ſe poſſe conſilia præterire, Joſephi de Abalos nominatim, Senatoris urbani (*b*), cujus authoritas, rerum gerendarum notitia comparata, egregiaque quocunque vellet animos flectendi facultate, fecerat apud Prætores alios, ut ſententiam pro lege ferret.

Odium ſibi conciliat.

Ut ab ea parte Rejes periculum averteret, ſibique conciliaret ejus nominis civem, munus quod vacabat Regii Locum-tenentis obtulit: quod ferox reſpuit ille, quem offerentis animus non latebat. Non quod munus ſe indignum putaret eſſe, ſed ne homini, cujus jam forte ruinam moliebatur, honore accepto devinctus eſſet. Prætor animo ſpecie ſedato repulſam tulit; ſed ſimul quid ſibi a Senatore eſſet timendum intellexit. Ille vero cum ex oblato munere, tum ex modo quo repulſa erat accepta, ſe timeri confecit, nec ut ſe tulit occaſio negotium faceſſere ceſſavit.

Ejus amicorum cujusdam petitione a Prætore refutata velut injuſta, querulum injurioſumque prodiit ſcriptum, cujus Abalum authorem eſſe nullus dubitavit. Rem diſſimulavit Prætor; ſed amicos ſibi comparare nihilo magis ex eo contendit. Nec animadvertit, cum hominibus, cujus erat ingenii Senator, non ſatis eſſe rectam inducere mentem; in omnem partem circunſpectandum eſſe, cum facta vel innocua ea ſæpe colorentur arte, ut no-

(*a*) Alcadia Provincial.

(*b*) Regidor.

Digitized by Google

noxia videantur. Abalus interea ſolicitabat animos in conſilii ſocietatem, quod præter alios probavit D. Joſepho Urrunaga nobili Cantabro, captu non impari, qui recens conſpicuam in colonia contraxerat affinitatem.

Conſpiratio. Hujus etiam odium conciliavit Prætori juris amor. Urrunagæ uxoris frater agri cupidus, quem vidua vendere noluit, vi contendit liceri. Illa Prætore interpellato poſſeſſi compos fit. Cantaber iratus cum Abalo Prætorem convenit, & poſt convitia minantur, præfectura deturbatum iri. Audientis moderatio novi occaſionem inſultus maturavit, ut ab Antonio Ruiz de Arellano Senatoris genero, petitione ſua fruſtrato, indecentius haberetur.

In cuſtodiam traditi. Tunc Prætor moderationi imperandum ratus, nec de conſpiratione dubius, Abalum & Urrunagam in jus vocat. Illum tradit cuſtodiendum in Arce Aracuſana (*a*). Huic domus pro cuſtodia fuit. Arellanus apparitores antevertit fuga. At Prætor nondum omnes machinas appoſitas noverat: & aliquas ſerius cognovit, quam ut vitare poſſet. Terrefecit quidem adverſarios audaci incœpto quod præter opinionem accidit, eos de ſententia non movit, acrius intentos ad oppugnandum, quam ad ſe tuendos.

Prætor inquiritur. Seu quod imprudens permiſit, captis, ut ſibi invicem conſilia communicarent, ſeu amicis ut captos viſitarent; certum eſt, eos communi ſententia criminalem contra Prætorem in Foro Charcarum quæſtionem moviſſe. Sex accuſationum capita continebat, quibus hi colores additi ſunt, ut Curia non commoveri non poſſet: eo magis quod libellum ſupplicem ſcite lucubratum adjunxerat Arellanus, qui Prætorem veritus Platam confugerat Curiæ ſedem.

Libellum ipſe exhibere noluit, ſed exhibendum credidit Thomæ de Cardenas ſuæ uxoris cognato. Ex eo Curia non probabat, Quæſtorem in Paraguariam, quod petebatur, mitti. Sed Cardenas ita periculum ex dilato malis præſentibus remedio exaggeravit, ut in eam coloniam Quæſtor deſtinatus ſit: deſtinatus vero fuit, qui unus totius Curiæ excludendus erat.

Quæſtor. Nempe D. Joſephus de Antequera & Caſtro, celebre nomen, Alcantarenſis Eques, cujus genitor ex Panamæ Auditore Fiſci Patronus in Curia Charcarum renuntiatus erat. Cum Lima in provinciam ſibi delegatam tranſiret, uxor ibi filium edidit, congrua deinde educatione ad munia formatum, ex natalibus, & majorum meritis ſperanda. Prima ſtudia confecit Platæ apud Jeſuitas, miſſus deinde Limam Philoſophiæ cauſa, & Juriſprudentiæ. Subtili mentis acumine, felici memoria, imaginatione acri profectum fecit prō contentione diſcendi. Quinetiam apparet, a ſeriis quæ mandata erant, ad amœna non invitum excurriſſe.

Sed poſt excultam mentem genitori defuit tempus ſuas cordi virtutes inſpirandi. Haud dubium quin ſperaverit, ſcientiis informatum, exemplo ſuo, atque memoria meritorum, facile compenſaturum facta ex temperantia fortunarum diſpendia. Et eo quidem Joſephus apparatu mundi curriculum aggreſſus eſt, ut ad optatum culmen pervenire poſſet. Ad perſuadendum vis erat ex eloquentia, ex opinione doctrinæ, ex rara inſinuandi ſe gratia. Sed in ſuam & in rei publicæ perniciem his dotibus appendit immodicam ambitionem, turpem avaritiam, arrogantiam & confidentiam, quibus in exceſſus ruit præceps, quam ſummos potuit unquam cœca præſumptio parturire.

Jam Fiſci patronum agebat in Curia Charcarum, & Indorum protectorem (*b*), Alcantarenſium Equitum inſignibus a Rege donatus. Et quanquam conſpicuum muneris quod gerebat proprium merebat ſtipendium, inops (*c*) erat, ſeu quod minus exacte ſolveretur, ſeu quia ſumptibus patrimonio carentis eſſet impar. D. Didacus Morcillo de Auñon Archiepiſcopus Limanus & Prorex (*d*) D. Didaci de los Rejes Baraguai præfectura defuncturi ſucceſſorem pronuntiaverat; haud dubium quin ſpe, a Rege confirmatum iri. Neque diu expectandum erat, cum uſus obtineret, ne Prætores in his provinciis excederent quinquennium. Sed moræ impatiens, ut mittendum ad Paraguariam Quæſtorem Senatus conſulto decretum eſt, eam ſibi provinciam petivit Antequera. Et petitam obtinuiſſe, quam ignoraſſe non petendam, mirabilius eſt. Curia non animadvertit, lege (*e*) interdictum eſſe, de Prætore quæſtionem a ſucceſſore inſtitui. Quod quam prudenti ratione conſtitutum ſit, non alias magis elucet, quam ex modo narrandis.

1725.-29. Paraguariam petit. Simul Platâ egreditur, atque mandatum accepit ſubſcriptum decimaquinta Januarii 1721. Male comparatus ibat; ſed Jacobopoli in Tucumania, quo litteras commendatitias portabat, neceſſaria ad reliquum iter, & ad comparandum Aſſumptione quo decebat cultu, ſuffecta ſunt. Sanctafide merces fuit qui crederet, in Paraguaria communi lucro divendendas. Iter terra ſuſcepit, Reductiones quasdam propter viam ſitas videndi cupidus, ubi honorifice exceptus eſt. Errat vero D. Antonius de Ulloa, dum Reductiones viſitandi ſpeciale Curiæ mandatum habuiſſe narrat.

Contra Sacios inſtigatur. Connitentibus Miſſionariis a neophytis cum copioſo commeatu eo deductus eſt, ubi Tebiquari

(a) Forte Arecutaquá, quæ Paraguariæ ditionis arx eſt.

(b) Ut Fiſci patroni ſimul ſint protectores Indorum cautum eſt leg. 34. tit. 18. lib. 2. Recop. Ind. lata 6. Sept. 1563. & confirmata 8. Jan. 1573.

(c) Ex inopia vulgo audiebat: *El Cavalero Pobre.*

(d) Prorex videlicet primum a 15. Aug. 1716. ad 5. Oct. ejuſdem anni. Secundum a 26. Januar. 1720. ad 14. Maii 1724.

(e) Lege 17. tit. 1. lib. 7. Recop. Ind.

Digitized by Google

quari fluvio præfecturæ Bonaurensis & Paraguaica dividuntur. Eodem prævenerat D. Josephus de Abalos cum amicis, ex quibus novit Quæstor, D. Didacum *de los Rejes* lustrandis Reductionibus intentum esse: quibus addidit Abalos plura contra Reductionum curatores. Odium ubique sortitis eorum qui justum aspernantur imperium, odium simul imminere oportebat in legitimi Prætoris perniciem conjuratorum. Etiam Assumptione pristinæ calumniæ integrabantur; & ex literis supra relatis (*a*) Ill. Faxardi ad Regem, datis 20. Maii hujus anni, constat jam in suam diœcesim propagatas fuisse.

Assumptionem venit. Abalus in prædio rustico nobilis fœminæ sibi sanguine junctæ epulum Quæstori paraverat, Eodem & illa convenerat officiosa. Sed quia sub comitatus adventum ex immaturo fœtu vivere desierat, alio divertendum fuit. Postridie, dum Antequera tormentorum bombo salutatus urbem ingreditur, funere hospitis interceptus est in media via, dissonantibus simul populi acclamationibus & præficarum lamentis: magno præsagientis vulgi sermonum argumento.

In Decanum ira. Sed Antequeræ consuetudo, & in templum princeps, quo primo deducitur, accessus, etiam sensatis parum secundi murmuris materiam suppeditavit. Præter ejus notitiam contigit ingredienti tormentorum salutatio: necdum viatorios galeri funiculos solverat, cum in templum venit, ubi licet a cœtu Canonicorum cum Decano honorifice acceptus sit, quia paratum non vidit tapetum, non pulvinum, non peristroma, in Decanum qui sede vacanti Diœcesi præerat, ira commotus est usque ad populi scandalum, qui Dei ministros, Ecclesiæ præsides, in templo maxime, a principibus etiam viris, pluris habitos videre consueverat.

Haud ita post Guaicuruorum turma se sistit e regione urbis, ut præsidium in insidias attrahat trans flumen positas. Barbarorum deinde aliqui propius accedunt, ut Hispanorum in suæ gentis hostes auxilia petant. Arte pingui decepti flumen trajiciunt plures; sed cum barbari longius ab ora recederent, quo magis appropinquabant Hispani, horum cautissimi retrocedunt. Soli novem ire pergunt, inciduntque in insidias jugulandi. Calamitatis testis fuit tota civitas, Antequera quoque, qui galerum capite abreptum iratus abjicit, aitque ad pugnandum cum Indis se non venisse. Magistratus esse urbis provinciæque securitati consulere.

Imperium Antequeræ defertur. Harum occasione cædium, & absentiæ Prætoris, imperium Quæstori deferunt conjurati, quod ille non respuit. Ut erat rerum status, id e re publica esse persuasum fuit incolis, ac nemine obsistente proclamatur. Accusationes paratæ erant: & quia non latebat, Judicem specie incorruptum, revera donis conciliari, hac viam intendunt Prætoris inimicissimi. Monitus ille quid causæ verteretur, venit in urbem, sero tamen, jam Antequera dominante. Postridie munere interdictus Prætor relegatur in Indorum pagum septem octove leucis distantem, ne videlicet præsens quæstionum officeret libertati. Honor dignitati debitus contemptus est; nec a quæstione ut par erat remoti, qui cum reo palam gerebant inimicitias: isque de relegato triumphus agebatur, ut nulli non jam perditus videretur.

Judicis versutia. Hoc obice superato, nihil ex lege transactum est. Criminationes eo, quo placitum erat, deflectebantur: totque nominibus subscriptæ sunt, ut Curia Platensis eam esse publicam vocem diu judicaverit, Reumque gravissimorum criminum convictum esse, & jure exauthoratum. Auditus tamen nondum erat, nondum cum actore compositus, cum decimaquinta Septembris in Comitiis Provincialibus opus iniquitatis immaturissimo judicio definitum est. Illico exhibuit Antequera pro Rege mandata, quibus Didaci successor renuntiabatur. Et quanquam illius tempus nondum effluxerat, reum tot criminum Prætorem esse non posse judicatum est. Imo & est suspitio, Antequeram in mandatis exhibitis quod expressum erat suppressisse, post exactum prædecessoris quinquennium valitura esse tantum.

Frustra D. Michael de Torres primarius Consul (*b*) lege interdictum objecit. Inquisitorem inquisito succedere Antequera respondit, ea lege liberos esse, qui Regii Auditorii membra sunt. Legem esse & expressam & illimitatam, replicavit Torres: cujus sententiam secutus est nemo alius. Comitialis exoritur clamor, Regis & Patriæ fore traditorem, cui legitimus Prætor non esset D. Josephus de Antequera & Castro: a quo protinus mittitur, qui virgam Prætoris insigne a Didaco petat.

Vi tollitur insigne Prætoris. Demittendum negavit ille, nisi mandatum Proregis exhibeatur. Cui nuntius ait, ad exequendum novi Prætoris mandatum se venisse. Scipionem vi rapit, ædes custodia cingit, eamque suis illius rationibus imputandam denuntiat. Nova deinde inquisitio fit: ad acta que prima confirmanda simul & nova instituenda, D. Didaco patronus datur, sed plane ineptus. Ac de testibus de integro vocatis, qui reo faverant, adversarios se traduci mirantur, eo partim quod adeo implexæ quæstiones erant, ut in responsa caderet sensus contrarius intento. Ad hæc, amicorum plurium animos alienaverant rumores dissipati. Alii disparverant imminentium addictis acerbitatum metu.

Vis & astus. Proditum est, reum imprudentem ansam dedisse criminationibus, nec artem novisse amicos conservandi. Sed fuisse revera periculosum

(*a*) Supra ad fin. lib. 5.

(*b*) Alcalde de Primer Voto.

Digitized by Google

ſum illius ſequi partes, ſatis conſtat exemplo Subprætoris (*a*) D. Joſephi Delgado, quem Antequera, incertum quo velamine, in ergaſtulum trudit, cujus ærumnis poſt biennium pie vita ceſſit. De cætero per vim contra Rejes actis magna ſucatæ moderationis obtendebatur ſpecies. Ut reus objectis criminationibus urgebatur, judex ad mœſtitiam compoſitus, quem incolumem vellet, perdendi neceſſitatem dolebat. Abalus operam contulerat ut ſuam: eaque erat Actorum ſumma, ut mirum non ſit, tot fuiſſe deceptos, & Limano Auditorio, quo deinde cauſa delata fuit, vix annos decem ſuffeciſſe, ad expediendas tricas, & ex labirintho trahendam innocentiam rei.

1722. 29. Opes inhiat.

Platam expedito proceſſu, competitore liber novus Prætor, ad implendam ciſtam curas intendit. Ac primum pretium herbæ paraguaicæ diminuit, quam vilius emptam in Peruvium transferret. Exportari vetuit vel centenarii quadrantem (*b*), etiam ſpectantis ad Regem, niſi ab eo, cui poteſtatem ipſe faceret: poteſtas vero fiebat iis tantum, quos Prætor ipſe ſubmittebat emptores.

Injuſtitia.

Turpi monopolio, cui nemo reclamare audebat, clamoſa addidit ſcandala. Cœnobitam qui ſibi merces portaverat, inſtitorem conſtituit, & inſtructæ præfecit tabernæ, ubi notus ſacerdos & monachus indutus prodibat ſæculari habitu, merces explicabat, publice vendebat. Erat Aſsumptione illius Ordinis cœnobium, cujus præſes ſcandalum imperio remóvere nequidquam conatus, machinam præſentiorem adhibere meditabatur. Sed Antequera minas, ni ſuperſederet; contemnenti jacturam ex Diœceſani ſententia irrogavit plurium cœnobii mancipiorum, obtenta ſevitiæ cauſa.

Rejes elabitur.

Interea Rejes ea animi præſentia cuſtodiam tulerat, ut adverſarii vel ſoliciti, vel offenſati de reſtringenda conſultarent. Monitus ille vincula rumpere conſtituit, atque rupit. Illud eſt certum, ſervili perſona indutum illos nocte præteriiſſe, non procul inde paratum equum reperiſſe, perpetuo fere curſu ad primam Paranæ Reductionem veniſſe: unde Bonas Auras aqua vectum, Hiſpaniam cogitaſſe, atque Throni umbram.

Nuntio Antequera pene in deſperationem commotus eſt, maxime dum latuit quo fuga deveniſſet. Ad Mercedarios fugiſſe ratus, cœnobium milite circumſideri jubet. Ad Jeſuitas malebant alii. Sed certior factus, ad Paranam divertiſſe, expeditum curſorem mittit cum mandatis de auxilio ubique præſtando ut capiatur. Jam tamen portu ſolverat, cum venit curſor in primam Reductionum. Ad mœrorem diſſipandum D. Didaci bona publicavit, auctionemque antevertens, optima quæque, mutuatis nominibus, emit ipſe ſibi, quo libitum fuit pretio.

Per vim geſta.

Sub haſta deinde congeſſit omnium quot noverat D. Didaci partibus addictorum bona; nec dotalia, contra-dotaliave penſi habuit. Ut acta id genus vulgo probarentur, ſcripta per provinciam, ſermones per provinciæ caput diſſeminarunt emiſſarii. Nemo contradicere audebat, ne reus majeſtatis audiret, dum nihil non arridebat laudantibus prudentiam, æquitatem, temperantiam novi Prætoris. De Jeſuitis rumor invaluit, fugam Prætoris maturaſſe.

Proregis ſolicitudo.

Bonis Auris ea novit Rejes, quibus Hiſpano itineri renuntiavit: Archiepiſcopum pro Rege, de Curiæ Charcarum mandatis Antequeræ delatis, atque de primis Quæſtoris geſtis monitum, novas 6. Februarii 1722. feciſſe tabulas, quibus Prætor dejectus reſtituebatur; donec a Rege mitteretur ſucceſſor; cauſam ad ſe Limam evocaſſe; quæ Aſsumptione acta erant abrogaſſe; irritam & illegitimam pronuntiaſſe Antequeræ præfecturam; mandaſſeque, ut quam primum ex provincia cederet.

Ad Curiam Platenſem litteræ.

Ad Curiam Platenſem ſcripſit 21. Martii ejuſdem anni Prorex, mirari ſe hominis, qui contra leges imperium occupaverat, qui Prætorem in jus vocare, ac abrogare auſus erat, ſcriptis & geſtis plus fidei præſtari, quam graviſſimorum virorum dicto, Ill. Bonaerenſis Epiſcopi, Prælatorum Eccleſiæ Ordinumque Regularium, & Patrum S. J. „ Qui in his provinciis, ait, ut ubique locorum, nunquam non rei publicæ, & religionis amore præcellunt: quod cum publice notum ſit, unus D. Joſephus Antequera ſcriptis calumniarum plenis inficias ire auſus eſt, eoquod ejus exceſſus non approbaverint, & aliter atque ipſe ſenſerint de D. Didaco de los Rejes. "

Curia reſpondet.

In reſponſione Curia conſilii de Paraguaria ſuſcepti ſinceritatem proteſtata, negat ſe Antequeræ de Patribus Societatis fidem præſtitiſſe, eorum accumulat laudes, relatiſque quæ ſiniſtræ Antequeræ præoccupationis occaſio eſſe poterant, addit, quæ ſuggeruntur odio, non temere de viris virtutis eximiæ fuiſſe credenda. Illud tamen Paraguariæ malum accidit, quod Curiæ perſuaſum fuit, Prætorem reum eſſe convictum, impoſitum eſſe Proregi, ut reſtituendum decerneret, ab iis quos non fallis noverat. Secunda de Antequera opinio, quem calumniarum, quas memoraverat Prorex, authorem eſſe non credebat, fecit ne ſententiam, niſi poſtquam provinciam Quæſtor ſubverterat, mutaret.

Prætor Aſſumptionem petit.

Prætor, ut novas accepit tabulas, ratus Antequeram mandata pro Rege non contemptorum, Aſsumptionem petit. Sed animadverſiſſe oportuit, æmulum longius eſſe progreſſum, quam ut retrocederet, nec eſſe plus quod timeret ex aperta rebellione, quam ex iis quæ jam ille patraverat. Antequera, ut pro Rege mandata cognovit, eſſe ſuppoſita ſparſit in vulgus. Id ut probaret civitati, cœtum indi-

cit,

(a) Teniente-Rei.

(b) Arroba menſura Hiſpana libris, vigenis quinis conſtans, ſexdecim unciarum in ſingulas.

Digitized by Google

cit, in quo litteras explicavit, quas a Prorege acceperat anno 1720.; tacuit tamen simul esse datas cum tabulis de obeunda Paraguai præfectura, quæ tunc omnino valituræ erant, cum D. Didacus munere defunctus esset.

De capiendo Prætore consilium.

Ac nequis objectaret, tabulas primas per eas, quas Prætor recens acceperat, revocari, ac proinde litteris in cœtu explicatis nihil confici; addidit, has esse posteriores acceptis a competitore: mutaverat enimvero tempus datarum in exemplari producto. Haud ægre persuasum iis est, quorum indivisa erat causa. Hac parte tutus ante diem expedit Raimundum de las Llanas satellitem Judice dignum in furorem acto, ut cum binis armatorum centuriis obvius Prætorem capiat.

Prætoris tranquillitas.

Hic per Uruguaim profectus litteras ad Antequeram, aliosque officiosas dederat, quibus suum denuntiabat adventum. Et quanquam responsum non acceperat, ire pergit nihil timentis securitate. Comitatus & sarcinæ constabant aliquot famulis, & Indis Reductionum cum commeatu, & plaustris tribus. Ad Tabapim ventum est Dominicanorum prædium, non amplius viginti quinque leucas Assumptione distans, ubi primum de se capiendo nuntium accepit D. Didacus, coque consilio non procul esse Raimundum de las Llanas, atque Josephum de Arce latrunculatorem (a).

Monitus credit.

Nulla mora repedat, & pene solus in primam venit Paranæ Reductionem. Vixdum tergа verterat, Tabapim accedit Raimundi cohors. Evasisse affirmantibus fidem habere noluit. Indos, qui plaustra regebant, cæcidit flagris, ut latentem revelarent. Et horum aliquis non uno vulnere capite sauciatus est & brachium fregit. D. Augustinum de los Rejes Diaconum Prætoris filium, qui obviam patri venerat & Fr. Josephum de Fris loci capellanum, indignum in modum habuit. Hunc atrocibus injuriis appetitum, sclopi tergo capite vulneravit, suspendium minatus, ni sacram ædem aperiat, ubi latere Prætorem ratus, nihil non etiam sub altari rimatur.

Spe frustratus plaustris imponit singulis singulos sacerdotem & diaconum, Indos sequi jubet in urbem. Quinque leucis aberat, cum Dominicanum liberum redire finit. Tunc vero latrunculator, cum comperisset D. Josephum Cavallero Bazan Jaguaronis parochum, revelatis insidiis, & parato equo Prætoris fugam secundasse, captum ducit Assumptionem, ubi ab Antequera in forum ecclesiasticum Provisoris trahitur, parochiam ut dimitteret compellendus.

Provisor quis?

Provisor erat Lic. D. Alphonsus Delgadillo Canonicus, D. Joanni Gonzalez Melgarexo subrogatus, munus sponte dedignato, quod libere, ut res erant, exercere non poterat. Delgadillo minus conscientia delicatus, & ipse Antequeræ devotus, id magistratus nemine invidente occupaverat. Vafer & facilis, qualis ad violandas Ecclesiæ immunitates Antequeræ referebat. Notionis hujus author est Episcopus Coadjutor deinde memorandus. Non latebat Antequeram, plura novi diplomatis exemplaria D. Didacum dissemināsse, adversosque ex iis invalescere rumores. Suppositiis ajebat adnumeranda, donec exhiberetur archetypum. Atque veritus, nequod transcriptum jure munitum irreperet, literas ultro citroque missas per provinciam intercipi jussit. Nec animadvertit, de imputatis Prætori criminibus id esse unum. Omnia tamen, cui nemo contradiceret, arbitrabatur licere.

Litteræ intercipiuntur.

Fœmina quædam conditione & pietate nobilis preces ingenuas interposuit pro D. Didaco: quam ira correptus Antequera, extrema minatus abjecit. Sed cum esset forma speciosa, mox acerbitas blando locum cessit amori, quo impotentius quam ira correptus est. Ratus proculdubio minis exterritam haud fore difficilem, nuntium cui confidebat submittit, quo referente repulsam indignatæ, eam interdicere non puduit, ne domo pedem efferret, quod D. Didaci partes sequeretur caussatus. Juvit tamen ad divulgandam infamiam obtentum velamen, postquam innotuit machinatio.

Turpi ausu dehonoratur.

Mœstus ex eo casu mentem ad ea, quæ gesserat, reflectit. De veritate novissimorum diplomatum dubitari non poterat, nec erat usque adeo cœcus, ut usurpata conservare posse speraret nisi delicto, quod nullibi gentium impune sit. Sed cum parta missa facere nollet, novum consilium comminiscitur, amicisque ut de re nondum apud se constituta deliberaturis ait: In provinciis usque adeo remotis cur prius intercederelicet, quam Regis mandata fiant, quanto magis cum mandata Protegis sint? Et responso non expectato addidit, post omnia pensata malle se a sententia stare Conventus utriusque (b) ab eis se Prætorem renuntiatum: viderent ipsi, num sua ipsorum interesset destitutum restitui, qui semet possit ulcisci. Plenum deinde convocat Consilium, atque novis pro D. Didaco diplomatis in medium prolatis, protestatur eo tantum se præfecturam acceptasse, ut oppressam provinciam liberaret. Negavit deinde se posse non obedire pro Rege mandatis. Sed tot viris honestis & Regi fidis, se Prætoris honore dignatis, devinctum invitos de-

1723-29. Imperium abdicandi simulat voluntatem.

(a) Alcade de la Santa-Hermandad.

(b) Conventus (*el Cabildo*) sæcularis constat Consulibus (*Alcaldes*) & urbanis Senatoribus (*Regidores*). Conventus Ecclesiasticus constat Clericis, qui dignitatis causa urbanis intersunt comitiis. Hæc Charlevoix. Sed aliter res habet. Nullus Clericorum ratione dignitatis interest comitiis urbanis. — Quod de utroque Conventu protulit Antequera, commode intellexeris de comitiis urbanis semel iterumque celebratis. Hispanice namque proprie dixeris *dos Cabildos*, cum idem bis convenit, maxime si Conventum alter sit *Abierto*, qui pluribus patet; alter *Cerrado*, qui paucioribus. Etsi alias duo Conventus, seu Conventus uterque cum articulo *Los dos Cabildos* Capitulum Ecclesiasticum, atque Sæculare significare possit.

Digitized by Google

deferere non posse, nec traditos velle, cui pœnas actorum darent.

Regii Signiferi D. Dionysii de Otazu, & Senatoris D. Joannis Cavallero de Añasco, qui contra Rejes acta non probaverant, sententia fuit, obediendum esse Proregi. Sed plerique, exaggeratis imminentibus Provinciæ malis, si Prætor restitueretur, strenue interpellandum Proregem judicarunt, agendumque interea, ut D. Josephus de Antequera & Castro præesse pergeret. Hæc sententia prævaluit, cui acquievit Antequera.

Post dies aliquot Otazu & Anasco suo quisque munere interdicti sunt. Primus casum tulit, qua firmitate occasionem fecerat. Secundus jam pridem liberaliter vexatus, ut irreparabilem rerum suarum ruinam vitaret, communi sententiæ simulavit assensum. Sed Judicem Ecclesiasticum protinus adit, atque una vitandæ persecutionis & mendicitatis causa se motum protestatur. Tunc Antequera confirmata amicorum fide, longius progreditur, mirantibus etiam suis, & Abalo aliquando exclamante: In præceps hic homo ruit. Quo devenerit tandem?

Nova Acta.

Proregis interpellandi causa non alia exhiberi potuit, quam imminentium malorum timor, si Prætor restitueretur: qui ne temere conceptus videretur esse, inquisitiones iterantur, in quibus ordo nullus. Notis infamibus oblineatus Rejes: & subscribere nolentes in custodiam conjecti sunt, duo catena stricti, & alloquio etiam cibos per fenestram apponentium prohibiti. Bini deinde Ecclesiastici submittuntur, qui optatam subscriptionem extorqueant; alter Delgadillus Provisor, alter Decanus Canonicorum, qui lapsus in dementiam, nondum satis emerserat. Provisor operam dedisse fertur, ut Proregem esse mortuum persuaderet, sed fides abnegata fuit.

Antequera ducit exercitum.

Anxius erat nihilominus Antequera. Ab anno præcedente metus incesserat, ne Prætor cum exercitu neophytorum præfecturam repeteret. Et quidem rumor invaluit, armatorum octo millia in aciem convenisse. Hos antevertere contendit cum delecta mille militum manu. Ad Tebiquarim ut venit, litteras dat ad neophytos extrema minatus, nisi domi se contineant. Quod illi eo magis mirantur, quia nulli in mentem venerat, ut exiret domo.

Sociorum solicitudo.

Tunc demum cœpit cum Jesuitis intemperantius agere; quos caute quidem, sed improbare sua gesta noverat. Non paucos partibus suis accessuros putabat, si D. Bernardini de Cardenas insisteret vestigiis. Quodsi modestius egerat eatenus; qualis animi esset habitus, satis manifestaverat. Cum castra locasset secundum Tebiquarim, unde miles licentius vagabatur, verebantur Socii ne flumine trajecto licentia prorogaretur ad Reductionum loca: belloque civili, ancipiti, & funesto ansa præberetur. Quam ut avertat calamitatem, officiosis litteris petunt.

Antequera recedit.

Responso postquam bilem egesserat in Socios, & in Prætorem, recessum promittit; addit tamen, siquod mandatorum ipsi, vel Indi, facere renuant, ne impune sit, se facturum. Neque diu postea castra movit Assumptionem versus. Indorum metui fuit qui recessum imputaret. Certe si Rejes tunc prope Paranam adesset, haud ægre poterat Indos colligere, qui ad capiendum hostem sat essent, præsertim ubi nulla disciplina castra custodiebantur.

A Paranaensibus sibi cavet.

Priusquam abiret Antequera, quatuor oppidorum, quæ Tebiquari propinquiora sunt, Conrectores, Consules, Tribunosque militum ad se venire jubet. P. Franciscus Robles, & Antonius Ribera, simul venerunt in castra, asseruntque, nullum per oppida Reductionum fore motum, nisi Regis mandato, vel ejus qui pro Rege sit. Qua fide data satisfactum sibi esse simulavit, voluit tamen ab Indis confirmari: quos adeo implexis irretivit quæstionibus, & minis exterruit, ut nescirent in fine quod principio dixerant, & aliquis eorum diu mente motus perennaverit.

Obitus Abalos.

Castra secutus erat Abalus, qui in reditu apoplexia correptus biduo decessit. Nemo mitius doluit mortuum, quam ejus furorum socii; nam præterquamquod amicitia crimine conjuncta, parum fida est, male habebat universos hominis authoritas imperiosa, vel authoritatis ad dominandum, & pares deprimendum usus. E regione primum malorum authorem detestantibus, dum viveret spes erat, qua valebat apud Usurpatorem præpotentia & gratia, facturum ne is rebellionem exaggeraret. Jesuitis nominatim dolendi causa fuit, quod post eum Urrunaga cæco in eos odio intemperantior primas teneret in consilio factionis, a qua noverant, quid sibi timendum esset.

Antecessoris.

Hujus Consilii negotium tunc erat, ut Processum confarciret ad Curiam Charçarum expediendum. Sed veritus Antequera, ne Jesuitæ ad eamdem Curiam quod pigeret referrent, eos ut sibi conciliaret, nihil prætermisit, professus nihil adversum eos, eorumve neophytos scripsisse. Illi noverant quid credendum esset; nec ignorabant, plures civium solicitantem, ut quæ imputaverat adversa, scripto attestarentur, a tribus refutatum, quorum duo mox concesserant, uno Otazu renuere perseverante, quod immeriti casum concitaverat.

Avaritia & vitæ licentia.

Sociorum ruina in privato factionis consilio decreta, clandestinis parabatur criminationibus: a quibus tamen Antequeræ satis otii reliquum erat ad avaritiam & libidinem explendam. Honestarum terror etiam in sacris ædibus, & ante aras, licentiam explicabat: nec in cœtibus quo fœminæ convenerant, significationibus parcebat, quarum vel prosedas puderet. Nec animadvertit imprudens, sic animos alienari principum familiarum. Quin etiam mirandum est, apud gentem, qua non alia hac parte delicatior fit, hominum incautissimum tot numero potuisse con-

Digitized by Google

conciliare sibi ; & provinciam pene totam in rebellionem adigere . Usque adeo scilicet opum amor & dominatus reliquas cupiditates superat.

Eo magis mirandum sit, phanatismum cœcitati suisse accumulatum . Cœnobita , quem Antequera secum Plata deduxerat , & a confessionibus esse ferebatur, tranquilla concione auditus est , dum in sacra Corporis Christi solemnitate , egregiam sui Pœnitentis sanctitudinem prædicaret. Addiditque , tanta apud Regem valere gratia , ut supremum Peruvii imperium oblatum illi sit , quod modeste refutatum Indorum apud Charcas patrocinio posthabuit, erga ærumnosos misericors.

Senatus Consultum.

Id ut vulgo crederetur multorum intererat, quorum opera conciliata plebs pro tam insigni viro provinciæ cœlitus præposito Deum laudabat. Lætos clamores excepit , quod solidius erat , placitum videlicet Curiæ Platensis, datum 3. Martii 1723., quo donec Prorex, ad quem de Assumptione gestis contra Rejes relatum erat, per ejusdem *Curiæ canalem* voluntatem significaret , provinciæ regimen mutare audentes decem scutorum millibus mulctabantur. Injungebaturque Judici Ecclesiastico, ut in Doctorem D. Josephum Cavallero Bazan Jaguaronis parochum pro delictis , quorum deprehensus erat reus, severe animadverteret.

Ea non erat Platensis Curiæ sententia , ut pro Rege mandata , quæ aliunde significarentur, invalida judicaret . Idque palam professa est, dum esse cognovit, qui sensum decreti in transversum derivaret . Credebat tamen , ut in edicto alio deinde memorando declaravit, nihil a Prorege decernendum, Curia ad cujus forum causa delata erat inconsulta. Nec crediderat , sui cœtus Ministrum D. Josephum de Antequera, ut erat doctus, sententiam Senatus Consulti per abusum verborum alienaturum , ut fecit . Nec sensum tantummodo affinxit , a Curia reprobatum ; sed toti provinciæ persuadere contendit, Curiam in causa, quæ vertebatur , esse Prorege superiorem , nec temere judicasse , Proregis mandata se dissentiente esse invalida . Id ea ratione probabat , quod Curiæ placita Regis nomen præferunt : *D. Luis per la gratia de Dios Rei*, &c. Edita Proregis sic efferuntur : *D. Frai Diego Morcillo.*

Proregis mandatum.

Illud accidit incommodum , ut falsa interpretatio diu ignorata sit Limæ & Platæ , nec intercluſum effugium hoc Antequeræ . Hinc Prorex aliquos Curiæ Ministros legatum sui cœtus sustinere suspicatus , mandata Assumptionem perferenda simul Curiæ manifestabat, atque vigilantiam indicebat , ut perficerentur, eo maxime offensatus , quod Antequeram post Quæstoris officium inhabilem , ratum haberet Paraguariæ Prætorem . Voluitque omnino, ut Platam repeteret, vel octo mille pondo multam subiret.

Antequera calumniator.

Mandato adjunctum erat , ut D. Didacus de los Rejes Prætor haberetur : idque Curia exequendum curaret. Additæ litteræ , quibus Curiam admonebat Prorex , communicatis P. Garrigæ Jesuitarum Paraguajensium Visitatori, quæ de Sociis affirmaverat Antequera , ita respondisse , ut & sibi & Limano Auditorio de calumnia constaret.

Id antequam Prorex scriberet , litteras accepit, quibus Platensis Curia Antequeram e Paraguaria revocandum , quippe defunctum commissione , censebat . Quibus respondit , veram revocandi causam esse oportere , quod rem provinciæ publicam perturbaverat. Quod, addebat , non futurum , si lex de non inquirendo Prætore per destinatum successorem præ oculis haberetur . Quædam deinde querebatur de nonnullis ministris, de quibus ad Regem referendum esset . His plane Curia satisfecit , testata simul , e Paraguaria contra Missionarios scriptis fidem abnegasse : gratumque accidisse Curiæ , quod Prorex ipse , & Limani Senatores in eamdem sententiam convenirent.

Longe aliter mandata Proregis Assumptione accepta sunt , atque litteræ in Platensi Curia . Antequera furens nuntio protestatus est , quidquid Lima tonaret , retentum ire provinciam. Qua contumacia , & deinde gestorum serie , niti potuit , quod proditum fama est , nihil minus supremo Paraguariæ principatu ambiisse . Quinetiam cum Platensi Curia, quod nihil jam inde speraret , omni commercio abstinere constituit.

Mandata pro Rege.

Mandata Proregis erant. Primo, ut D. Didacus de los Rejes , & quotquot ejus occasione destituti muneribus erant , restituerentur ; ea tamen lege , ut Prætor suæ destitutionis authores statis Magistratibus judicandos reservaret. Deinde , ut bona per D. Josephum de Antequera fisco addicta , iis redderentur, qui possessores erant . Tandem ut quamprimum ex Paraguaria cedens Limæ se sisteret , Plata deviaret : secumque deferret autographa edictorum omnium adversaria quæ promulgaverat : quæ illico inania & per abusionem lata fuisse declarabantur . Inobedienti scutorum decem millia imperabantur.

Mandatorum executio commissa est D. Balthasari Garcia Ros Fluminis Argentei a Rege Locum-tenenti, olim Paraguariæ Prætori, cui Prorex omnem potestatem contulit necessariam . Mandata, simul atque accepta sint , Bonis Auris in platea maxima promulgari jubet. Quodsi Garcia-Ros non posset in Paraguariam se transferre , tres alii subrogabantur. Periculosum iter temere recusantes quatuor mille mulctabantur scutis . Siquis belli aut togæ minister obstreperet executioni, præter multam delicto parem, officii privatio denuntiabatur, & e Peruvii finibus exilium.

Armatorum auxilia undique poterat Legatus, vel Protegatus corrogare , repugnantiam veriti. Ne vero Antequeram & factiosos difficiles redderet metus dandi pœnas D. Didaco armata manu restituto, penes Legatum manere oportebat imperium, donec provincia pa-

pacaretur. Hæc mandata ſunt octava Junii : nec per canalem Curiæ Platenſis expedita.

Præfectio Garciæ Ros eo fuit conſultior (a), quod olim Paraguariæ Prætor nullius non fiduciam & æſtimationem ſibi conciliaverat. Sed colonorum pleriſque perſuaſerat Antequera, perinde eſſe Ros atque Rejes habere Prætorem, intima conjunctos amicitia. Præterquamquod nihil ab illo ſperandum erat, ab hoc nihil non timendum. Utrumque igitur, & quotquot a Prorege legarentur, refutandos ſententia fuit; celanda nihilominus, donec tituli D. Didaci, & mandata Proregis rite denuntiarentur; nota quippe tantum erant ex amicorum litteris.

Antequeræ denuntiata.

Suæ reſtitutionis documenta miſerat Reies ad Auguſtinum filium, illud maxime ut caveret monitum, ne poſſet unquam Antequera negare, ſibi eſſe denuntiata. Trigeſima Julii poſt primas feſti S. Ignatii poſtridie celebrandi veſperas ſchola Jeſuitarum decurſorium in foro, quod propter collegium eſt, ludum paraverat, cui Antequera adfuturum ſe promiſit, adfuitque cum nobili ducum, oppidanorumque comitatu. Tempus opportunum ratus D. Auguſtinus de los Reies, ut in conſpectum Antequeræ venit, appropinquat inter duos Eccleſiaſticos medius, & Proregis diploma de patre ſuo reſtituendo manu oſtentans, petit urbana comitia, ut rite exhibeatur.

Accepto diplomate furit in Eccleſiaſticorum triadem, quos in templi cathedralis ſacrario triduum cuſtodiri jubet. Quidam de comitatu ſuggerunt, fortaſſe Jeſuitas authores fuiſſe Auguſtino, ut publica denuntiatione ignorationis excuſationem anteverteret. Ex ſuſpicione primum in Socios ardet; ſed Paulo Reſtivo Collegii Rectore, ut erat omnium opinione rectus & probus, ſe ſuoſque conſilium Auguſtini penitus latuiſſe proteſtante, acquieſcere viſus eſt.

Ex lectione motus.

Qui exhibitis furor exarſit, lectis mandatis incrementum accepit, maxime in D. Franciſcum de Arce, qui de ſubrogatis D. Balthaſari, unus erat. Illius bona publicavit, & equo impoſitum ſarcinario, in caſtro cuſtodiendum mittit. Nihil tamen ardebat magis, quam ut caperet D. Didacum, & obfirmaſſe videtur, e medio ſublati, ſi copia fieret, occupare bona.

Prætor capitur.

In Guaraniorum oppido quodam conſtiterat, ubi literas Regis accepit, quibus ea, quæ geſſerat, probabantur; aliqua nominatim quæ in crimen verterat Inquiſitor. Cum divulgandis his literis exemplar diplomatis adjungi vellet fide publica munitum, Confluentiam petit, nihil timendum ratus in urbe ad Præfecturam Bonaurenſem ſpectante. Sed monitus Antequera, captum mittit aphracta duo milite inſtructa, duce Raimundo de las Llanas. Eoque major optati exitus ſpes erat, quod Correntini quidam cives erant conſiliorum ſocii.

Raimundus, dum eò venit, literas ait ad Rejes ſe portare, quæ ſummi eſſent momenti. Et quia Prætor ſcire avebat, quid Aſſumptione ageretur de mandatis pro Rege, prohibitus acceſſu non eſt. Eum noctu convenit 28. Auguſti, triginta armatis prope ſequentibus, qui per tenebras in cubiculum progreſſi non reluctantem capiunt, ſcripta convaſant, & veſte cubantis, ut erat, indutum navigio imponunt, & remigio concitato ad Aſſumptionis portum appellunt. In ergaſtulo crate ferrea clauſo captum immittit Antequera, pectore catenatum. Cuſtodes apponit, quorum pluris ne elaberetur intererat, Raimundo ſubditos, qui ſæpe cibum portantes arcebat, nec cuſtodum prohibebat vexationem.

Confluentiæ reclamatio.

Tanti nuntius auſi parem admirationi indignationem excitavit Bonis Auris: nec Confluentiæ Magiſtratus mandata ſui Prætoris expectavit, ut reclamaret. Aſſumptionem delegat, qui capti requirat libertatem, & in urbe ad Paraguariam non ſpectante vinctum eſſe queratur. Sed delegatus erat clam factionis adverſæ: & mandata fecit, ut quem parum angebat exitus. Verum Antequera dedit ad Magiſtratum Confluentiæ reſponſum ſuperbum & ferox: quod cum raptus patrati documentis ad Regem miſſum eſt.

Conjuratorum literæ.

Capti ſors cunctorum animos expectatione ſuſpenderat. Sed Antequera priuſquam ſententiam pronuntiaret, noſſe voluit, quid Curia Platenſis, cui factum per literas probare ſtuduit, reſponderet. Reſpondit nihil: ſilentiumque tribuit Factio Jeſuitarum molitionibus. Ad Ill. Faxardo Bonaurenſem Epiſcopum ſcribunt ſecundum ea quæ ante biennium ſcripſerant: & quæ ipſe literis ad Regem ſupra memoratis retulit. Adjungunt ſcripta duo, alterum in Socios typis editum a D. Bernardino de Cardenas, alterum ab ejus procuratore Villalon, quaſi Bonaerenſem lateret, Indiarum Senatus conſulto, & S. Officii decreto, ut calumniis ſcatentia proſcripta eſſe. De Rejes in literis ſermo erat ut hominum ſceleſtiſſimo, de Peruano regimine ut iniquo, quod conſiliis D. Joſephi de Antequera, quem magnopere laudabant, adverſaretur. In Jeſuitanos deinde neophytos invehebantur, velut in feras, quorum paſtores erant omnis imperii legitimi peſtis.

Ad Regem ſcriptum.

Sed quia Bonaurenſem a ſententia movere haud ſperabant, ad Regem ſcribunt 10. Novembris Conſilii ſæcularis nomine literas, in quibus undique corrogatis, quæ unquam adverſum Jeſuitas conjecta ſunt, orant ut Epiſcopi Bonaurenſis ſcripta pro religioſis Societatis ex cœca opinione profecta eſſe credat. De Prætoribus Paraguariæ, qui Antequeram præceſſerant, pleroſque affirmabat, leges conculcaſſe, regium expilaſſe patrimonium, populos oppreſſiſſe. Unum D. Joſephum eo loco dignum, zelo, prudentia, temperantia, provinciam poſſe cladibus illatis liberare. Tandem

(a) Conſultior fuerit, non felicior, ut eventu demonſtratum eſt.

Digitized by Google

dem obtrahabantur, ne alios mitteretur Prætor, ut Socii pellerentur e Reductionibus, quarum septem Paraguaiensibus donarentur commendæ titulo: reliquæ urbanæ Assumptionis servituti subessent. Scriptum Paraguariam totam pervasit, finitimasque provincias. Incertum, an unquam Regi, Regiove Indiarum Senatui exhibitum sit.

Ros apud Confluentiam. Monitus interea D. Balthasar Garcia Ros, quid Paraguaria gereretur, eo contendit, & Confluentia de mandatis quæ portabat, ad Sæculare Consilium, ad colonos privatos quosdam, ad Antequeram, ad Consulem, & Senatores per litteras refert. Quibus illud confectum est, ut Antequera denuo repeteret incommoda Legatum armatum admittendi. Suggerit deinde, interdictum Curiæ Platensis de non mutando regimine, nondum intercidisse, quandoquidem nondum revocatum erat. Nec tutum esse Legatum accipere, cujus delegatio per diversum a Curia canalem emanaverat.

Accessu arcetur. Sed cum nollet authori sibi repulsam imputari, Consilium advocat, & clam cum amicis constitutum est, ut postquam argumentum deliberaturis exponeret, exiret loco, ne præsens libertatem sententiarum impediret. Decima tertia Decembris cœtus indicitur in urbanam Curiam Episcopatus Gubernatori, Regularium Prælatis, & quibusquibus locus est in Ecclesiasticis sæcularibusve comitiis. Sed Ecclesiasticorum nullus comparuisse videtur.

Primus Antequera sermonem habuit paratum, quo ad retinendum abdicandumve imperium, quod necessitate acceptaverat, indifferentiam affectavit. Obtestatur deinde, ut singuli sententiam libere dicant, neque suum ipsius commodum, reipublicæ, Dei & Regis obsequio, utilitati provinciæ posthebendum, pensi habeant. Utilitatem provinciæ maxime commendavit, imminentiaque in utramque partem incommoda obiter exposuit. Postquam dicendi finem fecit, D. Antonius Ruiz de Arellano primarius Consul, ut recedat, expetit.

D. Dionysius Otazu Regius Signifer, uno hujus muneris exercitio privatus, non Senatoris, primus ait, neque debere, neque posse committi, ut pro Rege mandata violentur. Una reliquorum omnium sententia fuit, nec Prætorem, nec Legatum præter eum, qui actu præerat, admittendum esse, antequam Prorex modestissime rogaretur, siquem alium præficere omnino vellet, ut aliquem mitteret de Platensi Curia, certe extra Provincias Tucumaniæ, Fluminis Argentei, & Paraguariæ. Revocatus mox Antequera virgam prætoriam in mediam projicit Curiam. Sed eam ut recipiat rogatur, provinciamque gubernare pergat, donec Prorex successorem mittat, qualem esse mittendum deliberatum erat.

Causa non obediendi. Privati, qui a Ros litteras acceperant, responderunt, adventus ejus nuntio commodam esse provinciam, quod cum copiis accederet: ut erat rerum status, admitti non posse sine periculo, quod in regii obsequii detrimentum cederet. Orabant, ut copiam faceret a Prorege mandatorum, ut congrua ratione responderi posset. Donec imminens dissiparetur turbo, accessu esse abstinendum. Antequera respondit in eandem fere sententiam: & universi litteras subscripserant 26. Decembris.

1724-29. Rosii reditus. Eas accepit Legatus ad Tebiquarim, & ex tempore rescripsit, Assumptionem ire se, ibi mandata explicaturum, experturumque numquid obstaret. Qui primo scripserant, novas dederunt litteras 3. Januarii 1724, a recens electis consulibus subscriptas. Trinam de rei summa consultationem habitam in comitiis adjungunt. Atque nomine D. Josephi de Antequera denuntiatur Legato exitus e provinciæ finibus, si jam intrasset, nisi malis mulctæ Platensis Curiæ decreto 3. Martii nomi præcedentis imperatæ reus esse. Hasce fasciculus litterarum per lastrunculatorem Gonzalum Ferreira, quem centum armatis sustinebant, missus est. Legatus vero impari manu stipatus cum hominibus ad extrema paratis non esse concertandum censuit.

Itaque Bonas Auras regredi constituit, & Paranæ Reductiones, quarum præsentius erat discrimen, remotiorum auxilio munire, ne a rebellibus occuparentur. Sed P. Rocca Jesuitarum Provincialis in mentem revocat, quovis neophytorum motu Socios e collegio Assumptionis, quod Antequera minatus erat, pellendos, tradendosque Guaikuruis.

Contra Lusitanos auxilium. Interea D. Bruno Mauricius de Zavala Fluminis Argentei Prætor, vasus fortasse Paraguariæ præesse D. Balthasarem, auxilium petit contra Lusitanos, qui Montevideo imminebant, quod unum propugnaculum adversus Fluminis boreales, post Coloniam ex Fœdere Ultrajectensi redditam, reliquum erat Hispano. Vendicabat enimvero Lusitanus sibi ex eo Fœdere (a) totam oram a finibus Brasiliæ notis ad Coloniam SS. Sacramenti. Alia erat sententia Matritensium. Unde Prætori Bonaurensi mandatum erat, ut Montevideum vallaret ad tuendam Fluminis navigationem. Nondum perfectis munimentis aderat Lusitani eam sedem vi occupatum.

Antequeræ consilium. Antequera occasionem simul nactus est amovendi quotquot suis partibus infesti erant, atque suum Regi commendabat obsequium. Globum itaque armatorum satis densum Bonas

(a) Ultrajecti anno 1715. 6. Aprilis pactum fuit, reddendam Lusitano territorium & coloniam, transferendumque simul jus quodcumque peteret Hispanus: dum tamen ille neque sedem neque commercium gentibus aliis ibi permittat .... Posse Hispanum Coloniam æquo pretio, quod Lusitano acceptum sit, infra sesquiannum redimere. Artic. VI. & VII.

Digitized by Google

nas Auras expedit. Ac ne propterea præsidio destitutus videretur, studio vulgavit, delectos corporis sui custodes ad quinque millia esse reliquos, hisque plures ad occupandas Paranæ Reductiones, dum esset operæ pretium.

Nihil hoc incœpto magis vulgatum erat Assumptione, ubi prædæ spes participandæ nova in dies addebat Antequeræ partibus incrementa, ecclesiasticos etiam & cœnobitas, qui partim adulatione, illinc obtrectatione & odio, ex ecclesiarum ruina proficere festinabant. Latet, an Paraguajensium auxilia Montevideo servando præsto adfuerint (*a*). Illud constat, a Majo labentis anni complures Indos Jesuitanos (*b*) extruendis munitionibus operam contulisse, donec perfectæ sunt. En quod a D. Brunone litteris ad Regem 28. hujus mensis (*c*) datis memoria proditum est.

Litteræ Prætoris Bonaurensis.

„ V. M. testor, quoties Indorum Tapensium, quos Patres Societatis curant sive ad bellum sive ad arcium munitionem, opera utendum fuit, miram solicitudinem, studiumque præsidum expertum me fuisse. Horum copia Indorum operam in præsentiarum strenuam & alacrem dat Montevideo muniendo, non alia quam vilissimi cibi quotidiani mercede.... Cum ad V. M. scribo, non exaggeraverim. Affirmare tamen ausim, absque Indorum ope, & Montevidei munimenta, & hujus urbis (*d*) arcem infecta fore; militibus, & operis Hispanis, Indisque suburbanis ad diuturnum laborem non natis. Hi postremi post trium quatuorve dierum laborem stipendia petunt præ manu: quod datum negatumve sit, fidem fallunt & elabuntur. Ea est gentis desidia, & libertatis amor, ut corrigi nequeat.

Longissime distat hos inter & eos, quibus Patres Societatis præsunt, quorum summa est docilitas & constantia in iis quæ ad V. M. obsequium pertinent: nullam querelis aut obtrectationibus causam præbent: ad injunctum pensum statis horis præsto sunt. Pietate de reliquo & moribus sunt exemplo: quod post Deum præsidum prudentiæ referri oportet. Ab hujus urbis Episcopo sæpe audivi, Missiones visitanti admirationi fuisse novorum utriusque sexus fidelium devotionem, & in opificio dexteritatem.

Licet quidam æmulatione, aut alia de causa, zelum & consilia adeo utilis ubique, maxime in America, Societatis infamare studeant; horum, de quibus infiniti sunt testes, factorum veritatem obscurare non possunt. Neque id ad exaltandos Patres scribo; sed ut M. V. qua subditum decet sinceritate, certiorem faciam: falsamque diluam opinionem, quam quorumdam malignitas & astus, novatis quæ toties contemptæ sunt criminationibus, ingerere cupiunt.

Illud addiderim, trium pagorum, qui propter Bonas Auras sunt, Indos fore feliciores, si methodus & ratio a Patribus Societatis instituta servaretur. Infrequentes hi pagi sunt, perpetua inter parochos, conrectores, & consules dissidia. Nec facile mihi est, qui parochi officium suscipere velit, invenire. Curam ecclesiastici aspernantur in tanta parochiarum desertione. Ut debito satisfacerem, Tapensium (*e*) fidem exposui sub Jesuitarum cura, quorum zelus & amor ad V. M. obsequium noti sunt. Certa mihi spes est, regiam eos clementiam atque benignitatem expertum ire, Deus V. M. ad rei Christianæ bonum incolumem servet. Bonis Auris 28. Maii. 1724. D. Bruno-Mauricius de Zavala. "

Nova Proregis mandata.

Hic Prætor haud ita pridem acceperat litteras Limæ datas pro Rege undecima Januarii, cum omnimoda facultate ad rem publicam in Paraguaria restituendam. Sed cum Bonis Auris tunc quidem abesse non posset, exequenda commisit mandata D. Balthasari Garcia Ros interea regresso. Assumptionem itaque repetere jubet, pro potestate facta. Qua uti occasione primo decreverat Episcopus Coadjutor Paraguajensis, ut in diœcesin sibi creditam veniret.

Episcopus Coadjutor.

D. Josephus de Palos, quo nomine vocabatur, adeo conspicuum atque sui dignum argumentum suppeditat huic Historiæ, ut prius notum reddere oporteat. Neque alius mihi testis & author sit, quam D. Josephus de Peralta O. P. Episcopus Bonaurensis, qui electus ad Episcopatum Pacensem obiit, de summis Prælatis unus, qui has provincias illustraverint. D. Josephus de Palos Morellæ in Valentia natus Ordinem Minorum ingressus est ætate junior, ubi Philosophiam Theologiamque professus, splendidiora obivit munera, & præcipuis Conventibus præfuit. In Mexicum primo transfretavit, deinde in pluribus Americæ Meridionalis provinciis summi momenti negotiis præpositus. Impetraverat tandem vacationem, & recessum in Reductiones a Franciscanis possessas intra montes, vulgo *Cerro de la Sal*. Ibi saluti animarum intentus, & suæ sanctificationi, dum se putat nemini apud Regem notum, nuntium miratus accepit, Episcopum se titularem Tatulii in Mauritania electum esse, & Episcopi Paraguajensis coadjutorem, qui affecta valetudine retentus in Hispania Ecclesiam suam adire non potuit.

Palosii studium ordinem restituendi in provincia contra humanas divinasque leges rebellante, felixque per immensos labores exitus, Regem Catholicum inclinavit, ut sedem Para-

(a) His opus non fuit, nam Lusitanos fugavit de Tapensium adventu nuntius.

(b) Quatuor millia ad arcendos Lusitanos conscripta sunt: ex quibus post nuntiatam illorum fugam duo millia ad Montevidei fabricam ire pergunt. Arx vero qui operam contulerunt est, non nova meliori forma deinceps extructa, & quidem sine Indis, sed quam ibi appellant *El fuerte-viexo*.

(c) Letr. Edif. tom. XXII.

(d) Buenos-Aires.

(e) Jam monui Tapes appellari Indos Uruguaicarum Reductionum, quorum pars tantum sunt Tapes. *Charl.*

Digitized by Google

raguajenſi ſplendidiorem offerret. Sed in ſuſcepta Eccleſia, quæ ſponſa erat ſanguinis, mori maluit, & vivere deſiit die Veneris Sancto anni 1738., poſtquam quidquid facultatum erat reliquum, indigentibus, & templo cathedrali, quod ad indecentiam deſtitutum invenit, ornando contulerat.

Paraguariam petit Ros. Bonas Auras e Peruvio, ubi conſecratus erat, pervenienti nuntiatur, D. Balthaſarem Garcia Ros ad caſtigandos Paraguariæ rebelles iter parare. Optabat Ros Prælatum itineris ſocium habere. At primum ejus in Eccleſiam ſuam adventum dedecebat belli apparatus. Quin etiam Paſtor Zavalam rogavit, ut bellum intermitteret, donec pacem ovibus annuntiaret. Sed cum ſuo capite luendam moram reſpondiſſet Prætor, ad Triregiam (*a*) uſque, quæ Reductio Guaraniorum eſt Bonis Auris proxima, Legatum comitatur. Eoque ventum eſt vigeſima Junii.

D. Balthaſaris vires. Thomæ de Roſa Miſſionum Præpoſito per litteras imperat Legatus Indorum duo millia, ut cum armis, munitionibus, & commeatu qui ad bimeſtre ſufficiat, prima Auguſti ad Tebiquarim ſint. Confluentia biſcentum Hiſpanos deducere jubet D. Hieronymum Fernandez Subprætorem. Militem expectabat a Villa, & a Sancto Spiritu. Sed in duas has modicas villas (*b*) ingruente contagioſa lue, non plures ex eis hominibus quinquaginta convenerunt, præter Hiſpanorum alios, majorem partem Aſſumptionis incolas, clam e rebellium partibus elapſos.

Antequera receſſum indicit. Legatum ad Tebiquarim venientem Indi præceſſerant: & quinta Auguſti amnem tranſmiſit, nihil ex adverſo movente Raimundo de las Llanas, qui e propinquo prædio cum biſcentum de ſuis exitum e provincia denuntiavit Legato, idque daret mandatis, Curiæ Platenſis 28. Martii 1723. Denuntiationem eſſe contemptam monet Raimundus Antequeram, & quid præterea oporteat facere quærit.

Antequeræ inventum. Auguſti ſeptima venit Aſſumptionem nuntius: & continuo claſſicum canere jubet explosо tormento. Sed quia coloni ad ſignum non convenire cunctabantur, præmonitos habere ſe vulgat Legati litteras, incendium urbis, civium internecionem, fœminas Reductionum Indis ex pacto cum Jeſuitis inito tradendas comminantis, ſi minimum quidpiam reluctarentur. Id ipſum litteris e Carcere Limano ad Paraguai Coadjutorem datis affirmavit, atque in apologemate typis edito, ubi teſtes duos laudat, qui tamen nihil ſimile unquam pronunciaſſe deinceps teſtati ſunt. Inventum vero, quo aditum Legato ſterni oportebat, e voto ceſſit, eo quod principum civitatis animos ſibi conciliaverat. Jeſuitas autem in cauſam appellavit, quia ad conſilium eruendum, quod diu meditabatur, in eos odium excitandum erat.

Ad arma ſpe major concurſus fit. Ii etiam, qui fideles eo uſque permanſerant, ſigna ſequuntur. Et ne una cum rebelibus ſorte obruantur, rebellionis impetu abripi ſe ſinunt inviti: quo virium ſatis ad congrediendum cum Legato acceſſit Antequeræ partibus. Simul atque dies ad profectum indicitur, prodit a Senatoribus, Conſulibus, & a toto ſæculari Conventu edictum, ut Jeſuitæ infra trium horarum ſpatium ſolum mutent. Imo ſententia aliquorum fuit, quam Antequera non probavit, tormentorum jactu collegium & templum, ni protinus egrederentur, diruendum. Jeſuitæ excorres.

Denuntiato edicto Rector adeſt, & Antequeræ coram ſæculari conventu nondum ſoluto, regia diplomata de collegii fundatione, tuendaque incolumitate exhibet: quæ ille nec videre nec audire dignatur. Inſtat Rector iterum ac tertio. Sed iterata reſpondet denuntiatione, prævisa omnia, & in edicto præoccupata, Jeſuitas provinciam perturbaſſe; D. Balthaſarem vocaſſe, ut ferro & ſanguine omnia corrumpat; a Rege ſibi mandatum, ut eccleſiaſticos & monachos amoliatur publicæ pacis perturbatores.

In forum copiarum acies deducitur. Quo tempore D. Antonius Gonzalez de Guzman Vicarius Generalis Diœceſis, & Parochus Cathedralis, qui ſecundæ interfuerat denuntiationi, ad extrahendum Venerabile Sacramentum accedit, binis Jeſuitis cereos manu præferentibus. Ut in collegium redierant, tertio denuntiatur exitus, ruina ſepeliendos qui moram agant. Suo quiſque Crucifixo atque breviario per mediam egreditur populi confluentis turbam, quæ lacrymis & ſuſpiriis ſignificabat mœroris ſinceritatem.

Proviſoris ſimulatio. In collegii prædium urbi proximum primo veniunt, biduum moraturi. Eodem accedit D. Alphonſus Delgadillo, ſi Aſſumptione fuiſſet, vim illatam non paſſurum ſe profeſſus. Addidit, ſi fidei ſuæ commiſſa vellent quæ ſecum portare non poſſent, tuta fore. Quin & atteſtationem mox referendam Canonicorum, pariter ac ipſe alii, ſubſcripſit. Sed Rectorem, qui pro officio gratias egerat, facti pœnituit; ſic enim Delgadillo prædium habuit, ut quem ad expilandum miſiſſet Antequera.

Inde Socii per devia in primas Paranæ Reductiones iter intendunt. Poſt viginti leucas Reſtituit Rector datis ad Decanum & Collegium Canonicorum litteris precatur, ut & vim ſuis illatam, & eorum innocentiam teſtari velint. Idque haud ægre impetravit. Ad Proregem deinde Decanus compar miſit teſtimonium eodem ſubſcriptum die, Utrumque videſis in Documentis.

Plurium retractatio. Senatores quidem urbani, qui Sociorum exilii edictum ſubſcripſerant, factum revocarunt, culpam deprecati, & de cenſuris, quibus ſe ſubeſſe putabant ſoliciti; cauſantes ne-

(*a*) Reductionem a Tribus Regibus, quæ Japeiu vulgo dicitur.

(*b*) Non duæ villæ ſunt, ſed una, cui vulgare nomen eſt *Villarica del Eſpiritu Santo*.

Digitized by Google

necessitatem, qua rerum suarum jacturæ reniventibus proculdubio subeundæ propriam posthabuerant sententiam & conscientiam.

Antequeræ mandata. Interea nihil ab urbe sibi timendum ratus post Sociorum excessum, eadem luce Augusti 7. ad provinciæ fines cum exercitu proficiscitur Antequera, postquam sui vices obituro mandaverat, ut D. Didaco de los Rejes publice strangulato, neminem de suis vivere pateretur, si per Legati exercitum se profligatum audiret. Quo casu sibi etiam fugam Platam versus aut in Brasiliam straverat. Copiarum summa ter mille constabat, Hispanis, Indis, nigri mistive coloris. Nec unquam fortasse major in hac provincia convenerat acies. In Hispanos bello aptos, qui castra sequi nollent, jactura bonorum indicta fuit, & pœna corporalis, quæ patriæ debita est proditoribus. Multi tamen desiderati sunt.

Ad copias oratio. Copiis congregatis pro concione declamavit Antequera contra Legatum, contra Jesuitas, & eorum Indos, Hispanis pollicitus post bellum quidquid in collegio reliquum erat, & in Reductionibus ad Paranam occupandis, quarum Indos ducibus, familiisque distribuendos addixit. Summa omnium alacritate & plausu accepta est oratio. Et quamquam nox erat, iter producitur; sed miles nulla cohibitus disciplina omnia corrumpit, devastatque.

Rejes servatur. Primarius Lictor (a) D. Joannes de Mena, dignus cui Antequera se totum crederet, domi residerat. Huic erat mandatum, ne sententiam contra Rejes latam differri pateretur. Nec per eum stetit, quin illico periret, quem nec puduit strangulandi modum docere carnificem. Sed D. Sebastianus Ruiz de Arellano, penes quem in urbe erat imperium, supersedere jussit, donec nova ab Antequera acciperentur mandata, cui simul scripsit, in re ut erat delicata non temere agendum. Monitus Antequera, mentem ad ea reflectit, quæ prius præteriisse mireris: Meniamque jubet, nequid præcipitet. In hostium conspectum denique ventum est: & Ros cum ex adverso vexillum album in prima vidisset acie, globum esse credidit qui in suas partes deficeret. Brevi errorem deposuit. Fecialem mittit, qui mandata Proregis denuntiet: quem Antequera comprehendi jubet, & mandata pronuntiare nitentem explosis tormentis antevertit nullo partis adversæ damno. Quo specimine confecit Ros, parum incommodum fore sibi machinarum usum. Suas invicem experiri voluit: quæ cum non magis collineaverint, idem invicem Antequeræ, quod Rosio persuasum fuit. Utrinque vana, ex æquo fuit ostentatio. Antequeræ sic appropinquantis consilium erat, ut Indos quos imparatos judicabat oppugnaret. Dum tamen commode locatos animadvertit, quatuor passuum millia retrocedit, castraque munit tormentis sic dispositis, ut undique prohiberet accessum. His ita constitutis per remissum Fecialem respondet Legato, non tam procul se venisse cum exercitu, ut legat scripturas, sed ad præliandum.

In caput Legati machinatio. De novo Prorege D. Josepho de Armendariz Marchione de Castel-fuerte nuntium eo tempore accepit Antequera lætanti similis, si noverat hominem parum lætus. Sed conceptam nuntio solicitudinem celare oportebat. Ex eo rebus suis incommodiorem veritus resistentium vim, clam Legatum de medio tollere induxit animum, neque diu quæsivit qui consilium exequi auderet equitem, si tantum equo donaretur ad elabendum veloci, Pollicentis fidem accepit Antequera.

Dum eques in castra Legati venit, eum se velle ait, cui se tradat, aperiatque grave secretum. Affirmantis verbo creditur, & progredi finitur. Ante Legati stationem equum relinquit ita paratum, ut nulla mora insilire posset patrato scelere. Verum hæc solicitudo consilium subvertit; nam miles quidam, illum ignotum sibi hominem ad Legatum introisse viderat, & equum frænatum reliquisse, nonnihil suspicatus equum removet alio substecto. Post modicam sermocinationem grassator equum visitat, pro quo dum videt non ephippiatum, diffidentiam veritus, taciturn recedit atque disparet. Legatus temere conceptam suspicionem primo arbitratur; mox tamen de præsenti discrimine satis constitit: & quod mireris, nihilo ex eo minus a falso transfuga nuntiatis fidem habuit.

Immodica Legati confidentia. Nempe nuntiaverat ille, apud Antequeram esse plures, cum duces, tum milites, regiis addictos obsequiis, dum concurrerent acies ab eo defecturos. Fidem habuit ex eo quod expertus noverat, dum Paraguariam gubernaret; nec sibi satis cavit. Correntinos milites expectabat, nec secum præter Hispanorum paucos habebat, Indorumque duo millia, qui ut sæpe significavi, adversus copias ordinatas Hispanorum ductu indigent, ad servandos ordines, & ordinate pugnandum. Ad hæc Indi, quibus nulla imminentis pugnæ apparebat species, e stationibus sæpe in flumen hostium insultu dilabebantur (b). Quod si Antequera animadvertisset, hostem occupandi tempus nactus non fuerat; adfuit tamen haud diu post occasio qua profecit.

Indi decepti. Indi naturæ vitio inciti, Hispanorumque fecunditate delusi, de prælio nullam esse cogitationem rati, turmatim excedebant castris, & curiosi nec castigati hostium stationibus appropinquabant. Eos insequi prohibet Antequera, accedentesque comiter accipit. Fidelitatem quam noverat, solicitare non aubet; sed ante confecit, ut plures attraheret.

Fidum se Regi civem appellat, nec fide adversariorum ulli secundum. Quod ut persuaderet, monet luce mensis labentis vigesima quinta, Hispani Regis natalitia, quo festum erat S. Ludovici, cujus & nomine vocabatur ille

(a) Alguacil-Major.

(b) Hiems erat, sed æstuosa regio.

Digitized by Google

ille (a), & sanguine procreatus erat, solemnes in castris suis ludos celebratum iri. Idem ut ipsi facerent hortatur, formamque docet, quam illi sequi pollicentur. Sed ludos etiam hostium dum spectare volunt, castris appropinquant de more.

Ros fundicur, & fugit.

Ad laqueum accedere sinit Antequera, dumque eo loco distabant, ut in castra se recipere non possent, pedetentim venit obviam cum equitum globo. Indi festi præludium esse rati, accedere pergunt, donec stricto ferro irruit equitatus in incautos. Improviso licet impetu deprehensi, nonnulli resistunt, alii ad excitandum Legatum accurrunt, qui raptim coacto milite Indos intra castra recipere frustra voluit.

Ad hostes versus progreditur & clamat *Vivat Rex*, ratus præsentia sui, ut Hispanis erat charus, voce, ostensisque manu pro Rege mandatis, animos commotum iri. Et quidem aliqui retrocedere velle visi sunt; sed a majore parte correpti Indos uno impetu ad internecionem adoriuntur. Tunc Legato, ut in tutum se recipiat, consilium suggeritur: quod ille fuga præcipiti sequitur, scriptis etiam hostium relictis prædæ. Ad Reductionem S. Ignatii primo venit, uno vix comite Joanne de Quiñones capellano. Inde Confluentiam tenuit, & Bonas Auras.

Utriusque partis clades.

Tercentum Indi, qui propter Hispanos duces animos receperant, diutius reluctati sunt; non tam ut redimant vitam, quam ut carius vendant donec hostium doctor, tot fortium casum miseratus, signum receptui dare jubet. Is fuit exitus infaustæ expeditionis, in qua Indi tercentum (b), Hispani duo desiderati sunt; fauciati vero & capti Militum Tribunus D. Lucas Melgarexo, & ducum alter. De rebellibus viginti quinque, quorum duo erant Hispani, cecidere; vulnerati plures.

Capti duo Socii.

In silvarum latebras Indi elapsi posteris diebus investigantur, nec ulli facta vivendi copia. Spoliandi, qui superabant adhuc, conficiebantur; sed per hybrides, & partus hominum sordes, Hispanorum cura de servitiis captandis vana erat. Jesuitæ duo, qui neophytos colebant, capti addidit. Polycarpus Duso, & Antonius Ribera, quorum primus septem & septuaginta annos, & uterque Assumptione notus, ubi Ribera diu vixerat, sæpe nactus occasionem Antequeram alloquendi.

Utrique persuasum fuit, eos, in quorum venerant manus sui dispendio gratiam victoris captatum ire. Illud tamen non expectatum accidit, soluto licet habitu quodnam hominum genus essent ignorantis speciem præbuisse Antequeram. Assumptionem missos sub custodia, tradi jubet Vicario Generali D. Antonio Gonzalez de Guaman, ut utrum sacerdotes essent, religiosi Societatis, ut affirmabant, ex lege judicaret. Si falsi convincerentur, urbano præsidi traderentur puniendi. Addidit, quodcumque esset genus hominum, nolle se, ut ad collegium diverterent.

Audacis pœna.

A Vicario Generali, cui jam pridem tenuit noti, comiter habentur. Ut tamen victori morem gereret, de captorum statu quæstionem instituit. Apud se retentis celebrandi in vicinia æde sacra potestatem fecit. Et quia vulgatum erat, excommunicatum esse, qui sacris eorum interesset, quia videlicet, capti erant bello contra Regem, ut ajebant, opitulantes, contrarium publico denuntiavit edicto. Nec diu fuit, quin ad se conversos nossent animos oppidanorum.

Ex eo vero quod in via contigisse tunc simul proditum fuit; quodque illi sancte colaverant, maxime comendati fuat. Secundum eam qua capti ducebantur viam erat ædicula B. Mariæ sacra. Eam quasi salutaturus custodum quispiam, explodendum in Dusum sclopum dirigit. A commilitone coercitus ait: *Cedat* in Dei Matris honorem glans seni *Teatino* (c) *parata*. Rotam simul in aerem laxat, ac disrupto tubo manus laceratur. Gangræna succedit, qua mox interiit.

Captorum fors.

Adversus Indos centum & quinquaginta Assumptionem abductos, nec probris, nec ictibus temperatum est. Dum victoris triumpho reservantur, prope nudi, temporum vicibus obnoxii, atque famelici jacere sinuntur; non supervicturi, nisi clandestina pauperum feminarum humanitate. Tandem adversas partes studiosius secutis mancipiorum loco dantur. Et ab heris eo magis impotenter habitos verisimile est, quod timor esset ne non diuturnam servitutem servirent. Hinc eorum plures fato succubuerunt.

Antequeræ pœnitentia.

Nec in distribuenda præda immemor sui fuit Antequera, cui Sociorum libri, & quidquid ad Legatum pertinebat, reservata sunt, scripta maxime, in quibus literas P. Restivi ad D. Balthasarem datas avidissime arripit, spe videlicet legendi quo gesta de Jesuitis comprobaret. Dum tamen perpetuam ad pacem, ad suavitatem, concordiamque, præ rigore & vi hortationem percurrit, ad amicos ait: „ Ne præceps hos e collegio pellendi consilium fuit! “

Inventarium confici jubet de Legati bonis, & quædam suimet gravia suppressisse documenta, accusatus deinde fuit. Imputantur fortasse quæ nunquam in mentem venerint, quorum tamen esse capax hominis ingenium, malo suo demonstravit. Illud satis constat, documentorum quæ desiderata sunt, in posterioribus edictis non meminisse; nec loco cedentem, rogatum licet a Regio Scriba Joanne Ortiz de Vergara, edicta in Tabulario-

hi-

(a) Nondum in Paraguaria de Ludovici Primi morte resciri poterat. *Charl.* * Imo nondum mors obvenerat ante diem 31. Augusti.

(b) Amplius tercentum cecidisse fertur, si post victoriam interfectos computaveris. Sexcentos numerarunt aliqui.

(c) *Al Viexo Teatino*, ait ille vulgi Hispaniensi more.

liquisse, ut Vergara Episcopo quædam de Jesuitarum exilio, & de bello Tebiquarico ex Curiæ mandato interroganti respondit (*d*). De reliquo miratum Antequeram in literis Restivi non invenisse quod optabat, commovit magis contentum ibidem mandatum Proregis, ut vinctus Limam transferretur.

Reductiones occupare nititur.

Eas credidit amicorum fidissimis; atque sibi constitutum esse imperium retinere, quatuorque Reductiones cis Paranam occupare, incolis quod arma contra se moverant: amandatis. Militum Tribunus D. Sebastianus Fernandez de Montiel aliique consilium reprobarunt; sed victoris sententia plerisque assentientibus stetit. Nec omisit quod in rebus summi momenti consueverat, ne quid inconsulto aggrederetur; exhibito nomine Provinciæ libello supplici, quo rogabatur expetitum iter, Reductionum occupatio, urbanaque incolarum servitus. Id juratus affirmavit urbanus Senator D. Joannes Cavallero de Añasco, & Regius Scriba ipse qui libellum illius mandato digessit.

Antequeræ consilium.

His duo moliebatur Antequera; ut nempe Socii Missionum cura removerentur; neophytique armis ignivomis privarentur, tunc maxime ut erat Coloniæ status, ex Curiæ sententia necessariis. Quorum una erat causa, ut videlicet exarmata militia, pastoribusque remotis, facilius grex dissiparetur. Id quod experimento haud ita post cumprobatum est.

Indorum dispersio.

Ut Indis occupandi Reductiones consilium innotuit; tam præcipiti fuga dilabuntur, pars in montes & silvas, pars in Reductiones metu liberas, ut plures labore perierint, & nonnullæ fœminæ ærumnis itineris & pavore fecerint abortum. Ad pagum appropinquanti *Sanctæ Mariæ de Fide*, obviam exiit P. Felix de Villagarcia iratum mitigandi spe. Ferocientem placavit modestia; imo & officia quædam conciliavit non expectata.

Raimundi sævitia.

Eodem mox venit Llanas, Villaricam missus, ut loci Præfectum D. Theodosium de Villalba de medio tolleret, qui cum urbana militia, dum auxilio venit in regia castra, captus erat, a fidelitate commendatus in literis apud Legatum repertis. Pœnas non alius peccati exegit Raimundus de las Llanas barbarorum ritu. Noctem totam alligatum pedibus tenuit ad postem, ubi atrocia verba contumeliasque tulit Villalba, patientia quæ Christianum decet. Confessarium quem petebat, amovit ille, Deo ut peccata confiteretur ingeminans, actumve contritionis eliceret. Morituro integrum esse noluit, debita quædam scripto declarare conscientiæ causa. Cædem maturavit bombardæ jactu, ne contrario Antequeræ mandato, quod alias fecerat, servaretur. Et Antequera quidem nuntiata Villalbæ cæde, ad mœstitiam vultum composuit, nec censeri voluit a se damnatum: quod tamen nemini dubium ex eo fuit, quia Raimundum post factum redeuntem non increpaverit.

Interea quatuor Reductionum incolarum fuga victorum consilia turbaverat, milite præda fraudato, ducibus transfugarum servitio. Hinc murmur invaluit, & Antequeræ defectionem timuit. Monuit Montiel, ne ulterius iretur, ne violarentur absentium domus. Admonitio iniquo accepta fuit animo: censebantque adulatores exauctorandum Tribunum. Sed Antequera nihil adversus hominem copiis charum in eo rerum discrimine ausus est. Antequera in Reductionibus.

Ad revocandos perfugas consilia vertit, & paucos apud Missionarium reliquos benigne habuit. In montem pago vicinum securumque se receperant plures, ad quos misit qui denuntiaret, nihil esse quod a se timerent, velle tantum ut se Prætorem agnoscerent. Nihil tot inter diffidendi causas profecisset, nisi Villagarcia veritus nequid infestius moliretur, centum familiis ut regrederentur, author fuit. Et hos comiter accepit Prætor. Nova quædam indicit mandata: magistratus mutavit subrogatis, qui titulo cætera inutili, & inani defuncti sunt.

Ad Sanctæ Rosæ venit, ubi a P. Francisco Robles, haud aliter atque in S. Mariæ per Villagarciam, acceptus est. Illud primum significavit Missionario, sumptus belli quod temere suscepetat, a neophytis solvendos. Respondit ille, per se licere, damnandos tamen a Judice, quem Rex cujus erant subditi & vectigales, renuntiaret. Addidit, priusquam quidquam exigeretur, revocandos esse, nunquam tamen redituros, nisi data fide novis rebus abstinendi. Tandem ait: „ Æquo ratione, quibus ex labore sua suppetit in diem familiarum victus, & tributi pendendi copia, belli sumptus fecerint, præsertim cum armorum metu procul a domo & ab agro sint? "

Retrocedit, quærit.

Hoc responso quod inexpectatum accidit, hæsit Antequera. Suspensus & tacitus aliquandiu, mox ait, spatium se daturum, ut mandata fiant. Tunc derepente Assumptionem cogitat; postridieque recedit prima luce jejunus. Clam scilicet monitus erat, Indorum quinque millia fratribus suppetias ferre. Eos ante acceptam eladem vocaverat Legatus, qua & captorum sorte cuntibus nuntiata, ad liberandos spem intenderant, nec longius leucis duodenis aberant a Sancta Rosa. Antequera si diutius moraretur intercipi timuit, ut parum frequenti comitatu stipatus erat. Sed Missionarii, qui supplementorum castra sequebantur, longius abesse rati, ut repedarent, authores fuerant.

Agri vastantur.

Eo usque Antequerani bonis Indorum pepercerant. Dum tamen Reductionibus, ubi montes aureos esse mente conceperant, excedendum fuit, iras in rura convertunt, omniaque devastant, armenta maxime libere vagantia, atque pastorum cum metu, tum ingenita negligentia incustodita.

Antequeræ triumphus.

Antequera in urbem regressus omnia reperit ad triumphum comparata: quem erubescere oportuit fuga regredientem. Ubique via-

(*d*) Interrogatorii formam vide in Documentis. *Charl.*

Digitized by Google

viarum eminebant arcus trophæis ornati, vexillis maxime ad Tebiquarim captis. Indigna plane de Rege triumphatio. Illud præsertim, quibus sensus aliquis venerationis erga regiam majestatem reliquus erat, indignati sunt; militem in primo ordine regia insignia portasse, quorum ignominiam luto tractorum affectare videbatur. Triumphator post transmissam equo magnam urbis partem inter obcœcati populi plausus, ære campano sonante, princeps templum ingreditur, victoriam quam pudori esse oportebat, Deo gratulari jubet, & signa monumentum rebellionis appendere.

Non unquam forte in Paraguaria lætitia magis universalis fuit; sed non omnibus una fuit lætitiæ causa. Regiæ fidei cultores, nominatim D. Didaci de los Rejes amici & consanguinei, qui vanitatem æmuli noverant, fore sperabant, ut gemitus & lacrymas lætis acclamationibus confundi nollet; catenati Prætoris sortem victoria, quam detestabantur, mitigatum iri; qui mortem si vinceretur decreverat, vitam non nocituro condonaturum; nec cæde offensandos plures, quorum unus ultioni sat erat. Spem non fefellit exitus.

Exequiæ pro cæsis. Triumphum excepit funus æque victori glorioſum. Justa his, qui propter se cecideranr in prælio persolvere jubenti, obtemperandum fuit. Sacrificium tamen offerentem pro iis, quibus prodesse poterat, eos potius spectasse verosimile est, qui pro Rege, quam qui pro rebellione perierant. Post male collocatum religionis actum, severitatem victor indecoram, nec firmando imperio necessariam succedere voluit. Uxores & filias eorum, qui partes Legati secuti erant, custodiendas in arce tradit: unde nonnisi iteratis Episcopi precibus extractæ sunt.

Episcopi cunctatio. Hunc Prælatum Assumptionem venisse, detrectasse, donec constaret qua ratione Legatus, regiaque mandata exciperentur, supra narratum est. In Reductionibus moram egit, quarum plures visitavit, sacramento confirmationis innumeris neophytis ministrato (a). His functionibus intentus, de Jesuitarum exterminio, de Antequeræ marte, de regii exercitus clade, de Legati fuga nuntium accepit. Tunc non differendum censuit aditum: redeuntique Assumptionem Antequeræ nuntiatur, eodem paucorum comitatu se conferre per invia deviaque.

[illegible] ratio- [illegible] accipi- [illegible]r. Appropinquanti exiit obviam cum urbano senatu in prædium octo passuum millibus distans: & in occursu nihil non officiosum admistum est. Biduum tenuit rurale hospitium: Mox Episcopus in urbem deducitur honorifice: nec deinde quidquam omisit, quo fiduciam omnium conciliaret. Literis haud ita post scriptis ad Regem ait, operam se dare, ut gesta intelligeret ab exordio turbarum, caute tamen & clam, tum ne secum colloquentes in discrimen conjiceret, tum etiam ne rebellionis authorum animos alienaret. Hos celate quid de suis inceptis sentiret, nisi pro officio & debito esset aperiendum: ac tunc quidem circunspecte & parce.

Quorundam palinodia. Sic operandi necessitatem fecerat quod illico novit de ratione habita, ut in rebellionem compellerentur aversi. Nona Septembris Militum Tribunus D. Martinus de Chavarri cum Notario Ecclesiastico Vicarium Generalem convenerat, exclamaveratque contra subscriptiones universas vi minarum sibi extortas ab Antequera. Acta videsis inter Documenta. Ex quibus liquidum est, edicta quorum supra meminimus, ex supplicationibus promulgata fuisse, quas ipse Antequera obstetricabat & adornabat, quas ut subscriberent, compellebat magistratum gerentes, quasque simulabat eorum nomine sibi porrectas.

Urbanus Senator D. Joannes Cavallero de Añasco, qui diu contra vim illatam obstiterat, nec nisi post vincula, & facultates amittendi obitum discrimen cesserat, Chavarrium sequutus Episcopum libello supplici interpellavit, ut a censuris quibus obnoxium se judicabat, ex quo Antequeræ partes violentis & conscientia renitente subscriptionibus secundaverat contra obedientiam superioribus debitam, contra Regis obsequium, & contra ecclesiasticam immunitatem, absolveretur. Gesta ibi enumerat hujus argumenti, quibus palam fiat, quousque tyrannis provecta sit. Verum ex horum submissione confecit Episcopus, morbo non esse desperandum.

Illud potissimum cordi erat, ut Socii collegio restituerentur; sed in præsens obstacula majora erant quam ut superari possent. Nec agendum censuris existimavit in eos, qui Ecclesiæ immunitatem simul atque Principis læserant. Misit vero documenta de Antequeræ, factionisque adversus extorres animo.

Litteræ ad Regem. „ Ea est (ait litteris ad Regem datis secunda Octobris) eorum mentis obstinatio, ut veritati justitiæque prorsus sit impervia. Occlusos oculos ne videant habent, occlusas aures ne audiant desolationem & gemitus incolarum majorem partem urbis & provinciæ, qui Patrum absentia subsidiis spiritualibus & temporalibus destituti sunt, præter exempla virtutum, hortationesque, quibus in tanta morum licentia Episcopo de grege solicito auxilium erant & solatium." Id scribo quod mihi palam notum est. Quod in eorum Missionibus fit, hisce oculis vidi. Scio in hac urbe, per vicos etiam & compita bellum perpetuum & implacabile contra vitia genere solitos. Eos tantum inimicos habent, quibus animarum salutis studium incommodum est, qui nequeunt agere in eorum Missionibus, quod in parochiis indicanis fit, quas Ecclesiastici, & mei Ordinis religiosi procurant, quarum incolæ commendis subjacent, a commendatariis ita pressi, ut annos totos de præceptis Ecclesiæ non subeat cogitatio. Nec prodest quod vacare, in suasque

(a) Et ritu solemni consecratis omnibus, vel fere, parochialibus Reductionum ecclesiis.

que domos redire liceat; tunc enim injunctis a Prætore opificiis incumbunt. Hinc raro suis, familiarumque fructuum intenti commodis, victus necessarii penuria laborant. Jam vero Sociorum curæ commissos Indos ita vexare non licet Prætori, nedum privatis civibus: quæ Vestræ Majestatis, & majorum suorum gratia est. Hinc late spirans sanctitatis odor, & mirabilis innocentia morum, de quibus V. M. antehac certiorem feci. Hinc templorum decor, & religiosi cultus ordo splendorque; quia videlicet neophyti & pastores quidquid de laboris sui & industriæ fructu sibi & necessario victui possunt detrahere, eo referunt. Hæc sunt de quibus V. M. admonere debui. "

Episcopi gesta.

De rebus per vim gestis ab Antequera, apud Curiam Platensem deinde conquestus est Episcopus per litteras (*a*): quibus addidit cum eas quas antequam Assumptionem veniret acceperat a P. Joanne de Garai Priore Dominicanorum, tum eas quibus ipse respoderat. Sed quamquam Prælatus hic extinguendo rebellionis incendio tantummodo adlaboraverat, nec authoritatem exeruerat nisi compulsus officio, brevi innotuit quanti esset ejus præsentia. Populus illius dignitatis & sanctitatis reverentia motus, abjecta diu subordinationis & docilitatis recepit sensa. Rebellionis capita solicitabat odiosa tranquillitas, quam ut turbarent, Jesuitas contra urbem machinari, vulgo persuadere nituntur. Sed Episcopi vigilantia vulgo satisfactum est.

Contra Socios instigatur.

Ad acerbandum eum contra Socios consilia vertunt. Novæ passim in vulgus spargebantur calumniæ. Etiam rumores, quorum patebat falsitas, animos sinistris opinionibus insidebant, eaque ratione obcœcatos aptabant ad ulteriora nova credenda nullo causarum examine. Commodum accidit, ut machina primum ad exasperandum Prælatum adhibita, id tantum confecerit, ut noscet authorum ausus, & cautius procederet.

Vixdum Assumptionem venerat, lugubri adest amictu conjux D. Alphonsi Gonzalez de Guzman, imputatque Jesuitis jacturam mariti, quem ajebat illa leviri sui Vicarii Generalis litteras portantem occiderant Indi Sanctæ Mariæ de Fide. Addidit, Missionarios abdidisse cadaver, quod Hispani quidam detexerant. Alios in prædio Jesuitarum equum vidisse, quo Alphonsus vehebatur. Nihil Episcopus prætermisit ut mœstam solaretur, facturum se pollicitus, ut repararetur injuria. Sed cum ex fabula rumor maxime increbresceret, valetudine integra Guzmanum adesse mirantur universi. Miratur & ipse suam viventis uxorem esse viduam.

Prætori Bonaurensi mandata.

Dum hæc in Paraguaria gerebantur, nuntius cogitationum multis novarum argumentum attulit. Limam ingresso Proregi nihil antiquius fuit, quam ut Paraguariæ componeret turbas. Et quasi prævidisset infaustum Rosii expeditionis exitum, litteris octava Julii quinque ante acceptam cladem hebdomadis datis, D. Brunoni Maurizio de Zavala mandaverat; ut Assumptionem ipse contenderet, rebellionem comprimeret, Antequeram mitteret Limam sub fideli custodia, Prætoremque ipse renuntiaret tempori & loco accommodum.

Litteras addiderat ad P. Roccam Jesuitarum Præpositum cum mandatis, ut Bonaurensi quos peteret Indos milites sufficeret: quod illico præstitum est, nec D. Bruno segnior provinciam suscepit. Dum iter parat, & de commisso fidei suæ negotio, & de potestate sibi facta pro Rege mature resipientibus ignoscendi, Antequeram & urbanum Assumptionis conventum monet. Litteras simul ejusdem argumenti ad Episcopum dat, quas ille per fidum a secretis ad Antequeram, jam cum amicis de rei summa deliberantem, videndas transfert.

Rebelles Episcopum solicitant.

Proregis promissum multos de factione commoverat; id vero quod pataverant post datam Limæ fidem, plus timoris ingessit, quam fiduciæ promissum. Exilium maxime Jesuitarum a Prorege condonandum sibi persuadere non poterant. Consilio vacillantes Raimundum de las Llanas ad Episcopum delegant, cujus fidei periculum faciat. Et ille, quem nihil morabatur, quique reliquos ex se æstimabat, animum Prælati tentare ausus est. Sed ea ratione acceptus fuit, ut nosset quam gravem intulisset offensam.

Plurium submissio.

Postquam Episcopus ausus indignitatem exaggeravit, tanta suavitate simul & efficacia profunditatem abyssi, in quam ipse sociique præcipites ruebant, exposuit, ut plerique eo referente in sui deditionem inclinaverint, post quam Prælatus obstacula quædam amovit. Senatores duo D. Antonius Ruiz de Arellano, & D. Josephus de Urrunaga antesignani, mandata, quidquid Antequera moliretur, se facturos promittunt, fide ante Episcopum genuflexo data, qui jacentes erigit, amplectitur illacrymans, & veniæ facit securitatem, qualem optare possent.

Antequeræ submissio.

Horum submissio, quibus non alii magis infesti fuerant D. Didaco de los Rejes, male habuit Antequeram, qui nutantes excitare diu contendit, facturum politicus, ne D. Bruno Assumptionem ingrederetur. Sed medius defuit Episcopo tricarum expeditio, ita ut Antequera omnium sibi adhærentium defectionem veritus, post longam cum Prælato disceptationem, superiorum Tribunalium mandata se facturum promiserit. Imo & ad Zavalam scripsit, posse dum vellet Assumptionem venire, nullo obsistente, obsequentibus cunctis excipiendum. Id communibus litteris protestatus est urbanus conventus, quarum subscriptione haud contenti Arellano et Mondel, singulas dederunt, quibus professi sunt, specie quidem operam quibusdam injuria gestis se præstitisse; re tamen vera ut maturius opportuniusque Regis sectarentur obsequia.

Gau-

(*a*) Vide in Documentis Curiæ Platensis decretum, cui hæ litteræ insertæ sunt.

Digitized by Google

Zavala deceptus.

Prudentis interdum eſt, reis ad pejora paratis fidem præſtare ſpecie fulteni; haud aliter atque fugienti, cui deſperatio arma ſuppeditare poteſt, viam non intercludere. Ne tamen decipiaris, magna ſolertia, & rerum perſonarumque diſcretione opus eſt. Zavala ut erat ingenuus, inſidias parari ſibi perſuadere non potuit. Ut duorum litteras Senatorum accepit de via, infames eſſe pronunciavit, quos fide accipites ſero novit, ſed aliquando.

Antequeræ obſtinatio.

Antequeræ magis noto, & ſe dedenti, cum pæne deſtitutus ſuis partibus deſperabat, non uſque adeo pronus credidit. Et ille quidem metum deponere conceptum non diu cunctatus eſt. Dum cavillatur enim, Proregis mandata ad Bonarenſem non tranſmiſſa eſſe *per canalem* Curiæ Platenſis, ita commovit civium principes, ut promiſſa non ſteterint.

In angustias redigitur.

Ad cohibendam amicorum defectionem, animadvertere jubet, nunquam D. Didaci de los Rejes raptum in Bonarenſis Præfecturæ finibus, a Zavala condonandum, nunquam Jeſuitarum, quorum perpetuus erat encomiaſtes, exilium. Nec Epiſcopo credendum, haud minus Societati devoto (a), idque adnitenti, ut quotquot exilii fuerant authores, exterminaret. His tamen profecit parum. Generalia deinde comitia, qualia ad Tebiquaricum iter, convocare contendit; ſed Martino de Chavarri, & Joanne Cavallero de Añaſco, ſimulque Arellano cum Urrunaga connitentibus, conſilium interturbatum eſt.

His fruſtratus ad militares ſpe convertitur, eò maxime quòd Raimundus de las Llanas D. Joannem de Mena generum, qui primarius erat Apparitor, & primarium item Accenſum D. Joachinum Ortiz de Zarate cum Ferdinando Curtido, factioni conciliaverat. Sed Añaſcus & Chavarri præiverant cum Arellano & Montiele: quare ducum militarium nemo partibus acceſſit. Cum non aliud ad animos commovendos eſſet reliquum Antequeræ, in vulgus ſparſit, binos exercitus Guaraniorum & Charruarum ducibus Jeſuitis immiſſos provinciæ. Indigeſto mendacio primum conſternata civitas. Sed exploratores Epiſcopo connitente ad confinia miſſi, & quos ſeorſim ipſe fidos expedivit, pacata eſſe omnia renuntiarunt.

Hinc Antequeræ rabies in Añaſcum & Chavarrium convertitur, quorum opera ex Epiſcopi ſententia ſua molimina ſubvertebantur. De conjiciendis in vincula ſubit cogitatio, ſcutorumque decem millibus mulctandis ob violatum Platenſis Curiæ, quo ſæpe alias uſus erat, decretum. Sed partes adverſantium convaluerant, eratque major ab Epiſcopo timor, quam ut tanti ſtrepitus incœptum auderet. Satius habuit diſſimulare, ut in proximis conſularibus comitiis ad annum 1725. dominari poſſet. In quibus id aſſecutus eſt, ut addictiſſimum ſuis partibus hominum par, Raimundus de las Llanas, & Joachinus Ortiz de Zarate novi Conſules renuntiarentur.

(a) Ea devotione commotus in rabiem de factione quidam cœnobita pronuntiavit vernaculo ſtylo: El Obiſpo Teatino, el Governador Teatino, el Virrei Teatino, el Rei Teatino, el Papa Teatino. Valga el diablo el alma de tanto Teatino.

HISTORIA PARAGUAJENSIS.

LIBER DECIMUSOCTAVUS.

ARGUMENTUM.

D. Bruno apud Correntes urbem. Antequeræ novi motus. Ab Episcopo cohibentur. Populum solicitat. Episcopi edictum. Elabitur Antequera. Ejus postrema mandata & minæ. D. Bruno Assumptione. Rejes de custodia trahitur. Prætorem constituit. Bonas Auras redit. Episcopi litteræ. Rebellio integratur. Platensis S. C. Antequeræ ausum. Novus Prætor. Jesuitarum reditus. Antequera in Limana custodia. Commissarius Regius. Soroeta Prætor. Factio popularis. Episcopi abitio. In Regium Signiferum ausus. Capitur Factionis caput. Mompoi fuga. In Socios odium. Episcopi reditus. Antequeræ supplicium. Limæ tumultus.

1725. 29. D. Bruno apud Confluentiam.

D. Bruno Mauricius de Zavala Bonis Auris necessitate distentus, non ante annum 1725. excedere potuit, nec inde milites extrahere quinquaginta plures. Adjunctus fuit Sanctafide D. Martinus de Barua Cantaber Flaviobrigæ (a) natus, quem Paraguariæ Gubernatorem prædestinaverat. De via sæpe monitus, ad Tebiquaris trajectum certamen parari fidem abnegat, imperat tamen urbanæ militiæ biscentum Correntinos; at Indos ad VI. millia Reductionibus imperatos prius adesse noluit, quam ipse denuntiaret.

Novi Antequeræ motus.

Ut Confluentiam veniisse Assumptione nuntiatum est, per novos Consules persuasit pluribus Antequera, a D. Brunone cives omnes haberi rebellium loco, quippe qui ducebat exercitum, cymbasque expectabat, armis & munitionibus instructas. Sæcularem Conventum adegit, ut Episcopum interpellaret, ne Bonaurensis armata manu procederet. Preces Episcopo delatæ sunt a primo Consule Raimundo de las Llanas instigante Antequera, qui simulata indifferentia consilium ex re nata captabat. Nempe si Bruno Assumptionem cum copiis ire pergeret, hostilem aditum, ut civibus injurium repulsare decreverat; si copias dimitteret, ut rebus suis esset commodum, agere.

Ab Episcopo cohibentur.

Raimundo respondit Episcopus, mirari se eorum, a quibus mittebatur inceptum, qui prava consilia meditari suspicandi præberent ansam. Sed veritus ne factiosi in præceps agerentur, si preces refutaret penitus, operam pollicetur, ut D. Bruno corporis tantum custodes Assumptionem deferat. Rumoris vero per provinciam diffamati, quod Raimundus significaverat, Regem proregis revocasse mandata, & Bonaurensis abrogasse legationem, sic demonstravit Episcopus falsitatem, ut orator hæsitaverit. Imo convenit inter utrumque, ut rerum status erat, id maxime oportere, ut venturo Legato publica obedientiæ fides integraretur.

In eamdem sententiam ad eos, qui Raimundum delegaverant, locutus est; ut continuo ad legatum scripserint, fidissimos experturum Regis subditos, excipiendum ut par erat ejus meriti virum pro Rege missum; orare tamen se, ut filios pater visitet, non hostes, non rebelles, copiarum ductor. Respondit D. Bruno, copias ad provinciam subigendam esse superfluas; dedecere tamen, ut eo unde venerat, cohortem & cymbas remittere cogeretur, ad reditum post facta mandata necessarias.

Falsi rumores.

Antequera, ut postremum hoc telum averteret, fabulam de revocatis mandatis munire contendit. Principio non totam rei summam explicavit; sed ut ludus ex voto cederet, partes commenti singulas ordine proferebat. Quemdam ait primo familiarem Proregis sibi mandata cum Præfecturæ prorogatione portantem, jam Cordubam perveniisse. Post dies aliquot, ut accepto posteriore nuntio, quibusdam amicorum refert, causam mandata Brunonis revocandi esse, quod Prorex compererat, prædecessoris edicta fuisse supposita per eum qui a secretis erat, abscisæ manus pœna falsariorum propterea damnatum. Palam tandem affirmavit, Prætorem Bonaurensem esse in Hispaniam revocatum, propediem adfore successorem.

Sanctafide accepta hæc referebat, litteris per appositos nuntios tempore & loco redditis, ubi plures aderant. Reseratas percurrebat oculis tacitus, attonito stupentique similis. Legendas præsentibus porrigebat, nec erat qui fucum suspicaretur. Erant scilicet rebellionis & consiliorum participes, genus hominum, qui raro in dubium revocant quod impunitati favet. Redditur interea D. Brunonis responsum, cujus nuntius multis a Raimundo interrogatus, numquid Confluentiæ de iis, quæ Sanctafide referebantur audisset, respondit, alibi quam propter Assumptionem inaudita esse.

Tunc Llanas eorum memor, quæ de sparsis rumoribus ab Episcopo audierat, facile nova hæc esse commenta deprehendit. Sed erat

(a) Bilbao.

Digitized by Google

rat de perversis corde, qui scelere & confusione delectantur. Antequera, cui notum & & commodum erat hominis ingenium, nihilque se auspice non ausurum, decoratum militari gestamine & imperii nota lustrare jubet castra suburbana; idque cavere ne D. Brunoni dederentur.

Consilium ab Episcopo subvertum.

Etsi secretum inculcaverat, Episcopum non latuit; qui Doctorem Joannem Fernandez, Ecclesiæ Cathedralis Canonicum, & Tabati, ubi provincialis militiæ pars potior confederat, parochum mittit, qui curiales suos, quibus charus erat, hortaretur, ne nisi D. Brunonis mandata facerent. Quod illi præstituros se promittunt, ita ut Raimundus dum eo venit, ut militem solicitaret, a nullo non repulsatus sit. Tunc Prælatus spiritualibus armis utendum censuit, ut populum qui instigari non cessabat, in officio contineret. Canonicorum convocat cœtum, ex quorum sententia edictum fuit, quidquam moventem ne Bonaurensis Prætor admitteretur, excommunicationis ipso facto reum fore, ob violatum fidei Regi debitæ sacramentum.

Elabitur Antequera.

Zavalæ litteris Kalendis Martii datis, acceptisque post edicti promulgationem, dissipatorum falsitas rumorum emicuit, & extrema Antequeræ concidit spes. Quod dum animadvertit, loco cedere oportuit: Ternos parare jubet lembos, quos cum armatis quadraginta conscendit. Antea Montielem convenit cum litteris, ajebat, recens allatis Sanctafide, quarum argumentum erat, Brunoni mandatorum revocatione Montielis vitam constare, quem ille strangulandum præ foro decreverat.

Longe aberat ut Montiel omnia probaret Antequeræ consilia; ejus tamen partibus robur addiderat, euntemque ad Tebiquarim erat secutus, quare & tribuni militum officio præ aliis morte dignus erat: nec si Zavalæ promissis & Episcopi tutum censuit. At non satis animadvertit, Antequeræ fugientis comitem veniæ respicientibus datæ sortem amittere. Apparitorum princeps D. Joannes de Mena adjunctus fuit Antequeræ socius, cui tamen quam Montieli amplius erat timendum. Coryphæi sui fortunam ad extremum sequi maluit Mena, exitu deinde memorando.

Horum par eo erat magis utile Antequeræ, quod hunc provinciæ, illum militiæ procuratorem haud ita pridem renuntiaverat. Plures etiam suburbanos Indorum pagos compulit, ut de magistratu quempiam ad se mitterent, ut forensis videlicet Curiæ, illorum commodis intentæ, quorum protector erat, componeret simulacrum. Sed revera obsides imperabat ad confirmandam pagorum fidem, cum Paraguai præfecturam non abdicaret, aut se restituendum speraret a sua Platensi Curia.

Cedentis mandata

Hujus decretum, cui tantum fiderat, de integro denuntiavit urbano conventui; atque admittentes D. Brunonem mulctæ irrogatæ reos fore protestatus; indignationem minatur se Prætorem abnegantibus. Consulibus reservata quædam reliquit monita ad obstruendum Zavalæ aditum: quæ si minus ex sententia cederent, tot rerum statuendarum molirentur obstacula, ut re infecta retrocederet. Solvit e portu quinta Martii, duobus pretio comparatis Dominicanorum mancipiis, quorum altero ante pedes ejus navigium ascendentis exanimato, alterum remisit ad priores heros.

Zavalæ adventus.

Populum, qui frequens occurrerat, discedentem videndi studio, velut mœstum solatur spe reditus, triumphatisque inimicis qui Proregis abutebantur nomine, præfecturam recepturum. D. Brunoni simul & discessisse nuntiatum est, & prætoritium insigne reliquisse Raimundo de las Llanas; qui destinatum parabat usum, sed per invigilantem Episcopum deturbato consilio, fasces demittit tandem, dum Zavala ad urbem provinciæ caput appropinquabat, ingressurus 29. Aprilis.

Rejes custodia liber.

Voluit illico D. Didacum de los Rejes custodia liberare; sed consulto rem distulit, ut æmulorum comprimeret motus. Postridie Kalendas Maji mandata denuntiat urbano conventui, a quo reverenter accepta sunt. Omnes fidem integrarunt: quodque sinceritatis argumentum sit, novissimum de prohibendo ejus aditu decretum Antequeræ tradunt. Tunc Zavalæ cunctos in sensum rediisse pro comperto fuit. D. Martinum de Barúa renuntiat Prætorem, donec a Rege constituatur alius. Inde ad liberandum Rejes accedit, cui commendavit Episcopo authore, ne domo egrederetur, admittendisque salutatoribus abstineret, donec in sanitatem viginti mensium carcere fractam restitutus, Bonas Auras iter suscipere posset: quod ad firmandam animorum tranquillitatem, necessarium Prælato visum est. Officiales, quos rebellionis caput abrogaverat, restituit. Reddita sunt ablata bona: & qui persecutionem, aut pravorum societatem consiliorum veriti rus concesserant, revocati.

Zavalæ reditus.

Mulctam scutorum quatuor millium compertis mandatorum violatoribus pro Rege irrogatam, exigere voluit D. Bruno. Sed ut supersederet oravit Episcopus, donec Lima responsum acciperet litterarum, quibus id pœnæ deprecatus erat. Pacatis itaque rebus, & Barua præfecto, Bonas Auras repetit. Episcopus vero Regem de rei summa & exitu certiorem fecit. Litteræ quantumvis prolixæ transcribendæ mihi sunt, eorum quæ de provinciæ motibus narravi, documentum & elucidatio.

Ad Regem litteræ.

„ D. De luctuoso diœcesis hujus statu, cum adveni, D. Josephi de Antequera Curiæ de Chuquisaca (a) Protectoris Indorum, & contra hujus provinciæ Prætorem Quæstoris, so-

(a) Jam dixi, primitivum hoc esse nomen Platæ urbis, *Charkeu*.

ſociorumque conſiliis & vi, Majeſtatem Tuam certiorem facere, honori mihi eſt. Ea ſunt illa, ut mente tranſverſa eſſe oporteat, qui talia contra divinas humanaſque leges auſi ſunt, armis contra Regium Legatum D. Balthaſarem Garcia Ros, ne pro Rege mandata denuntiaret, arreptis; ejus exercitu internecione mille & octingentum (*a*) Indorum, & ex Hiſpanis multorum profligato; Religioſis S. J. e collegio pulſis; tormentis contra domum & templum, ut exire compellerentur inſtructis. -- Sacrilegus & tyrannicus cœptorum auctor fuit D. Joſephus Antequera, qui ut uſurpatam præfecturam retineret, plures de Magiſtratu, militares, & colonos ſpe corrupit, Indos ſeptem pagorum (*b*), quos Jeſuitæ procurant, in ſervitutem redigendi, pagoſque ipſos in ſæcularium clericorum tradendi curam. Nec tantum id adnitebatur, ut invito Prorege præfecturam obtineret, ſed ut opes per illatam miſeris vim injuriamque cumularet. Id quod ex iteratis horum expoſtulationibus liquidum eſt, & ex incredibili ejus theſauro, qui Tribunalium Superiorum mandato occupatus fuit.

Scandaloſi motus incommoda ſunt, extrema provinciæ inopia, & rerum ſpiritualium jactura. Exilio namque Patrum Societatis Jeſu juventutis educatio ceſſavit, & religionis opera, quæ illorum exemplo & hortationibus ſtabant. Per Antequeram & conſilii ſocios eam intulit cladem humani generis hoſtis, cui reparandæ V. M. opem implorare cogor -- Iniquiſſimis rationibus eo ventum eſt, ut Patres exigerentur. Actis videlicet contra eos, & contra Indos eorum curæ a V. M. ſuiſque auguſtis prædeceſſoribus commiſſos, falſitatibus & calumniis refertis, munitiſque falſis ſubſcriptionibus, contra quas a pluribus reclamatum eſt. Id quod contrariis comprobatur Actis, ad Supremum Indiarum Senatum mittendis, per eos etiam qui de Clero Sæculari compartes iniquitatis fuerant. Et licet nova in hac provincia non ſint ejuſmodi commenta falſi convicta per deſtinatos a Rege miniſtros, eo criminationum nemo progreſſus eſt, quo Antequera & ſocii contra viros apoſtolicos, quibus nihil eſt antiquius, quam ut gloriam Dei promoveant, ſimul atque regium V. M. obſequium, & ſuorum commoda ſubditorum. -- Gloriatur Antequeræ factio, unum Regis obſequium ſpectare ſe, Reductionum curæ præfectis ſæcularibus, Indiſque non tantum commendatis, ut herbæ paraguaicæ commercio, lucri medietate (*c*), agriſque colendis dent operam, ſed in mancipiorum ſervitutem redactis. Addunt, vectigal augendum, exigendas decimas, vetandum quod a Rege permiſſum eſt ad ſolvendi tributi facultatem, ne herbam ad Sanctæfidei venum exportent. -- De quibus id qua ſinceritate decet, affirmare auſim, non aliunde præſentius floridiſſimis, & V. M. utiliſſimis Miſſionibus excidium imminere. Centum novi, quod Indorum pagi, qui Clericorum & mei Ordinis profeſſorum curæ ſpirituali ſubſunt, ita devaſtati ſunt, ut viduis fere conſtent, uxoribuſque, quæ maritos annos totos non vident, ſervitio perſonali tribuendum, qui obnoxii herbæ medietatem (*d*), & reliquorum fructuum commendatariis pendere debent. Hinc pagorum vaſtitas, ut patet vel ex antiquo ſtatu præſenti comparato. Ægre decem (*e*) hac tempeſtate incolæ, ubi olim centum, numerari poſſint (*f*). -- Liquet deinde, penſum decimarum conſervationi & incremento Indorum nociturum; nam qui a Clericis & Franciſcanis procurantur, eo licet penſo immunes adeo ſunt infrequentes. Illud addiderim, non ſine periculo jugum aggravatum iri, nam Reductionum induſtria, Jeſuitarumque zelo & œconomia, non aliud confici hucuſque potuit, quam ut impoſitum vectigal penderetur. Nihil debilius quam quod ex adverſo ſola cupiditas objicit.

Quod contenditur, ne Bonas Auras, aut Sanctamfidem XII. arrobarum herbæ millia venum deferant, paucorum invidia niti conſtat, nam primo ea arrobarum ſumma Paraguajenſium colonorum commercio non nocet, quod ejus provinciæ herba multo majoris quam tracta de Reductionibus, pretii ſit (*g*). Secundo, quod interdicta exportatione, nec quo tributum ſolvant ſuppetit, nec quo vinum comparent ad miſſarum celebrationem, templorum ornamenta, ſorrumve ad neceſſarios uſus: Templa de reliquo Peruanis Cathedralibus magnitudine, forma, ornatu paria ſunt. Peruanis inquam, hoc enim Aſſumptionis templum uſque adeo deforme, & ornamentis indecorum inveni, ut combu-

ren-

(*a*) *Cerca de ochocientos Indios*, habet Hiſpanicum originale inter Documenta relatum ab Hiſtorico ipſo.

(*b*) Totidem eo tempore citra Paranam, Præfecturæ terminum, ut tunc cenſebatur, erant pagi. Quibus deinde adjunctus eſt pagus a Sancto Coſma & Damiano, ex adverſa ora translatus.

(*c*) *No ſolo como mitajos, ſino como eſclavos*, habet Hiſpanicum originale. *Mitaii* vero apud Indos non ſunt qui lucri medietate operam præſtant; ſed qui per vices ad ſerviendum ſtato temporis ſpatio, puta quadrimeſtri, ex oppidis natalibus extrahuntur, conſtituta quidem quantulacumque mercede. Vices autem illæ *mita* dicuntur in Jure Indico.

(*d*) *Mita* eſt in autographo, quod ex nuper adnotatis aliud a medietate ſonat.

(*e*) Non decem, ſed unum pro centum habet autographum, & ex vero quidem.

(*f*) Hæc ſit una vaſtitatis cauſa: alias tamen eſſe poſſe, conſtat ſatis, quia vaſtitas par vel major Americæ regionibus communis eſt, in quibus ſervitus id genus non obtinet. De ſeptem, octove nationibus idiomatis Algonquini, quæ penitus, incertum quo fato, non certe ſervitute, diſparuerunt, ſermo eſt apud Charlevoix, *Hiſt. della N. Franc. tom. 2. lib. 8. ann. 1661.* --

(*g*) Non quod majus ſit pretium æqualis menſuræ; ſed quia major eſt quantitas a Paraguajenſibus e Maracaiu, quam a Guaraniis commercio conſignata.

Digitized by Google

renda mihi fuerint, meisque sumptibus alia Peruanis non imparia subroganda.

Notum tandem est, id quo potissimum factiosi ut Jesuitas exterminarent adacti sunt, longe aliud esse, quam quod ipsi divulgarunt, perturbatores esse publicæ tranquillitatis, & fidei regiæ proditores. Calumniarum enormitate odium celant adversus Patres, eo quod armatos Indos Regio Legato D. Baltasari Garcia Ros suffecerint: quasi obedientiam Proregi & Bonaurensi Prætori exhibere, id esset turbare pacem, & proditionis reum esse. Eo tamen carmine fascinata multitudo est, & ne videret prohibita, quantum inter factiosos distaret, & eos quorum exemplo continebatur.

Verum quidem est, complures colonorum ad sequendas Antequeræ partes dispositos fuisse, nempe majorum odio, quod Jesuitarum opera tot Indi sint immunes servitio personali, nec mancipiorum, jumentorumque vicem subeant. Centum annos obtinuit questus & clamor hic, cujus falsitas & iniquitas centies innotuit. Æquum est, ut T. M. calumniatorum audaciam cessare jubeat, ne impunitas æternæ eis damnationi sit, ne viros apostolicos turbare pergant ultra sæculum, quo ad tribunalia rapti, se, suam Societatem, Indosque sibi creditos a Paraguajensium persecutione tueri coacti sunt. -- A tristibus his ad læta transire juvat. Notum V. M. sit, provinciam sine sanguinis effusione pacatam esse, prudentia scilicet Castrorum Præfecti (a) D. Brunonis-Mauricii de Zavala, qui Proregis imperio D. Josephi de Armendariz Marchionis de Castelfuerte, cum exercitu venit octingentorum Hispanorum, & ex Jesuitarum Reductionibus VI. mille Indorum. Plures ad iter parati erant, si e re foret. Sed placuit Divinæ Bonitati, ut Legatus nemine obsistente acceptus Proregis mandata fecerit nullo strepitu. -- Id ego studiose curaveram, motibus animorum sedatis, & indicta universis obedientia, quæ T. M. ministris debita est. Id etiam confeci, ut Antequera ante adventum Legati secederet, quod eo reside tranquillitatem haud restituendam sine prælio certus eram. Gratias Deo pro inexpectato eventu. Hunc T. M. gratulor, quam Deus incolumem diu servet. Assumptione ad Paraguaim. Maji 25. 1725. " Fr. Josephus Episcopus Tatulensis, Coadjutor Paraguai. „

De Jesuitarum exilio jam Curia Platensis ad Prælatum scripserat, cum Senatus consulto ad urbanum Conventum, de restituendis in civitatem. Curiæ respondit Episcopus literis eodem quo ad Regem datis die, ejus Altitudinis, & Excellentissimi Proregis mandata unanimi submissione accepta esse, nondum tamen videri, Jesuitas esse revocandos „ Primo, quia diluendæ prius sunt calumniæ in eorum sanctæ & doctæ Societatis dedecus jactatæ, cujus alumni in Regem traditores, rei publicæ perturbatores, & belli Tebiquarici authores diffamati sunt, ut in edictis adversum eos promulgatis Altitudo Tua viderit. Deinde, quia Patres pro jure suo tuendo, non solum ad Tuam Altitudinem provocarunt, sed ad Supremum Indiarum Senatum, & ad Summum Pontificem, nec sine Generalis sui mandato in Collegium redire volunt. Notum faciam Provinciali nihilominus T. A. studium. " Literis post triduum scriptis, sed eodem expeditis nuntio ajebat: „ Postquam meam occlusi Epistolam a Civili Conventu monitus sum, deliberandum esse, ut Tuæ Altitudini causæ notæ fiant, ne uti mecum convenerat, Provincialem de reditu interpellem. Cujus rei T. A. certiorem facere volui &c.

Pax quam Regi gratulatus fuit Episcopus, serenitas erat fallax, quam procella vehementior excepit, Bonaurensi prætori, antequam discederet, suspecta, & nonnemini significata. Forte sperabat, incœptum novi Prætoris studio solidandum. Sed non diu fuit, quin se nosset electione deceptum. De restituendis Jesuitis Legati silentium mirandum erat. At nullum hac de re acceperat pro Rege mandatum, & noverat, id negotii connitente Episcopo cordi esse Platensi Curiæ. Seditio recrudescit.

Et quidem, ut literæ Coadjutoris datæ 4. Novembris anni præcedentis acceptæ fuerunt, D. Petrus Vazquez de Velasco Fisci Patronus de his ad Senatum retulit, qui ex fiscali sententia mandata expedivit. Decretum hoc cum Documentis insertis habes ad hujus Historiæ calcem. Illud in Velasci petitionibus mireberis, D. Didacum de los Rejes convictum supponi delictorum, quorum ab inimicis accusatus erat; legitimam judicari Jaguaronis parochi destitutionem; publicatumque jure per Antequeram D. Augustini de los Rejes patrimonium, ordinationis sacræ titulum. His respondit Episcopus literis 25. Maji, quarum supra memini, inter Documenta reperiendis. Curiæ decretum.

Mirum quidem est, Velascum de Antequeræ rebellione differentem & de Jesuitarum exilio, periode atque de incœptis nulla ratione probandis, planeque absurdis, nihil injurium suspicatum in actis contra D. Didacum, D. Augustinum, & Jaguaronis parochum deinceps ex lege vindicatum. Sapiunt hæc Curiæ Platensis erga Antequeram, quem legitimum Paraguai Prætorem usque censebat, studium, cujus causa rerum Paraguaicarum cognitione a Prorege interdicta demum est, ut mox narrabitur.

Sed severissime Antequeræ imputantur Senatus Consulto articuli duo supra memorati, interpretatio prava decreti decima tertia Martii 1723. lati; & indigna ratio qua sunt habiti PP. Ribera & Dusus in castris D. Balthasaris neophytorum causa reperti, & capti. Illud etiam imputatur, hæc agendi causas Curiæ celatas fuisse. Sed jam Antequera procul Assumptione mandata exequi non poterat, quæ tamen prius novit, quam præsens noset.

Nuntius enim, cui credita erant, Cordubæ cunctanti ea tradit, alteri licet inscripta. Audax Antequeræ factum. 1726-29.

Fa-

(a) Mariscal de Campo.

Digitized by Google

Faſciculum reſignat ille, lectumque plicat iterum, incluſis ad amicos litteris, quibus agenda deinceps monuiſſe, pronum ad fidem eſt. Illud eſt certum, Epiſcopum, cui Curia Civitati mandata communicaverat, poſt acceptata a Clero, Sæculari Conventui denuntiaſſe, ut morem gereret. Conceſſit ille primo; ſed Clerici duo Antequeræ partes ſecuti, ſic animos ſolicitarunt, ut cum deliberandum fuit, intercedendum acriter apud Curiam plerique ſenſerint. Itaque hujus Tribunalis authoritas, tanti olim uſus contra Proregis mandata, ex quo inutilis viſa eſt rebellioni ſuſtinendæ, obſervari deſiit.

Fertur Jeſuitas redire nolle.

Illud ex iis commodum accidit, ut plures, quibus perſuaſum erat, non invita Curia Platenſi Socios exactos, errorem deponerent. Tunc vero Patrum adverſarii, ut petentium reditum os obſtruerent, eos nolle vulgarunt, nequidquam a Curia mandata dari. Id cum pluribus perſuaſum eſſet, P. Rocca per literas ad Proregem & Curiam datas, impoſturam eſſe proteſtatus eſt. Quin etiam Prætorem Paraguai convenit, numquod mandatum de ſe accepiſſet, quidquid ſe vellet vel ſuos Prorex, factum iri.

Negavit D. Martinus de Barua, quidquam ſibi a Prorege mandatum de Patribus Societatis. Sed vulgata Provincialis conventio adverſum coercuit rumorem. Mox acrius, quam quod a Curia delatum erat, a Prorege mandatum de reſtituendis ſociis advenit: quod dum expedivit, fortaſſe ignorabat, quid eſſet decretum a Platenſi Curia: certum eſt enim, prius inhibitum Curiæ de Paraguaicis rebus judicium, quam mandatum expediret Prorex. Idque ex curiali reſponſo ad Roccam ſatis conſtat.

Novus Paraguariæ Prætor.

Diſtricto Proregis Imperio in anguſtias redactus eſt Prætor, cujus de Jeſuitis nota erat opinio: qui commentario deinde memorando jam inſudabat, ne tamen apertas gereret inimicitias continebat ſe. Magis arctatus eſt, cum e Peruvio per litteras amici novit, iratum eſſe Proregem, quod nec vota nec mandata ſua de reſtituendis Jeſuitis penſi haberentur, ſeveriſſimas pœnas minatum eſſe adverſantibus. Fortaſſe jam Baruæ notum erat, de prætura quam interim obtinebat, a Rege conſtitutum eſſe, & a Lima nihil timentem Proregis mandata impune poſthabere poſſe, aut cunctando ludificari.

Quid hominis eſſet? Quæ ejus conſilia?

Illud eſt certum, fruſtrata prima Philippi V. diſpoſitione, ancipitem Baruæ ſortem amplius anno prorogatam eſſe. Prætor conſtitutus a Rege erat D. Bartholomæus Aldunate, in Bonaurenſi præſidio equeſtris turmæ ductor, homo a conſiliis, quale recens miſerat in ſpem magnam ad Indiarum Senatum. Jeſuitarum opulentiæ, & Paraguaici imperii ſpecie infatuatus affirmaverat, ſe inveniſſe tandem theſauros tandiu quæſitos. Scribentis confidentia pluribus impoſitum eſt, quorum rogatu conſtituitur Paraguai Prætor.

Ut tabulas accepit, Indiarum Senatui conſilium expoſuit, cujus hæc erat ſumma (a). 1. Ut in Jeſuitanis Reductionibus Hiſpani *Corregidores* ſtatuerentur: ubi centum & quinquaginta Indorum millia, ærario ſterilis multitudo, erant. Conrectores vero vectigal exigerent, quantum in Peruvio. 2. Ut liberum eſſet Hiſpanis cum Indis commercium: ex quo Regi pollicebatur præſidio Bonaurenſi, & Chilenſibus copiis ſuſtentandis neceſſaria. 3. Ut Aſſumptione telonium collocaretur, quo fructus vectigales importarent Indi, Sanctam fidem venum transferendo (b). 4. Ut Conrectores inquirant de vectigalibus antehac debitis: de quo tamen Prætores judicent.

Mandata regia.

Hac de re Martii 27. 1726. conſultatum eſt coram Rege, qui Maii 24. mandata Prætoribus Paraguai & Fluminis Argentei expedivit, ut in ſua quiſque ditione ſecundum leges Peruvio imminentes tributa exigerent, cauſaſque non exactorum inveſtigarent exponendas Proregi, qui facta probaret, Prætorum rationibus invigilaret, atque mandatorum executioni.

Prætor abrogatur.

Cum hæc mandata Bonis Auris accepta ſunt, Aldunate Prætor eſſe deſierat. Inauſpicato caſu primo ſuſpenſa, deinde revocata proviſio fuit. Hinc D. Martini de Barua præfectura uſque ad novi Prætoris adventum perennabat: & Jeſuitas reſtituere cunctando, æqui & boni ducendum ſperabat, quod iterata rebellione provinciam liberaſſet.

Moventur fines præturarum.

Inveriſimile eſt, rumori eo tempore vulgato, Regem clade Roſii, & Jeſuitarum exilio lætum præmia parare authoribus, fidem præſtitiſſe. Verum ceſſavit rumor accepto regio diplomate, ut Socii protinus in collegium revocarentur, & Paranæ Reductiones ex Paraguaica in dictionem Fluminis Argentei ſimul cum Uruguaicis concederent.

Quid Sociorum reditum moraretur.

Interea Proregem de colloquio cum Barua certiorem fecerat Provincialis Rocca. Epiſcopus ſimul de novis, quæ in dies movebantur, obſtaculis expoſtulaverat. Senatores urbani Dionyſius Otazu, Andreas Benitez, Joannes Cavallero de Añaſco, & Martinus Chavarri, in eandem cum Epiſcopo ſententiam convenerant. Sed per adverſantium partes acta nova miſſa ſunt ad Proregem atrocibus calumniis referta, ut obſtaculis abſterritus, incœpto deſiſteret. Spem fefellit eventus; nam poſtquam Epiſcopo & Senatoribus reſpondit, ſtudiumque probavit, ad Baruam litteras dedit, quæ ſequuntur.

1727-29. Prorege litteræ.

„ Dum Patres Societatis Aſſumptionis colle-

(a) Vide Philippi V. decretum 28. Dec. 1743. initio. *Charl.*

(b) Scilicet, ut vectigales fructus longe a meridie ad boream convehantur multis & imperviis itineribus, ut rurſus ad meridiem per paria diſcrimina, imo & majora reportentur in gyrum. Vah inſani capitis conſilium!

Digitized by Google

legio ; unde per vim , & sacrilegum D. Josephi de Antequera ausum , expulsi sunt , restitutos credideram , audio nondum id mandatorum perfectum esse : artibus videlicet quatuor , sexve adversantium , qui pacis & tranquillitatis specie pervicaciam fucant . Posthabenda tamen omnia Societatis restitutioni , quæ tot infideles ad catholicam religionem convertit , & tam indigna ratione habita est . Fac igitur , ut simul atque has litteras acceperis , quo par est honore restituantur . Decet enim , publico dedecore pulsos ita recipi , ut clari honor cœtus plane reparetur ; populoque inspiretur cultus & veneratio merito non dispar . -- Hæc mandata nota fiant P. Ignatio Ortega (a) Societatis in præsentia Provinciali , simul & dies executioni destinatus : denuntiata vero urbano Conventui ad memoriæ perennitatem deponantur in publico tabulario : Siquis intercessione , aut quaqua ratione directa vel obliqua restiterit , vacatione muneris indicta , ejusque occupatis facultatibus , vinctum sub fideli custodia suis sumptibus ad me mittito . Idque habeto , mandatum esse , quod interpretatione nulla , excusationeve licet eludere . Ad perficiendum facultatem necessariam confero , & ad cancellanda statuta quævis contraria , in regestis forte descripta . Vale . Limæ 3. Septembris 1727. -- Marquio de Castelfuerte . -- D. Josephus de Muxica Srius a Rege & Camera-lis . "

1728. 29. Sociorum reditus. In reliquis ad Episcopum , & Senatores litteris singulorum studium commendabat Prorex , & D. Martino Chavarri , qui simul erat militum tribunus , potestatem fecit , ut Prætoris suppleret vel impotentiam , vel negligentiam . Harum omnium litterarum geminam D. Brunoni Mauricio de Zavala copiam fecit cum mandatis , ut opem seu Prætori , seu tribuno militum conferret necessariam . Recta missas Episcopus ipse , cui fasciculus superscriptus erat , distribuit 13. Februarii 1728.

D. Martinus de Barua non poterat , nisi larvam abjiceret , non obedire : & quod vi fiebat , sponte facere visus est . Episcopo ait , Excellentissimi Proregis voto satisfactum iri . Atque excipiendis Jesuitis proximam Mercurii diem 18. Martii constituit . Tribuno Militum mox indicit , ut urbanum Conventum apud se convocet in crastinum , septimam inter & octavam matutini horam . Ut omnes convenerant , Regius Tabellio legit Proregis litteras , quibus citra deliberationem acquieverunt cuncti , data fide facturos quidquid Prætor præscriberet . Submissio in tabulas relata est , quibus subscribendis unus Urrunaga primum difficilem se præbuit . Deinde gemina subscripsit exemplaria , alterum Proregi mittendum , alterum Provinciali Jesuitarum , quod accepit die 17. , atque per eumdem nuntium respondit , paratos esse collegas , Rectorem longius abesse , quam ut postridie convenire posset , subiturum se vicem ejus.

Eodem tempore tribuno militum negotium datur , ut biscentum equites , hastatorum cohortem , & prætorianos postridie mane hora sexta ante civitatis portam stare jubeat ; atque Majori Accenso D. Antonio Gonzalez Guerra , ut binas peditum turmas expediat , & tormenta bellica paret.

Postera luce 18. constituta hora Prætor curru vehitur sequentibus prætorianis & equitatu ad Episcopum , qui & currum conscenderat , additis carpentis tribus , quorum altero vehebantur Provisor D. Antonius Gonzalez de Guzman , & Doctor D. Joannes Gonzalez Melgarexo Canonicus (b) : vacua duo reliqua erant . Diverso curru ferebantur ejus anni Consul primarius , & Tabellio Regius D. Joannes Ortiz de Vergara . Complures de primoribus civium equo præiverant in locum ordinandis copiis destinatum . Inde ad Collegii sacellum a S. Laurentio , quatuor distans leucis , quo reduces Jesuitæ diverterant , iter fit .

Circa horam nonam a sacello mille passus obviam procedunt Socii Episcopo & Prætori , a quibus in pedes excepti sunt . Post alterna officia , in currus se recipiunt , Provincialis cum Prætore , Missionum Præfectus cum Episcopo . Reliqui in carpenta vacua & rhedam alteram distributi . Post preces in prædii sacello , in hospitium succeditur ad prandium . Hora secunda pomeridiana iter eodem ordine repetitur . Tertio ab urbe lapide , ubi Prætores excipere mos est , urbis & provinciæ senatus aderat . Hic iterum currus officiorum gratia vacuantur . Inde mulos vel equos universi conscendunt , præcedentibus Jesuitis cum suo Provinciali .

Urbem ingressi machinarum bombo salutantur . In platea , quæ propter Cathedralem est , equitatus erat instructus , & frequentissimi populi turba . Ante porticum , in qua Capituli Decanus D. Sebastianus Vargas Machuca , Archidiaconus D. Mathias de Silva , Regularium Præsides cum suo quisque cœtu , & Clerus superpelliceis indutus expectabant , equo descendunt . Solemne carmen gratulatorium concinitur . Post preces Episcopus pontificali habitu Venerabile Sacramentum in pyxide collegii eo translata e tabernaculo extractum restituit supplicationis ritu , ordinatis hinc inde copiis , & militaribus tympanis , universoque civitatis ære campano resonantibus .

Provincialis Episcopo , Prætori , & primis de comitatu gratias habuit . Tradito collegio Prætor apud se recipitur , nec permisit ab ullo Sociorum deduci : haud aliter atque Episcopus , qui illum & coloniæ principes ad solemne sacrum a se postridie celebrandum in collegii templo , & ad epulum in refectorio invitavit . Eadem die 19. exscribuntur rerum gestarum acta , postridie in urbano tabulario deponenda . Die vigesima quinta Jesuitarum Provinciali actorum copia fit.

Dum hæc gerebantur , venit Assumptionem Ju- 1725. 29. Antequera Cordubæ.

(a) Arteaga.

(b) Deinde Episcopus Chilensis.

Digitized by Google

Judex a Prorege, de iis quæ Antequera gesserat in provincia, quæstionem habiturus. Sed prius quam causæ tramites, famosi Rei, oportet referre casus. Secundo flumine vectus decem supra (a) Sanctamfidem leucis descendit, unde pene incomitatus insequentium manibus elapsus est, & per devia Cordubam tenuit. A civium primoribus salutatus citus adversus Jesuitas avolabat, sibi ut plurimum haud constans: quod a pluribus malo suo notatum est. In illos etiam scripta per Tucumaniam diffamavit, sed explosa, & a S. Officii Vicario suppressa.

Abditur in cœnobio.

His quædam addidit, quibus, in contemptum vulgo venit. Templa frequentabat, nunc indutus curiali toga Fiscali Indorum Protectori consueta, nunc habitu militari prætoritiam virgam manu gestans, & honores captans his muneribus addictos usu. Hæc tamen brevi cessavunt, & intra cœnobium S. Francisci abditum se continere oportuit, postquam de se capiendo mandatum pro Rege latum esse novit, asylumque custodibus obsideri. Ad Marchionem de Nero Provinciæ Prætorem, ingenio similem, mox imperio privatum, litteras dedit Saltam, ne Platam eunti obsisteretur.

Proscribitur.

Votis annuit Prætor, qui & D. Ignatium de Ledesma Cordubæ præfectum, si obsisteret, minatus est. Ille vero superioribus mandatis instructus, nihilo magis abstinuit. Quinetiam scutorum tria millia Cordubam ad Antequeram missa intercepit, ad D. Balthasarem Garcia Ros, cujus erant, remittenda. Prædæ pars erat, quæ de Legati bonis in castris ad Tebiquarim cesserat Antequeræ. Casum hic acerbe tulit, minus quidem quam Lupii Carballo fugam, quo a secretis utebatur, quique deinde plura adversus eum coram Ledesma, & coram Regio Bonis Auris Scriba manifestavit. Haud ita post monitus in asylo est, pro Rege mandato, quod solemni tubarum clangore per compita promulgatum Cordubæ fuerat, se proscriptum esse, scutis quatuor mille promissis vivum tradenti vel mortuum, bis mille latebras indicanti, & ad capiendum auxilianti: quæ jam apud argentarium Franciscum de Villamonte deposita erant.

Platam evadit.

Eo nuntio in secreto novitiorum recessu se continuit, ubi diurna etiam lux suspecta, & minimus rumor pavori erat. Incommodius accidit novum a Lima mandatum, ut e cœnobio, locove sacro traheretur vi; quod non prodesset asylum læsæ majestatis reo. Tunc demum perditum se credidit, nisi eluderetur. Fama est, nocte prodeuntem custodibus innotuisse, a quibus monitum ducem dissimulasse. De reliquo fugam ita celavit, ut obice nullo venerit Platam (b).

Curiam sui patrocinium susceperum ratus erat; certe in ea urbe nihil non fore tutum: & comparere jussus indecora se sistit confidentia. Numquam ratione excusaret in Paraguaria gesta, rogatus a Præside, negavit se quidquam egisse, nisi Curiæ mandato. Quid? reposuit Præses, ut Patres e collegio pelleres, ut contra Regem præliares, ut tot Indos Hispanosque gladio interficeres, Curiæ mandatum fuit? Respondere nitenti silentium indicitur. Deinde compeditus traditur Correctori Potosinum portandus. Limam mittitur.

Potosinus Corrector, cui creditus erat, libera custodia contentus reprehenditur, quare in arctiorem transtulit Antequeram, ubi jam vinctus erat Joannes de Mena Assumptionis primarius Apparitor, & ejusdem factionis alii, qui pari fiducia Platam convenerant. Antequera vero nondum se purgandi spe dejectus, in Jesuitas invehi non cessabat. Cum de Limam mittendo accepta sunt mandata, custodiam petiit Jesuitarum ne accusatorem haberent, insidias veritus. Cui Corrector ait: Custodes oportet sint, non ut insidias vitaveris, sed ut te custodiant.

Perpetuum de via sermonum argumentum metu Jesuitarum vertebatur, ne Limam perveniret; scutis ter mille corruptum esse grassatorem; suas ad Proregem intercepisse litteras semel iterumque. Franciscanorum Commissario casu obvenienti tertias tradidit propria manu reddendas, quas dum legit Prorex, ait Commissario, binas priores Antequeræ litteras acceptas esse, de quo pariter atque de monstris aliis quæ mente conceperat, ex vano suspicionem illius esse. Acceptis se non respondisse, quod reum id officii a Judice suo spectare non decet.

Limam pervenit Aprili 1726. affluente populo eum videndi studio, qui Paraguariæ regnum affectasse ferebatur; Famæ quidem dederat ansam: nec sane liquet, quid rei futurum esset, si Zavalam aditu prohibere, & Reductiones occupare potuisset. Falsum est tamen *Dom Josephi Primi* Paraguariæ Regis titulo usum esse. Marchio de Castelfuerte in Regiam conjici jubet Custodiam, ubi parem atque in hospitio instructo quinque annos vitam egit, nec tantum urbem circumcursare licebat, sed rura. Testisque mihi est vir conspicuus, ad rusticandum sæpe a se rheda donatum. 1726.-29. Limam pervenit.

Multi mirabantur, quod ea libertate ad evadendum non uteretur. Sed præterquamquod oculis prope observabatur (& Prorex pro- Ejus tranquillitas.

(a) Imo infra, in ora cui a Rosario nomen est, ubi currus parati erant a D. I. C.

(b) Ex eo fama fuit Londino Matritum singulari nuntio translata, Peruvii regnum a Rege defeciſſe, Proregem ad S. Francisci confugisse cœnobium, in summo discrimine rem esse. Philippus V. mille militum auxilium ex tempore transfretare jubet. Sed literis primum P. Berson Paraguajensis ad P. Hieronymum Herran tunc forte Matriti agentem exhibitis, dubitari cœptum; deinde notum, non alio quam Antequeræ casibus niti famam. Eum esse Peruvii Proregem, S. Francisci confugio receptum. Ut appareat quanti sint rumores primi Oceano loti, quanti etiam secundi & posteriores a primis derivati.

Digitized by Google

proculdubio evadendi vias occluserat); certum judicabat, nihil esse quo convinceretur. Quinetiam id palam Archiepiscopo (*a*), Marchionis de Castelfuerte antecessori, cui probe notus erat, testatus est. Miranti, cur non consuleret sibi, respondit se esse insontem, facturum ut accusatoribus, hostibusque detraheretur larva.

Nitebatur confidentia, cum libellorum actorumque numero & arte; tum eloquio & ingenita quidlibet persuadendi vi. Spargere cœpit in vulgus, intentarum adversum se criminationum causam esse, quod Platenses Curiæ ad Reductiones Jesuitarum visitandas authoritate munito, privilegia illi objecerant. Et hæc quidem fama sic invaluerat Limæ, ut multis post annis censeretur indubia (*b*). Ex eaque D. Antonius de Ulloa in *Relatione Historica Itineris ad Americam Meridionalem quosdam Meridiani gradus metiendi causa*, Paraguajensium turbarum originem repetit. Literis Catholici Regis mox transcribendis sententiam mutasset Cl. Author, tanti de cætero æstimandus, quem non unum disseminatus ab Antequera fefellit rumor.

Sed quia plus ab Episcopo Assumptionis sibi timebat, quam a Jesuitis, quibus Limam reddebat infestam; eum sibi conciliare contendit, & ex accusatore facere patronum causæ. Literis 4. Augusti 1726. e custodia datis, queritur de iis quæ contra se scripserat, & res suas pro virili probat. Sed Episcopi responso cum literis edito, non aliud forte plus reo apud judices & partium studio liberos nocuit (*c*).

Prorex rem veritus, qui majorem urbis primariæ partem seduxerat, & suis addiderat partibus, alio judicium divertere nitebatur: & antequam vinctus Limam veniret, a Rege ut in Hispania judicaretur, petiverat. Philippus annuerat; sed nova deliberatione ad Castelfortium literas dedit 11. Aprilis 1726., quarum summa est (*d*):

Regis litteræ.

Post narrata D. Josephi de Antequera & Castro gesta, & ex iis nata incommoda, Rex addit: „ Pacata jam per Prætorem Bonaurensem provincia, ut ex literis D. Josephi de Palos Paraguai Episcopi Coadjutoris refcitum est, & totius mali summa in primum authorem, & compartium paucos redacta, deliberatum est, tot delictorum cumulum in eum tantum cadere posse, qui cupiditatibus obcæcatus humanas ac divinas leges conculcare audet, ut imperium servet, motus excitat, patrat enormia, quorum illud non minoris momenti est, tot infidelium conversione conspicuam Societatem exterminasse. Et licet forte sit, quo gravitas minuatur quorumdam delictorum, nihil est tamen, quo læsæ majestatis crimen extenuetur: nihil proinde quo author & socii pœna capitis & bonorum publicatione liberentur. Puniendos in regno ubi delicta commissa sunt, ad exempli celeritatem. Posthabenda mandata 1. Julii 1725. de Antequera cum actis in Hispaniam mittendo. Ex Limani Senatus consulto judicandum. Causam delegato committi posse. "

Quia nondum noverat Philippus, Antequeram esse captum, ait, nec promissis parcendum nec donis, ut Judicibus tradatur, ac tandem subdit: „ Cum ex eo tot mala orta sint, quod Curia Platensis, monita licet ab Aschiepiscopo pro Rege, Paraguai præfecturam post Didacum de los Rejes Antequeræ destinatam esse, hunc illius quæsitorem contra expressam legem renuntiaverit, inquirendos, suspendendos, judicandos prævaricatores. "

Actorum ordo.

Ut hæc mandata Prorex accepit, objectas criminationes examinandi provinciam commisit Limani Senatus Auditori notæ probitatis & sapientiæ. Sed quia plures articuli capitales, nisi in locis ubi facta contigerant, non poterant expediri, Quæsitorem in Paraguariam mittendum constituit: eamque provinciam tradidit extremo Septembri 1727. D. Matthiæ Angles, qui Cordubæ tunc præerat, deinde futurus Tucumaniæ Prætor. Cum mandatis potestatem fecit rebellium bona publicandi. Illudque maxime commendatum est, ut Raimundum de las Llanas, & Sebastianum Fernandez de Montiel in judicium vocaret, traditos in custodiam: ac de quæsitis majoris momenti triginta ut minimum audiret testes.

Assumptione Commissarius.

Post biduum quam venerat Assumptionem, Llanas & Ortiz de Zarate populum adversus eum solicitarunt, sed impavidus universos in officio continuit. Accessit haud ita post Montiel, clam tamen. Capto Raimundo, Ortiz disparuit, & quæstio summa tranquillitate habita est. Testes recusarunt rei quotquot libuit; sat nihilominus reliquorum fuit ad præstitutum numerum. Et Commissarius officio civium approbatione defunctus decessit Majo 1728. (*e*), Raimundo male custodito, mox enim e castro, quo tenebatur, venit in urbem,

(a) D. Didacus Morcillo de Auñon, postquam bis Peruvium pro Rege moderatus erat, obiit 11. Mart. 1730.

(b) Post annos videlicet 16., cum D. Antonius de Ulloa, cum sociis post Quitensem commorationem divisis Limam venit. Falsus quidem fuit rumor de mandato speciali Reductiones visitandi, ac de objectis privilegiis; sed quo mandato vel ratione fuit Prætor, Reductiones visitare potuit suæ ditionis. Ne diverso mandato, aut potestate D. Didacus de Los Rejes sub Antequeræ adventum eas visitabat.

(c) Binas literas has vide in Documentis.

(d) Et has literas vide ibid.

(e) Circumfertur libellus de rebus in Paraguaria gestis per D. Matthiam Angles Gortari, ut ab eo subscriptus, sed plane commentitius, & qui magis Baruam sapit. Si veram D. Matthiæ sententiam continet, non ad Tribunal S. Inquisitionis clam mittendus, ut fit; sed ad Proregem apud quem capitalis causa vertebatur, ut Antequeram adhuc in vinculis viventem servaret.

Digitized by Google

bem, haud aliter atque Montiel e latebris in lucem, dissimulante Barua Prætore.

1728-30. Novus Paraguariæ Prætor.

Monito Proregi persuasum fuit, Prætorem alium desiderari pro Barua, cui succedere jussus est D. Ignatius de Soroeta, Cuzqui regimine, quod cum laude gesserat, defunctus. Id erat timendum, ne mutatione seditio integraretur. Ferdinandus Mompo Limani carceris muro superato Assumptionem venit, litteris ut suspicio fuit Antequeræ instructus, cujus amicis certe advena acceptus fuit, id adnitentibus ut civitate donaretur. Causidicum se ferebat, in dubio an jurisprudentiam salutasset. Sed audacter sententias pronuntiabat, eam in primis, supra regiam esse potestatem Communitatis. Quæ, ut erat animorum fermentum, pronis auribus a quibusdam accepta fuit, multa cum Advocati laude.

Communis factio.

Eo rerum statu cadente anno 1730. de Soroeta præfecto venit nuntius; qui primo factiosos commovit; brevi per Advocatum tranquillandos. „ Communitatis nomine, ait ille, novus Prætor refutandus est, ut singulis impune sit. " Consilio probato, bifariam divisa est civitas. Factioni nomen a *Communi* datum, reliquis a *Contrabando*. Factiosi semetipsos *Communeros*, reliquos *Contrabandos* appellabant. Cum illi quippe audaciores dominarentur, non alium a D. Martino de Barua Prætorem se velle palam edicunt.

De excipiendo Prætore simulatio.

Interea novi Prætoris litteræ Sanctafide datæ, quibus adventum nuntiabat, Assumptione accepta sunt. Propriis Soroetæ prudentia & urbanitate scriptæ erant: & eodem fasciculo continebantur litteræ Proregis ad Senatum urbanum, & magistratum gerentes. Utrisque pro Curia lectis, Baruæ sententia fuit, nullo contradicente, ut novus Prætor admitteretur. Quinimo ablegandos constitutum est, qui adventantem obsequio prævenirent. Hæc tamen fiebant ludo. Soroetæ vias obstrui, & Raimundum atque Montielem suburbana circumcursare, animos solicitare, Baruam non latebat ignoranti similem.

Episcopi monitum.

Diœcesim eo tempore lustrabat Episcopus; sed de insurgente motu certior factus, in urbem se recepit die Regis natalitio 19. Decembris. Sacris ritu pontificali peractis, Prætorem coram frequente Canonicorum, parochorum, & civium cœtu monet, constare satis, motus invalescere exitiales: Mompoum arcium præsidia contra Prætorem a Prorege missum commovere: D. Bernardum Martinez, & Ignatium Pereiram, quorum ille in valle Tabati præerat, hic *Aracuagua* (*a*) arcem tenebat, copias cogere consilio nulli ignoto.

Techna Baruæ.

Frigide respondit Barua, nihil eorum sibi notum esse; ac de Mompoo quidem & Pereira, imponi proculdubio. Episcopus simul cedit atque ait: *Haud ex vana me loqui, cito videris*. Infra biduum nuntiatum est, eos quorum fides indubitata Baruæ fuit in urbem circentum armatis stipatos adventare. Qui prohibeat accessu, mittit Prætor; sed mittit factionis studiosissimum, cujus illi pensi non habent interdictum. Quædam habere se respondent, quorum certiores Prætorem Senatumque facere oporteat, & ire pergunt.

Vigesima octava Decembris urbem ingressi sunt, & a Barua recedere jussi clamant, nec Soroetam se velle, nec Prætorem alium ab ipso. Scripta quædam intulerant; deinde vulgata, Proregi, Episcopo, Jesuitis acerba, & effræni furore dictata. Constitutum primo erat a rebellibus, ut Otazu, Cavallero de Añasco, Benitez, & Joannes Gonzalez Freire consilio interdicerentur. Sed opus erat consensu Prætoris, qui sibi nunc demum imputavit immodici mali progressum.

Prætura abdicat.

Ut gradum e præcipitio tentaheret, non aliud in mentem venit, quam ut se abdicaret magistratu. Insontem ex eo se fore ratus, nec suspectum, quod rebellionem secundasset ad retinendum imperium. Malum remedio recrudut: & quod erat intentum, nulli persuasum est. Partium studio liberrimi objectis incommodis anarchiæ, ut erat status reipublicæ, ne imperium nisi successori traditum deponeret, tentati sunt; neminem posse, etiam ex sententia factionis, demissionem acceptare, aut novum Prætorem constituere.

His nihilo magis motum convenit Episcopus cum Canonicis, Parochis, Ordinumque Regularium S. Dominici, S. Francisci, S. Mariæ de Mercede (*b*) præfectis, quorum omnium votis abnuit. Episcopo bis regresso totus cedit, dum constet, neminem obstiturum pro Rege misso successori. Conditionem a Communi refutandam noverat: idque adnitebatur, quod deinceps exprobravit Soroeta, ut Episcopum compelleret ad negotium suscipiendum, quod præter spem erat.

Tumultus ingravescit.

Sic fidem suam probandam ratus est. Sed notior res erat, quam ut quemquam falleret. Interea tumultus ingravescebat: & seditiosi moderatoris defectum causati, per quem videlicet Superiorum Potestatum averterent iras, Baruam vi solicitant ut recipiat imperium. Quod non assecuti, connitenti Episcopo promittunt, Soroetam accepturos, ea tamen lege, ne de rebus gestis institueretur quæstio. Data & accepta fide, ad audiendum sacrum, quod parabat Episcopus, concedunt. E templo furor, quo nunquam major, exarsit sermonibus quorundam incendiariis.

Una voce clamant, Soroetam abigendum, retinendum Baruam, abrogandos Senatores quatuor a Zavala restitutos. Episcopus ut Con-

(*a*) *Arecuaqua*.

(*b*) Quotquot videlicet in Paraguaria Regulares erant, præter Jesuitas.

Digitized by Google

Consilium secundaret instigantes rejecit indignatus: ac denuo Baruam urget, ut usque ad successoris adventum Prætorem agat; sed incassum. Nullius imperio cohibita factio, nullius imperio cohiberi vult. Otazum, Freirem, & alios de fidissimis regiæ fidei cultoribus in vincula conjicit; quorum sortem Ramirez antevertit fuga. Saldivon (a) Militum Tribunum constituit, & Majorem Accensum Franciscum de Roa. Consules anni sequentis rogavit D. Josephum Barreiro, & Petrum de Bogarin, quibus fidebat maxime, quos tamen haud satis noverat.

Tandem Episcopus post adhibita quæcunque zelus & prudentia ad amoliendam pestem suggesserat, ad metumque dissipandum, quo veniam desperantes ruebant in præceps; oblata etiam ad securitatem fide publica iis, qui ad Hispaniam, Limamve transmittere mallent, & literis ad Regem vel Proregem, a quibus rerum gestarum impetrandam oblivionem spondebat, post objectam cæcorum oculis certam, ni resiperent, perniciem, & minimam e rebellione spem; furentes mœstus deseruit, undique clamantes, Jesuitas iterum, & desperato reditu, exterminandos.

Nihil erat a factione tutum, etiam factiosis, nihil non rapinis obnoxium. Quod cum diu perennare non posset, turbarum principibus, ut urbem aliquandiu cum rure commutarent, persuasum fuit, necui videlicet imputarentur gesta per vim. Prius tamen quam abirent, prætorium ad securitatem, ut illi quidem ajebat, custodia cingunt, atque civilis Consilii Curiam, ubi inclusos tenebant novos consules, senatoresque Arellanum, Chavarrium, & Michaelem de Garai, eoquod Jesuitarum improbarent exilium, quanquam eorum aliqui libellos quosdam famosos adversum eos subscripserant.

Soroetæ adventus. Interea D. Ignatius de Soroeta ad Tebiquarim pervenerat, ubi literas binas accepit, alteras ab Episcopo, ne incaute progrederetur suadente, alteras a D. Martino de Barua, de iis quæ factio moliebatur admonente. Huic officiose respondit, sic tamen ut non innoxium fore significaret, si Prætor arceretur pro Rege missus. Inde Soroeta concedit ad S. Michaelis (b), quo venit simul D. Stephanus Fernandez de Mora cum triginta militum manu Villaricæ de Sancto Spiritu conscriptorum, qui ait, ibi etiam turbatum esse, ex quo factio Alphonsum de los Rejes D. Martini de Barua amicissimum, cum potestate miserat, ab incolarum parte repugnantibus cæteris admissum.

Non diu post fidem publicam a Magistratu accepit novus Prætor, qua licet a primoribus factionis non subscripta, Assumptionem iter intendit 17. Januarii 1731. Vix dum Tebiquarim trajecerat, adsunt octoginta milites, specie quidem obsequiosi, revera missi a factione exploratores. Cum tempus non esset retrocedendi, animi præsentiam simulavit, tunc magis cum ad urbem appropinquanti præsidium additur armatorum ad quatuor millia, quorum amorem & reverentiam comitate conciliavit. Sub ingressum, Baruam publice allocutus nulli de honestioribus non se probavit. 1731. Assumptionem venit.

Barua certus, novum Prætorem non admittendum, prætorium non evacuaverat, & Soroeta in privatam divertit domum, quam factio custodia circumdedit, necui non admotis arbitris loqueretur. Eo ventum est insolentiæ, ut cum redderet Episcopo salutationis officium, etiam in Prælati conclave custodes irruperint. Vigesima quinta Januarii, altero post adventum die, in Curiam ad exhibenda suæ promotionis documenta se contulit. Sed nocte proxima novo Prætori conciliatos animos averterant factiosi: eaque stetit sententia, ut urbano Conventu fidem pollicito, *Commune* insurgeret, & seditioso fremitu civitatem commoveret. Factionis insolentia.

Ex sententia res cessit, & novus Prætor, dum domum se recipit, per appositam custodiam intercipitur, & a Communi extra provinciæ fines facessere jubetur. Furentium ausus & vim veritus, reditum parat, diebus non amplius quatuor & dimidio Assumptione commoratus. Semper licet imminentibus oculis observatus, novit plura, quorum certiorem facere Proregem oportebat. Illud maxime tertia Februarii, qua S. Blasii Patroni festum celebratur, Baruam deintegro proclamandum: nec ignoratum voluit, concordiam ipsius & factionis se nosse: nam vigesima octava Januarii, dum vale dixit, subjunxit: „ Simul terga verteris, atque Prætoris receperis insigne. “ Ille ratus non ex mera suspicione locutum esse, præturam recusare constituit. Ad discedendum compellitur.

Quidam Soroetæ salutis affectato studio, ut in Paraguai amne conscenderet, authores erant. Sed consilio parum noto diffidit, & terra quam aqua malle ire se respondit: nec illi replicarunt. Innotuit deinde, insidias esse paratas, ut in Pajaguaës incideret. Indiciis certe delatum est, barbaros de recessu monitos, Prætoris sive occidendi, sive scriptis spoliandi, tempus captasse, Episcopus, dum ejectum retinere nequit, & ipse mutavit solum. Insidiæ parantur.

No-

(a) Forte Saldivar, cujus cognominis fuit eo tempore in Paraguaria familia, ex qua natus est Raimundus Saldivar, qui in bello Colonienſi, de quo infra anno 1735. lembum quo 260. Lusitani ad ostium fluminis a S. Joanne vehebantur, injecto coriaceo laqueo tenuit. Quem deinde lembum D. Thomas Hilson Falcone bellico adortus e litore in deditionem compulit. Saldivarem mox eis mare profectum circa annum 1740. mirata est Hispania tauros in medio circo illaqueantem, equinis phaleris sternentem, insilientem, inequitatem. *El Indio* Hispani appellabant.

(b) Villa est armentaria oppidi Sanctæ Mariæ de Fide, ternis, quaternisve a Tebiquari distans leucis, nota supplicio principum factionis: de quibus suo loco.

Episcopi recessus. Noverat quid sibi a rebellibus timendum esset, quod exilium Jesuitarum non approbaret, acerbatis: ideoque cunctantibus, quod cessationem a divinis & interdictum, ex quo Socii excederent, denuntiaverat. Recedendum vero putavit, quod factio censuras & interdictum posthabere decreverat, Jesuitasque, quidquid tonaret, e collegio pellere. Nempe mali, quod avertere non poterat, testis esse noluit.

Vis illata signifero. Male habuit seditiosos recessus hic, & bilem ex eo conceptam in Regium Signiferum egesserunt D. Dionysium de Otazu, qui parum apud se tutus, ad S. Francisci cœnobium confugerat. Foribus noctu vi superatis, ad cubantem in cella penetrant; traditorem patriæ vocant, vexillo spoliant, apud Consulem Barreirum deponendo. Tunc omnia licere rati, fiduciam impunitatis repetunt e remoto provinciæ situ.

Imperium erat penes Saldivon Militiæ Tribunum, penes Consules Senatoresque. Nihil tamen non ex sententia Mompoi, factionis oraculi, & summi consiliorum arbitri, fluebat. D. Martino de Barua, in refutanda licet præfectura constanti, frequenter consulto, non male cum Mompoö conveniebat, operam tamen ille caute celabat. Sed ea valebat gratia, ut quidam de primoribus civium juratum testimonium detrectare ausus non sit, atque affirmaverit, ab Episcopo indicium conspirationis non accepisse Prætorem, quanquam id esse mendacium probe noverat: conscientiæ satis consultum ratus, jure jurando clam revocato, & prolatum esse testans ad vitandum Baruæ stomachum.

Curia forensis. Interea Communi persuasum erat, statuendum imperium regulari quadam ratione: nec ex vano conjectura est, de abolendo Prætoris munere deliberatum fuisse. Cœtum instituit justitiæ vindicem, cujus caput Provinciæ Præses nominaretur: ac de pluribus elegit D. Josephum Ludovicum Barreiro. Ex iis quæ fecerat in Consulatu, factioni probatus erat. Sed ut accepit Præsidis imperium, talem se præbuit, qualis erat, Regi fidum: intentusque ad restaurandam provinciam, eum primo amovere constituit, qui plurimum nocebat.

Mompous capitur. Noverat Mompoum extra urbem ad fœminam conditione vilem, familiaris usus gratia, itare solitum. Redeunti fit obviam non inornatus. Ad quem, opportune ait aderis consilio, ad exauthorandum Correctorem Jaguaronem eunti. Mompous, qui Correctorem oderat, lætus acquievit. Sed Barreirus pro Jaguarone Tebiquarim petit: nec ille parum locorum peritus, inescatusque sermonibus adversus Conrectorem, flexum animadvertit. Nocte Jaguarone procul superveniente, Mompous cœpit diffidere, & tota simul concidit sermonum gratia. Aberratum esse oportet, ait. Sed Barreirus affirmavit, brevi ad viametam perventuros. Nec diu post ad Tebiquarim ventum est. Tunc Præses oris habitu ad majestatem conformato, a Rege jubet Mompoum se captum dedere: qui intercepto sermone Itatim vehitur, inde Bonas Auras, ubi a Prætore Zavala in ergastulum conjicitur judicandus.

Nuntio Assumptionem delato Commune consternatum est, non quod Mompoi fors quemquam solicitaret, sed ne forte revelaret arcana. Quia tamen Barreirus juro factum ostendit, verbis se continuit animorum ardor, Mompoi siquod erat peccatum, expiandum potius intra provinciam, quam Communis hostibus tradendum. Rumores nihil moratus Præses, Regi præstare pergit obsequium: nec ausus est quisquam obsistere, nam qua se gerebat animi constantia, viribus occultis ad emicandum paratis fulcta videbatur.

Mompoi fuga. Erat præterea quod Commune angeret, pervius quam Præsidis agendi ratio: ne videlicet Mompous transferretur Limam, ad Prorogem de factionis consiliis edocendum. Nam persuasum ex vero erat, post confecta Bonis Auris acta, eo translatum iri. Sed Zavalæ vocatum ii, quorum utendum fuit opera, frustrati sunt. Mendozam Chilenæ ditionis urbem vehi primo jusserat, inde transversis itineribus Limam. Illi vero post Mendozam nihil esse timendum rati, rectum iter intendunt, ubi capto libertas redditur, deinde ut fama prodidit est, in Brasiliam elapso.

Novi motus in Paraguaria. Antequam Assumptionem nuntius veniret, haud ægre factiosos continuit Barreirus: & ab Aprili ad Augustum sat tranquilla res fuit. Tunc vero duorum hominum imperanti adversus Præsidem odio ignis exarsit. Nomen alteri Bartholomæus Galvan, alteri Michael Garai. Illum ultionis amor in Barreirum nonnunquam adversatum: hunc movit, quod infestum sibi Saldivon Tribunum coercere neglexerat rogatus. Ambo in Præsidis perniciem conjurarunt.

Barreiri fuga. Hinc violenti orti sunt motus, eoque devenit confusio, ut utrimque in aciem copiæ deductæ sint. Barreirus suos dispartes sustinuit qua firmitate decebat; ab iis tamen traditus, quibus maxime fidebat, in fugam se vertit. Ad Mercedarios primum confugit, sed obsidione cinctus caput peti audit. Facta evadendi copia, in Paranæ Reductionibus asylum quærit. Vestigia nequidquam sequentis solatio fuit quidlibet audendi licentia: Provincialis Curiæ Præses renuntiatus est Michael Garai, cujus ea prima solicitudo fuit, ut amicissimi duo senatorum adderentur numero.

In Jesuitas odium. Barreiri discessu Jesuitæ fulcro destituti sunt, eos tamen insectari Commune cessavit, ne protuendis ex adverso moverentur arma. Igitur adhærentium animis avertendis præludit, spargitque in vulgus, Socios universam Pajaguarum gentem in urbis excidium, colonosumque cædem argento concitasse. Quod ne pronuntiatum temere censeretur, cœnobita quidam & ipse communitarius scriptum vulgavit, cujus authorem asserebat quondam P. Gomez. In eo post Jesuitas Prorex, & alii celsissimi viri, venerandique iniquissime habebantur.

Au-

Digitized by Google

Authoris fluus eum scripto fidem conciliavit, ut honestissimus quisque periculo provinciæ consternatus miraretur, homines tolerasi ejus infamiæ capaces.

Non defuit in amicis generosus, qui calumniam refutaret. Et Militum quidem Tribunus plane renuit in exilii sententiam convenire, non quod Socios amaret, sed ut facti per vim & injuriam esset expers. Ut ultro discederent mallebat: quapropter eos a quocumque molestari facile patiebatur. Domo pedem efferre non ausis extrema erat inopia, fame periturris, nisi quorumdam misericordia clam victus suppeditaretur. Quinetiam id caute providendum fuit, nam undique tenebantur custodia collegii aditus. Cum perseverarent, ad commovendum populum nihil prætermissum est, ut majoris incommodi & periculi metu solum mutarent.

Vulgatum itaque fuit, Indorum exercitum trans Tebiquarim esse, ad invadendam provinciam eorum imperio conscriptum. Exploratores mittuntur, qui pacata esse omnia renunt. A Jesuitis corruptos exploratores consuit Commune: misitque ad Episcopum legatos, ut ad dimittendum id copiarum Provincialem compelleret. Vanam esse formidinem, respondit Episcopus, paratos quidem esse neophytos ad se tuendos repulsa vi, nisi imperarentur cessaturos, donec legitimo cierentur imperio.

Episcopi reditus.

Legatis occurrerat Episcopus Assumptionem redux, si forte post novem abfentiæ menses mitiores essent rebellium animi: & ex capitum dissidio regredienti nuntiatio nonnihil spei conceptit. Proditum simul est, mense Novembri urbem seprsim ingressos rebellium duces, cætera discordes præter Tribuni abrogationem a cunctis petitam, quippe ad Jesuitas exterminandos semper inflexibilis. Sed Tribunus diffidii sui novit, ut imperium retineret.

1731-32. Ecclesiastici quidam rebelles.

Ex eo minus ad spem conceptam profecit Episcopus: quem doluit maxime, ab ecclesiasticis ortum, pacis obstaculum, qui motus paterni excitabant. Quinetiam fuit de cœnobitarum gremio, qui dum Adventum in Cathedrali prædicaret, in Communis elogium excurrerit: quod ibi minus ubi vertigo ingenerat mirandum fuit, quam quod anno sequente contigit Bonis Auris, denuntiato pro concione, Paraguai Commune, seu vindicans libertatem, seu Soroëtam a prætura, nec iniens, nihil in legem Regiæ peccasse. Documentum, quod utor, nomen præterit confessarius: satis tamen indicat P. Joannem de Arreguii Minoritam electum Episcopum Bonaarensem, nec nemore conjecturam esse, dicenda constabit.

Rebelium ad Curiam interpellatio.

Ut ut sit, cadente jam anno, de mutando magistratu deliberari oportuit. D. Antonius Ruiz de Arellano, & D. Franciscus Roxas de Aranda consules creati, quorum primus & Præses renuntiatus, eo potissimum intentus, ut de rebus per Colonium gestis post Zavalæ discessum Acta confecta ad Curiam Præsidemque mittenda, & ut spes erat approbanda. Ea tradidit Bartholomæo Galvan, & Antonio Vaëz, quibus de Ecclesiasticis Communitatis socium se adjunxit D. Josephus Canales, qui a sententia quadam Provisoris ab Episcopo confirmata provocaverat ad Metropolitanum. Hic tamen ut Corduham venerunt, novarquaedam, Assumptionem simul postquam discessere delata, nuntiata sunt, quorum causa sistere gradum oportuit. Ut rei summa principatur, acta Limæ, post quam regia mandata de judicando in America Antequera accepta sunt, repetere juvat.

Supra narravi, in Paraguariam missum pro Rege Quæstionem, ad cognoscenda quæ ab usurpata per Antequeram præfectura conjuraverant. Limam regresso Quæstore, videlicet post Majum 1728, a conficiendo Processu omnium maxime intricato, cum propter innumera documenta legenda comparandaque, tum propter artificiosa rei & sociorum responsa, cessatum non est.

Hinc se insontem judicandum usque adeo persuasum erat Antequeræ, ut felicis causæ progressu incrementum accipere videretur. Mirantibus respondebat, dum esset in Paraguaria, revelatis Jesuitarum astibus & thesauris, Regi obsequia præstitisse remuneranda. In summa, ajebat passim, si causa rite examinetur, cumulabor honoribus: sin aliter, suspendio desurgabor, nec inter medium quidquam est." Hæc sæpe ea Antequeræ ore cepisse, testatus mihi est vir quem sæpe laudavi.

Soroetæ reditus Antequeræ fatalis.

Vocem demisit acceptis per D. Matthiam Angles documentis: sed reditu D. Ignatii, de Soroëta plane coruit. Paraguariæ nihil gubernare credebatur, cum Limæ appareret. Miratus Prorex causam quærit, cui Soroëta post narratas cursim obita, disrimina, significavit Paraguarios motus ab Antequera & Mena verosimiliter foveri. Marchionem de Casa Concha Auditorii Limani Præsidem illico vocatum rogat, ut in curialem se conferat custodiam, & Antequeræ scripta colligat. Quædam nullius momenti relata sunt. Num marsupia scrutatus esset, quæris Proreæ. Negat ille. Radices infusus, & omnia rimari, litteras invenit, quarum lectio, ut ex Prorege facto conjectura est, Soroëtæ suspicionem confirmavit.

Antequera & Mena damnati.

In ergastulum transfoni jubet, & judicia reliqua postabenti quæstionis jam Præsidis, forlicitudine maturata, & pauris post diebus in trique ea significata ei sententia, D. Josephum de Antequera & Castro, seditionis & rebellionis convictum, ac proinde læsæ majestatis, extrahendum custodia equo strato colore pullo, pallio & chlamyde (a) ejusdem, crimina prænuntiante præcone, in publicum fo-

(a) Sagulo potius & capitio: *Chia y capuz* hispanice.

forum deducendum, & ſupra erectum patibulum decollandum, bona publicanda & fiſco addicenda, deductis actorum ſumptibus. Joannem de Mena eorundem criminum ſocium eodem loco, humiliore patibulo, ſtrangulandum.

Ex ſententia Limæ vulgata rumor undique, & de injuſtitia clamor. Sed Antequeræ denuntiata, ut oculis tunc primum develatis, non tantum reus ipſe ſibi, ſed alii quam pridem Jeſuitæ viſi ſunt. Ordinis Prædicatorum Provincialem, qui primus in cuſtodiam venerat, orat ut P. Thomam Cavero, Collegii S. Pauli Rectorem ad ſe vocare velit. Ante ingredientis pedes obortis lacrymis proſternitur, de factis atque vulgatis contra Societatem culpam deprecatur, ſupplicem & catenas trahentem, ſi liceret, iturum ſe in ſingulas Jeſuitarum domos.

Dicta revocat. Rector & ipſe lacrymis temperare impos, jacentem erigit, amplectitur, & cunctorum oblivionem pollicetur. Addit tamen damnum publicum publice reparandum. Æquum id eſſe reſpondit Antequera, conſtitutum ſibi eſſe debitum in patibulo perſolvere. Sed quia mox animadevertit, vocem fortaſſe mortis propinquitate interceptum iri, P. Azpericuetam Dominicanum, qui morituro aderat, petit ut ante executionem, & pœnitentiam & retractationem publicaret (*a*).

Ad moriendum ſe diſponit. Quærenti deinde Cavero, numquod ſolatium afferre poſſet, gratiſſimam ait rem facturum, ſi P. Emmanuelem de Galezan (*b*) ad ſe mitteret triduo vitæ reliquo juvandum. Galezanus erat in ea urbe probatiſſimus director animarum & concionator, etſi ætate minime gravi orbatus viſu. Ab aliis etiam Jeſuitis ſibi notis, dum S. Pauli ſcholam frequentaret, viſitari voluit. Galezano tamem maxime ſe credidit, qui indiviſus adfuit, nec neceſſitate coactus aberat, quin ſtatim revocaretur.

Limæ tumultus. Nihil de reliquo ſanctius viſu, nihil auditu: religioſiſque, qui de more regionis auxilio ventitabant, is unus erat labor, ut a Deo indita ſenſa ſecundarent. Sed cum reus condemnabat ſe, Dei juſtitiæ placandæ, miſericordiæ implorandæ intentus, una erat per vicos & compita in omnis ſtatus & conditionis circulis de injuſtitia vox. Cui, dum viget, habita eſt fides, ſe inſontem, reos Jeſuitas prædicanti, abnegata eſt morituro, ſe ſontem profitenti, de Jeſuitis vulgata revocanti. Quidam Auditorum capitale decretum ſubſcribere noluiſſe ferebantur: & qui ſubſcripſerant, vulgo abominabiles erant. Præſes ab integritate & probitate eo uſque nulli non probatus atque venerandus, atrocibus ſatyris obnoxius ex eo fuit. Jeſuitis pejus quam Judicibus toto Peruvio ceſſit. Eorum odio commendatiſſimam devoveri innocentiam a Protege, erat fama: nec ullibi gentium prodire in publicum audebant.

Antequera ducitur ad patibulum. Ea erat animorum præoccupatio, ut nec viſo Antequera inter religioſorum agmen, nec niſi Galezano fiduciæ documenta præbente, conciderit. Quinta Julii 1731. e cuſtodia tractus eſt habitu ſupra dicto, præcone in eam ſententiam clamante: Ex Regis mandato & ſententia Excell. Proregis & Curiæ, D. Joſephus de Antequera & Caſtro capite damnatus eſt, quod Paraguariæ provinciam ad arma concitaverit, quod eam ſæpe ad rebellionem compulit, atque inobedientiam erga ſuperiorum tribunalium mandata; quod noluit Prætorem admittere pro Rege conſtitutum; quod aciem cum machinarum apparatu duxit contra copias ſuperiori mandato Bonis Auris miſſas; quod conſertis manibus amplius ſexcentis hominibus occidit. Propter quæ, & alia quæ ex Proceſſu conſtant, abſciſſi capitis pœna damnatus eſt. *Quien tal hace que tal pague.*

Motus valeſcit. Seditionem veritus Prorex, Callai præfectum cum præſidii parte venire juſſerat. Nihilominus ut in conſpectum venit Antequera, & forum, & eo deſinentes viæ, clamantium *Injuſtitia* multitudine exundarunt. Mitiores clamabant *Perdon*. Idque vocis e feneſtris etiam podiiſque reſonabat. Converſus quidam Ordinis Minorum, feralis tabulati gradus aſcendit, & manica concuſſa decumanum vociferatur *Perdon*. Mox ſub tabulato ſe condit, ſolido fuſte ſub religioſa veſte diſſimulato. Ad turbam popularem, quæ ad reum abducendum accedere videbatur, Callaënſes collineare juſſi, turbæ immiſtos Franciſcanos duos occiderunt. Fertur & miles in podium ejaculatus Franciſcanum alterum occidiſſe. Illud conſtat, ſub tabulato latentem, viſo duorum caſu, ita fuiſſe conſternatum, ut effuſiſſimo curſu ad pharmacothecam S. Pauli venerit intercepto ſpiritu, fuſte nondum abjecto. Cujus facti præſentem ibi collegam authorem habui.

Plumbea glande cæditur. Patibulo appropinquabat Antequera: ac de iis quæ gerebantur, parum ſolicito ſimilis, a Galezano petit, ut ea ſuggerere pergat, quibus ad comparendum ante Deum Judicem diſponatur. Invaleſcente motu Prorex inter corporis cuſtodes equo vectus accurrit, cujus præſentia procul abfuit ut ſedaretur. Quinimo incrementum accepit; & nonnullos ſaxorum ictus accepiſſe fertur. Morituri raptum veritus ſuſili jactu confodi jubet: tuncque cecidiſſe Franciſcanos duos, aliqui affirmarunt; ac fuiſſe de iis qui Antequeræ auxilio aderant: Id tamen vulgatum eſſe videtur ad Proregis invidiam. Antequera equo vectus eminebat, cum appetitus non devio jaculo fuit. Temere fortaſſe tunc jaculantibus militum aliis, Religioſos de adſtantibus duos pavore lapſos interiiſſe, haud inveriſimile eſt. Galezanum certe

(b) Motus popularis ſequutus Azpericuetæ vocem intercepiſſe videtur.

(c) Salezan lego alibi, non Galezan.

Digitized by Google

te fugientium impetus proſtravit. Utcumque res hæc habeat, conſtat collapſum Antequeram mox inter brachia Galezabi, & P. Philippi Valverde expiraſſe.

Cum Mena decollatur.

Cadaver Proregis mandato in patibulum tollitur, abſciſſumque a carnifice caput populo oſtenditur. Mittit deinde qui Joannem de Mena e cuſtodia trahant; cui ſtrangulando cum deeſſet carnifex, caput amputatur populo monſtrandum. Dum hæc agebantur, nemo hiſcere auſus eſt. Proregis in eo vitæ diſcrimine animi præſentia ſeditioſos compeſcuit.

Plura quæ ſupplicium ſecuta ſunt prætereo; neque enim facile viſum eſt id adnitenti dignoſcere, quid ex vero vulgatum ſit.

HISTORIÆ PARAGUAJENSIS

LIBER DECIMUSNONUS.

ARGUMENTUM

EX Antequeræ & Menæ ſupplicio in Paraguaria ſenſus. Jeſuitæ tertium exules. Trium de factione miſer obitus. Epiſcopi litteræ ad Provincialem. Cenſuras ſuſpendit. In urbe turbatio. Confluentini cum Communi conſpirant. Paraguariæ novus Prætor. De Epiſcopo Arregui. Prætor a rebellibus occiditur. Arreguju Prætor a Communi renuntiatur. D. Didacus de los Rejes abſolutus. Indi ad confinium revocati. Comitiorum diſcordia. Prætor D. Bruno. Funditur poſtrema rebellium acies. Captorum ſupplicium. Epiſcopi naufragium. Revocantur Socii. D. Bruno Chilem petit. Coloniæ obſidio. Novæ Sociorum ſedes. Epiſcopus Tucumaniæ Societatem petit.

1732. Ex reorum cæde ſenſus.

UT erat Aſsumptione rerum ſtatus, mirandi non ſunt Antequeræ & Menæ ſupplicium ſecuti motus. Quæ tunc in urbe, quæ Peruvii caput eſt, gerebantur, Paraguaici phanatiſmi præludium exiſtima. Factionis ſequaces & duces, paribus delictis obnoxii par veriti fatum, in acie quam in patibulo maluerunt mori: a primoque furentium impetu nihil non erat timendum. Joannis de Mena filia, quam Raimundus de las Llanas haud ita pridem vita functus uxorem habuerat, luctuoſum quem vidua portabat, nota genitoris cæde, depoſuit habitum, & nitidiſſima veſte amicta prodiit. Mirantibus negabat, mortem pro patria glorioſam luctum decere.

Jeſuitæ pelluntur.

Undique publicæ libertatis victimarum reſonabat laus, quarum Manibus litandum Jeſuitarum exterminio, conſtitutum fuit. D. Antonius Ruiz de Arellano primarius conſul principio ſuſpectus fuit, eo conſilium celaſſe velut ignotum, ut ſubitæ atque improviſæ populi commotionis effectum fuiſſe perſuaderet. Deinceps tamen judicandi cauſa fuit, occaſionem ſilentio captaſſe, commune factionis conſilium avertendi, fruſtrandique. Id quod tempore quo nihil jam erat cavendum, ex lege confecto documento profeſſus ipſe eſt.

Ad Epiſcopum cum futuris novi anni conſulibus venit officioſe ſalutandum. Poſt luculentam venerationis & ſinceræ pœnitentiæ ſignificationem, ſupplices orant, ut quidquid in eum ejuſque dignitatem peccatum eſſet, obliviſci velit, nec niſi paternæ caritatis meminiſſe, & veniam a Prorege petere, cui paratos ſe ad obediendum eſſe, & ad Prætorem quemlibet ejus mandato admittendum, proteſtari poterat. Orant tandem, ut ad impetrandam cœlitus provinciæ tranquillitatem, novendiales ferias in Sanctorum, qui patroni urbis ſunt honorem & publicas corporum macerationes indicat. Si nondum ex hoc facto revocetur in dubium Arellani fides, illud eſt certum, novos conſules Prælatum & vulgus decipere voluiſſe: & eſſe deceptum facile condonandum Epiſcopo eſt. Jucundiſſimum fuit Prælato urbani Conſilii capita ſic comparata vidiſſe, nec animum ſubiit latentis artificii ſuſpicio. Poſtulata omnia promiſit, & fecit promiſſa. Novendialia ſanctiſſime celebrata ſunt, paratæ machinæ velo futura.

Nondum perfecta erant, cum 17. Februarii, quæ in Septuageſimam incidit, comitiis in urbana Curia habitis decretum eſt, ut intra biduum e collegio pellerentur Jeſuitæ per amnem, ut qui a Communi defecerant, Senatoreſque Cavallero de Añaſco, & Benitez, quod Antequeræ & Menæ plurimum nocuiſſe credebantur, capite luerent. Epiſcopium cuſtodia cingeretur, ne Prælatus abiret, nec in populi veniret conſpectum. Ut templi cathedralis aditus obſtrueretur, & in fulminantes excommunicationem interdictumve, quod Epiſcopus comminatus erat, denuntiaretur pœna capitalis. Tandem nequid horum ex compoſito fieri videretur. Poſt hæc extra urbem conveniunt duo equitum millia. Ac decima nona, poſt annos duos & diem unum quam Jeſuitæ velut triumpho in civitatem reſtituti erant, circa meridiem urbem ingreditur equitatus, recta collegium petit, ſecuri & aſcia januas dejicit, omnia perturbat & expilat: collegaſque ad exitum compellit tam præcipitem, ut nec accipiendi Breviaria, nedum Venerabile Sacramentum transferendi, & ſacra vaſa in tuto collocandi, copia facta ſit.

Furentium dux Rochus Inſurrable (a), qui vim conviciis accumulabat, ſanguinem ore profundens, pene ſubita morte correptus eſt. Thomas Lobera, & Didacus de Abalos ad urbanam Curiam a Communi miſſi, ad requirendum de Jeſuitarum exilio mandatum, uno fere tempore interierunt. Lobera graſſatorum ma-

Seditioſi tres miſere pereunt.

(a) Inſaurralde.

Digitized by Google

manu concidit, reſipiens, & veniam a Jeſuitis petens. Abalos Lobera ſontior apoplexia, ſacerdotis auxilio deſtitutus, expiravit. Interea Epiſcopus cuſtodia licet obſeſſus, notis quæ gerebantur, ſubmiſit qui ſententiam excommunicationis rebellibus denuntiaret: qua obſtructis ne audirent auribus, immunes ſe rati ſunt. Eodem die dedit Epiſcopus ſequentes literas ad P. Hieronymum Herran Jeſuitarum Provincialem, quibus quædam particularia continentur.

Epiſcopi litteræ.

„ En, Reverende Pater, diem vitæ meæ infauſtiſſimum, mirandumque ſi poſtremus non ſit. In vitæ diſcrimen veni doloris acerbitate, cariſſimis fratribus & venerandis patribus exactis per vim a Communi, cujus pertinaciam ſuperare non potui iteratis monitionibus tribus excommunicationis, latæ per Bullam in Cœna Domini, quæ omnibus conſilium, faverem, operamve præſtantibus factæ ſunt, nec interdicto generali & perſonali in urbem provinciamque per me lato, & ſi turris Cathedralis armatis circundata eſt, ac pœna capitalis æs campanum pulſantibus indicta. Primo monitus P. Rectorem de claudendis collegii foribus interpellavi; ſed ſacrilegis ſecurium ictibus confractæ ſunt. Et ego ſum apud me obſeſſus militibus, acceſſu ad januam prohibitus. Obiiſſetque dignitas ſacra contumeliæ periculum, ſi caris patribus, ut erat votum, comes, excuſſo de ſandaliis pulvere, atque relictis æternum excommunicatis his, accedere contendiſſem... Factionis exercitus, dum leucam diſtabat ab urbe, quatuor ad me oratores miſit; quorum duo negotium inviti ſuſceperunt, capiti aut certe facultatibus timentes. Excercitum adeſſe nuntiarunt, ut Jeſuitas amandaret: e re fore ſi mandato meo egrederentur. Id me poſſe negavi: poſſe tamen excommunicare, & pro poteſtate excommunicatos declaravi quotquot Commune ſequerentur. Idem reſpondi urbano Senatui paria denuntianti, addentique eo conſtare provinciæ ſalutem, & multorum vitam. Sed ego vitam & vitas mille Eccleſiæ meæ immunitati poſthabere obfirmavi. Jam ſæpe devoviſſe me, ac de integro caput devovere tantæ rei cauſa.... Nihil tamen ſacrilegum furorem cohibere potuit: nec ego minis deterritus ſum. Mereri vellem quod S. Ignatius Martyr ab hominibus id genus opperiebatur, dum ajebat: *Utinam fruar beſtiis, quæ mihi ſunt paratæ*, &c. Vox me deficit præ lacrymis. V. R. quam primum ad Proregem omnia ſcribat.

P. S. Epiſtolæ meæ copiam, ſi e re ſit, Proregi faciat. Provinciæ malis remedium non video. Rebelles minas intentarunt, vi trahendi e ſanctuario, & comburendi ſacerdotes, qui etiam impœnitentes abſolvere renuant, urbem fame premendi, Reductiones populandi. Oro V. R. ut vigilantiam imperet ibi, & preces pro infortunato „ Fr. Joſeph Ep. Paraguai. (*a*) „

Guaicuruorum incurſus.

Ad cumulum malorum reliquum erat, ut externi belli calamitas accederet: & mirum eſt, vel Guaicuruos tandiu latuiſſe coloniæ ſtatum, vel tandiu cunctatos ut eo proficerent. Tandem poſt dies paucos quam Jeſuitæ loco ceſſerant, a Guaicuruis metus inceſſit. Ad Communis copias confugiendum fuit, quæ tamen affirmarunt, civitatis excidium tranquille conſpectum iri, niſi Epiſcopus interdictum & excommunicationem revocaret. Annuit ille, dummodo in Cathedrali, & coram Venerabili Sacramento, immunitatem eccleſiæ illæſam fore jurarent excommunicati. Jurarunt, & Epiſcopus abſolutos monuit, ſimul atque juramentum violarent in cenſuras relapſuros. Tanta fuit fidem obligandi facilitas, ut de liberanda ſpem corruperit.

Guaicurui recedunt.

Guaicurui viſo ad pugnam apparatu fecedunt: quo tempore rebelles de carris, quibus mobilia quædam collegii, quæ prædam evaſerant, exportabantur, habito nuntio, de diripiendis agitant. Epiſcopus monitus Magiſtratum, ut rei indignitatem avertat, interpellat: quod impetravit. Poſteris diebus ea fuit rei publicæ confuſio, ut de imperante par atque de imperio eſſet ignoratio. Authoritas & mandatorum obſervantia cujuſque ſuberat arbitrio & cupiditati. D. Martinus de Bagua poſtquam ſe magiſtratu abdicaverat, Conſilii Præſes, Regius Signifer Curtido, & Conſules, quandam ſuſtinebant authoritatis umbram, maxime Antonius de la Sota conſulum alter. Hic tamen Ferdinando de Mompo ſecundus tumultum augebat audacia ſententiarum. Arellanus aderat invitus ac deſes.

In urbe turbatio.

Militum Tribunus recedit.

Nempe aderat, ut rerum ſuarum proſpiceret incolumitati, & clam quod poterat malum vitabat. Martinez Tribunus Militum parum valebat gratia, quod effræni ſeditioſorum obſiſteret licentiæ, & vim Jeſuitis illatam palam improbaret. Monitus tandem contra ſe deliberari, & pleroſque militantium exauthoratum ſe velle, eos antevertit, ſic tamen ut intelligerent, non deturbari vi, ſed ſponte cedere. Sex centum armatos, quibus maxime fidebat, intra urbem ducit, qua ſtupefacta, & ancipitem auſum ſuſpectante, imperium ultro deponit. Rus inde petit, quingentis ſequentibus, Prætorem, ut ajebat, pro Rege mittendum, qui collapſa reſtauraret, operiens.

Prætoris Bonaur. ſolicitudo.

In ejus locum ſucceſſit Chriſtophorus Dominguez de Obelar: quod vero hic obtinebat Accenſi Majoris munus, centurioni Franciſco de Aguero datum eſt. Haud ita pridem D. Bruno-Mauricius de Zavala, conſilia verſari monitus de occupandis Paraguariæ finitimis Reductionibus, Confluentiæ Præfectum juſſerat

(a) Ex hac & ſequente ſubſcriptione videtur jam vita defunctus Paraguai Epiſcopus, cujus erat coadjutor Ill. Palos. *Charl.*

Digitized by Google

bat Martii trigesima, milites adjungere Indis ad trajectum Tibiquaris collocatis. Quos si rebelles aggrederentur, ad occupandum Itati portum discentium mitteret Hispanos. Hæc tamen mandata minus erant necessaria.

Factionis pavor. Collectitia rebellium turba, nec bello assueta, pugnam cum Indis detrectabat: quibus etiam ut abirent, a ducibus significatum erat, non infestandos. Illorum responsio fuit, permansuros ibi, donec is, cujus imperio stabant, alio cedere juberet. Eo loco stativa posuerant, ut relato speculatorum nuntio pavor factionem occupaverit, perinde atque si portis imminerent civitatis. Per Tribunum Militum rogat Episcopum, ut Indorum copias a finibus removere jubeat.

Tribuni insolentia. Qui cum respondisset, quod alias, neophytos eo tantum sub armis esse, ut se suaque defenderent, Tribunus mendacium exprobrare ausus est. De insolentia apud Magistratum expostulat Episcopus, quandoquidem Prætor nullus tunc erat. Sed non tarda venit occasio Tribuni potentiam, & infestam voluntatem rursus experiendi. Litteras a P. Joanne de Arregui supra memorato acceperat Ill. Palos, ut Bonas Auras accederet rogante, se sacrandi gratia quod suæ illius familiæ votum erat. Libenter annuit, parabatque iter Paraguajensis, cum obstitit, conspirante Communi, Tribunus Obelar, Episcopi præsentiæ, ut erat status rerum, necessitatem causatus. Revera timebat, ne absens una cum Bonarensi Prætore de compescendo Communi consultaret. Et pronum quidem est ad fidem, eam ob rem Palosium Arreguii precibus acquievisse.

Episcopo iter obstruitur. Suspicio fuit, alia ratione motum Communem, ut Episcopo iter paranti adversaretur, quam haud temere conceptam esse, deinde constabit. Novum Episcopum, quem sibi addictum noverat factio, Assumptionem attrahere nitebatur. Ne vero Paraguajensis clam conscenderet, solertissime cavit. Illud est certum, si veram consilii causam penetrasset Ill. Palos, ab Arreguii consecratione cessaturum. Sunt tamen plura, quæ virum cujus rectum est cor, facilius quam alios pertervolant. Cum itaque Bonas Auras accedere prohiberetur, candidato rescripsit, si consecratio differri non posset, Assumptionem iter intenderet.

Correntinorum fœdus. Neophytos interea ad vada Tebiquaris excubantes solicitabat cupiditas Hispanorum, per quos Itati portus erat occupandus. Sed Gesta non diu latuit. Paraguai Commune cum Correntinis fœdus procuraverat, quod perfectum fuit tandem, promulgatumque cum subprætor Itatim mittendos deligebat: palam quippe responderunt, fœderatos se esse Paraguajensium. Quinetiam Subprætorem Assumptionem miserunt, pedibus vinctum & manibus.

His addita fuit insolentia Bonas Auras ad Zavalum Prætorem ablegandi, qui præter Regis obsequium se quidquam fecisse negarent, acta non solum probaturum sperare, sed novum regimen confirmaturum sub Communis auspiciis; magistratum approbaturum quem elegerant; integrumque fore civitati eos destituere, & instituere quos ad Regis obsequium interesset. Prætorem noverant, & quid ab eo timendum. Sed auxilium a Communi sperabant: nec diu fuit quin lemborum par acciperent, milite instructum, & bellico apparatu, cum mandato Neembucu paludem (a) occupandi: quod tamen vigilantia neophytorum & celeritas prævertit.

Factionis clades. De mandati successu ea securitas erat Assumptione, ut Militum Tribunus Indos ratus a tergo interceptos, & Reductionibus timentes, ad tuendas vim totam & consilia conversum ire, facile crediderit profligandos si oppugnarentur. Delectis igitur bis mille armatorum, castra prope collocat. Indi vero a palude, cujus aditus occupaverant, nihil veriti, intra stativa se continent usque ad Maji decimamquintam: qua illorum globus amne per noctem superato, in primam Obelaris aciem invehitur, & nemine obsistente prædatur equos tercentum: quo is reliquas copias invasit terror, ut Tribunus fugientes, quos continere non potuit, Assumptionem usque secutus sit. Vestigiis instant aliquandiu neophyti, quorum par ad portam usque civitatis progreditur, & vias eo ducentes explorat.

Prætor a Rege missus. Nuntiatum eo tempore fuit, Paraguai Prætorem a Prorege constitutum D. Isidorum de Mirones & Benavente, Plateosis Curiæ Senatorem, qui Cochabamba provincia recens pacata magnopere se a prudentia & virtute probaverat. Magnis itineribus ad Assumptionem contendere, vulgatum fuit. Et in Tucumaniam quidem venerat, cum per expeditum a Prorege nuntium accepit, delatam esse a Rege Paraguai præturam D. Emmanueli Augustino de Ruiloba Callai præfecto: cui jam regium diploma tradiderat Pronex cum mandatis iret maturandi, & Prætorem Bonarensem per litteras urgendi, ut copias ad subjiciendos rebelles imperatas eo veniens inveniret.

Proregis litteræ. Quia Provincialis Jesuitarum ex Episcopi mandato ad Progem scripserat res postremo gestas in Paraguaria, & Correntinorum defectionem, eidem simul respondit, atque consilia manifestavit pro tot malorum remedio susceptæ. Eisdem litteris datis 24. Junii de novi Prætoris adventu certiorem facit: addit que non dubitare se, quo erat erga Regis obsequium studio, quin Indos exhiberet Ruilobæ ad mandata perficienda necessarios.

„ Litteris (subjungebat tandem) ad Excellentissimum (b) D. D. Brunonem Mauricium de Zavala adjunctis continetur, quid age-

(a) Heembucu palus non est, sed inter paludes, æstuariave angustiæ: quod & nomen significat.

(b) D. Bruno recens renuntiatus erat Regiorum Exercituum Generalis Sub-Præfectus, seu Locum-Tenens. *Charl.*

Digitized by Google

agere oporteat, ut D. Emmanuel Auguſtinus de Ruiloba omnia inveniat parata. Eas via ſecura & breviſſima, quod ad Regiæ Majeſtatis obſequium intereſt, perfarri fac. Hæc etiam Epiſcopo fac nota, & quam grata mihi ſint ejus pro Rege opera. Deus V. R. diu ſervet incolumem". Eodem occludebatur faſciculo ſequens Documentum.

Limani Senatus Conſultum.

„ In Urbe Regum Peruviana vigeſima quarta Junii 1732., præſentibus in Regali Curia Forenſi Excell. D. D. Joſepho de Armendariz Marchione de Caſtelfuerte, Regis (quem Deus ſervet incolumem) Exercituum Generali Sub Præfecto, Prorege, Gubernatore, & Generali Duce Regnorum Peruvii, atque DD. D. Joſepho de la Concha, Marchione de Caſa-Concha, D. Alvaro de Navia-Bolaños & Moſcoſo, D. Alvaro Cavero, D. Alvaro Quiros, D. Gaſpare Perez Buelta, D. Joſepho Ignatio de Abiles, Præſide & Auditoribus Regiæ hujus Curiæ, & D. D. Laurentio Antonio de la Puente Cauſarum Civilium Patrono Fiſcali; lectis documentis ſcriptiſque pluribus de Paraguariæ Provinciæ motibus, poſt maturam de re tanta deliberationem, conſtitutum eſt, rogandum Excell. Dominum, ut injungat P. Provinciali Societatis Jeſu Paraguajenſis, aut eo abſente Miſſiones Paraguariæ Provinciæ finitimas moderanti, ut D. D. Brunoni Mauricio de Zavala, vel D. Emmanueli Auguſtino de Ruiloba, Indorum Tapenſium, aliorumque populorum, numerum conferat, quantum petiverint, armatorum, ut rebelles ad obedientiam Regi debitam compellant, & Excellentiſſimi ex Senatus conſulto mandata perficiant. In eadem ſententiam venit Excellentiſſimus, qui cum prædictis Dominis præſentes ſubſcripſit cum paragrapho. D. Emmanuel Fernandez de Paredes, primus Conſilii Secretarius in rebus quæ ad regimen, & bellum ſpectant."

Epiſcopi ſolicitudo.

Ut primus de his mandatis & apparatu nuntius Aſſumptionem venit, Epiſcopus ad removenda venturo Prætori obſtacula totus incubuit. Montielem Tribunum, D. Michaelem ejus fratrem, & D. Bernardinum Martinez impulit, ut copias contraherent factioni continendæ pares. Pronos invenit, & in urbe prævalituros ex eo ſperavit, quod rebellium diffidia perennabant.

Factionis de Arreguivotum.

Duces conſilium ſuſpicatos, quid a ſucceſſu timendum eſſet, non latuit, nec neceſſitas Epiſcopo objiciendi authoritate parem. Paloſium vero de Arreguii ſenſibus certiorem factum male habebat data de conſecrando Aſſumptione fides. Sed quia ſperabat, vires Prætori non defore ad coercendos factioſos, fidem revocare non induxit animum. Ad maturandum itaque iter candidati Commune vertit conſilia: ex quo ſpem magnam ſibi fecerat.

Indos a moliendi ſtudium.

Ægre ferebat, quod neophyti caſtra tenerent juxta provinciæ fines, in procinctu ad aggrediendam. Poſt irrita experimenta, ut eo retrocederent, unde Jeſuitarum mandato veniſſe vulgatum erat, ad Prætorem Bonaurenſem ſcripſit factio, Indos multa ubique mala patrare, totius provinciæ votum eſſe, barbarorum incurſu liberari. Negavit Zavala ſe poſſe quod petebatur facere ante Prætoris a Rege conſtituti adventum proximum.

In deſperationem acta reſponſione factio Indos diſſipare contendit, ſatius ut ajebat rata pro libertate pugnando mori, quam a Jeſuitanis Indis cum uxoribus & filiis jugulari. Illorum invicem votum erat, acceptam ad Tebiquarim reparare cladem, a qua ſuorum multi dura apud Hiſpanos ſervitute premebantur. Horum poſtea commutatio cum Hiſpanis ſupra memorato certamine captis petita eſt a Communi, conſentientibus Indis.

Idoneum tempus operam pollicendi ſuam viſum eſt Epiſcopo, quam Commune non reſpuit. Pœna capitis, connitente Prælato, indicitur a Conſilio in eos qui Indos infeſtarent, dum tamen ii leucas aliquot retrocederent: nec quidquam molirentur, niſi mandato Prætoris Bonaurenſis. Facta etiam eſt utrimque poteſtas officia communicandi, dum eſſet operæ pretium. Fœdere ſubſcripto, factionis copiæ, quæ jam iter ſuſceperant ad confinia, Aſſumptionem revocantur: atque neophyti ad Aguapeim amnem retrocedunt, ubi Hiſpanis incommodi eſſe non poterant, nec ab Hiſpanis impeti. Ad tuendas vero Reductiones, ſi oppugnarentur, præſto erant.

P. Arregui adventus.

De ſtatuto fœdere monitus D. Bruno, reſpondit 29. Septembris, ratum eſſe; ſed in poſterum imperio Prætoris Paraguajenſis obſequendum. At Ill. Palos fefellit ſpes provinciam eo fœdere pacandi. Turbatum deinde fuit, ut nunquam magis: conculcatæ divinæ atque humanæ leges: & novum quodpiam auſum ſingulos dies temerabat. Interea venit Arreguius, lætis a Communi acclamationibus exceptus infauſto fidorum civium præſagio.

Permutatio Paraguajenſi propoſita.

Altero poſt adventum die, de permutando Epiſcopatu conſilium in cœtu factionis expoſuit, addito, D. Joſephum de Palos præcipuæ diœceſeos parti minus acceptum, pluris habiturum Bonaurenſes Inſulas. Conſilium probarunt Canonicus Theſaurarius, & Curio Cathedralis: quod jucundiſſimum accidit Conſilii Præſidi cum ducibus aliis, tumultuario deinde clamante Communi, Arreguium ſe velle Epiſcopum. Conſenſus illico exquiritur Diœceſani, quem propoſitum primo celatum erat. Significatum reſpuit, Arreguioque denuntiavit, niſi motum ſedaret, non conſecrandum, authores excommunicandos, civitatem ſacris interdicendam.

Poſt conſecrationem geſta

Hac abſterritus firmitate cognovit incœpti parum excuſabilis incommoda. Communis capita convenit, & rumor quievit. Sacratus eſt tandem; ſed multa cauſatus, Aſſumptione moras nectit, factioniſque inſolentiam confirmavit, dum palam auſus probat. Decorum etiam poſthabuit interdum: nec ſine ſtupore vulgatum fuit, ad ejus menſam bibi Communis ſanitatem, quod ubique ma-

Digitized by Google

gnopere commendabat. Id ussus obtinuit, dumèc de Prætoris adventu fama percrebuit; nunc enim ad sua quisque commoda mentem convertit. Ac de Consilii capitibus aliquorum contra reliquos sententia fuit, ut admitterentur.

Prætori obviam procedi tur.

Arellanus Præses, quem Communi addictum tenebat formido, & lucri amor, palam edixit, de transeundo usque ad Sanctam fidem constitutum sibi esse. Nulli non persuasum fuit, ad componendam præcedere suam ipsius pacem: & Commune discessum prohibere contendio. Sed rem diu meditatus conscendit clam cum rerum suarum summa. Sanctæ fide, quo nondum venerat Prætor, Bonas Auras profectus est, ubi expectabatur in dies.

Subrogatus præses.

Successorem habuit, ut qui a Communi defecerat, Militum Tribunum D. Christophorum Dominguez de Obelar, quem simul Consilii Præsidem, atque primarium anni sequentis consulem factio delegit. Consulto quidem, quandoquidem rebellionem sustinere decreverat, totum in eum detulit imperium, cui maxime fidebat. Denuo scripserat nihilominus ad Prætorem, mandatis & obsequio se paratam esse. Sed facto reclamabat, suspectosque magistratus abrogando, viam obstruebat advenienti: maxime postquam illa accepit quasdam Arellani literas.

1733. Arellani monitum.

Nempe nuntiaverat hic, Communi maxime cavendum; nam Prorex amplam fecerat Prætori potestatem, & mandata dederat provinciæ perturbatores in judicium vocandi. Residuo erga olim carum Commune amore motum, ut hæc scriberet, verisimile est. Sed amabat etiam Superiorum gratiam, nam eo loci constitutus erat, ut parum illinc spei, plurimum hinc timoris immineret. Quidquid sit, modicum profecit monitis apud Commune, diffidentiæ causa. Mense Januario 1733. bifariam divisum est, dum alii novum Præsidem abrogare, alii sustinere volunt: manus fortasse collaturi, nisi utriusque Episcopi opera incepto desisterent. Aprili mense sopitus ignis exarsit. Sed extinctus iterum est Diœcesani studio, simul & nuntio de Prætoris ad Itatim accessu.

Prætor apud Itatim.

Litteras dedit inde ad P. Aguilar, Reductionum Paranaënsium Præfectum cum mandatis pro Rege, ut neophytorum septem millia in stativis linqueret, & reliquos belli potentes armatos esse curaret, paratosque ad iter. Respondit Aguilar, mandata jam per P. Herran accepta eadem pro virili perficienda. Gravissimum certe Missionariis atque neophytis erat, tot hominum millia, tam diu peregre domibus suis abesse.

Miser status Reductionum.

Intermisso agrorum cultu, victus penuria, & ex ea fames ingruerat; atque escarum vitio contagium: quo tot cadebant, quot aberant in castris armorum necessitate. Multi etiam nimis a Communi intentatis abacti in silvas defeceraut. Quatuorcentum & septuaginta Tobatini recens contracti uno die dilapsi sunt: & de antiquis alii victus causa recesserant. Hinc extremus pastorum mœror, labor, & rei familiaris difficultas. Illud solatio fuit, neophytorum in Regis obsequio alacritatem tot incommodis non imprepuisse, nec tot periculis labefactatam religionem, præterquam in Tobatinis, qui & erant proselyti (a), & deinceps recuperati sunt.

Libellus pro Communi.

Dum Indi insuperabilo Communi vallum objiciebant, cœnobita quidam factionis patrocinium suscepit scripto, quo non Prætori, non Episcopo, non Proregi parcebatur, multo minus Jesuitis, quorum exilio maxime commendabat illius zelum de propaganda gloria Dei, & Regis obsequio. Violento licet & intemperanti fidem apud turbam dominationis impatientem conciliabat authoris habitus, & odiosa barrantis confidentia: quod Aguilarem ad confutandum impulit.

Refutatur.

Responsio *Exameu Veritatis* inscripta eo magis ingenuis mentibus accepta fuit, quod vim cum moderatione conjungit, quod alternis criminationibus abstinet, quod libello demonstrat omnia temere supponi, cujus indecentia sermonis fidem dictis abrogat. Si defensio id genus eorum multis voluntarium non extirpavit, coercuit certe, & partium studio liberorum plausu, non tantum in provinciis finitimis, sed in Peruvio, in Chile, & in Hispania commendata fuit. Author libelli replicare non ausus, in Peruvium Proregis nutu a Superioribus puniendus vocatus est. Sed tempus defuit, voluitque Deus ut pœnas ibi daret ubi peccaverat. Ex morbo sibi & aliis intolerabilis brevi confectus est.

Prætoris adventus.

Prætor apud Itatim non diu moratus, ad S. Ignatii Reductionem transit. Eodem convenerunt officii causa duces e castris Aguapeanis. Quos humanissime acceptos a constanti fide laudavit: ibidemque usque ad nova mandata consistere jussit. Ad Tebiquarim venit: quo præcesserant ad salutandum ab Assumptione legati, & D. Sebastianus Fernandez Montiel, fidem Regi pollicitus, & ejus mandatis obedientiam. Accessit deinde Bonaurensis Episcopus, quem Consilii Præses, atque Communis duces cum copiis sequuntur. Ill. Palos in urbe se continuit, ne factiosi præoccupatum Prætorem adversus eos exiisse suspicarentur.

Vigesima septima Julii urbem provinciæ caput ingreditur, solemni & tranquillo ritu. Post preces, ad frequentem populum sermonem habit in Cathedralis porticu. Sæcularem Conventum ad observantiam Superioribus debitam, inferioribus imitandam hortatur. Ad milites conversus ait, societatem nomine *Commune* veram esse rebellionem: odiosum proscribit nomen, cœtusque illicitos, ubi tot fidei subditorum adversa constituta erant. Silentio auditus summis honoribus certatim a singu-

(a) Hi proselyti jam certo baptizati erant.

Digitized by Google

gulis deinde cumulatur. Sed specie deceptus est.

Prima gestio. Eodem die militiæ duces munerum abdicationem exhibent, quam ille acceptare renuit, nondum sibi notam provinciam causatus. Mox edictum promulgavit, de publicandis eorum bonis, qui fœderati esse pergerent proscripto *Communis* nomine. Tribunum Militum abrogavit, & Majorem Accensum, quorum illi substituit Montielem, huic Franciscum Cavañas. Equitum Magistrum renuntiavit D. Bernardinum Martinez, Duces alios mutavit, arciumque, quarum fecuritas pluris erat, præfectos: Senatores restituit Benitez, Cavallero de Añasco, & Plechan. Regium vexillum Curtido abstulit, penes secundum consulem deponendum. Quæ ex mandato Proregis se fecisse professus est.

De Jesuitis. Mandatum aliud de Jesuitis restituendis cautè tractandum erat: & quanquam Limani Senatus consulto pro Rege subscripto munitus erat Prætor, plane intellexit, multis esse providendum antequam perficeretur: in eamque sententiam scripsit ad Provinciæ Præsidem simul monitum ut reditum pararet. Qui ratus Prætorem ultro moveri, & imo erga Societatem studio, respondit, immaturum esse consilium, nec in mora esse periculum.

Jam id Prætori cum litteras Hetrani accepit persuasum erat. Nam ut primum vulgo suboluit, is animorum motus erupit, ut Episcopus Bonaurensis frustra contenderit obstantia removere. Ut enixius adversantes cederent, datæ fidei de non gravandis apud Proregem revocationem minatur Prætor. Quo illi quiescere visi sunt, falsa tamen specie. Jesuitarum vero nulli non gravis erat reditus in stationem precariam.

Animi asperantur. Differre itaque negotium hoc, & imperio solidando adlaborare oportuit; maxime quia de reliquo Prætor carus erat, & miti usu persuaserat multis, suavitate benefactisque pacandam suscepisse provinciam. De restituendis ergo Sociis cogitationem abjecit; ab iis tamen quos exauthoraverat, non ut par erat sibi cavit: & fortasse in exauthorandis cunctantiorem oportuit esse. Illud constat, licet Proregis imperio factum protestanti, nullum condonasse sui destitutionem, & copias Montiele subrogato acerbatas.

Rebelles copias coarctant. Prætorem non latebat, sed de authoritate actum esse arbitrabatur, si retrocederet. Quinetiam tenax contendit, quanquam rogatus ut ea parte conniveret, ut restituti Senatores protinus ad functiones munerum admitterentur. Illud maxime accessit incommodum, quod Militum Tribuno, & Magistro Equitum Villaricam eundum fuit: quorum absentia rebellibus ad promovendam vindictam profuit coacto cœtu, cujus non ante conscius fuit Prætor, quam factionis equitatus in vallem *de Pirajá* (a) contenderet, quo & reliquis copiis succedendum erat.

Monitus Ruiloba, ne cunctatione malum invaleſceret, cuncta arcium vicinarum præsidia ad arma vocat, locum ad conveniendum indicit prædium Alphonsi Perez, & Septembris 14. quam frequenti potuit armatorum comitatu in aciem prodit. Dum in dictum venit locum, tercentum non plures aderant, ægre a ducibus collecta manus, reliquis ad Communis vexilla confluentibus. Prætor aciem ducit.

Sat erant nihilominus ad rebelles arcendos, si cunctorum stetisset fides. Ea spe, dum hostes leucis duabus distare novit, eo dirigit aciem. Nox supervenit, & postera luce soli octoginta erant reliqui apud Prætorem. Duces admonent, quando quidem vires defecerant, utendum suavitate. Mittit qui rebelles interroget quid petant, idque scripto significent. Scripto, quod unus eorum retulit, qui a Prætore defecerant, respondent illi, Illustrem Communis Dominationem bellum non expetere, quod invita suscepisset, justitiam petere. Replicat Prætor, pacta dedecere cum armatis, audiendos si loquantur ut decet. A plerisque deseritur.

Succedit eodem tempore Montiel cum quadraginta quinque, plurium spe facta, quos diem totum nequidquam expectavit. Circa mediam noctem Bonaurensis Episcopus rogatus advenit: & persuadere nititur, ut rebellibus petita concedat. Respondet Prætor, & Regi & sibi indecorum esse; in sua se reciperent; votum deinde ut par erat exponant. Prælatus postquam non aliud extorquere potuit, vale dicto, per Obelarem, quem comitem habuerat, rogat rebellium duces ut discedant. Pacta respuit.

Mox Prætor equum conscendit, & manipuli contra rebellium aciem in duas alas divisi frontem occupat, sclopulum arrectum manu præferens. Tunc Rochus de Pereira, primos rebellium ordines antegressus, dum eo venit ut exaudiri posset, totis lateribus conterritis vociferatur: „Quotquot Illustris Communis imperium observant, ad ejus confugiant vexilla.“ Regredientem sequuntur prætoriani omnes præter paucos de primis ducibus. Soli nominantur Montiel Militum Tribunus, Cavañas, D. Franciscus Moreno, D. Joannes Ruiz Quiñones, D. Antonius Ruiz de Arellano, Assumptione Prætorem comitatus, Carolus Spinola, & Franciscus Roa (b). 1733-34. Pene solus relinquitur.

Sic proditus Prætor relaxatum sclopulum in vaginam simul demittit, atque ait: *Malum, Amici, immedicabile! Cedere oportet.* Ut hæc pronuntiaverat, rebelles tribus ordinibus distincti dextra aggrediuntur, ducibus Joanne Gadea, Raimundo de Saavedra, & Josepho de la Peña. Appropinquantibus aperto capite clamat Prætor: *Vivat Rex.* Cui rebelles respon- Occiditur.

(a) *Pirayá.*

(b) Nomen desidero *Vaez*, Antonii seu Joannis, cum Prætore occisi, de quo infra.

Digitized by Google

ſpondent: *Rex vivat: pereat regimen pravum.* Continuo Saavedra ſclopum explodit e proximo; ſed jactum obliquat. Immotus dum ſtupet ſtrepitu equus, quo vehebatur Prætor, ab equitibus obſeſſus, impactis ſcloporum manubriis in terram dejicitur, ferro caput finditur a Gabriele Delgado, dum aliorum gladiis confoditur. Suo ſanguine cruentatus objit orans: *Pia Mater a Roſario, eſto mihi propitia.* Abſolutioni hinc a Joanne Fernandez ſæculari ſacerdote, illinc a Ruilobæ filio Ordinis de Mercede religioſo collatæ, tempus ſuperfuiſſe proditum eſt. Caſus contigit decimâ qui ta (*a*) Septembris anno 1733.

Sors quorundam de comitatu.

Arellanus dum Prætorem obſidentibus inclamat, nequid in ejus caput commiſtant, appetitus eſt laxata rota, ſed igne non excuſſo ſervatus. Alii contra eumdem involant, ſed accurrente Bonaurenſi Epiſcopo arcentur e proxima quo ſe receperat domo. Horum quiſpiam haſtatus in Arellanum impetum facit, ſed per Obelarem divertitur, levi accepto vulnere. Montiel equum amiſit torta glande. Senator Vaëz a Joſepho Duarte interfectus. Cavañas & Roa vulnerati. Sed furor impotens in cadaver Prætoris emicuit.

In cadaver rabies.

Nudatum penitus abjecerant, volucribus & feris prædam. Sed opera D. Martini de Chavarri Aſſumptionem translatum eſt. Quod cum vellet in Prætorio deponi, clamatur, traditores cum bajulis in domum diaboli portandos, inde faceſſeret. Tandem a Curione Cathedralis, qui & ipſe Commune colebat, ſepultum eſt. Laicorum tamen nullus interfuit funeri, præter unam Eliſam de Ledeſma, quæ rebellium quibuſdam, per quos acceſſu prohibebatur, parricidium exprobravit: juſta ſolvere ſe velle Prætori, rei publicæ, & regiæ fidei cauſa interempto.

Epiſcopus Bonaur. Prætor.

Fidem ſuperat, quo devenerit per hos dies grâſsatorum audacia, & inſolentia, populique vertigo. Prætoris domus expilata cum aliis, & par manebat Arellanum ſors, niſi obliſteret Obelar ſuus. Sed hæc præludia calamitatum erant imminentium ab hominibus nullius imperio cohibitis, & nihil non licitum ratis, quia nihil non audebant. Poſt quam ſingulorum ſatisfactum eſt cupiditati & genio, Epiſcopum Bonaurenſem Prætorem inſtituunt, & in Prætorium ſolemni ritu deductum proclamant. Ejus authoritate quæſtio capitalis de D. Emmanuele Auguſtino de Ruiloba odioſiſſimis referta criminationibus habita eſt. Etiam Epiſcopo Diœceſano Arreguii inſtitutionem & præturam probare voluerunt; ſed urbem ille deſeruerat clam.

Bonaurenſis vero non tantummodo imperium acceptavit; ſed abrogatis illico ducibus Communi ſuſpectis, primum ſui periculum fecit. Obelari reſtituit Militiæ Tribunatum, Antonium Vaez (*b*) Magiſtrum Equitum, & Petrum de la Mota Majorem Accenſum renuntiavit. Omnia ſimul hæc infauſta novit P. Aguilar, cum ſperaverat, tranquilla Ruilobæ præfectura facile neophytorum e caſtris miſſionem impetratum iri. Per eos primum rerum geſtarum nuntium accepiſſe videtur. Eorum certe motus primos ægre continuit, ne recta peterent Aſſumptionem ulturi Prætoris cædem.

Neophyti ſeceduni.

Notis rebellium diſſidiis, Prætorem Bonaurenſem orat per litteras, ut inutilem neophytorum ad Aguapjem ſtationem diſſolvi rati haberet, ſubrogandos alios pollicitus, dum e re foret. Acquievit Prætor ea lege. Sparſuſque rumor, eo exercitu vindictam de Communi, & provinciæ vaſtitatem machinari Jeſuitas, ea Præfecti Miſſionum petitione ceſſavit.

Tunc *Commune* nomen in *Comitia Generalia* mutatum eſt, quorum caput titulo Defenſoris renuntiatur D. Joannes Ortiz de Vergara, qui ut eo ſe dignum probaret, author factioni fuit, ut cœpta ſuſciperet, quæ nondum erat ausa. Epiſcopus Prætor torrentem impetuoſum cohibere contendit; brevi tamen cognovit, non tanti poteſtatem eſſe. Eo Prætor erat renuntiatus, ut inceptis aſpergeret juſtitiæ formam: vel ut edicta exhibenda ſubſcriptione muniret. Mirandus æque atque miſerandus Epiſcopi ſtatus, qui abjecto grege & paſtoris habitu, in diœceſi conſecratoris, & ſub ejus oculis, caput erat, vel potius mancipium rebellantium contra Principem, a quo certe non ut infamem perſonam ſuſtineret, clauſtrorum obſcuritate extractus fuit.

Edictum Ep. Bonaur.

Primo ad ſubſcribendum exhibito edicto eorum bona publicata ſunt, qui Regi, vel Regiis Judicibus contra factionis voluntatem obtemperarent. Et hoc edictum ſubſcribere coactus eſt. Id nacti omnia licere putant: nec integrum Epiſcopo Prætori fuit quidquam petentibus inficiari, tam procul impulſo, ut retrocedere non poſſet. De abrogandis itaque interpellatur Senatoribus cunctis præter Galban, & Garai; de Provinciali Conſule (*c*) ſubrogando in locum D. Didaci de los Rejes, qui muneris hujus proprietatem retinuerat; de conſtituendo Apparitorum principe filio Joannis de Mena, cui nondum ſucceſſor deſtinatus erat; de Villa in primum locum, & primitivo Villaricæ nomine reſtituenda, ne videlicet Villani, qui poſt tranſmigrationem maxime a Rege ſteterant, auxilio eſſent copiis in rebelles mittendis; de conjiciendis tandem in vincula quotquot Generalium Comitiorum imperium detrectarent.

Rejes in ſons judicatur.

Tam abſona viſa ſunt hæc Epiſcopo Bonaurenſi, ut primo refutata ſubſcribere recuſaverit totum diem; ſed iterum ac tertio con-

ni-

(*a*) Aut potius 16., ſi ut ſupra narratur, Prætor Aſſumptione exceſſit 14, & totum diem ſequentem promiſſæ a Montiele copiæ expectatæ ſunt, & poſt nocturnum cum Bonaurenſi Epiſcopo colloquium, acies inſtructa fuit.

(*b*) Hujus cognominis Senator cum Prætore Ruiloba certo periit. Unde vel duo cognomines erant, vel unus hic error eſt.

(*c*) Alcalde Provincial.

Digitized by Google

nitentibus nocte proxima cessit tandem. Illud est mirandum, dum Rejes munere spoliabatur, cui peperceret Antequera, eodem tempore Peruvii Proregem, & Limæ Senatum Regi testatum esse per literas, post accuratam septem annorum inquisitionem, omnium criminationum insontem esse repertum. Datæ fuerunt hæ literæ decimatertia Novembris anno 1734.

Post noctem, qua Prætor Episcopus edictum subscripserat, primo mane omnium quotquot in regia perseveraverant fide, publicata sunt bona, & in custodiam traditi, quibus elabi fuga non licuit. His Prælatus abstertitus edictum edicto revocare tentavit: quod tamen supprimere cogunt rebelles ferrum & necem iis, quorum libertatem & bona tuebatur, minati.

Reipublicæ turbatio.

Oderat tunc maxime Generalis Cœtus D. Antonium Ruiz de Arellano, qui postremo Prætoris edicto XX. mille scutorum, Æthiopum & Indorum, quos commendatos habebat fertur ejecturam fecisse: nec vitasse in suum caput conjuratorum manus, nisi Æthiopis habitu & larva superindutis. Uxor & filii ab Episcopo Prætore servati sunt. Montieli cum Senatoribus Gonzalez & Cavallero de Annasco ad salutem, persona mutanda fuit. Indi vero, qui ad Vilkanos transmigrationi repugnantes spectabant, Cœtus Generalis primorum bonis additi sunt.

Paucos tunc nobiles factio numerabat. Eo intenta dominabatur plebs, ut regimen induceret democraticum, quo pro lege valeret impetus & insolentia. Uno tantum, gradu meta distabat, & prope aberat, ut soli natales infesti essent securitati. Vel minimum benevolentiæ aut æstimationis indicium erga Jesuitas crimen erat non remittendum. Quare fœminæ in primis conspicuæ quidquid in tumultuantem populi fæcem, effrænem, decori nesciam, & infrunitam cadit, expertæ sunt.

Edictum contra Socios.

Ut Sociorum amici de restituendis spem abjicerent, Prætor de tollendis bonis eorum reliquis, armento & prædialibus, interpellatur, Collegium & templum æquare solo votum erat; sed nulla in supplici libello facta est mentio. Et stetisse in media multitudine uno Jesuitarum nomine furentium ædes, pro miraculo fit. Post edictum de prædialium expilatione subscriptum, aliud subditur, ut Reductiones eis Paranam ultra flumen transferentur.

Provinciarum inter cessio.

Arregujus, & qui edictum obstetricaverant, id facultatem superare, animadvertere noluerunt, cum Indi Paraguai Prætori non subsint, neque vires ad exequendum suppeterent. Amicorum quispiam cœptorum dedecus, & ex iis incommoda maxime timenda, celeta diutius noluit. Aquilar ex Missionum Præfecto Provincialis de indicta Reductionum translatione, & de spontanea (qualis petebatur) bonorum Collegii Paraguajensis cessione, litteras dedit decimatertia Novembris. De cessione respondit, non licere: idque religiosum qui fuerat præterire non posse. Translationem vero mandata requirere Prætoris Bonaurensis, cui Reductiones etiam Paranaënse; suberant. (a) Sperare se rationibus his suspendendam saltem edicti executionem.

Error deponitur.

Plus nihilominus quam sperabat, timebat de monitorum successu, non nescius Prælatum vim imminentem coërcere minus posse. Tunc demum cognovit Aguilar petitæ Indorum missionis immaturitatem, quos ad Aguapeim castra metatos Paraguai rebbelles verebantur. Ad Assumptionis Episcopum spes conversa, qui preces Aguilaris antevertit, datis ad Arregujum litteris, quibus edictorum requirebat, denuntiabatque ex lege revocationem, quorum executionem negabat a se tolerandam, maxime quoad occupanda bona ecclesiastica. Addebatque: „De Reductionibus meæ jurisdictionis in diœcesim Tuæ Dominationis Illustrissimæ transferendis, scire oportet, ad absque Sedis Apostolicæ beneplacito fieri non posse.“

His tandem literis in se rediit Episcopus Prætor, palam confessus, adactum se a Defensore, ut duo postrema edicta citra examen rei subscriberet; Diœcesanum convenit, obortisque lacrymis expandit cordis intima, & sensus, ex quo Generalium Comitiorum consiliis inauspicato manus dare cœperat. Paraguajensis collacrymatus ait, de sanitate cordis se certum esse, nec dubitare, ex præoccupata sententia pro factione motum ultra quam præviderat; sed mature de remedio providendum.

Acta revocantur.

Silentio discedit Arregujus, & scripto eadem luce dato protestatus est, edicta publicasse iminentium alioqui malorum formidine. Cum provinciæ turbas sibi proculdubio, si diutius immoraretur, attribuendas comprimere non posset, ut erat præpotens factio, in suam diœcesim abeundum sibi quam primum. Ad iter se componit, & ne vi prohiberetur, Capitibus Comitiorum significat, ad documenta Regi & Regio Indiarum Senatui pro gestis in Paraguaria per fidelem nuntium transmittenda, Bonas Auras omnino eundum sibi esse. Addidit, documentis digerendis diœcesim suam Assumptione potiorem esse, ne jocus libertati officere videretur.

Cedentem sequitur Diœcesanus.

His dictis navigium conscendit mense Decembri, decepto rebellantium Cœtu, qui in abeuntis locum suffecit Dominguez de Obelar. Diœcesanus vero ne malorum esset testis, quæ præviderat, speciem præbuit euntis Villam; quam quidem pastor visitavit. Inde tamen Bonas Auras viam flectit, ubi in sui Ordinis cœnobio annum commoratus est, placando fundis ovibus Domino intentus.

1734. Neophyti ad consilia.

D. Bruno Mauricius de Zavala conscius edicti de movendis Paranæ Reductionibus, ad tuendam Bonaurensi collocantur.

(a) Vide-sis in Documentis Regium Diploma datum 26. Nov. 1726., quo Reductiones sub ditione

Digitized by Google

tuendas contra vim Paraguajenſium animum advertit. Secunda Januarii 1734. Aguilarem jubet ſat Indorum ad munjendos aditus in confinium expedire: plures etiam ad dirigendam aciem aptare, ſi ferret uſus. Quorum nuntius Aſſumptionem delatus, ad exequendum edictum properantium conſilia ſubvertit.

De cæde Prætoris mandatum pro Rege.

Proregis ex Limani Senatus Conſulto 1. Januarii 1734. mandatum de Ruilobæ cæde, cauſa fuit neophytorum plures ad confinia mittendi, nam ſic erant muniendi aditus, ut nemini huc illuc tranſmeare liceret. Eodem nuntio litteras a Prorege accepit Jeſuitarum Provincialis, quas aliæ prima Junii datæ ſequutæ ſunt, de iis quæ pro loco & tempore agere oportebat.

Ex fame morbi.

Tot mandatis in anguſtias redactus eſt Aguilar. Fames in cunctis fere Reductionibus ex meſſium jactura, & morbi eſcarum vitio ut fit, epidemici calamitatem fecerant. Nihilominus copiæ imperatæ ſumma celeritate contractæ ſunt, imbellibus etiam ſponte ad arma currentibus: conveneruntque Indi ad XII. millia. D. Bruno tamen termillo ſatis habuit: quibus ad Tebiquarim viſis, Paraguariæ caput imprecationibus in Jeſuitas ſtridit. Indis adjunxerat D. Bruno levis armaturæ cohortem duce Franciſco Cars (a), cujus pietas & religio exemplo fuit eo magis opportuno, quod aliis pari modo legatis mores minus correcti fuerant.

Factionis diſcordia.

Interea factionis res minus proſpere fluebant. Primores diſcordabant, ambitu maxime Senatoris D. Thomæ Lobera. Huic Tribunum Militum abrogandi voluntas erat, ut ejus loco ſe, aut uxoris ſuæ fratrem D. Joannem Ortiz de Vergara Conſilii Defenſorem ſubſtitueret. Theſaurarii etiam D. Alphonſi Delgadillo petebat exilium, qui partes Antequeræ ſecutus, ſtomachum non diſſimulabat adverſus Comitiorum auſus. Cum hic amicorum copia, Tribunus plurimum authoritate valeret, prope abfuit ut Loberæ cauſa infeſtum factioni bellum arderet.

Epiſcopatus Gubernator nequidquam turbas tranquillare conatus, Regularium præfectis interdictum, & Clero ex urbe diſceſſum denuntiat, niſi ad certum diem tumultus quieviſſet. Non penitus irrita comminatio fuit. Sin minus odiis, manibus ſaltem temperatum eſt deinceps, & vitaturi offendicula, reciproco uſu & conſuetudine abſtinebant. Perſuaſum erat Loberæ partibus, Militum Tribunum a Jeſuitis corruptum, urbem tradere D. Brunoni conſtituiſſe. Quid tamen hominis intus eſſet Tribunus ignorabant plane. Obelar a Comitiorum partibus deficere, nunquam induxit animum. Conſilio potens, & animo conſtans adverſus invidos locum, & imperii ſummam conſervare novit. Oppugnatus aliquando vi tanta, ut prope ſuccumberet, Proviſorem adit, ut Brunonem ad maturandum iter moveat. Aliaſque receſſerat in Tabati arcem, velut tuiturus eam contra imminentes Indos. Hæc tamen agebat, ut Comitiis probaret ſui neceſſitatem.

Arreg compare re juſſu

Eodem tempore nuntiatum eſt Aſſumptione, Epiſcopum Bonaurenſem apud Proregem & Curiam Limanam comparendi accepiſſe mandatum, cui aliud ſucceſſit ab Indiarum Senatu, ut ſe ſiſteret Matriti. Ad utrumque ætatem (b) excuſavit. Nec diu a ſecundo mandato vixit, mœrore potius, credo, ob res in Paraguaria geſtas, quam ætate gravatus. Certe poſtquam Bonas Auras rediit, ſanctitatem coluit, Jeſuitis etiam charus, de quibus bene meritus eſt non ſemel.

Defen ris obitu & pœ tentia.

Menſe Decembri ejuſdem anni Comitiorum Defenſor D. Joannes Ortiz de Vergara in extremum vitæ diſcrimen venit ex morbo. Ante tribunal Supremi Judicis vivorum atque mortuorum compariturus, quæ contra Regem, Epiſcopum, Religioſos, maxime Jeſuitas peccaverat, reparata voluit: & lacrymis obortis culpam publice deprecatus eſt. Hanc tabularum partem ante cadaveris humationem elata voce legendam conſtituit: & offenſatis omnibus copiam fieri. Regius Tubellio Matthæus Encinas, & ipſe factionis aſſecla, eam ſui ſimul condemnationem, tremula voce, & corporis habitu, legendo percurrit.

Quinque reus excommunicationum inventus eſt Vergara, quarum quatuor Sanctæ Sedi erant reſervatæ. Et quanquam vix dubitandum eſt, quin vivens ſit abſolutus, Proviſor abſolutionis formam ſupra cadaver intra eccleſiam depoſitum pronuntiavit, poſt ſermonem ad circunſtantes habitum, magnam partem paribus vinculis innodatos. Attentos habuit, & aliquos auditis commotos, atque viſu hominis, qui ſubierat jam judicium, quod cunctis imminebat. Sed non diu ſtetit ſpes concepta.

Dum hæc in Paraguaria gerebantur, D. Bruno ad reſtituendam regiæ fidei provinciam parabat iter. Profecturus, per advectam recens navem hiſpanicam, Gubernator & Præſes Curiæ Chilenæ renuntiatur. Sed cum mandata de Paraguaria moram haud paterentur, non antequam ea perficeret, novum Magiſtratum obire conſtituit. Valetudine (c) atque ætate gravis publicæ quieti propria commoda poſthabuit.

D. Brun nis exp ditio.

Ex iis quæ antehac narrata ſunt liquet, ad clementiam fuiſſe natura pronum: qua licet ſæpe abuſi erant rebelles, ingenium mutare noluit: lenitatem ratus ſemper proficere, cum viribus ſuſtinetur, abeſtque imbecillitas. Factioni tamen ſolum Reductionum militem objicere poterat, nam Luſitanico imminente bello, præſidium ad Bonas Auras infirmare non oportebat, maxime cum Prætor aberat, nec dum venerat ſucceſſor. Solos itaque abduxit Bru-

(a) Lege *Cors*.

(b) Octoginta duos natus erat annos, cum primum mandatum accepit. *Charl.*

(c) Affectis jam viribus erat, brachiumque amiſerat prælio in Europa. *Charl.*

Digitized by Google

Bruno peditum quadraginta, equites quinque.

Cum his mense Novembri Confluentium venit, certus parcendi supplicibus; quo verſos incolas haud ægre conciliavit. A Villaricanis plurimum ſperabat, quorum D. Sebaſtianus Fernandez loci præfectus octoginta fui eorum ſtipendii milites ſupplementum adduxit. Sed literis ab Aſſumptione acceptis ingenitam conſervandi lenitatem amiſit ſpem. Novit quippe factionem ut cum maxime furentem, ad valide reſiſtendum ſe componere. Confluentia venit ad S. Ignatii Guazu, quo plures Aſſumptionis incolæ ad obſequia parati conveniunt cum aliorum literis, qui moram excuſantes, tempore & loco opportunam jurant fidem. Suadebant ii, ut in factionis capita, ſiquod in manus incideret, animadverteret quamocius: quam ſententiam conſtituit ſequi.

1735. Prima rebellibus denuntiatio fit.

Caſtra munivit in loco a S. Michaele, quatuor a Tebiquari leucas diſtante (a); expediviteque primam ex lege denuntiationem 25. Januarii 1735. Scriptum erat quod Hiſpani vocant *Auto exhortatorio*; non ad Magiſtratus, quod nullus erat legitimus, ſed ad Decanum Capituli Eccleſiaſtici, & ad Proviſorem dioeceſanum; quibuſcum tantum ex clericis negotium tranſigere oportebat. His injunctum erat, ut factionis capita ad obediendam hortarentur; data ſupplicibus notæ clementiæ fide.

Capitur Obelar.

Lectam publicè hortationem ſilentium excepit; ſed principes Factionis D. Brunoni ſe credere non auſi, urbe excedunt ad obſtruendum, ut ex ſucceſſu fatis conſtitit venienti aditum. Alia fuit ars D. Chriſtophori Dominquez de Obelar. Aſſumptione ad Tebiquarim contendit haud incomitatus. Monitus D. Bruno denuntiari jubet, ut reliqua Comitiorum capita ſecum adducat. Obedienti ſimilis conſcios mandati feciſſe credidus amicos, ut ſe in tuto collocarent. Ipſe latuit aliquandiu; quæſitus tamen captus ſub fida cuſtodia Bonas Auras mittendus (b).

Factio motus ciet.

Biſcentum ex urbe profecti ſunt ad provinciam commovendam. Fruſtra Proviſor, ut præcipitio cavèrent, hortationes primum & minas intendit. Dum principes deinde excommunicat, obnoxioſque fulminibus denuntiat, aſſenſas, ludibrio habetur. Senem compellunt ſupernaigenario majorem; ut regium vexillum quod penes factionem erat, producat & explicet. E cuſtodia trahunt vinctos: cum tormentis aliquot Tabapim petunt, idque loci muniunt.

Bruno rector.

Poſtridie Kalendas Martias ſecundo venit D. Bruno ad S. Michaelis, quo rebellium aliquot captis copiis convenerunt. Inde Villam ſe contulit, ubi de Prorogis mandato ſe Prætorem atque Generalem Paraguariæ Præfectum promulgat. Edicto deinde Aſſumptione publicando denuntiat, exercitum fidelibus tuendis Regis ſubditis conſcriptum ad Sancti Michaelis poſuiſſe caſtra; reum majeſtatis habendum, qui comitialibus copiis adjangeret ſe vel opem ferret. Edictum publicatum fuit quidem, nullo tamen uſu.

Rebellium clades.

Monitus rebelles ad Tabapim conſediſſe, Hiſpanos biſcentum & quadraginta quinque, binaſque Indorum centurias duce D. Martino de Chauvi ad oppugnandos præmiſit. Luce vigeſima ſexta in conſpectum munimenti ventum eſt, cujus oppugnatio ad primum mane differtur, copiis interea ſilentio collocatis in obſidione. Sed novem horas antevertit hoſtium fuga primam lucem. Veſtigia ſequi juſſus cum Villaricanis, & vicinarum arcium præſidiariis aliquot D. Bernardinus Martinez, qui poſtremam aciem aſſequutus, plures capit cum tormentis, inſtrumento belli, & equis ſubſidiariis. Jaguarone reliquit prædam, ubi Mendez cum regio vexillo repertus eſt, Aſſumptionem mox relato. Hiſpanorum pluribus auctus, aucto etiam captorum numero ad S. Michaelis redit prima Maji.

Capite damnati.

Poſtremæ aciei clade, & munitionum tormentorumque jactura, tota rebellium ſpes concidit. Factionis principum capta pars major; ſex tantummodo dilapſi. Horum quatuor, promiſſis a Brunone quinque ſcutorum millibus, apprehenſi ſunt. Duo reliqui Joannes Gadea, & Joſephus de la Penna apud barbaros Hiſpanorum hoſtes profugi, in Braſiliam ſe tandem recipiunt. De captis quæſtionem haberi jubet Prætor in militari concilio. Thomas Lobera, Michael Ximenez, & Matthæus de Arce ſuſpendii damnati ſunt; ſed carnificis defectu militari ritu perempti. Conſcientiæ cauſa poſtularunt, ut ante executionem, omnium quæ viva voce & ſcripto contra Epiſcopum, & contra Patres S. J. divulgaverant (c), ſcripta retractatio publice recitaretur: quod & factum eſt.

Alii infamia tantum per publicam ſententiam, & in Chilen exilio mulctati. Hæc decima quinta Aprilis (d) acta ſunt. In jus vocatur deinde Raimundus de Saavedra, qui eadem D. Emmanuelis Auguſtini de Ruiloba attentavit, & Joſephus Duarte, cujus manu ceciderat Senator D. Joannes Vaez. Sententia fuit, ut ſuſpenderentur, & laniarentur. Sed retractationem promulgantibus datum eſt, ut priorum inſtar tollerentur Maii 12. illorum etiam de religione ſenſus imitati.

Dimittuntur neophyti.

Reductionum Indi præter Chiriuanos ſecu-

(a) Vulgo *la Eſtancia de S. Miguel*, in paſcuis ad Reductionem S. Mariæ de Fide ſpectantibus.

(b) In Paraguaria liber & vegetus equitabat, & late diſcurrebat anno 1760, ædis S. Rocho ſacræ in urbe, quæ provinciæ caput eſt, conditor.

(c) Divulgaverant inter alia, Patres id admiti, ut in his provinciis Regem quempiam conſtituerent ſibi devotum.

(d) Scilicet priuſquam D. Bernardinus Martinez cum captorum incremento ſe recipieret, in caſtrenſibus datis dictum ſit numeri error.

Digitized by Google

tos hac acie arma non moverant. Sed præſentia circum Prætorem plurimum valuit ad rebelles ſubmittendos diſſipandoſque, quid illi marte poſſent jam expertos. Poſt imperium in recepta provincia firmatum, nihil antiquius habuit D. Bruno, quam ut miſſos faceret. Quia vero principes rebellium ad regium Indiarum Senatum ſcripſerant, nihil in ſuburbanis agris fore tutum, dum armis uterentur ignivomis, exaggeratis adverſus eos & paſtores calumniis, ea confidentia, & zeli ſimulatione de republica, ut ii quibus accuſati accuſatoreſque ignoti erant, decipi facile poſſent; Regem de tota rei ſumma certiorem facere voluit ſequentibus litteris:

Ad Regem literæ.

D. -- Neceſſitate, ut in hanc provinciam venirem, tranſeundi per quaſdam Reductiones Patrum S. J. curæ commiſſas, luctuoſum ſtatum cognovi, in quem redactæ ſunt earum tres Aſſumptioni finitimæ (*a*), antehac floridiſſimæ. Incolæ extrema laborant inopia. Numerus ex quo primum illac tranſii decem abhinc annis, duabus tertijs minor eſt. Victu etiam ii carerent neceſſario, niſi indefeſſa Patres cura compluribus orphanis, fame alioquin perituris, apud ſe alimenta præberent. Eo redacti ſunt neophyti, hinc epidemia quæ plures annos obtinuit, illinc perpetuis rebellantium minis, quas ut acie repellerent, diu de reliquo ceſſandum fuit. His illud incommodum accidit, ut in cæteros pagos contagium, ſeſperet. Nihilominus propter confinia tot Indos reperi, quot petivi, caritate & induſtria Patrum, nullo ærarii regii diſpendio, uſque ad expeditionis finem caſtra ſecutos. Certe quod in fidem regiam Paraguaria reſtituta ſit, horum acceptum refero Indorum numero, in exequendis mandatis diligentiæ, & metui rebellibus injecto, ne hi mala pridem illata ex occaſione ulciſcerentur. -- Motuum hujus provinciæ authoribus perſuaſum eſt, aut vulgo perſuadendi votum, plurimum referre ad Regiæ Majeſtatis obſequium, quod Indis cunctarum Reductionum arma tollantur ignivoma. Id videlicet agunt, ut eos exarment, nequid in iis procul remotis regionibus obſtet licentiæ; ut his ſervile jugum imponant, perinde atque aliis harum provinciarum indigenis, quorum pagi olim frequentiſſimi, velut noſocomia ſunt, raris (*b*) habitata valetudinariis. Dum poſt primum in hanc provinciam adventum anno 1724., de iis quæ feceram ad T. M. retuli, id expoſui quod e re publica eſſe cenſebam. Hæc in præſens addiderim, in tanta regionum diſtantia facile veritatem ſpecie majoris boni corrumpi, & ſubditi eſſe fidelis, ut ſincere ſuo Principi loquatur, qui aliter in tanti imperii latitudine ſcire nequit quod ſcire debet. Deus T. M. ad rei Chriſtianæ proſperitatem incolumem ſervet. Aſſumptione 25. Auguſti 1735. D. Bruno-Mauricius de Zavala.

Aſſumptionem ingreſſi

Hæc ſcripſit Zavala paucis poſt menſibus, quam Aſſumptionem venerat, ingreſſus 30. Martii (*c*), lætis & ſinceris omnium ordinum acclamationibus. Ut grati animi vicem penderet, commercii interdictum cum Peruvii provincia anno præcedente promulgatum Proregis mandato protinus levavit. Secunda Junii nullam, injurioſamque Regi judicavit Epiſcopi Bonaurenſis in Paraguai Prætorem electionem, eamque juſſit cancellari in Regeſtis Capitularibus. Senatores & Officiales a Communi, ejuſve Comitiis deſtitutos reſtituit. Conſules annuos ſe coram eligi fecit. Militum duces, arciumque præfectos eos elegit ipſe, qui ſe a conſtante erga Regem fide probaverant. Die tandem decima quinta quædam edixit ad corrigendos abuſus poſt Antequeram in provincia natos, ac ne in incommoda relaberetur, quibus emerſerat:

Quorundam ſupplicium

Ante hoc edictum, mandatum vulgaverat de reparandis damnis, & fidorum bonis reſtituendis, quæ rebelles occupaverant. Tranquillitas & in exequendis celeritas admirationi fuit. Etiam fontes ſuis ipſorum auſibus ſtupere videbantur: & reſipientes mandata prævertebant. Dum hæc gerebantur, captus eſt Gabriel Delgado, qui Ruilobæ primum incuſſerat ictum. Voluitque Zavala, ut novi Conſules capitale ſubſcriberent decretum, & executioni præſiderent. Hiſcere nemo auſus eſt: eademque tranquillitate peractum eſt ſuſpendium Placidi de Roſa, & aliorum publica per carnificem flagellatio. Hoc poſtremo ſubmiſſionis rebellium experimento Zavalæ perſuaſum fuit tandem, confirmatam eſſe provinciæ pacem.

In eandem ſententiam facile venit Ill. Palos de rebus geſtis certior factus, novaque experiendæ docilitatis ſpe, reditum ad gregem maturavit. Sed navem fregit in flumine, pereuntibus qui a ſecretis erat Epiſcopo chariſſimus, & duobus ſupra viginti de comitatu. Caſus moram viæ fecit, nec niſi provecto Julio Aſſumptionem venire potuit. Gratiſſimus fuit Paſtoris adventus iis, quos nulla formido a fide & officio dimoverat: nec minus Paſtorem movit reliquorum ſubmiſſio, & præterita cumulate reparandi data fides.

Ex eo tamen innotuit maxime animorum ſinceritas, quod pari omnes ſtudio de reſtituendis in collegium Jeſuitis conſilium admiſerint. Conventus ſæcularis primas D. Brunoni preces detulit, poſtquam in generalibus comitiis urbanæ curiæ conſtitutum una voce fuerat, interpellandum Excell. Prætorem, ut

So-

(*a*) Scilicet Sanctæ Mariæ de Fide, S. Jacobi, & S. Ignatii Guazu.

(*b*) Ex veteribus aliis conſtat, fuiſſe olim in ditione Aſſumptionis Indos L. mille in cenſum relatos; cum circa annum 1760. non plures reperti ſint VIII. millibus, omni ætate & ſexu.

(*c*) Fortaſſe 30. non Martii, ſed Maji, niſi Chaurium ad Tabapim contra rebelles præmiſſum, & Aſſumptionem progreſſum prope ſecutus ſit Zavala, ad S. Michaelis mox rediturus.

Digitized by Google

Socii rerum præteritarum obliti, communibus annuerent votis, quorum pars ſanior exceſſu doluit, & qui eum ſibi imputant noxam deprecantur, & reparare ardent.

Tribuno Militum D. Martino de Chavarri, & Accenſo Majori D. Andreæ Benitez, cum urbano Procuratore (a), ut negotium cum Jeſuitis conficerent, mandatum eſt: qui communes litteras ad Aguilar dederunt. Pro militari ordine ſcripſit D. Hieronymus Flecha, D. Bernardinus Martinez, & D. Matthias Vanegas: D. Brunoni, qui in mandatis acceperat a Prorege & a Limana Curia, ut vi, ſi minus aliter poſſet, Jeſuitas reſtitueret, gratæ fuerunt de re optata preces. Harum copiam Provinciali fecit cum litteris, ut nulla mora religioſos mitteret collegii incolas. Prætoris litteras 8. Julii datas ſimul cum datis a Conventu ſeculari, & Ordine militari, accepit Aguilar.

His reſpondit officioſe; Prætori vero die 28., paratum ſe ad mandata; ſed quia proſcriptionis decreto læſa erat opinio Jeſuitis ad obeundas inſtituti functiones neceſſaria, poteratque dum vigeret a malevolis, aut offendiculo quovis averſis exprobrari, caſſandum prius eſſe. Omnia de reliquo acturum ſe ex ſententia Excellentiſſimi Domini, quo non alium magis optabat patronum Societatis honor & cauſa.

Quanquam Prætori, & Epiſcopo interea urbem ingreſſo, ſatisfactum eſſe viſum fuit Curiæ Limanæ decreto pro Rege ſubſcripto, civiumque precibus, qui Jeſuitarum expulſionem improbaverant, ut *abominandum factum*, *ſacrilegum*, *incompetente judice patratum*, edicto nihilominus 12. Auguſti dato caſſa & irrita pronuntiavit Prætor omnia ejus argumenti documenta (b). Hujus edicti authentico exemplari accepto, Provincialis Aguilar cum Joanne Baptiſta (c) Rico rectore, & collegis Aſſumptionem petit: quo perventum eſt decima Octobris.

A Prætore cum copiis, & Civitatis ordinibus, ab Epiſcopo cum Clero & Regularium Præfectis, de via primo ducti ſunt in Cathedralem: inde cantato hymno gratulatorio in Collegium, ubi poſtridie Epiſcopus ritu pontificali celebravit: Perendie P. Ferdinandus Navarrete Cœnobii a Mercede Præſes ſolemnem in ſuo templo gratiarum actionem inſtituit, qui quotannis, dum aberant Socii, feſtum celebraverat S. Ignatii. Claſſes aperuit Provincialis, & ſolita munera inſtauravit. Exercitiorum ſpiritualium (d) praxim frequentari voluit, malorum poſt turbas, & ex his morum licentiæ vallum. Doctor D. Joannes Melgarexo eo tempore Capituli Decanus, poſtea Epiſcopus S. Jacobi *de Chile*, ad receſſus commoditatem conditam domum dedicavit. Aguilar de cætero nihil ſe repoſcere declaravit, ablata collegii bona reſtituere impotentibus veniam fecit, etiam eos qui poſſent, in jus vocare prohibuit. De quibus monitus P. Franciſcus Retz Præpoſitus Generalis per litteras decima quinta Julii datas, prudentiam laudavit, temporalis commodi contemptum, & pacis atque Societatis famæ ſtudium.

D. Bruno Aſſumptione ad opus quod perfecerat ſolidandum, aliquandiu moratus, D. Martinum de Chauri Paraguai Prætorem pro poteſtate Limæ facta, renuntiat, ad corporis cuſtodiam relictis, quos Bonis Auris extraxerat, equitibus. Auſpicatior multo electio hæc fuit ea, quam fuerat decem ante annis. Prætore conſtituto Chilem petit, ubi præſentiam ejus in dies eſſe magis neceſſariam Prorex ſignificaverat.

Coloniæ obſidio.

Bonas Auras primum petere videbatur, quo ad oppugnandam Luſitanorum coloniam Hiſpana claſſis advenerat. Cauſa latet, & ratio expeditionis, ad quam Aguilari globus Indorum mittendus fuit quatuor menſes permanſurus. Illud conſtat, arcem expugnatam non fuiſſe, imo nec ſerio oppugnatam, repugnantibus Boni Aeris incolis, ac fortaſſe Hiſpano milite; Thomam Werle Jeſuitam Bavarum, qui neophytos procurabat, tormenti jaculo cecidiſſe; Indos nulla mercede dimiſſos, quanquam Regis mandato ære Indorum ſolito donandi erant, quæ premebantur inopia, non ut alias reſpuendo (e): Quidquid de ſucceſſu obſidionis ſit, in qua neophytis defuit occaſio valendi (f), D. Bruno apoplexia correptus obiit Sanctafide (a),

(a) Procuratore urbano, & provinciali, D. Petro Vallexo de Villaſanti.

(b) Deſideratum deinceps fuit, ut acta in eam rem e regeſtis capitularibus raderentur, ut acta de illegitimis magiſtratuum electionibus: impetratumque ſub Provinciali Antonio Machoni Aguilaris ſucceſſore, combuſtis intra urbanam curiam aliquot ejus rei documentis.

(c) Joanne Joſepho.

(d) Exercitiorum praxis ab hoc tempore per reliquas etiam harum regionum præfecturas & urbes, conſtitutis ubique fere domibus, vulgarior eſſe cœpit, quemadmodum & ruralium ex ſingulis collegiis Miſſionum. Juvit maxime D. Petri de Echazarraga Conrectoris *de Lipez* in Peruvio pietas, qui Societatem ingreſſurus amplam contulit hæreditatem in binum illud opus, ut nullo collegiorum, nullo etiam fidelium ſumptu, religio per exercitia & Miſſiones excoleretur, domi & rure, multis cum Hiſpanorum, tum Æthiopum, Indorum, Miſtindorumque millibus, quibus alimenta gratis ſufficiebantur, admiſſis in Receſſum.

(e) In fruſtratam Coloniæ obſidionem referenda ſunt novæ Luſitanorum Coloniæ primordia, cui *a Flumine Grandi* nomen eſt ſub gradu 325. long. 31. fere lat. auſtr. Nempe auxilio, quod a Januario miſſum erat poſt bellum, novæ arci conſtruendæ addicto.

(f) Si qui Indorum navigiis clam obſeſſis Luſitanis auxiliati ſunt, Jeſuitani certe non erant, quibus nulla ibi erant navigia, nec idiomatis conſuetudo ad uſum neceſſaria, ut proditum ab iis etiam eſt qui calumniantur.

Digitized by Google

(a), vir qui magnum Hiſpanæ genti nomen fecit. Prudentia, dexteritate, & virtute Præfectus Caſtrorum (b) erat, cum brachio ex vulnere amiſſo, miſſione donatus eſt. Ingenita comitas & moderatio, ſimul cum ſolertia, diligentia, & conſtantia non vulgari, ejus imperium fecit æque carum & efficax. Rectitudine, pietate ſolida, ſemper actuoſo religionis ſtudio venerandus hoſtibus patrem atque ſubditis. Nec facile dictu ſit, utri carior, provinciæ quam pacifice obtinuit, an ei quam pacatam reparavit, an regno ubi impatienti deſiderio expectabatur.

Nova Jeſuitarum ſedes.

Bonaurenſis Civitas Prætoris ſui vota ſecundabat. Noverat quid ille de Jeſuitis ſentiret: & quo tempore Paraguajenſibus commendabat eos Zavala, non dubium præbuit illa benevolentiæ documentum. Ab annis triginta urbs fines prorogaverat ædibus aucta, & populi frequentia, ad clivum maxime a Sancto Petro (c). Sed vicus ille jam ſatis frequens, pluviarum tempeſtate, ita circumcingebatur aquis, ut & commercium cum reliquis, & ſubſidia ſpirituale atque temporalia intercluderentur (d). Incolæ de ſpirituali magis ſoliciti, jam diu expetebant Jeſuitarum ſedem, oppido difficilem.

Anno 1734. vir nobilis ac dives D. Ignatius Cevallos, qui Bonis Auris radices egerat (e), ex Hiſpania quo erat profectus, imaginis B. Mariæ *de Belen* in Matritenſi noſocomio ſervatæ ſimilitudinem retulit, eamque in clivo a Sancto Petro forte ſuo (f) collocavit, æde ſacra cui ædituum deſtinaverat extructa. Pro ædituo de locandis duobus Sociis ſuggeritur conſilium, quod ille non tantum acceptavit, ſed de collegio P. Aquilarem interpellat, ſumptus pollicitus, dum ex Hiſpania, quo ſecundum parabat iter, regrederetur.

Provincialis votum admiſit, profectuſque Bonas Auras, neceſſariam Prætoris & Epiſcopi facultatem impetravit, dum regium de erectione diploma expediretur, hoſpitium fit proter ſacellum, mittiturque Jeſuitarum par: quo votis incolarum ſatisfactum eſt. Tunc Epiſcopus D. Joannes de Arregui, D. Michael de Salcedo D. Brunonis in præfectura ſucceſſor, & urbanum Concilium a Rege beneplacitum de collegio erigendo poſtulant. P. Ladislaus Oros Paraguariæ procurator in Curiam, haud ægre negotium conſecit. Collegio brevi extructo D. Melchior Tagle domum addidit ad Exercitiorum receſſum, ut victimarum vota cumularentur.

Montevidei portus frequentari coeptus, ab anno 1726. non magis quam clivus a S. Petro ſubſidiis ſpiritualibus abundabat. P. Aguilari, ut regimen provinciæ ſuſcepit, eo Miſſionarios juſſit excurrere: idque præſidio atque Præfecto (g) firmandæ Jeſuitarum ſedis deſiderium accendit. Annuit ille votis cum Prætoris venia (h): miſitque Sociorum par, qui nauticam una turbam quæ ſinum illum frequentat, excolerent.

Non ſolis Bonaerenſibus cordi erat, ut Socios foverent Paraguaica perſecutione perculſos. Sæpe vidimus Tucumanenſium Prætorum ſtudium promovendi zelum, inceptaque de Chaqui converſione. Nec minor fuit Epiſcoporum ſolicitudo, quorum conſilia patent ex literis Ill. D. Joannis de Sarricolea & Olea anno 1729. ad Regem Catholicum, & anno ſequente ad Clementem XII. datis, ut Epiſcopatum abdicare liceret, atque Societatem ingredi. Quodſi minus in ea vivere, ſaltem mori daretur, votis eorum, qui novitiatu defuncti ſunt, nuncupatis: idque conceſſum habuit. Paraguajenſes tamen Socii non diu eo potiti ſunt, quo potius indigebant Prælato, quam Socio; haud ita poſt ad Epiſcopatum S. Jacobi *de Chile*, deinde ad Cuzquenſem in Peruvio translato.

(a) Imo obiit in Paraguæ inſula Sanctam fidem & Confluentiam inter media. Caſum quaſi præſentiſceret, Confluentiæ ſe ad moriendum compoſuit, facta cum noto ſacerdote generali totius vitæ expiatione.

(b) Mariſcal de Campo.

(c) Alto de San Pedro.

(d) Non circum cingitur aquis, ſed præterlabente fluento, dum pluit, ab urbe reliqua vicus dividitur, facile parabili ponticulo conjungendus. Extemporanea itaque ſeparatio potius incuriæ, quam tempeſtatis exigua calamitas & malum eſt.

(e) Pari nobilitate fœminam ibi duxerat D. Annam de Rabanal.

(f) Non quod ibi domicilium haberet; ſed quia ſuburbium æde ſacra de reliquo vacabat.

(g) D. Dominico Sanctos Uriarte, qui & certam argenti ſummam contulit reſiſtentiæ dotem.

(h) Non modo Prætoris venia; ſed Regis binis ſchedis Montevidei ſedem ſeu Reſidentiam ratam habentis: altera, ut ad converſionem Minuanum Indorum gradus fieret; altera poſt Minuanum defectionem, ut ſpirituali ſubſidio eſſet, cum præſidiariis, tum incolis.

HI-

HISTORIÆ PARAGUAJENSIS.

LIBER VIGESIMUS.

ARGUMENTUM.

Barbari Paraguariam adorti. A neophytis diſſipantur. De Tobatinis. Ill. Palos obitus. De Chiriguanis. Lizardi martyrium. Zamucorum Reductio. Motus. Translatio. Zatienorum converſio. Intentum iter a Zamucis ad Paraguariam. Radix P. Caſtañares incommoda. Borillorum converſio. Libellus Regi exhibitus. Eo plures commoti. Quæſitor in Paraguariam miſſus. Arellani declaratio. Aguilaris reſponſio ad Baruæ ſcriptum. Indicti Senatus conſultum. Objecta Rodero, & Rico.

1734-36. Barbarorum incurſiones.

SI prudentia & bonitas D. Brunonis Mauricii de Zavala in Paraguariæ rebelles ſeveritatem mitigavit; prope fuit occaſio timendi, ne ſerius ira cœli placaretur, ex irruentibus undique barbarorum copiis. Guaicurui Hiſpanis infeſtiſſimi, & Mocobii (*a*), quos Tucumaniæ Prætor infeſtabatur, Paraguajenſium diſſidiorum tempore uſi ſunt. Quaſi ex compoſito ſimul diverſos ingreſſi fines ſuburbanos devaſtant agros; nec armatorum paucitas parcebat prohibendis urbis aditu, quæ provinciæ caput eſt. Ad Reductionum itaque auxilia confugiendum fuit. Quam poſſint plurimos mitti petit Prætor De-Chaurius; quorum celebi adventu barbari diſparent. Ex eo Paraguajenſibus colonis tandem perſuaſum eſt, præſentiſſimam contra hoſtes Hiſpanorum armis invictos opem a neophytis ſperandam, quibus tam diu maledixerant, quos probroſa cupiditate mancipia quam ſocios eſſe malebant. Etſi experimento non uno conſtare poteſt, libertatis jactura, etiam virtutes quæ religioni honori ſunt, & alacre ſtudium Regi & rei publicæ obſequia præſtandi, peſſum iri.

De Tobatinis.

Aliæ tunc Paraguariæ gentes Hiſpanorum prædia populabantur, in quibus Tobatini (*b*) Montanorum nomine appellati. Supra dictum eſt, anno 1723. quadringentas familias (*c*) Chriſto conciliatas Reductioni Sanctæfidei (*d*) ad Paranam aggregatas fuiſſe. Sed quæ miniſ territæ Paraguaicæ Communis, atque famis & calamitatum, quibus Reductiones illæ ſubjacebant impatientes, poſt decem annos de repente diſparuerant, nullo ſui poſt ſe veſtigio relicto. Notum deinde fuit, in ſilvas & montes regionis, cui nomen *Tarauta* (*e*), confugiſſe: unde poſt converſionem erant tractæ. Nunc vero in Hiſpanorum agros diſcurrebant, vias infeſtabant, & commercii diſpendio inermes trucidabant.

Unus Aguilar malo mederi poſſe creditus eſt; juſſuſque a Magiſtratu Provinciæ Procurator, D. Brunonem Aſſumptione commorantem de mittendis ad reducendos perfugas Jeſuitis interpellare. D. Bruno plus fecit quam petebatur, advocato Epiſcopo in conſilii ſocietatem. *Exhortatorium* Prælato exhibet, & P. Aguilari, qui ad ſuſcipiendum id oporis tanto conamine non indigebat. Vixdum conſilium in finitimis Reductionibus innotuit, periculo plenam ſponden operam Miſſionarii, ægre ſedato recuſatorum voto.

1737-38. Poſt Zavalæ diſceſſum Prætor cœpta proſequitur: litteriſque ad Regem ineunte anno 1738. datis ait, ab illo factam Patribus Societatis petitam poteſtatem Reductionem Tobatinorum in Taruma conſtituendi. Sed hujus Miſſionis fructus tardior opinione fuit: nec niſi poſt annorum aliquot indaginem transfugæ Tobatini, certa videlicet ſede carentes, inventi ſunt infra narrando ſucceſſu.

Epiſcopi obitus.

Eum videndi ſolatio caruit Epiſcopus, ad quem maxime ſpectabat. Menſe Septembri anni 1737. apoplexia correptus eſt: & quanquam auxilium præſto fuit, vitæ finem appropinquare cognovit. In Dei judicium intentus, de pluribus conſultus, præſertim de libello D. Bartholomæi Alduinate ſupra memorato, ac de ſcripto infra memorando D. Martini de Barua, ad Regem retulit. Reſponſum pro teſtamento ſit Epiſcopi de maximis & ſanctiſſimis, qui Americam illuſtraverint. Minutias bino libello contentas non deſcendit; ſat nihilominus ait, ut conſtet nullo non numero ab authoribus imponi. Literas prolixiores quam ut hoc loco referendæ ſint, vide in Documentis.

Obiit die Veneris ſancto poſt annos quatuordecim, quam eam ſedem difficillimis tempori-

(*a*) Alibi lego *Mbajas*, quæ gens alia erat Hiſpanis infeſta, Guaicuruis affinis, & fortaſſe indiſtincta. Sed etiam Mocobii eo tempore finibus imminebant.

(*b*) Tobatini non tam Hiſpanorum infeſtabant prædia, quam herbarios, quorum ſarcinas, & labores igne corruperant ipſi, vel vicini infideles.

(*c*) Familiæ ſexaginta non plures erant: in iis tamen capita quingentis vel quadringentis non pauciora.

(*d*) Reductio eſt *a Sancta Maria de Fide*, non ad Paranam, ſed in iis, quæ dicuntur *De abaxo* Tebiquarim verſus.

(*e*) Non *Tarauta*, ſed *Tarumà*: quod ſilveſtris olivæ nomen & genus eſt, in ea regione vulgaris: unde & regioni nomen adhæſit, quæ centum leucis a Reductionibus diſtat ad boream.

Digitized by Google

poribus gubernaverat. De Religione ac de Republica merita, & collata opera ad oves has in officio continendas, illas in viam revocandas, Philippum V. moverant, ut in ſedem magis conſpicuam elevatum vellet. Sed Deo ſervire contentus in eccleſia tenui, tot licet in dies anguſtiis oppreſſus, ut merito ſponſam ſanguinis appellaret, eam dimittere animum non induxit, donec in ſinu paupertatis vivere ceſſavit.

Concilii ſæcularis literæ.

In litteris ad Regem, quarum nuper memini, querebatur, multa in urbano Aſſumptionis tabulario ſervari contra immunitatem eccleſiæ, contra ſe, & nonnullos Canonicorum, contra Parochum S. Blaſii, Jeſuitaſque, turbarum tempore lata decreta; eo quod de radendis, comburendiſve, dicebatur, nullum eſſet mandatum. Id tamen Concilio ſæculari, quod erat tunc, imputandum non eſt; communibus enim litteris ad Regem datis, de Actis his ut de libellis famoſis loquebatur, contra Epiſcopum, Clerum, Jeſuitas, honeſtiſſimoſque civium per authores ſcriptis, quos non probitas commendabat, non honor, non religio, qui immunitatem & eccleſiaſticam juriſdictionem conculcaverant. Addebat, D. Brunonem Mauricium de Zavala nihil ea de re abſque Regis mandato tentare auſum, ſed tantum ſcripta ejus argumenti vulgata, manu carnificis comburi juſſiſſe. Pronum ad fidem eſt, Philippum V. venerandi Antiſtis & Magiſtratus annuiſſe votis; nihil tamen in Documentis, quibus utor, inveni.

1731-38. Intento Chaqui converſio.

Solicitudine de rebus Paraguaicis Prorex Caſtelfortius prohibitus non eſt, quominus intenderet curam ad prædeceſſorum incœptum, Epiſcoporum Prætorumque Tucumanenſium ſtudio ſecundatum, & tanto jam miſſorum ſanguine irrigatum; ad Chaqui videlicet converſionem, ut imperio Regum Catholicorum ea provincia ſubderetur ſponte. Cum maximus eſſet a Chiriguanis obex, quibus converſis poterat conſilium promoveri, fruſtrata ſæpe contentio nec Proregi, nec operariis evangelicis ceſſandi ratio fuit.

Sed erat difficultas non una. Hinc Hiſpanorum in his provinciis vires, continendis barbaris, atque perfidis caſtigandis impares: illinc diffidentiam, & non ex vano timorem, ne per fidem in ſervitutem redigerentur, diſſipandi neceſſitas. Nihilominus quia quod nimium expetitur facile ſperatur, & quia Tucumaniæ tranquillitas a gentis deditione pendebat, quæ Hiſpanis confœderata Chacum continere poterat, & converſa ad illius converſionem viam ſternere, de conjungenda religionis nexu conſilium agitabatur.

Socii de cætero operam conferre ſuam parati erant, licet difficilem; non modo quia conatus vel irriti viris apoſtolicis lucroſi ſunt, quorum merces ab excelſo, non a laborum ſucceſſu pendet; ſed quia gratiæ momenta dum adſunt, duriſſima corda triumphat: nec Dei miniſtris ea momenta deſperanda ſunt, neque dum adſunt, abſentes illos & imparatos eſſe licet.

De Chiriguanis.

Hac animorum nota diſpoſitione Tarixani, Chiriguanorum incurſionibus maxime obnoxii, uſi ſunt; qui litteris 12. Februarii 1731. datis ad Caſtelfortium referunt, rei publicæ ſecuritatis a furente barbaro ſpem, de convertendo ad veri Dei cultum contentione niti; mittendos qui ſpiritu, ſub uno præſide, una collaborent; in religioſis ordine diverſis uniformitatem defuiſſe, quia licet pari ſalutis animarum zelo, methodum ſecuti eram, alius aliam; adhibendos Patres Societatis Jeſu, quorum inſtituti eſt infidelium converſio, quibus eſt idiomatum facultas, quorum multi erant chiriguanice periti, quibus barbari confidebant, & qui ex Regum Catholicorum privilegio de ſervanda libertate ſecuritatem facere poterant. Agendum cum Auditorio Platenſi, ut Jeſuitis Chiriguanos convertendi provinciam delegaret.

Ad Provincialem mandata.

Plus egit Prorex quam rogatus erat. Tarixenſium litteras protulit in Limano Senatu, ex cujus conſulto decretum fuit, ut Platenſis Curia Jeſuitarum Paraguai Præpoſito injungeret Sociorum expeditionem ex Tarixæ voto. D. Franciſcus Herboſo Curiæ Præſes 6. Julii dedit litteras ad P. Herran, quibus poſt relatas Tarixenſium preces, Limani Senatus conſultum, atque pro Rege decretum, conſenſum indicit. A Tarixa ſimul officioſas litteras accepit Provincialis 6. Auguſti ſubſcriptas, de ſpe felicis exitus concepta, ac de incœpti deſiderio.

Miſſorum delectus.

His petitionibus & mandatis ad unum mittendorum delectum arctabatur Provincialis, in tanta ſe offerentium copia. Ducem vero expeditionis eligere non diu moratus eſt virum miſſionis quidem cum primis avidum, ſed obedientia ſuſcipiendæ: quem certa tenebat martyrii ſpes; Julianum Lizardi natum Aſteazu Cantabriæ loco quatuor a S. Sebaſtiani leucis diſſito, qui quatuor annos Reductionem Sancti Angeli ad Uruguaim procuraverat.

De P. Lizardi.

Forteſſe nullus erat in Paraguai miſſionibus pietate præſtantior: nec Provincialis, qui ex Hiſpania in Americam eum tranſvexerat, alium conciliando cœptis auſpicio cœlorum magis idoneum arbitratus eſt. Ea dum abſenti proponit, quærit ſimul nunquid habeat quod ſuæ miſſioni poſſit obſtare. Cui Lizardius reſpondit, rem ſibi optatiſſimam non poſtulaſſe, veritum nequid peccaret in Dei voluntatem per Superiorem manifeſtandam. Ad eundum mandata ſolum præſtolari. De Lizardio certus Provincialis, qui eo tempore Reductiones luſtrabat, ſocios adjungit P. Ignatium Chome, & P. Ioſephum Pons, utrumque Gallo-belgam (a), quos Tarixam comitari voluit, ut primordia miſſionis ordinaret.

Uru-

(a) Chomè quidem erat Belga; ſed Pons Hiſpanus Pi natus Gotholauniæ oppido, non procul a Pui-cerda, in Diœceſi Urgelitana.

Digitized by Google

Urtiguaicum iter suscipiunt ineunte Majo 1732., Junio descensuri ad Bonas Auras. Ibi aliquandiu moratus olim fuit Lizardius: & Prætor D. Bruno Mauricius de Zavala, cui carus erat, & a Sanctitate venerandus ejus absentiam ait ægre se tulisse; nunc vero dolere maxime, quod ad feros perfidosque Chiriguanos amandaretur. Respondit ille, bis lætum sibi accidisse Provincialis mandatum, & quod inde speraret martyrii lauream, & quod eam uni obedientiæ referret acceptam. Hæc respondenti pius Prætor illacrymatus est: animique sensus tunc excitatos, & quos memoria subinde excitabat, post servi Dei cædem profiteri solitus erat.

Tarixam adventus.

Bonis Auris Tarixam iter longum atque difficile Provincialis valetudinem affecit, cui triginta procul a meta leucis sistendum fuit in pago Marchionis a Valle Toxo (*a*) simul cum Missionariis, non magis ad progrediendum expeditis. Pridie Kalendas Decembres Tarixam ingressi mirantur, bellum contra Chiriguanos adornari, ab admittendis Missionariis aversos, ut nunquam magis. Post dictam ad venis salutem, ait Subprætor, pluviarum finem expectare se, ut cum exercitu barbaros ad pacem vi aut voluntate compellat, cujus prima conditio sit, ut admittant Missionarios, atque habeant ut par est.

Responderunt Patres, suum ad Chiriguanos aditum non appendendum belli casibus; Evangelio sibi pugnandum contra infideles; nec expectandum pluviarum finem. Admonet Subprætor, nimia festinatione periculum confici spe nulla. Ad quæ Provincialis ait, apostolicos operarios eam tantum decere viam ethnicis fidem annuntiandi, ut Christi mandatum observent de non timendis qui occidunt corpus: Missionarios paratos esse oportere ad fidem, quam prædicant, sanguine confirmandam: nec armis disponendos infideles ad Christianismum. Mox Cordubam regressus Tarixæ reliquit Socios, in Exercitiorum recessu de Chiriguanis solicitos.

Colligun-tur Christianorum reliquiæ.

Spinosum quidem incœptum aggrediendi contentio non usque adeo imprudens erat, ut opinio Tarixæ fuit. Tariqueana Reductio, de qua supra dictum est, sic erat diruta, ut rudera quædam extarent. P. Ximenez eam diu moderatus Tarixam necessitate venerat, solicitudinem non abjecerat. Collegii procurator in prædio septem leucas distante diu morari consuevit. Veterum neophytorum plures eo loci accesserunt, & comiter accepti in vicinia considunt. Sæpius visitati eo sensim adacti sunt ut ædiculam extruerent, cui factum est nomen a Conceptione (*b*) prædii proprium.

Quidam etiam ex iis, quorum causa Missionarii Tariquea cesserant, aut quos aliorum impetus seductos in defectionem compulerant, ut norunt quæ apud Conceptionem gerebantur, accurrunt, benefactisque devincti, & suspensa Hispanorum de insultationibus ac latrociniis vindicta, novæ ecclesiæ aggregari cupiunt, annuente Ximenio. Male habebat quosdam, quod tot barbari prope Hispanorum agros considerent, ac de amoliendis deliberatum erat. Sed Ximenius objecit, Christianos esse, quorum salus, si suis hortationibus destitueretur, in discrimen vertebatur; eorum plures insontes esse parvulos; parumper expectandum, ut sui specimen præbeant, e re nata consilium mature posse suscipi.

Reductio a Conceptione. Dynastæ conversio.

His rationibus quievit motus, compactaque Reductio fervoris incrementum accepit, singularibus e cœlo beneficiis irrigata. Maximam fecit religionis apud Chiriguanos promovendæ spem nobilis in ea gente dynastæ conversio *Jaguaró* nomine (*c*), antea christianismo infensissimi. Ximenius captum ab Hispanis, atque Tarixæ in custodiam traditum convenit, nec animum despondit male primum acceptus. Iteratis visitationibus barbari gratiam conciliavit, ad Christianæ religionis æstimationem sensim ducit, erudit, baptizat, libertate donatum Conceptionem defert, haud pœnitendo successu.

Missioni obsistitur.

His porro apud Chiriguanos proficiendi spes Lizardii & Sociorum innitebatur. Tres nihilominus menses, obtinuerunt obstacula, in oppido quo postulante venerant, haud expectata. Pluribus etiam consilio sanis persuaderi non poterat, solidiorem de nova Reductione spem esse, quam ex aliis, tunc funditus gentis inconstantia dilapsis, cum maxime perseveraturæ credebantur: nec probari quod operarii tres, ea ætate & virtute qua gentibus aliis diu prodesse poterant, temere in discrimen conjicerentur.

Lizardii responsio.

Objectis respondit Lizardius: Si Apostoli, & Apostolorum successores ejus prudentiæ retinaculis obstricti essent, si fructus tenuitate absterriti, adhuc mundum paganismus offuscaret. Nequid de primis Ecclesiæ sæculis dicam, aut de longinquis regionibus; an Guaranii & Chiquiti erant melius Chiriguanis ad Christianismum comparati? Quid non Guarani contra primos eorum montium exploratores machinati sunt? E martyrum cruore nata sunt Christianorum millia. Chiquiti vero cum primum ad eorum tractus flexa est cogitatio, quid hominum erant? Nunqua vero

(a) Nomen pago *Javi* prope confinium Tucumaniæ Diœcesis & Charcarum. Ut eo veniret Provincialis æger, crate lignea gestandus fuit, succollante comitatu, in quo decem erant Jesuitæ. Ab hoc numero Missionis hujus diu nomen obtinuit *Pia ra de Tearinos*: quod apud muliones indigenas vulgatæ significationis est.

(b) Nomen *a Conceptione* valli commune est, in qua complures agri Hispanorum sunt, præter datum Reductioni locum.

(c) *Jaguaró*, & *Jaguaré* immanis & raræ belluæ nomen est, qualia barbari sibi propria facere consueverunt. Sonat Hispanis *Tigre de agua*. Animal est amphibium, armentis in amnium ora pascentibus infestum: qua unguibus suffossa, in aquas deturbantur, momento temporis lanianda. De quo vide Thomam Falkner Anglum in *Descriptione Patagoniæ*; & Ephemerides Romanas anni 1775. 17. Jun. numero XXIV.

Digitized by Google

vero in præsentiarum ecclesia floridior est? Post tam mirabiles & præter spem eventus fieat humana ratio, dicente Domino: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*.

Ejusdem erant sententiæ Pons & Chome, nec in mentem adversantibus oppidanis revocare cessabant, eorum precibus susceptam esse provinciam. In exequendis igitur mandatis perseverant: ac nemine jam prohibente, admonentur tantummodo, præstare ut eorum duo cum ducibus aliquot in Salinarum vallem præcedant: inde monticolas Chiriguanos invitent ad pacem, dum P. Chome seorsim tempus expectaret idoneum in montes penetrandi.

1733. 38. Reductio a S. Anna.

Consilium Lizardio probatum fuit, qui cum Ponsio venit in vallem Salinarum (*a*): unde Chiriguanos invitavit ad se cum socio ultra conducendum. Officio non respondent. Et quanquam silentium animi alienati documentum videri potuit, ad quærendos cum Pons iter intendit. Mox divisi singuli Chiriguanos inveniunt, a quibus comiter accepti sunt, nullum tamen ad Salinas attrahere potuerunt. Lizardius quidem Caciquium conciliavit, iis cum familia adjunctum, quos Ximenez in Conceptionis valle procurabat. Hos ad Salinas transferendi consilium subvenit, quod deinceps perfectum fuit. Ipse vero translatorum ad Sanctæ Annæ vallem curam suscepit.

Iter ad montes irritum.

Eodem venit Jaguaro dynasta, uxoremque cum filiis adducere voluit. Quinetiam spe subditorum gregem attrahendi ad Parapitim natale solum in mediis montibus (*b*) ire constituit. Fiduciæ datum est ne prohiberetur; sed e re fore visum fuit, ut aliquis Patrum comes iret: iterque periculosum ultro suscepit Pons. E pagis primum obviis pacate licet acceptus neminem post se movere potuit. Quinetiam Christum annunciare prohibitus est, opera scilicet, ut deinceps rescitum fuit Chiriguani cujusdam, qui in S. Annæ summam cum Missionariis, amicitiam simulabat, clam vero gentiles suos monuerat, Hispanorum perinde esse religionem, accipere, atque servitutem servire.

Meliora sperabat Pons ex alio regionis tractu, in quo Jaguaró plurimum se posse testatus erat. Dum tamen eo ventum est, in dynasta mutato nonnihil humanum animadvertit: monxque rumor increbuit, Missionarium occisum esse, in S. Annæ ita creditus, ut de mutanda Reductione deliberatum sit. Sed importuna transmigratione malum admoveri potius, quam periculum removeri, a Missionariis confectum est, e quibus Lizardius Ponsii sortem indagandam in se recepit, quamquam itineri per Chiriguanos Montes difficillimo impar erat valetudo.

Viarum asperitas.

Præter difficultates alibi locorum communes, propriæ ibi sunt, audacibus etiam horridæ; calidissima æstas, hiems rigidissima, venti nulla non tempestate impetuosi, viæ undique inaccessæ. Per nivales montes abruptos perpetuo ascendendum, aut descendendum est, ubi gradus non fallit sine præcipitio, & feræ passim voraces inhiant. Horum nihil Missionarium latebat: nihil de divina gloria sollicitum morabatur.

Dynastæ obitus. De Missionariis calumnia.

Ponsium tandem invenit, vivum quidem, sed itineris successu mœstum, eo maxime quod viæ dux fidem nulla parte liberaverat. Jaguarous tamen indivulsus ad S. Annæ redibat, ubi mox obiit in Christo. Opinio fuit, plura quam poterat pollicitum esse; notatamque mutationem inde ortam, quod verba dedisse pigeret, & læsæ fidei vereretur famam. Missionarii traditores esse in proselytis suspicati sunt, dum insimulantur illatæ Jaguaroö cædis, quasi ad perfidiam hominis ulciscendam. Quæ calumnia per montana dissipata dynastæ mortui filium (*c*) in furorem egit, ut perniciem & incendium Reductionis & Patrum conjuraverit. Sed haud ægre factum est, ut errorem deponeret.

Nova Sociorum excursio.

Tunc Socii denuo montes adoriri tentarunt, qua Pons quosdam esse Indos retulerat a regno Dei prope distantes. Quarta Novembris profecti, dum in conductum venum est locum, animadvertunt, Ponsium specie deceptum, & amicitiam exhibitam una largitionum spe inniti. Ad locum itaque unde venerant, regrediuntur.

Cum

(*a*) Hunc primum Missorum ad Chiriguanos aditum fuisse putat Historicus, deceptus, credo, ab Authore Vitæ P. Lizardi (§. XIII.); jam tamen aditus duo præcesserant. Alter, quem P. Chome refert in *Literis Ædif. & Curios tom. XXIV.* pag. 266., quem incidisse opinor in Januarium 1733. Alter cum, divisis Sociis, Pons ad Cujambuios Chiriguanos Rubicundi amnis accolas se contulit; ex quibus in Reductionem *a Conceptione* retulit quadraginta septem, quos cum aliis ibi sub Ximenio congregatis quinque menses excoluit. Hic ad Cujambuios aditus in Februarium ejusdem anni incidere potuit. Iter vero Lizardii & Ponsii cum Hispanis in vallem Salinarum contigit Julio, Hispanisque post quatriduum a condicto ad conveniendum die Tarixam repedantibus, eoquod infideles non comparerent, Missionarii rursus dividuntur. Lizardius ad Cujambuios se contulit, quo prius venerat Pons. Hic vero solus cum puero penetrans in montes quarto die venit Itaum, quo vocatus dynasta post biduum adest, quod Hispanis non respondisset excusans. Excusarique petit apud Subprætorem. Ad excusandum Tarixam profectus est Pons. Sed noluit Subprætor rursus ad confinium accedere: neque duces eo mittere iterum fortasse ludificandos. Pons idem Tarixá cum Jaguaro exiit Septembri minimo lucro rediturus intra duos menses. Quatuor votorum professione Tarixæ nuncupata prima Novembris, quarta e Salinis triginta leucas distantibus ad montium interiora penetrat cum Sociis, singulis in loca diversa contendentibus, regressisque simul ad confinia 24. Novembris. Anno sequente 1734. Martio vel Aprili tres simul Socii Itaum usque profecti, retrocedere coacti ab infidelibus sunt.

(*b*) Parapitis amnis, regioque adjacens non in mediis est montibus, sed ultra montes, ad Sanctam Crucem versus.

(*c*) Nomen filio *Jagereca*, qui Guacaiæ imperabat.

Digitized by Google

E periculo incolumes.

Cum solus procederet Pons, inciderat in Chiriguanos (a), qui indignum in modum habitum, toga etiam spoliant, occidendum, nisi Caciquius obstaret. Ad socios rediit uno tectus indusio, femoralibus, & tibialibus coriaceis. Eos assequitur in Carapari pago, cujus incolæ Lizardium observabant, *Necang* dynastæ carum. Nihil tamen ibi Patribus erat tutum, quos Chiriguani prope insecuti, certi Necangum eo die peregre abiturum annonæ causa, nocte proxima jugulare constituerant.

Prope distabant a Carapari pago, quo caute appropinquabant. Dum lunæ occasum præstolantur ad irruendum, eorum quidam haud ita pridem munusculo conciliatus, ad monendos Patres clam præcedit. Succedunt reliqui, & ex paganorum motibus conficiunt, revelatum esse consilium. Simul intelligunt, Necangi filium ad revocandum patrem advolare, nec diu fuit quin hic superstaret.

Grassatores exarmat Necangus, increpat infamiam, viros non male meritos occidendi. Conversusque ad eorum ducem, intenta lancea minax, vix ait me contineo quin perditum hominem transfigam. Sed ira mea, addidit, indignus tu es. Contemptis reliquis, ac dimissis armis restituit. Patres gratiis ut par erat habitis, protectori valedicunt. Non procul aberant, cum a Necango per missum filium revocantur. Regressis Sociis Lizardius in pagum alterum procedit, a Carapari distantem quatuor leucas.

Necangus ait, abeuntes revocasse, quod grassatorum dynasta, Hispanorum ultionem veritus, injuriam reparare vellet, & se insontem profiteri. Responderunt Socii, æquum haud esse, ut post totius noctis insomnia quies etiam diurna turbaretur. Siquid vellet grassatorum dynasta, in pagum se conferret, ubi a Superiore expectabatur. Venit utique postridie mane, comite Necango. Se purganti respondit Lizardius, sons ne esset, an insons non quæri: rem esse cum hominibus, quorum religio est ut bonum pro malo reddant: velle se fidem dicto præstare: nihil ab Hispanis ea causa timeret: ut constaret, nullam animo contra grassatores inesse acerbitatem, venturum se ad salutem reddendam, visitationisque officium, cum pluviæ cessarent.

1734-38. Chiriguanorum de religione sensus.

Obstrui viæ ita cœperant, ut Missionariis ad S. Annæ redituris, passim aqua rennes attingeret; neque torrentium copia mulis uti sinebat: neque ad pernoctandum suppetebat locus. Ad S. Annæ nihilominus valetudine integra ventum est. Unde ad Provincialem de Chiriguanis hæc scribunt: „ Humanæ rationis judicio spe caret gentis conversio. Sed manus Domini non est abbreviata: ejusque bonitas infidelium cordis duritiem superat. Quanquam pars major a religione sancta sunt plane aversi, ut se prius lacerandos affirmaverint, quam convertendos, desperandum non est. Dei, cujus misericordiæ non est numerus, servi sumus: & quandoquidem nostra, licet indigni simus, opera uti vult, paratos esse oportet ad momenta emolliendis infidelium durissimis constituta. "

Immatura videbatur messis, nam Patres admittentium amicitiam una spes munerum sustentabat, quæ tributi loco non impune intermittendi censebantur. Imo gratiam haberi volebant, dum donatis erant contenti. Deinde quia securitas apud eos Hispanorum timore nitebatur, qui pro loco & tempore varius est, nec timor est genti communis, quæ prima semper Hispanos provocat, nec timet nisi cum imminet incursio, aut procul distat auxilium.

His addebant, ad superandos novo periculo montes paratos se esse fructus tenuitate minus absterritos, quam fiducia concitatos, compensandum a Domino laborem ministerii successu; ad Pilcomajum usque penetrare constitutum esse, nisi quid obstaret; forte ultramontanos esse mitiores.

Reductionis a S. Annæ vices.

Etiam in S. Annæ, ubi tunc erant, vita periclitabatur: nam & qui perfidiam dissimularent, erant inter proselytos, & perpetuus ab infidelibus timor, sic interdum invalescens, ut emigrandum aliquando sententia steterit. Erat locus in Vale Salinarum, quæ superior dicitur (b), Chiriguanorum incursionibus obnoxia diu, quarum memoria nondum mente neophytorum exciderat. Barbari quidem recesserant, sed haud longe: eratque timendum, ne Christianorum malo propius accederent.

Martyrii desiderium.

Duodecim leucarum intervallo secundum flumen jacet vallis altera, vel ejusdem pars, quæ inferior dicitur, cui longius imminere censebantur infidelium insultationes. Eo translata Reductio mense Majo 1734. nomen a Conceptione retinuit. Mox cum Missionarii iter ad montes adornarent, monitus est Lizardius, in adeuntium caput conjuratum esse. Huic alter succedit nuntius, Chiriguanos *Ingrèe* vallis incolas, Missionarios quotquot manu caperent, Tobis venumdare juratse. Sed respondit ille, vel hac una spe martyrii, aut servitutis, quorum metus ciebatur, suscipiendum iter. Jam pridem illi de felici vitæ aut libertatis pro Christo jactura perpetuus erat sermo: iisque sapiebatur sensibus, ut non diu superstes fore censeretur.

Reductio bifariam dividitur.

Supersedere nihilominus oportuit itinere jamjam aggrediendo. Neophytorum plures eorum præsertim, qui se Ximenii curæ tradidetant, nec emigrationem probabant, in murmur & questus erumpunt: nec in ea animorum perturbatione consultum erat Ximenium de-

(a) Erant ex pagis, quibus *Tareiri* nomen est, ultra Pilcomajum a Ponsio transmissum.

(b) Est locus prope Tarixam vix quatuor distans leucis, ubi Chiriguana Reductio sedem habuit aliquando precariam.

Digitized by Google

deſtitui. Interea venit Tarixam Aguilar Herrani ſucceſsor, qui de iis monitus, quæ apud Conceptionem gerebantur, Reductionem dividendam conſtituit: quod & neophytis probatum fuit. Diſſidentes eo regreſſi, unde inviti ceſserant, nomen reſumunt a Conceptione. Reliquis in inferiore valle nomen inditum a Roſario. Illius cura Ximenio, hujus Ponſio demandatur; utriuſque Lizardio.

Lizardii excurſio.

His Auguſto menſe peractis, Conceptionem venit Lizardius, vulgato rurſus infidelium adventu paventem. Non pro merito increpuit eo regrediendi voluntatem, ubi metus erat. Maluit ſecuritatem facere: non eſſe credendum rumori vano. Sed motus non prius quievit, quam ille montes adire promitteret ad inquirendum, numquid eſset verum. Profectus ex tempore uſque ad Pilcomajum, nullibi apparatum belli animadvertit.

1735.-38. Ex itinere fructus.

Chriſto dynaſtem de via conciliavit, Reductioni cum familiaribus adjunctum, & continuo a fidelitate probatum: nam compertam in Ingrèe valle in caput Miſſionarii conſpirationem, opera clam data, diſſipavit. Servi Dei reditu quievit ab infidelibus neophytorum timor. Martio ſequente Ximenio revocato. Conceptionis curam ſuſcepit, quam gerebat ille.

Neophytorum fervor.

Igne quo paſtor ardebat, in pagum diffuſo, is extitit fervor, ut nulli Paraguaicorum cederet. Ex eo notum fuit, Chiriguanos vere Chriſtianos eſſe poſſe, ſi gratiæ ſuaſionibus corda non obſtruant. Cum diem totum daret gregi procurando, vitam laborioſam, & terræ cultum exemplo doceret neophytos, non intermiſſo aſſiduarum inſtructionum penſo, caritatem reliquis virtutibus ſalva juſtitia prævalentem, exercitiis ſpiritualibus derogaſſe, ſuſpicio ſit; at nox erat ſupplemento, atque ſomni tam parcus erat, ut miraculo viveret.

Mortem prædicit.

Ximenius aliquandiu comes admiratione corripi videbatur, cum poſt illius mortem, de vita incideret ſermo. Eo tamen ſtupuit maxime, quod rogatus a Lizardio, ut generalem vitæ confeſſionem audiret, vix quo abſolutio niti poſſet invenerit. Sub diſceſſum affirmanti, Superioribus certum eſſe, eum a Reductione in prima provincia munera quantocius transferre, reſpondit antea moriturum ſe quam ullum a Superioribus acciperet mandatum. Ximenius, quid ſignificare vellet ſuſpicatus ait, ſibi dolendum quod bis pro Chriſto moriendi feciſſet jacturam. Cui Julianus: Quid ſi affirmaverim intra dies paucos id honoris a Chiriguanis manere me? Reſpondit Ximenius: Id ego non meritus, mirabor ſi tibi non contingat.

Conceptio diruitur.

Paucis poſt colloquium undecima Aprilis habitum diebus abiit Ximenius. Et Maii decima quinta monitus eſt Lizardi (a), Ingreanos contra Reductionem arma movere. Additum fuit, tempus fortaſſe non defuturum, auxilium a Tarixa petendi. Sed ex vano inſtar priorum rumorem eſſe ratus, aut periculum non uſque adeo præſens imminere, ne turbarentur neophyti, ſiluit. Sero de more apud ſe receptus, abſoluto ſpirituali penſo recubuit ad mediam uſque noctem. Poſt orationem accedit ad aras. Introitum abſolverat, cum Chiriguanorum globus, qui nocte appropinquaverat, prima luce a Chriſtiano quodam nomine *Emmanuel* viſus fuit, qui ad ſacram ædem, quo cuncti neophyti convenerant, accurrens exclamat: hoſtes præ foribus.

Hiſpani & fœminæ Chiriguanæ beneficium.

Cunctis in proximam ſilvam elabentibus, ſacerdos cum ſacriſta ſub offertorium reſtitit. A neophytis ſecum fugam capeſſiviſſe ratis, in aſylo deſideratur. Tunc Eliſa quædam, conſulis uxor clamat: „ Noſter demoratus eſt Pater. Ad ſervandum, vel una moriendum ire juvat. “ Euntem alii viginti ſecuti ſunt. Strepitu excitatus Lope Martinez Hiſpanus faber, dum cauſam cognovit, monet, uxorem, ut in ſilvam cum Chriſtianis ſe recipiat, ad eccleſiam ipſe tendit, de Miſſionario ſervando ſolicitus. Sed ante januam cecidit ſagittis confixus, dum hoſtium alii uxorem ſequuti fugientem, & aſſecuti manucapiunt.

Capitur ſacerdos cum miniſtro.

Sacerdos ſacrificium intermittit, non conſummandum veritus. Ad aram tamen ſtare perſeverat, ſacrificiumque ſuæ probat vitæ. Stantem barbari adoriuntur, ſacro habitu ſpoliant, togam diſcerpunt, manus ligant. Generoſam capiunt Eliſam, cum iis quos præiverat exemplo, atque ſacriſta nomine *Bonaventura*. Indus hic erat (b), quem Hiſpana hera ea lege manumiſerat, ut eccleſiæ ſerviret. Fidei merito, & injuncti muneris ſolicitudine ſtetit ei martyrii palma. Quidquid imaginum & ſacri apparatus inventum eſt, corrumpunt, ac de tuguriis quidquid erat utile convaſant: cetero faces admovent. Brevi redacta in cineres Reductione, barbari cum præda & captis abeunt.

Martyrium.

Frigus Lizardio ſeminudo ſpiritum intercluſit nocte ſequente. Chiriguanorum dux miſericordia motus progredi non potenti mulum parabat, ut quo libitum eſſet abiret. Sed obſtitit turba: & quem longius abducere non poterat, ex tempore conficere maluit. In proxima rupe, non amplius quatuor paſſuum millibus diſtante a Conceptione, ex toto fere nudum ſedere faciunt, & vinculis manus abſolvunt. Tunc ille brachia in crucis formam extendit, dextra crucifixum tenens, cœlum advolare paranti ſimilis. Non diu eo ſtetit habitu. Grandine ſagittarum transfixus corruit decima ſeptima Maii, cum medium ætatis annum trigeſimum nonum ageret,

(a) Monitus per nuntium a P. Pons. Hunc tamen monuit Joannes Jarama Chiriguanus, dum Chiquiaca ſtabat, baptizatus a Patribus Dominicanis. Tunc vero Roſario tranſibat a dynaſta Itauano Catuari miſſus Tarixam ad paciſcendum cum Hiſpanis. Jaramam allocuti novimus anno 1759. ſuperſtitem inter Miringanos.

(b) Indus, miſtinduſve; nam Indus ſincerus mancipium non fit.

Digitized by Google

ret, & vigesimum secundum ex quo Societati Jesu nomen dederat.

Sacristæ martyrium. Ad Bonaventuram deinde convertitur barbarorum rabies. Postquam diris modis vexatus est, ad oram usque Salsi fluminis raptatur, ibi mactandus. Capti omnes Ingreanis venundati, & crudeliter habiti. Postridie Chiriguanorum adventus nuntium accepit Pons: misitque neophytum, qui quo devenisset Lizardius investigaret. Cum nihil non incertum retulisset, ipse omnia perscrutatus, locum & modum invenit, quo sacrificium consummaverat.

Lizardi exuviæ. Septima Junii corpus reperit ab imo ventre per carnivoras volucres pulpa nudatum. Inde ad collum pene integra pellis erat: sagittæ sex pectori infixæ, plures circum sparsæ. Crurum alterum tibiali coriaceo opertum. Digitorum in pede altero tres desiderabantur, & inferior maxilla. Lacerum sic jacebat corpus juxta rupem. Breviarium juxta caput, Officium hebdomadæ sanctæ, Instituti Societatis compendium, & Crucifixus paulo infra Breviarium. Ex sacculis hi libri extracti videbantur.

Honor redditus. Collectas exuvias in ecclesiam primum Reductionis a Rosario portavit Pons, inde in S. Annæ sacellum non amplius (quatuor vel) quinque Tarixa distans leucis. Arcula intus & foris rasa densaque bombyce cooperta inclusæ deferuntur ad oppidum longe procedentibus incolis, quorum primores lecticam succollarunt. Ante oppidi ingressum aderat Doctor D. Joannes Cartagena & Herboso, Vicarius Generalis Archiepiscopi Platensis, trabeatus inter diaconum & subdiaconum superpelliceis indutos. Sequebantur Religiosi Augustiniani, Franciscani, Fratres a Caritate, & Jesuitæ: deinde Magistratus cum nobilibus & populo reliquo.

Arculæ duplici sagitta in decussim fastigiatæ, supposuerunt alternis ex eo loco humeros Superiores Regularium, Consules & Senatores. Excepta fuit primo in S. Francisci a Sacerdote cum Crucis effigie, qui *Te Deum* præcinuit, & in tumulo eminente collocata. Cœnobii Præses pro concione laudavit Christi confessorem. Postquam dixerat, missam SS. Trinitatis solemni ritu celebravit Vicarius Generalis cum oratione *Pro gratiarum actione*. Defertur tandem in collegii templum eodem ordine. Ibi per Jesuitam laudes martyris inculcantur, & arcula sub altaris maximi abaco ad evangelium deponitur.

Huc exiit Lizardii præsensio, cui ad Chiriguanos missio spem potius martyrii, quam religionis solide promovendæ fecit. Sperandum est nihilominus Jesuitas quandiu in Paraguaria sint, Chiriguanos ad veri Dei cultum solicitare non cessaturos. Id nunquam absque aliquorum conversione tentatum est. Sat hoc sit apostolicis viris, quos vel unius animæ Dei sanguine redemptarum non latet pretium.

Chiriguani dynastæ benefactum. Interea neophyti Conceptione dilapsi Rosario aggregati erant, quod vitaverant periculum prope subituri. Idem Chiriguani, quorum dynasta anno præcedente conciliatus erat, & Ingreanorum dissipaverat conspirationem, ut Lizardii cædes, excidiumque Conceptionis vulgata sunt, exterminati Christianismi laudem participare gestiunt, aciemque dirigunt contra pagum a Rosario. Itauanos primo solicitarunt in belli societatem; sed obstitit dynasta Carroti (*a*), qui & Ingreanos ab incœpto divertit.

Idem pari exitu haud ita post perfecit, nam conscius abjectum repeti consilium, aciemque ad exequendum instrui, nova molimina disrupit. Animadvertit tamen, Christianorum causa odium sibi gentis conciliasse, sui perniciem machinantis. Delectis itaque subditorum quadraginta fide integris, in locum se recepit Hispanorum auxilio tutum.

Aliunde intenta gentis conversio. Haud felicius extitit PP. Joannis de Torres, & Joannis Antonii Bocas (*b*) a Peruvio de Chiriguanorum conversione consilium. In finibus provinciæ a Sancta Cruce de Monte Reductionem *a S. Hieronymo* condiderant. Sed terræ motu anni 1734. ita concussi sunt neophytorum animi, ut Christianæ religionis eam esse pestem haud ægre suadentibus ethnicis crediderint: pastoresque cum Reductione de medio tollere juraverint. Per addictos quosdam neophytorum moniti Patres, dato in Sanctæ Crucis se recipiendi tempore usi sunt. Soli itaque de Chiriguana gente restabant Christiani, quos Pons moderabatur (*c*). P. Chome in provinciam Chicharum ad Tarixæ occidentem (*d*) transierat, ubi triennio Lipes vallesque finitimas apostolicis excursionibus lustravit. Anno 1738. mittitur ad Chiquitos, inde ad Zamucos, apud quos tandem Christianitas haud infrequens condita fuit, ut modo narrabo.

1723. 38. Zamucorum sedes. Alberti Romeri proditoria cæde sublati casu, non abjecerant Missionarii rem Christianam illac propagandi, facilemque viam inter provincias aperiendi consilium. Aguilar & Castañares Zamucos reducere nequidquam tentarunt. Haud ita post bis centum omnis ætatis & sexus, ad S. Joannis Chiquitorum Reductionem, natali solo proximam, etsi octoginta leucas distantem præter spem adeunt, in binas divisi turmas, & tribu diversi; multi enim populi eodem Zamucorum nomine vocantur, quod idem sit omnium sermo. Singulæ turmæ singulis suberant dynastis, qui simul Reductioni accenseri petunt.

Voti compotes facti haud ægre sunt: atque in

(a) Forte *Catuari* supra dictus.

(b) *Bacas*.

(c) Reliqui etiam fuerunt ex eadem gente Christiani quidam, Reductioni Sancti Josephi, quæ simul Chiquitorum est, faitque sub cura Peruanæ Societatis, aggregati. Sita est hæc Reductio viginti leucis ad Occidentem S. Crucis, spectatque ad Moxos.

(d) Tarixa intra provinciam Chicharum est.

Digitized by Google

infantes quidem mox baptizati; adultorum vero præparationem, omnium fere valetudine adversa, intermittere oportuit. Herbasio Missionum præfecto persuasum fuit, cœlum loci esse naturæ gentis contrarium, novamque apud eos Reductionem condere in se suscepit. Læti consentiunt, & præfectus P. Castañares elegit operis socium. Ex quadraginta dierum itinere labor lethalis fuit Herbasio, qui ex morbo contracto desideratus brevi est. Socius junior, robustiorque metam attigit cum Indorum turba.

Commodissimum censuit loci situm. Tentorium pro domo simul & sacra æde diu futurum tetendit. Sed annona consumpta, nulli non radicibus silvarum vescendum fuit. Nihilominus ægroti omnes sub natali cœlo convaluerunt: Reductioque novis in dies proselytorum incrementis frequentabatur, de quorum docilitate omnia fausta sperare cœpit Missionarius. Sensim eos terram colere assuefecit, & Reductio a S. Ignatio dicta regularem formam obtinuit. At Missionarii labor, qui Zamucis esset exemplo, præter reliquas sacri ministerii functiones, vires superabat, nisi quis auxilio veniret, opprimendas.

Zamuci beneficium.

Adfuit opportune P. Dominicus Bandiera, quo Castañares in majorem spem erectus indulsit zelo. Naturam mutasse videbantur Zamuci: & pro feroci, cupida, difficili, de qua ad humanitatem conformanda diu desperatum fuit; mitem, munificam, docilem sortiti esse. Etiam ante Bandieræ adventum eam caritatem expertus, quæ Christianis ferventissimis, & civilibus honori sit. Cum animadvertissent, inedia confici, nec radices viribus tot inter labores reficiendis esse pares, catechumenus quidam escas sufficiendi curam suscepit. Interdum venatum rus ibat, & aprum cum interfecerat, humeris impositum, clam deponebat ante Missionarii tentorium, discedebatque tacitus & incognitus. Id moris obtinuit usque ad pluviarum tempus, quo rivus propter Reductionem decurrens pisces abunde suppeditabat: & Missionario escas siccare solito, fuit quo ægrotantium necessitati provideret.

1724-38. In pago tumultus.

Mox quam venerat Bandiera, Castañares cum aliquot junioribus Zamucorum ad Chiquitos profectus est anno 1724., post tres menses cum P. Joanne de Montenegro rediturus. De via norunt, populum in partes esse divisum; in pugnam ventum esse, occisos plures; vulneratos alios; defecisse quosdam; Bandieram de vita periclitari. His concitato gradu, dissidium jam mitigatum Castañares, cum adfuit, penitus extinxit. Simul tamen cognovit, nimium facile de suis Indis prospera credidisse.

Nondum Sociis erat habitatio præter misera mapalia paleis operta. Sed erat aliud, quod magis solicitaret. Reductio carebat templo; quia vero Zamucorum opera minimi erat, totus fere labor in Missionarios recidit, & in Chiquitorum paucos, qui Castañarem & Montenegrum secuti erant. Præterea cultus agrorum dissidiis intermissus, integrandus erat, extirpandæ ne renascerentur dissidiorum causæ, universisque de victu providendum usque ad messem.

Labor & solicitudo Castañarem conjecit in vitæ discrimen ex febre maligna. Mors illi erat laborum meta, ad remunerationum aditus; sed gloriæ Dei & commissi gregis prævaluit amor. Montenegrum orat, ut alumnos suos circum altare cogat, unaque ipse S. Martini in pari discrimine constituti preces ante Dominum pronuntiet. Proni assentiuntur omnes, ante aras supplices lacrymis potunt suarum patris animarum sanitatem. Post preces Montenegro rusticatum exiit, & accipitrem occidit. Jacentem, qui jam diu nihil solidum acceperat, rogat num ex eo placeat edulium. Cui Castañares quod liberet agere permisit. Pinguis erat avis, & mole gallinæ par. Ut ut paratam non fastidivit æger: comedit, ac præter medicinæ leges ex tempore convalescit. Castañares miraculo convalescit.

Interea templi extruendi materies erat congesta; sed in commodiorem locum prius transferendus fuit pagus. Ubique aderat Castañares consilio & manu. Juvit Indos silvosum extricantes agrum, ex quo sementis reddidit centuplum. Excursiones frequentabat novis semper proselytorum accessionibus. Quibus stato labori assuefactis, non diu fuit, quin perducerentur ad culmen & templum, & pastorum gregisque habitatio. Nihil erat, unde vir apostolicus vicissitudinem veneretur, cum inopinato casu coloniam totam ad Chiquitos reducere oportuit.

Montenegro, qui res a Castañare gestas, litteris post ejus obitum editis Matriti anno 1746. prolixe narrat, inexplicatum præterit, quis ille casus sit. Tantummodo ait, difficultatem persuadendæ transmigrationis ex amore noscendam, quo gens non erratica solo adhæret natali: eamque fuisse, ut longe superaverit itineris laborem, quo turba per loca deserta diu cibanda fuit. Zamuci ad Chiquitos translati.

Ventum est tandem ad S. Josephi Chiquitorum, ubi ea caritate accepti sunt, quæ jacturæ factæ posset oblivionem inducere. Anno sequente Castañares, cum delecta Chiquitorum Zamucorumque manu, Zatienos ejusdem quidem cum his sermonis, sed perpetuo bello discordes, Evangelio subjicere contendit. Obviam procedunt sagittarii, qui plures vulnerarunt, sed leviter. Missionarius animi præsentia barbaros continuit, comitate devinxit, ut ad S. Josephi redeuntem sequerentur, ubi contagio plures Zamuci sublati sunt.

Tunc reliqui, quorum aliquos ingruens malum jam attigerat, ad S. Ignatii reduci petunt. Annuendum fuit, mandata executione Patri Castañares, qui quantalibet solicitudine prohibere non potuit, ne aliquot in via caderent: ipse etiam morbo affectus est, quem vigor animi superavit. Zamuci Zamucorum reditus.

vero

Digitized by Google

vero apud se læti, non modo pagum & templum instaurarunt, sed id fervoris, docilitatis, & erga pastores observantiæ præbuerunt specimen, ut spes magna facta sit, quam non fefellit eventus.

Plurium Zatienorum conversio.

Is in ea Reductione fuit neophytorum numerus & pietas, ut eorum auxilio Castañares rursus aggredi Zatienos ausus sit. Plures sponte concedunt: & quia non procul a Zatienis salinæ sunt, a S. Ignatii sexaginta leucarum spatio distantes, de sale simul providere pago constituit. Quosdam Chiquitos assumit, qui a S. Josephi venerant, nec parum apud Zamucos profecerant sermone & exemplo. Eos reliquit propter salinas, sui Zamucorumque reditum præstolari jussos. A Zatienis comiter acceptus, eos Zamucis reconciliavit, persuasitque ducentis, ut se ad S. Ignatii sequi vellent.

Ad salinas dum redit, nequidquam requirit sarcinas & Chiquitos. Juniores erant, qui a Zatienis interfectum iri captumve rati, ad S. Josephi recta fugerant, mulis abjectis quæ disparuerant. Castañares & Indi decomitatu, quo Chiquiti defecissent soliciti, redire pergunt. Ad S. Ignatii ventum est cadente Junio 1726. & postrema Julii, dum festum agebatur Patroni, amissæ mulæ nullo ductore pagum ingressæ sunt.

1716-38.

1729-38. Zamucorum pietas.

Montenegro & Bandiera revocatis, unus restitit apud Zamucos Castañares usque ad annum 1729. quo Josephus Rodriguez auxilio venit in ecclesiam, ab antiquioribus quæ in Chiquitia sunt, cum neophytorum numero, tum religionis cultu minimum diversam. Jam Christiani non aliud enixius petebant, quam apostolicis excursionibus associari, ad conquirendas Christo animas frequentatis, raro absque novis proselytorum incrementis; ita ut paucis post annis, non modo quibus Zamucorum sermo familiaris erat, sed gentes aliæ circum vicinæ in ovile convenerint.

1738. Castañares ad Chiquitos revocatus.

Si cuncta Castañaris incepta ex æquo succederant, crebro deducere colonias oporteret. Sed gratiæ rebelles animos offendit aliquando, magnis sæpe defunctus periculis, multisque suorum vulneratis. Solatio tunc erat, quod vixdum in Christo regenerati ad martyrium ita festinarent, ut moderandus fuerit ardor. Rodriguez non diu permanserat. Ejus successore Contreras linguæ Zamucorum usum adepto, Castañares ad Chiquitos revocatur, Missionum earum præfectus renuntiandus.

Tentata tenuo provinciarum communicatio.

Is erat christianitatis Zamucorum status, cum eo venit Chome aperiendæ viæ ad Paraguariam intentus. E fano S. Ignatii cum neophytorum manu profectus, post confectas, vix manibus deposita securi, septuaginta leucas, venit in planitiem, cujus horizon totus fumabat: signum minime anceps, a barbaris esse detectum, qui se invicem ad excubandum excitabant. Monentibus neophytis, intercludendum esse proculdubio, nisi quam primum retrocederes, idque pavido adeuntibus obsequendum fuit.

Planta singularis.

Post reditum ad S. Ignatii Castañares eodem venit, ut inceptum idem aliunde promoveret. Tertia Julii 1738. viam arripit, & circa locum ubi steterat Chome, ad austrum vertitur, ne Tobas offendat. Post viginti leucas, dum gentem latrociniis assuetam evasisse putat, incidit in eorum turmam ad Jabahorim rivum, in Paraguaim fluentem quod tunc latebat. Haud hostiliter acceptus, quosdam post se movit, parvulum moriturum baptizavit, repedavitque ultra progredi prohibitus.

Potabilis aquæ penuriam ea supplebat, quæ in fructu plantæ continetur, quam indigenæ *obocuru* appellant. Aqueo peponi similis est, sed multo frigidior. Indis vulgaris est usus; postea vero resciturn est, cruditatem potus eso pipere (*a*) corrigere solitos. Missionarius adhibendi medicaminis ignarus, acutum adeo dolorem passus est, ut impos sui terra instar rabientium se raptaret. Ita rem explicat Montenegro. Neophytorum quidam eadem aqua pota ex acerbo cruciatu mortem occubuit.

1739.

Borillorum conversio.

Adversa tot casibus valetudine servi Dei studium de promovenda religione non intepuit: quanquam mulo nonnisi duorum hominum auxilio poterat imponi. Anno sequente se contulit ad Borillos Chiquitorum gentem indomitæ ferocitatis. Vigeni quini se dederunt, quos ad S. Xaverii primam Chiquitiæ Christianitatem retulit. Sed acta in immiti solo sementis frugifera deinde fuit; fertur enim Borillos postea Moxorum aggregatos esse reipublicæ, quam Peruani Socii initio labentis sæculi instar Guaranicæ condiderunt.

1740.

Intenta demum provinciarum communicatio.

Mox Assumptionem per mille minimum leucarum ambages Superiorum mandato profectus est Castañares. P. Chome eodem tempore Pilcomajo appropinquare jussus est, ibique Castañarem præstolari, cui secundo Paraguai Assumptione veniendum erat in australe Pilcomaii os, eoque adverso remigandum, donec Chomem conveniret. Hunc postremum viæ tramitem ille suscepit terra cum decem hominum comitatu, per infesta barbaris loca, aqua sæpe usque ad renes, per solum pratense nudipes, herba ante inundationem demessa (*b*). Quare post dies duodecim Assumptionem versus pedibus excarnificatis semivivum redire oportuit. Chome interceptus est, quod Pilcomajus hoc anno navium fuit impatiens aquarum penuria (*c*) quanta memoriam hominum superet. Hæc ab ortu calamitas Potosio maxime fuit incommoda, ubi ces-

(a) *Agi* vocant, quod Hispani *pimentón*.

(b) Prata non demetuntur falce, quæ fere ignota ibi locorum est; sed igne cremantur.

(c) Alicubi Pilcomajus navium impatiens est, non aquarum penuria, sed aquatilis herbæ copia, guaramicè *Aguape* dictæ, qua obstruitur alveus. Ab *Aguape* multi amnes dicuntur *Aguapei*, id genus obstructionibus obnoxii.

Digitized by Google

cessavit fodinarum labor, & incolæ amnem alio divertisse rati solum mutarunt, post errorem depositum redituri.

Dum Missionari convertendis infidelibus, firmandoque Regum Catholicorum Imperio insudabant, eorum Provincialis & Procurator veteres calumnias confutabant, ea renascentes specie, ut solertissimus quisque posset decipi. Iteratis impetitionibus confectum est tandem, ut articuli quidam apud Indiarum Senatum in jus revocati sint. Rex vero de Sociorum innocentia & fide certus, rei summam sub ea luce collocandam censuit, ut vel umbra suspicionum dissiparetur. Ut plane liqueat res tota altius repetenda.

1715-40. Libellus Regi exhibitus.

Anno 1715. Clericus quidam Gallus, qui juvenis Armatoribus conterraneis in Americam subsidio, mercatoribus consilio venerat, in Curia Hispanienſi videndum se præbuit: libellumque contra Socios Paraguai ad Regem intrusit (*a*), quo post repetita quædam ad commovendum Regis animum remedium suggerit imputatorum. Philippus V. post libelli examen, non aliud quam significari jussit authori, meliora se de rebus Paraguaicis habere documenta. Confirmavitque, regio diplomate 12. Novembris 1716. privilegia Jesuitis atque neophytis tum a se, tum a suis prædecessoribus concessa.

Exhibitus Asturiarum Principi.

Adverso successu ex Hispania pulsus libelli author, Galliam repetit, ubi partum typis edidit latine & gallice, multa cum laude apud Protestantes etiam divulgandum. A Jesuitis contemptus fuit, tum quod nihil non solide jam refutatum contineret, tum quia contemptum a Rege fuisse cognoverant: Memoria etiam exciderat, cum anno 1732. per Matritenses Paraguaici Communis patronos, ut illius erga Regem fidem Indiarum Senatui probarent, Asturiarum Principi exhibetur. Sperabant videlicet, privilegiis quibus neophytorum libertas asserebatur, ut Coronæ perniciosis, & Jesuitarum abusu, hæredem commovendum, ut cassationem peteret. Verum Ferdinandus eandem atque Philippus pater de libello sententiam tulit, quem indignatus abjecit.

Aliorum sententia.

Sed exemplaribus in Curia profusis, non paucis probatus fuit, eo maxime quod non longe distaret a scriptis D. Bartholomæi Aldunate anno 1726., & Martini de Barua 1730. Quare & Jesuitæ respondere coacti sunt. A. P. Gaspare Rodero Indiarum Procuratore confutatus est; neque fuit qui replicaret. De Aldunate scripto Rex sententiam exquisierat D. Martini de Barua, qui cum multa non probasset, aliud dedit 25. Septembris 1730. longæ in Indiarum Senatu deliberationis argumentum, in eo nominatim articulo, quo a Jesuitis deberi Regi dicuntur ex Indorum tributo duodecies centena scutorum millia (*b*).

1732-40. Quæstor in Paraguaria.

Quo gravior erat criminatio, eo cunctantius cavit Philippus, ne falleretur; nam res erat, ut in Decreto definitivo 28. Decembris 1743. legeris, vel *de dissipando* veritatis luce Religiosi Ordinis probro, vel de manifestando ærarii dispendio, regii patronatus, & mandatorum *contemptu*. Examinatis itaque Baruani scripti capitibus in comitiis habitis 21. Decembris 1732., mandatum est D. Joanni Vazquez de Aguero Palatino Consuli (*c*), ut localem de factis quæstionem institueret; ac de tributo Superiores audiret Jesuitarum. Mandatum simul est, ut Indiarum Senator aliquis cum Procuratore Paraguai tunc in Hispania agente consuleret.

Hic erat Antonius Machoni sæpe in hac Historia memoratus, qui reditum in Paraguariam cum delecta missione parabat. Placuit Regi, ut ejus dicta, & undequaque parta documenta D. Emmanuelis Martinez in Indiarum Senatu pro Nova Hispania Fisci Patrono (& D. Michaeli de Villanova pro Peruvio a secretis) nota fierent, ut post auditum Roderum melius posset uterque de summa rei ad Senatum referre, & ex ejus consulto mandata digeri Quæsitori tradenda.

1736-40. Litteræ Commissarii ad Regem.

His ex Regis sententia peractis, mandatisque D. Joanni Vazquez de Aguero traditis, Bonas Auras profectus est: unde ad Regem scripsit Februario 1736., re cum D. Martino de Barua consultata, examinatis Uruguajensium & Paranaensium censibus, quibus tota de tributo quæstio vertebatur, visis Regestis quorum summa apud Baruam erat olim Prætorem, documentisque ab Episcopis Paraguajensi & Bonaurensi præstitis, auditis assertionibus testium decem cum ecclesiasticorum, tum laicorum, qui rerum ad has Doctrinas seu Reductiones spectantium peritiores inventi sunt (*d*), id confici. 1. Eas Reductiones esse triginta: in his Indos vectigales triginta mille. 2. Censum eo antiquiorem non reperisse, quem Barua exhibuerat, quo in tredecim Reductionibus Paranæ, quæ ad Paraguai præturam (*e*) spectabant, septem-mille-octingenti-quinquaginta & unus recensebantur vectigales:

(a) Libellum, credo, farctum relatione vectarum navis *D. la Solitte d'Escafeau de Nantes*, cujus summa est, Paraguai Missiones tercentum mille Indorum constare familiis, fluminis Japsur accolis, quarum quælibet Jesuitis pendat minimum quinquaginta libras. Vide Opuscul. inscriptum *Aggiunta alla Relazione* (della R. P. del Parag.), & Liburn. Encycloped. Verbo *Paraguai*.

(b) Imo plusquam tricies centena millia.

(c) Alcalde de Casa y Corte.

(d) Non igitur ex Jesuitarum documentis tantummodo confectum fuit Philippi Quinti Decretum, ut vulgatum est: quamvis & ipsi auditi sint. Vixit autem D. Joannes Vazquez de Aguero post decreti promulgationem viginti amplius annis, amplius decem post editam Charlevoixii Historiam: mortuus, dum Regi erat a Consiliis anno 1765. aut sequente, quo rogatus ut de rerum gestarum veritate, quam noverat, testimonium perhiberet, dissensum excusavit alienis auribus.

(e) Sub Paraguai prætura, quod Barua dissimulat, nulla jam erat Reductio. Sub dicœcesi vero Assumptionis fuerunt etiam deinceps tredecim, quotquot videlicet bibunt aquas Paranæ, vel Paranam influentes.

Digitized by Google

les: adjuncto exemplari albi anno 1676. confecti per D. Didacum Ibannez de Faria Guatimalenſis Curiæ Fiſcalem. Sed tunc Reductiones erant viginti duabus non plures, nec certum ſcire potuiſſe reliquarum principium. Anno 1714. quo ab Epiſcopo Bonaurenſi D. Petro Faxardo omnes viſitatæ ſunt, fuiſſe triginta: in his viginti octo mille & ſexcentas familias, Prælatumque tredecim mille ſexcentis & quinquaginta ſeptem capitibus Sacramentum confirmationis adminiſtraſſe.

3. Anno 1733. D. Joſepho de Palos traditum a Jeſuitis Reductionum album, quo viginti ſeptem mille & ſexaginta familiæ recenſebantur: juxta ſibi traditum a procuratore Miſſionum non eſſe plures viginti quatuor millibus biſcentum ſeptendecim. Tandem in conſultatione ex regio mandato habita cum Jacobo Aguilar Jeſuitarum Provinciali, hunc teſtatum eſſe, Reductiones eſſe triginta, vectigalium Indorum viginti quatuor millia. Poſt acceptum vero a Curionibus catalogum inventos eſſe novendecim millibus centum & ſex non plures, diverſitatemque naſci ex morbis epidemicis Reductiones interdum depopulantibus, & ex numero pereuntium bello, aut laboribus regiis.

Certe multum aberat, ut ea eſſet Reductionum frequentia, quæ ante ſæculum 3 addebat enim Aguero, ab anno jam 1631. conditas eſſe Reductiones viginti plures, amplius capientes ſeptuaginta Indorum millibus (a), ſingulas ſingulis eccleſiis conſpicuas. Mamelucos vidimus, plus media parte vaſtaſſe incolarum internecione & ſervitute. Notabat Aguero, ex iteratis Regum Catholicorum decretis octodecim annorum ætate minores, quinquaginta majores, dynaſtas, horumque primogenitos, & in ſingulis pagis duodecim eccleſiæ ſervientes immunes eſſe tributo, quod unius erat numi octiregalis in ſingula capita. Ex laborum fructibus pendi (b), & nunquam non eſſe ſolutum (c), quanquam ſumma, ut ſatisfieret, opus erat rei familiaris cura, vigilantiaque paſtorum; eo quod Indi ſint natura improvidi & deſides: atque plures ſæpe Prætorum mandato ad bellum, aut publica opera extrahantur. Ad hæc, ſiquid exigeretur gravius, verendum eſſe ne impotentiam cauſati obedientiam abnegarent, quam uſque præſtiterant.

Viſitationem detrectat.

Petiviſſe ajebat Jeſuitas, ut Reductiones adiret, quas omnes nullus Prætor, Commiſſarius, aut Viſitator luſtraverat: fortaſſe a Conrectoribus Indis minus diligenter confectos albos, præſertim dum ingruebat fames, contagio, aut Paraguaicum bellum. Cum tot ſint Jeſuitarum adverſarii, e re fore ut rerum ipſe ſtatum ſpecularetur, ne accuſarentur falſi. Se tamen reſpondiſſe, id eſſe præter mandata ſibi credita, nec neceſſarium, cum ad Regem edocendum ſatis & ſuper eſſent juridicialia documenta.

Litteræ ad primarium Hiſpanæ rei adminiſtrum.

Ex litteris eodem tempore ab Aguero datis ad Regni Adminiſtratorem D. Joſephum Patiño apparet; ſub illius Bonas Auras adventum vulgatum fuiſſe, ad removendos e Reductionibus Socios aciem intendi. Aſſertum quippe notabat a Paraguai Epiſcopo, ſimul atque paſtores removerentur, deferendos pagos, ne uno quidem Indorum reliquo, nec tantum Eccleſiæ complurium fidelium, ſed Regno Provinciarum imminere jacturam; factum jam eſſe rei periculum quibuſdam Reductionibus deſertis, quoties Eccleſiaſtici Jeſuitis ſubſtituti erant. „ Itaque, ait, præter dubium eſt, ſtatutum populorum regimen, ſpirituale atque temporale, omnium maxime conſentaneum eſſe; nec quoquam conditoribus aptiorem eſſe ad conſervandam, promovendamque hanc Chriſtianorum rem publicam. Parvo ſtat hodie ſalus æterna & incrementum neophytorum complurium. Eos ad laborem inducunt ſuaviter, laborantes ſolatio levant, blande & moderate corrigunt, invigilant, ut pridem contracta extirpent vitia. Nec affirmare dubitaverim, minima novitate miſſionum pacem turbandam, ordinem ſubvertendum, irreparabile damnum illatum jri, detrahendumque nimis Regis, & Dei obſequio. “

1737-40. Arellani retractatio.

Id accidit ineunte Bonis Auris, quo penitius noſſet Quæſtor in Paraguaria Jeſuitarum adverſarios, ut ſe contra criminationes præmuniret. Supra dictum eſt, D. Antonium Ruiz de Arellano Paraguaici motus authorem in primis, & Antequeræ partium ſequacem, poſt bonorum jacturam, ne periret, fugere ſub Æthiopis larva coactum fuiſſe, quod Jeſuitarum exilio conſentire noluit, & Ruilobæ Prætoris vitam ſervare contendit. Bonas Auras Aſſumptione venerat, ut qua poſſet ratione, fœderis cum Antequera, & cum Communi iniiti damna repararet. Coram Regio Bonaurenſi Notario ſua de Jeſuitis ſenſa declaravit, quos Antequeræ, Communiſque imperio ſubjacens oderat, improbavitque quidquid contulerat operæ adverſum eos. Et hoc documentum in vulgus editum eſt.

Baruæ ſcripto reſpondetur.

Sed juſtificationis caput erat, ut D. Martini de Barua libellus confutaretur. Clam plura ſparſerat exemplaria, quorum ſortitus unum P. Gabriel Novat, calumniarum mole commotus, & malignitate dictionis, Provincialem, cui erat a ſecretis, convenit, & ad refutandum accedit. Reſponſionem ad Regem mittendam Novato tradit Aguilar, ut D. Joanni

(a) Ex eo non fit, frequentiores ante ſæculum Reductiones fuiſſe; nam triginta, imo viginti familiarum millia, majorem numerum & frequentiam importat, quam Indorum LXX. millium, quæ tunc fuiſſe dicuntur.

(b) Notare oportuit, pendi tributum argento ſignato, & in metropoli biſcentum leucis diſtante: cum alias ex lege ſatisfiat, Indis fructus apud ſe erogantibus.

(c) Solutum ſemper fuiſſe ex eo ſatis ſuperque conſtiterit, quod congrua Curionum Jeſuitarum ſuſtentatio non aliunde quam ex ſoluto ære ſufficeretur.

Digitized by Google

anni de Aguero eam oſtendat, oculis ſi lubeat percurrendam, cum precibus, ut quid addi, detrahi, mutarive oporteat, ſignificare velit, ut Regi in Indiarum Senatu exhibeatur.

Commiſſarii judicium.

Poſt dies aliquot regreſſo Novat ait D. Joannes: „ Scriptum ſemel & iterum legi, & nondum legere ceſſavi. Nihil addendum, nihil eſt quod corrigatur, ſed typis edendum ut jacet. Hoc uno documento Paraguai Miſſionum apologia ſtat, numeris omnibus abſoluta, adverſus quam nihil replicari poſſit. Sed typis editam Matritenſi cuipiam Cauſidico tradi oportet, quam redigat in compendium Senatui cum Baruæ ſcripto exhibendum. Senatus absdubio requiret apologiam ipſam, in qua videbit quid rei Miſſiones Paraguai ſint, hodiernum earum ſtatum, & calumnias orco ad earum ruinam egeſtas. Aguilarem ſatis noveram ex collationibus Regis mandato habitis. Nunc tamen majoris æſtimo, nam præterquamquod veritatem elucidat, animi candorem ſcriptum oſtendit, ſanctitatem eximiam, & dotes. Ejus meriti noſſe virum mihi gratulor. “

Indici Senatus judicium.

Par atque Aguerus de Aguilaris reſponſione tulit judicium Indiarum Senatus, ex quo plures authorem noſcendi cupido inceſſit, atque gaudium cum mox Matriti vulgatum fuit, propediem adfore Procuratorem Provinciæ in Curiam. Illud etiam commodi ex ejus opuſculo relatum eſt, quod cum veniſſet in manus D. Cajetani Buoncompagnis Sorani Ducis, utriuſque Siciliæ Regis Domus Adminiſtri, Italis & Cl. V. Ludovico Antonio Muratori copiam fecit, & occaſionem Operi *Il Chriſtianeſimo Felice nelle Miſſioni de' Padri della Compagnia di Gesù nel Paraguai.*

In Documentis videris Aguilaris Opus, quale in Hiſpania fuit editum. Summam hic dabo quam breviſſime potero. Notat primo, ſi Boruæ ſcriptum Regi tantum, Indiarumque Senatui exhibitum eſſet, falſitatem eorum, quæ contra Miſſionarios affirmat, D. Ioanni Vazquez de Aguero manifeſtare, ſat ſibi futurum. Sed authorem videri, eas Americæ provincias contra Societatem commovere maluiſſe, quam de rebus Miſſionum ad Regem, ejusque Senatum referre. Quare libelli famoſi loco habendum erat.

Notat deinde, Baruam Prætorem ſemper de tredecim Paranæ Reductionibus loqui perinde atque ſi ſui juris & ditionis adhuc eſſent, cum ignorare non poſſet, ab anno 1726. ſubtractas, unius Bonaurenſis Prætoris mandatis ſubeſſe. Probat, & falli XL. Indorum vectigalium millia computantem, & totum labare hac de re diſcurſum. Contraponitque Baruano calculum, cujus ſe prædem conſtituit. Anno (ait) 1715., cum D. Gregorius de Bazan Paraguai Prætor cenſum inſtituit, quo Barua nititur, triginta Paranæ & Uruguais Reductionibus continebantur viginti ſex millia quatuor-centum-octoginta, tam virorum, quam fœminarum, & puerorum (*a*). Anno vero 1730. quo Barua ſcripſit, computabantur ibidem viginti novem millia & quinque centum familiarum. In his centum & triginta tria millia & ſeptem centuriæ capitum (*b*). Nunquam familiarum numerus triginta & unum millia complevit. Et in præſentiarum (anno 1737.) fame, morbis, & defectione ad viginti tria millia redactus eſt, ut conſtat jurata Curionum fide.

Corruente calculi vitioſi clavo, unde duodecies centum millia (*c*) ſcutorum debitum appenderat Barua, appendiculum corruere neceſſe eſt. Sed quia movit argumentum odio graviſſimum, impenſius diſcuti oportebat. Aſſertiones omnes Aguilar ea claritate falſi convincit, ut Philippus Rex, ejuſque Senatus hominis ignorantiam, qui diu vixerat in Paraguaria, & qui conſpicuo magiſtratu defunctus erat, pravam fidem mirati ſint.

Affirmaverat Barua, totum laboris Indorum fructum Miſſionariis tradi, præter neophytorum indumenta, in uſus proprios convertendum. Odioſæ criminationi objicit Aguilar unanime plurium teſtimonium, qui quod in Miſſionibus gerebatur, oculis perſpexerant. Inter alios memorat Epiſcopum Bonaurenſem D. Petrum Faxardo, qui litteris poſt viſitatas Reductiones omnes ad Regem datis teſtatur, nihil ſanctius conſtitutum unquam ſe vidiſſe, nihil a cupiditate magis alienum, dum de Indorum bonis nihil Miſſionariis nec ad victum, nec ad veſtitum cedit.

Poſtquam Barua ſuppoſuit, Indos commendatos Regi pendere nummos quatuor, ait Guaraniis Reductionum, ſat eſſe poſſe duos, maxime Uruguajenſibus, qui ad Bonas Auras ſpectant, ac de re publica bene meriti ſunt; nam Paranaenſibus qui ad Aſſumptionem, jam diu nihil eſt quod acceptum referatur. Penſi ſcilicet non habet D. Martinus de Barua, ait Aguilar, quod tandiu provinciæ fines contra factionem munierint, cui favebat: nec quod ſola præſentia D. Brunonem Mauricium de Zavala juverint ad rebelles coercendos. Verum non latebat Regem, quanti ſteriſſet rei ſumma. Nec latebat, Paranaenſes provinciæ caput contra Guaicuruos ſervaſſe.

De reliquo ſi poſt tributum imperatum, ſic fraudatum eſt, ut Reductiones debeant duodecies centena ſcutorum millia (*d*), nihil ab anno 1681. erogatum fuiſſe oportet, aut Indos vectigales eſſe Baruæ opinione plures: qui loco præſens ſcire debuit, poſt album initum anno 1677., ſecundum quod tributi

(a) Corrige ex Hiſpanico: Viginti-ſex-mille-nongentæ quadraginta-duæ familiæ. In his capita centum & ſexdecim millia-quadringenta-octoginta-& octo.

(b) Non ſeptem centuriæ; ſed una centuria & ſeptemdecim capita, ſupra centum & triginta tria millia.

(c) Imo biſcenties ſupra tricies centena millia. *Tres millones y doſcientos mil peſos*; habet Hiſpanicum.

(d) Vide proxime præcedentem adnotationem.

Digitized by Google

buti ſumma quindecies mille nummos æquabat, regio diplomate 17. Julii 1684. præſcriptum eſſe, ſecundum illud exigendum in poſterum, donec aliud conficeretur: nec confectum aliud fuiſſe, cum Barua ſcribendo inſudabat.

Ad hæc confecto per D. Gregorium de Bazan tredecim Paranaenſium Reductionum cenſu anno 1715., regia ſcheda mandatum eſt 24. Auguſti 1718., ut ex antiquiore anni 1677. a D. Didaco Ibañez de Faria inſtituto exigeretur. D. Martinus de Barua, ſubdit Aguilar, recte noverat, ex lege Philippi V. & prædeceſſorum, ſynodum, quod vocant, ex tributo pendi. Nihilominus, ut Jeſuitarum infidelitatem probet, ad Regem ſcribere audet, Regios Quæſtores cum Sociis conſpirare contra fas. Id, quod haud mirandum ait eſſe „ Nam hi Patres potentiam ita exaggerant, ut ne ego quidem eorum cœptis obſiſtere auſim ob adhibitas apud Proregem artes, cui quidlibet eo facilius perſuadent, quo difficilius in tanta locorum diſtantia veritas emergit. Etiam Epiſcopum Paraguai ſuis partibus conciliarunt. Jamque monui M. T. quid ex ea conſenſione timendum ſit. " Mirandum, hæc Baruam de Caſtelfortio Prorege, ac de Epiſcopo Palos, eo tempore & loco ſcribere auſum, quibus nihil aptius eſſe poterat ad confirmandam conſpirationis cum rebellibus ſuſpicionem.

Illud hic potiſſimum inculcat Aguilar, importune Jeſuitarum potentiam & abuſum exaggerari, dum extremis pro Rege comminationibus utendum fuit, ut a collegio Aſſumptionis per ignominiam pulſi reſtituerentur a Barua ipſo; dum ejus iracundi metu nemini ut a Jeſuitis ſtaret ſufficiebat animus. Nec minus Regem mirari oportuit, Patres, quos non lateat Prætoris averſio, nihil in Hiſpaniam ſcripſiſſe: quamobrem Madriti procuratores ejus libellum confutare non potuerant.

Sed Baruæ malignitas emicat maxime, ubi de conſulto D. Bartholomæi Aldunate reſpondet. Conrectores Hiſpanos in Reductionibus ad Paranam & Uruguaim conſtituendos putaverat Aldunate non primus, ab anno quippe 1653. Paraguajenſis Capituli Decanus. Comiti de Peñaranda Indici Senatus Præſidi ejus novitatis expoſuerat incommoda, cum fama vulgatum eſſet ex accuſationibus D. Bernardini de Cardenas edictum in Paraguariam deſtinari.

D. Martinus de Barua reſpondit, Conrectores Hiſpanos in Reductionibus Jeſuitarum rem eſſe difficilem. Et incommoda per Decanum expoſita diſſimulans ait, ſe quinquennio Prætorem expertum, Jeſuitanos Indos ſoli Patrum imperio ſubeſſe, imperio uſurpato, cujus Summum etiam Principem exortem fecerant. Hinc in moderandis periculum novitatis, & nulla Conrectoribus Hiſpanis ſecuritas. Ecquis Societatis axiomatum gnarus eam provinciam ſuſceperit?

Atroci criminationi reſpondit Aguilar, Indos revera Patribus Societatis ſe credidiſſe, immodicis laboribus, & ſanguinis etiam jactura, per invia ſilvarum, & montium quæſitos, quo nullus Hiſpanorum penetraverat; Chriſtianos ex anthropophagis Deo favente deveniſſe, ex hoſtibus Hiſpani nominis Regis ſubditos, quibus non alii in Novo Orbe fideliores ſint, mandata Prætorum facere paratos, rerum etiam ſuarum, atque vitæ diſpendio. Notat deinde, eo Baruam, & compartes male habere neophytorum erga ſuos in Chriſto patres amorem, quod hi præter veri Dei cognitionem, & regiæ protectionis vindicata commoda, ſummo ſtudio & conſtantia contra impotentem perſecutionum vim, illorum libertatem defenderint.

Fatetur, conrectorem Hiſpanum verituros Indos, ut machinam libertati quam amant adverſam; mortaliumque ſe infeliciſſimos opione ſua fore, ſi præfectorum cupiditati ſubeſſent. Nec dubitandum eſt, ſi judicium ex iis quæ alibi contingunt feratur, Conrectorem in pago nemini obnoxium, ſimplicitate Indorum, quod temere Miſſionariis imputatur, abuſurum. Documento peremptorio ſit miſera commendis ſubjacentium ſors, ſub oculis etiam Epiſcoporum, atque Prætorum, & contra iterata Regum Catholicorum mandata.

Non negat, eum eſſe Reductionum ſitum, qui rebellionem Indorum, ſi acerbentur, facilem reddat, & immedicabilem. Id vero cunctis Indorum pagis commune eſt, unde ad Hiſpanorum hoſtes deficiendi facultatem commodat aſyli vicinitas, quo deſiderati veniunt haud raro. Quid tamen fiat, ſi Reductionum Indi ſub Conrectoribus ad ſilvas deficere non contenti, & ad populandos Hiſpanorum agros conjurati, promiſſæ libertatis jacturam, contemptumque meritorum, ulciſci animum inducant?

Urbibus etiam, ait, ab inſtigatis timendum ſit, quarum multæ in iis provinciis vix contra paucos infideles ſtant, minus aſſuetos ordini, bellorumque diſciplinæ. Vel urbes, quæ caput provinciarum ſunt, inſolentiæ barbarorum paſſim ſuccumbunt, coercendis impares. Quid obſtiterit viginti Indorum millibus, cum Hiſpano & Luſitano congreſſis, quos jam diu Mamelluci adoriri non audent, qui ſemel & iterum Coloniam Luſitanam expugnarunt, & qui finitimas continent ethnicorum gentes?

Refutat, quod Hiſpani plures inculcant, a ſuis majoribus ſubjugatos eſſe, cum Guaranios, tum reliquos Indos in Reductiones contractos. Gentes ais natura liberas, quas domandi nulla ſuberat cogitatio, per Jeſuitas in Reductionem collectas, & in Regum Catholicorum fidem ſalva libertate. Aſſerit, ſi Conrectores Hiſpanos conſtitui Rex velit, non tantum id paſſuros Jeſuitas, ſed operam daturos quam poſſint, ut neophyti acquieſcant: licet prima denuntiatione defecturi, ac forte primam in paſtores rabiem egeſturi ſint.

Animadverti vult, Reductiones procul ab Hiſpanis poſitas eſſe conſciis nec invitis Prætoribus & Rege, ut contra Braſilianos, & bar-

bares, fines tueantur, præter rationes alias, quarum gravitas experientia comprobabat. Sed aliud esse Patrum consilium, quam ut Indorum utantur bonis & commercio, ex eo liquet quia commercium ita fit, ut Hispanorum commodo potissimum cedat.

Id ut probet rationes explicat quibus immorari non juvat; in iis enim vertitur rei summa, quæ de solicitudine providendi neophytorum victui, ecclesiarum ornatui, divini cultus celebritati, regiarumque expeditionum sumptibus, supra narravi. Demonstrat, quod jam sæpe denuntiatum erat, si liberior Hispanos inter & Indos esset usus, brevi successuram morum licentiam ejus Christianitatis religioni, innocentiæ, pietati, fervori, prima Ecclesiæ sæcula referenti: simplicitatem decipi facilem ad inopiam redigendam, ne possent Regi obsequia præstare gratis, nec eum conservare divini cultus splendorem, qui admirationi est.

Hæc tamen de re supervacaneum erat Philippum V. edocere, post ea quæ Prætores, Episcopi, aliique non suspectæ fidei vestes scripserant, & quod aliunde noverat de quatuor pagorum Ratu, qui circa Bonas Auras sunt. Nec latebat Regem, aut earum provinciarum Episcopos, quantuli sit infidelium conversio Hispanis conviventium.

Objecta Rodero. Priusquam D. Joannes Vazquez de Aguero scriptum Aguilaris acciperet, jam quædam ad Regem ipse de rebus ex mandato gestis scripserat, quandoquidem ex ejus litteris Indiarum procuratori Rodero nonnulla objecta sunt, de tributi pendendi diligentia, de interdicta Hispanorum cum Indis consuetudine, atque de idiomatis Hispani usu: quæ satis explicaverat Aguilar.

Duobus de Senatu Indiarum Ministeris consultandi cum Rodero provincia data fuit: quos ille rogat, ut animadvertant, injuria par tributum exigendum a Reductionibus, atque a subjugatis armorum vi: primo quia deditio erat voluntaria, deinde quia Reductionum merita nulla mercede, imo propriis sumptibus iterata, reliquorum tributa superant: deductisque rationibus consecit, si tribuant quod maxime gravati tribuunt, accipiant vero quod reliqui accipiunt Indi, cum ratione belli, tum laborum rei publicæ, futurum ut multum æri proprio Reductionum accreverit. Quinimo omni tum tributoque immunes oportebat esse, qui tempore pacis æque ac belli sub armis usque sunt, procul de suo comparatis.

Quod attinet ad libertatem commercii, mutuique usus, de quo responderat Aguilar, in meliorem revocavit Procurator, temere esse quod independentia neophytorum a Prætorum imperio ex eo timeretur. Objicientibus vero, nativi sermonis usum legibus adversari, respondit, in singulis pagis ludum esse, ubi pueri hispanice legere & scribere docebantur, quod callebant optime, nec aliud cautum esse legibus. Ægre Indos adduci, ut sermone utantur non suo; Indicum vero ab Hispanis pluribus satis intelligi: ne Indi hac parte compellantur (*a*), rationes esse momenti non levis, quæ si a Rege minus probarentur, obediendum pro viribus.

Addidit, Hispanorum plerosque in Reductiones utrepentium, scandalo esse neophytis, fœminarum abusu, raptu, rapinisque: ad servandam imperii reverentiam sat esse, si Episcopi, Prætores, & Regii Ministri pro arbitrio Reductiones visitent, vel pro se viros mittant, a quibus nihil timendum sit, nunquam non acceptos ut par est, eorumque facta esse mandata.

Haud absimilia de Hispanico sermone objecta fuerunt aliquandiu post P. Joanni Josepho Rico procuratori, qui responsis addidit, mirari se tamdiu in re, quæ pagis omnibus Indorum, quibus ecclesiastici vel Franciscani præsunt, communis est, insisti; nullam in his Hispani sermonis usum: Indis universum earum esse indigenam sermonem: per Jesuitas non stetisse quominus Guaranii voto concederent, vi tamen & imperio abstinuerunt, quia lege non aliud præscribitur, quam quod in singulis sit Reductionibus, ut Indi legere & scribere hispanice & latine doceantur: quod ita discere consueverunt, ut ægre linguam utramque non perfecte nosse credideris (*b*). Objecta Rico.

Aliud objectabatur, de quo ad Indiarum Senatum relatum erat, pyrium pulverem in Reductionibus confici, quod & legi contrarium, & periculosum est. P. Rico, qui singulas Reductiones accurate lustraverat non semel, respondit, neminem per Paraguariam latere, in tota Guaraniorum regione ne uni quidem officinæ sufficere nitrum, nec probari posse, venditum unquam vel minimum a neophytis, aut consumptum apud eos quantum fertur. Imo notum esse affirmavit, per Bonaventurensem Missionum procuratorem emptum esse quidquid ejus generis ad expeditiones pro Rege susceptas ex usu fuit.

Non vivit inficias, quotannis in pagis aliquot fieri quasi vigiles libras; sed pulverem esse tam futilem, ut ad ludicros tantum pyrobolos projectitios adhiberi queat. Qualemcumque conficere Hispanos docuisse, nec a Prætoribus improbatum. Quocumque modo cessandum, si quid incommodum maneat. Bene fuisse Patrum hac de re cautelam, ut Gallis ineunte sæculo nitri opificium, ne empto opus esset, tradere pollicentibus, repugnaverint, tum ut exteros a Reductionibus, ut lege cautum est, averterent; tum etiam ut vulgati inter Indos pulveris incommoda præcaverent, non aliis magis quam Missionariis timenda.

Re-

(*a*) Imo lex expressa fuit, ne compellantur.

(*b*) Est in Hispania satis densum volumen Indi Guarani manu scriptum, quod notarium non dedeceat elegantem. *Charlev.*

Refutandum tandem Rico præter opinionem fuit, quod Paraguajenſes Socii triginta Reductiones ſuas ſervare contenti, a laboribus apoſtolicis ceſsaverant: octoque Reductiones noviſſimas eſse priorum examina. Hac nulla criminatio refutatu facilior. Ex viginti Reductionibus ad Paranam & Uruguaim triginta natas eſse, non negavit. Sed notandum 1. noviſſimarum paſtores nihil ad victum accipere a Rege (*a*); ſed primarum penſionibus ſuſtentari. 2. Deductas fuiſse colonias, quod ea eſset populi frequentia, cui unus non ſufficeret ſacerdos. 3. Nec ab excurſionibus in infidelium loca, nec a proſelytis reducendis ceſsatum eſse; ſe cōram anno 1731. (*b*) centum & quinquaginta Guañanas Paranæ Reductionibus aggregatos fuiſse, quos P. Pons ex longinquis extraxerat ſilvis. Atque ſupplementis id genus novas Reductiones frequentia jam antiquis coæquari. 4. Temere infidelium ſalutis ſtudium in Paraguajenſibus deſiderari, dum non unius pro religione occiſi a barbaris tepebat cruor; dum novæ in dies eccleſiæ in Chiquitia, Tucumania, & Paraguaria condebantur. Mox conſtabit, ad impetendos hac parte Miſſionarios, animum obfirmatum fuiſse oportere, ad corradendum unde-unde criminationes.

(a) Id quidem principio, diuque obtinuit, deinceps tamen acceptum fuit.

(b) Non tot ſimul, ſed per vices; nec tantum a Pons cum Villavieta, ſed a neophytis.



HISTORIÆ PARAGUAENSIS.

LIBER VIGESIMUSPRIMUS.

ARGUMENTUM.

Regium decretum. Ill. Peraltæ litteræ. S. Fidei urbis ſtatus. De decimis. Reductiones Franciſcanorum. Reductiones Chiquitorum. Nova Luſitanorum ſedes. Chiquiti recenſentur. M. de Valumbroſo. Tobæ per Zamucos fuſi. Miſſiones & receſſus. Abipones ad Confluentiam. Mocobiorum Reductio. Caſtañares apud Mataguajos. Caditur cum Hiſpano. Abipones contra Cordubam. Fames in Reductionibus. Ad Tobatim Reductio. Apud Guenoas. De Terra Magallanica. Indigenarum natura & mores. Sedes a Conceptione. Bellum cum Montanis.

1743. Regium Decretum.

Supplicibus Aguilaris & Rico libellis, litteris D. Joannis Vazquez de Aguero, quæ datis a D. Brunone Mauricio de Zavala conformes inventæ ſunt, recentique nuntio de Lizardi martyrio, præjudicia, tot inquiſitionum cauſa, diſſipata ſunt. Quibus ad Indiarum Senatum relatis, conficiendæ ordinationi datur opera, quam Rex 28. Decembris 1743. ratam habuit. Dum conſultatur, litteræ acceptæ ſunt D. Joſephi de Peralta O. P. qui recens D. Petro Faxardo (*a*) ſucceſſerat in Sede Bonaurenſi, quas Rex voluit typis vulgatas cum Decreto. Cum his contineatur ſtatus Fluminis Argentei provinciæ, Reductionumque triginta, quas Epiſcopus ſpeciali Regis mandato luſtraverat, in compendium prolixius licet redigendæ mihi ſunt.

Litteræ Ill. Peraltæ.

Poſtquam ſe ſolicitum exhibuit obediendi mandatis, deſtinatamque diœceſim adeundi, cujus portubus imminebant Angli, proſequitur. „ Parochias de via viſitare cœpi, aditaque Sedis Cathedralis poſſeſſione, templa ædeſque ſacras ſuburbanas luſtravi, fidelium X. millibus circiter ſacramento confirmatis. Poſt hæc in Sanctæfidei veni, Confluentiam, Doctrinaſque Patribus Societatis commiſſas in mediterraneis.

Sancta-fides centum leucas Bonis Auris diſtans, totius diœceſis florentiſſima fuit, nobilitate plena, affabreque conſtructa. Situs inter duo flumina, quibus ager fœcundatur, commodiſſimus eſt (*b*). Sed aliquot abhinc annis vacillare cœpit, Guaicuruorum incurſionibus, & Charruarum, qui ante annum 1716. ignoti ibi erant. Armentorum primo prædas agere. Poſtquam equitatu valent, incautos adoriri auſi, Sanctafidenſes ad incitas redegerunt. Jeſuitarum maxima jactura fuit, quorum collegium ægre ſtat. Incolarum plures ſolum mutarunt graſſatorum metu: ſors reliquorum eadem atque eorum, quos intra Bethuliam obſedit Holofernes. Vix agros colere poſſunt urbi proximos, in qua animalia noctu ſtabulari, & cuſtodiri oportet.

Pax quidem cum barbaris haud ita pridem ſtatuta fuit: qua tamen prædatio non intermittitur, hoſte per fœdus initum uni incolarum vitæ conſultum eſſe profitente. Horum cauſa Sanctafides oppidum labat, & cives in montes elapſi, paſtorum vocis, verbi Dei, ſacrarumque rerum expertes ſunt. Ad tuendam nihilominus eam pacem, militia quædam conſcripta eſt, ſed ex iis per quos ager colendus erat. Quin etiam vix media ſcriptorum militum pars circa urbem perſeverat, cætero immunitam. De his V. M. admonere volui, ut eam militiam integrare jubeat, imo augere ſi e re ſit.

Sanctafide ad Reductiones Patrum Societatis Jeſu iter intendi, quarum proxima centum leucas remota eſt. Iter eſt difficile, nec tutum, barbaris obnoxium & feris (*c*), imperviis diſtinctum fluminibus (*d*). Reductionum ſeptendecim ad meam diœceſim, tredecim reliquæ ad Aſſumptionem pertinent. Poſt luſtratas quæ meæ ditionis ſunt, precibus Capituli ſede vacante non nullas alienarum adivi, ſacramenti confirmationis adminiſtrandi gratia. Certus, T. M. gratum fore Indorum in fide progreſſus noſſe, referam quæ hiſce oculis vidi, manibuſque, ut ita dicam, palpavi: quo ſolatio ſummus obitæ viſitationis labor levis fit.

Quis alius ſit ſenſus, viſa ovium multitudine, cujus greges ſejuncti, paſtoris ut unius ſequuntur vocem? Ægre diſceſſi, tenera devo-

(a) Imo ſuccecerat immediate Ill. Joanni Arregui.

(b) Situs commodus, niſi quod inter flumina duo, imo tria, caret aqua; ſalſa quippe ſunt illa præter Paranam, cujus oram tamen Sanctæfidei proximam late inficit amnis *Saladillo*, paulo ſuperius influens.

(c) Feris præter tigrides paſſim occurrentes annumera, immenſos ſilvaticorum equorum greges, qui circam viatores quandoque conſiſtenti ſarcinarios, ſubſidiarioſque mulos & equos abducunt. Feræ aliæ ſunt, ſed innoxiæ, ſed venaticæ, quibus facile commeatus inopiam ſuppleveris, præter perdices, ſtruthiones, horumque ova.

(d) Flumina ſunt Mbocareta, Timboi, Mirifiai, Juquerì, præter fluenta interdum exundantia, quæ tantum bubulis coriis ora ſurſum retorta cum ſarcinis ſuperaveris natare neſcius, vel natantis equi apprehenſis manu jubis.

Digitized by Google

votione penetratus, Deumque laudans pro benedictionibus in hos populos effusis virorum apostolicorum ministerio, qui eos informare non cessant, in catholica fide confirmare, eaque erga Tuam Majestatem fidelitate & observantia imbuere, qua præstantior majorum hæreditate provenire non possit. Qualis ecclesiarum decor, & divini cultus! Cantus suavitas, altarium opulentia, in sacris solemnitatibus magnificentia, ac teneri erga Christum sub Augusto Sacramento amoris documenta! Hæc solatio simul erant & confusioni, quantum distet contemplanti hos inter in fide novitios & veteres Christianos, quorum mores exemplo illis oportebat esse omnium Creatorem honorandi.

Illud me potissimum commovit, quod primo mane pueruli ac puellæ distinctis ordinibus templa subeunt, laudes divinas alternant ore sensu, qui vel durissimum emolliat eor. Hos idem cadente sole. Pastorum scilicet ductui, qui non modo animarum, sed & corporum curam agunt. Postquam ecclesiarum fabricæ & divino cultui satisfactum est, terras eligunt cum neophytis, granorum sativas & gossypii, semina distribuunt, boves & carros, providentia pari atque caritate.

Cum ad divinum maxime cultum respiciatur, ludi sunt ubi ad numerum cantare, & in festorum solemnis saltare docentur pueri, quibus & diversus colitur ager. In summa ea regalis patrimonii pars sunt hi neophyti, qua potior utrum sit totus dubito. Sæpe fit, ut impar sit messis necessitati, eoquod animis abjecti, timidi, ac parvo contenti, æquo tenuiorem sementem faciunt. Quare quotannis amplior seritur ager, qui viduis, orphanis, ægrotis, atque peregre agentibus sufficiat, ex quo pars ad casus improvisos reservatur. Suppetias ferunt greges & armenta seorsim nutrita. Nihil horum in provinciis aliis exstrahitur, ut videlicet annona suppetat. Usui sunt arboris folia, quæ igni siccata in pulverem redigunntur: quem *Paraguai herbam* appellant. Singulis portio quædam in distributiuis; quod alimenti vicem subeat.

Hujus tantummodo fructus commercium est Indis, ut necessaria sibi comparent. Quod superest, Dei & Tuæ Majestatis obsequiis impenditur, ideſt, ecclesiarum & altarium ornatui, usuique non minus necessario, nam præter Missionarios, quibus incumbit Reductionum cura, subsidiariis est opus, in eorum locum subrogandis qui desiderantur, quemadmodum desiderati sunt duo visitationis tempore. Ad itinerum vero sumptus, subsidiariosque alendos (a) plus requiritur quam regia pietate configuratur. Fidem superant navigationum expensæ, maxime dum Missionarii belli causa Gadibus moras agunt. Harum pars ex commercio suppeditatur.

Pars comparandis equis, armis, munitionibus, indumentis militum, & aliorum qui Regis mandato vel obsequio distinentur peregre. Complures in præsentiarum erigendæ Montevidei arci dant operam. Perpetuum præterea sustinent bellum contra circumcursantes latrones, qui rebus illorum, vitæ, aut libertati insidiantur. Tot sumptibus quandoque rediguntur eo inopiæ & calamitatis, ut a procuratoribus Missionum sublevari nequeant, præsertim dum tempestas spem agri fefellit.

Propterea crediderim, pensione decimarum esse liberos: quod Indis Franciscanorum commune est. Author mihi non nemo fuit, ut eos exigerem. Cui acquiescere non potui; quod laboris & commercii fructus, non hic ut in aliis Paraguariæ provinciis, in Peruvio & Chile proprios cultorum usibus accrescat totus, sed pars divino cultui, & T. M. obsequio. Nam post sacra pastorum solicitudo Majestatem Tuam respicit, eo successu ut hoc tempore quo fame varioliſque plurimi desiderantur, duodecim quatuordecimve armatorum millia ad imperium comparata sint. Paucisque abhinc annis in Paraguaria eximia bellicæ virtutis, fidei, atque disciplinæ documenta dederint, sui stipendii milites, & alacritate summa in obvia quæque vitæ discrimina conjecti. Hæc sine fuco ad M. T. scribenda visa sunt, ut neophytorum fidem officiaque, pastorum vero studium & laborem remunerare velit. Decimæ.

Præter memoratas Reductiones recens alia Sociorum opera condita est apud Pampas, qui Bonaeris suburbana haud ita pridem vastarunt, eos etiam adorti, qui e Chile huc accedunt commercii causa. D. Michael de Salcedo Fluminis Argentei Prætor, equestrem turmam adjuncto Jesuita misit, quæ fœdus cum infidelibus Chilem versus habitantibus conciliarent. Ex sententia cessit. Socius Montanos allocutus ad pacem cum Hispanis impulit, quam ut firmaret, quatuor dynastas ad Prætorem adduxit, captorum prædam reddere pollicitos. Dynastæ alii Sanctamfidem urbem ingressi Collegii Rectorem rogarunt, ut Sociorum mitteret par, qui volentes docerent Christiana dogmata. Missi sunt a Provinciali spe facta, hinc statuta pace, illinc fide, Christianam religionem longe lateque diffusum iri.

Non prætermittam ad *Corrientes* urbem octoginta leucas distantem veluti a calore ad frigus transisse me. Testis videlicet fervidæ pietatis apud Indos, teporem & frigus apud Hispanos vidi. Regio est Sanctafide miserior: fœcundior quidem sed colonorum vitio infelicior. Id adnituntur, ut invicem discerpant se, dum prævalet morum corruptio. Plures inde faceſſere coegi, qui Bonis Auris, & Cordu-

(a) Ad alendos subsidiarios seu supernumerarios sufficit regia curionum pensio. Nec aliud habet authographum Hispanicum, ubi de navigationum expensis sermo est. Has, præter regias largitiones, erogabant pro rata Collegia & Missiones.

Digitized by Google

dubæ conjugati ab uxoribus defecerant. Ab alienis ſeparavi, ut redirent ad ſuas: qua ratione cauſam etiam removi turbarum.

Franciſcanorum Reductiones.

Toto viſitationis curſu per pluries centum leucarum ſpatium, fidelium XX. millibus, cum in mea diœceſi, tum in Paraguaica, ſacramentum confirmationis impertivi, conferendum pluribus, niſi peſtilentia tot e Reductionibus omnis ætatis & ſexus abſtuliſſet. Franciſcani habent in ditione mea Reductiones tres, quas etiam ex officio viſitavi. Ordinatæ quidem ſunt, Indi ad divinum cultum eruditi, ſed ædes ſacræ ſunt inopes, & Jeſuitanis infrequentiores pagi. Cauſam roganti duplex reddita eſt. Primo, quia Indi & populi commendati ſunt, quorum patroni mares & fœminas ad agrorum cultum, curamque prædiorum extrahuntur: quo & a religionis exercitiis diſtrahuntur, & tempore fraudantur ſuos colendi agros, eccleſias ædificandi. Quare numerus incolarum in dies rarior eſt, quorum multi peregre obeunt. Secundo, quia pagi ſiti ſunt Pajaguarum incurſionibus obnoxii, qui partem indigenarum interficiunt, partem abducunt. M. Vs horum certiorem feci, ut ex ſapientia ſua de remedio provideat."

Epiſcopi de iis quæ viderat teſtimonium, eo magis Philippum Regem movit, quod documentis alunde miſſis apprime conveniret. Dixi, ex ejus ſententia litteras Prælati ſimul cum regia ordinatione fuiſſe typis vulgatas, pariter atque ſchedam duplicem, aliam ad Jeſuitarum Provincialem, aliam ad eumdem & ſubditos. In hac eis felicem agitatæ cauſæ ſucceſſum gratulatur Rex, hortaturque ut commiſſos populos in ſincero Chriſtianiſmi cultu, & in regia fide conſervare pergant. Utriuſque etiam ſchedæ meminit ad decreti calcem in hæc verba:

„Tandem cum ex dictis ſupra, & olim atque recens ſcriptis in meo Conſilio examinatis, ut res eſt graviſſima, conſtet non alibi Indiarum parem eſſe regiæ dominationis obſervantiam, nullibi jus & ditionem Eccleſiaſticam, regiamque ſolidius ſtabilitam, ut ex perpetuis Epiſcoporum Prætorumque viſitationibus liquet, nullibi ſubditos eſſe magis ad obediendum regiis mandatis pronos, maxime cum ad tuendos fines, aliquamve expeditionem vocantur, convenientibus illico quatuor aut ſex armatorum millibus, per ſchedam Provinciali ſignificator, quam gratum acciderit, quod Aldunatæ atque Baruæ calumniæ mendaciaque adeo luculenter diſſipata ſint; quod divinis regiiſque obſequiis, & Indorum commodis tam ſtudioſe intenta ſit Societas. Ac fore ſpero, ut pari ſtudio pergat & Reductiones, & neophytos moderari."

Ut ea ratione vindicarentur Miſſionarii, juvit præter alia, quod dum acrius accuſabantur, nulla navis Bonis Auris appelleret in Hiſpaniam, qua non aliquod pro religione incœptum denuntiaretur: & quod Eccleſiæ martyres addere non ceſſabant. Illud maxime gratum contigit, quod conſilium ſuſceperant, jamque fundamenta jecerant novæ Chriſtianitatis, cujus meminit Epiſcopus Bonaurenſis. Id ut congruo explicem ordine intermiſſa rerum in diverſis Paraguariæ provinciis geſtarum narratio repetenda eſt.

Cur in decreto nulla fiat de Chiquitis mentio.

Mirum ſit, nec in litteris D. Joannem Vazquez de Aguero, neque in decretis Philippum Regem, Chiquitorum rei meminiſſe. Nondum videlicet negotium Indiarum Senatui faceſſiverant, ab Hiſpanorum conſuetudine remoti. Hinc Miſſionarii ejus agri cultores & ſatores ab inſectationibus alias motis immunes erant, & de ſervanda neophytorum libertate ſecuri.

Ad hæc nulla fuit in decreto Philippi V. mentio de Chiquitis, quia nondum erant rite in ſubditorum cenſum relati, nondum proinde tributo obnoxii, licet immunitate Regum Catholicorum decreto Jeſuitanis neophytis conceſſa uterentur. A Sanctæ Crucis Epiſcopis & Prætoribus, quorum ditioni ſubſunt, protegebantur eorum res & conditio. Quod ſi Hiſpanorum aliqui cœpta progreſſumque turbare tentaverant, jam pridem abſterriti ceſſerant Proregis & Curiæ Platenſis imperio.

Non latebat tamen Miſſionarios, in provincia Sanctæ Crucis ut alias eſſe plures animis averſos. Anno vero 1740. quidpiam accidit, quo circumſpectio evigilaret. Mandatum Curiæ Platenſis a Prætore Sanctæ Crucis D. Antonio de Argomoſa & Zevallos denuntiatum acceperant anno præcedente, neophytos mittendi ad aperiendum iter commodum & tutum ad Paraguaim uſque: forte ut innoteſceret Luſitanorum via, quos e Braſilia cum Peruvio commercium clandeſtinum inſtituere velle, ſuſpicio erat.

Luſitani apud Chiquitos.

Centum numero Paraguaim verſus iter intendunt, nullo apparente Luſitanorum veſtigio. Sed in reditu ad S. Raphaelis diverſa via ſuſcepto, obviam fit equitum turma, quos aliquot milites, & ſarcinarii ſequebantur. Centum armatorum occurſus ſuſpenſos tenuit principio Luſitanos. Sed ut Jeſuitanos eſſe neophytos cognoverunt, ad gratulandum ora conformant. Comiter habitis munuſculis diſtribuunt, quæ illi quæſito per ſilvas melle, partiſque venatione & piſcatu rependunt.

Luſitanorum tres Hiſpanice ſciebant ſatis, per quos dux D. Antonius Piñeiro cum Chiquitis aliquot non uſquequaque ignaris, ſermonem habuit. Ex qua Reductione, quærit? Ex S. Raphaelis reſpondent. Tunc rogat, ut eo duces itineris ſint, optabat enim Miſſionarios alloqui, quod in mandatis habebat. Annuunt haud ægre neophyti: & Piñeirus, cum duos tantum diſtaret dies, Marcum Avendaño cum Joſepho Rodriguez ejus Eccleſiæ curatorem de adventu ſuo præmonitum voluit. Avendaño earum Miſſionum præfectum Bartholomæum de Mora monet, qui Luſitanos comiter habere jubet, donec ipſe

cum

Digitized by Google

cum visitatore Joanne de Carbanzas (a) adfit.

Octava Augusti 1740. ad Sancti Raphaelis venerunt Lusitani. D. Antonius, ejusque locum tenens splendide vestiti: equitum reliqui veste nobilium ut viatoria; & in cunctis de comitatu concinnitas quædam emicabat. Nihil non officiosum hac prima conventione admissum fuit. Laute pro modo Patres exceperunt advenas, quorum dux opulentum munus obtulit, ex Cujabaensis auri potentis mandato primum obviæ Societatis domui tradendum.

Illum addidit esse devotissimum S. Xaverii cultorem, cui donum consecraverat, & summam opem conferre sumptibus Beatificationis V. Josephi Ancheta Brasiliæ Apostoli. Refutatum primo fuit donum, sed negante Piñeiro reportandum, acceptum fuit tandem. Lusitani multis commendarunt neophytorum educationem sub Jesuitarum cura, cujus documentum erat Chiquitorum occursus, ab antiqua barbarie & ferocia tam diversus: eorum inter se charitatem, & vere Christianum erga omnes gentes amorem. Tradidit D. Antonius litteras a Præfecto Cujabaæ (b) datas ad Missionum Præpositum, quibus nuntiabat custodiæ traditum Lusitanum, qui P. Augustinum de Castañares transfugas S. Raphaelis quærentem ante biennium offensaverat. Addebatque, severissime per Brasiliam lege cautum esse, ut Missionariis Paraguajensibus observantia pro merito exhiberetur: eorum neophyti ne acerbarentur; nequis Indorum in servitutem redigeretur, etiam infidelium; quia videlicet plures loci sunt, ubi venundatis non est qui præcepta religionis tradat.

Post urbana officia ventum est ad itineris causam: commercium Brasiliam inter & Peruvium frequentandum. Enumeravit Piñeirus, quod Hispanis & Lusitanis utriusque partis deerat, quodque utrorumque commodis, reciproco usu & consuetudine suppeditari posset. Profuturum maxime affirmabat præfecturæ Sanctæ Crucis, ad quam Chiquitia spectat. Ut rei facilitas eluceseeret, protulit Lusitanus itineris obiti chartam geographicam, & propter viam conditarum sedium. Visa stupuerunt Missionarii; minus tamen quam opibus, quæ ex Paraguariæ parte ab Hispanis contempta extrahebantur. En itinerarium, quod mirum est Hispanis a Lusitano revelatum (c).

Ex S. Pauli sino de Piratininga ad Nembim amnem, seu Añembim concessuri per rivulos descendunt. Secundum novissimam Paraguariæ chartam Añembis immediate Paranam influit. Sed Lusitanus affirmavit, per rivulos tantum utrimque confluentes in Paranam deveniri (d). Ut ut sit, Paranam transmittunt, ut Iguairim, qui in Paraguaim defluit (e) cum Boterey (f), subeant. Inde per occiduam Paraguais oram iter habent, ad dexteram relictis Xerecii urbis ruinis, quam profinde Paraguaim propiorem oportet fuisse, quam chartis indicatur (g). Lusitanorum itinerarium.

Tunc relicto ad lævam Maniore lacu, paulloque altius Taquari (h) amne, Cujabaïm veniunt, urbem a Jesu dictam, a lacu Xarajesuo boream inter & ortum binis itineribus distantem. Pari intervallo ad occidentem mons eminet, quem appellant *Morro de S. Geronimo*, ubi etiam aurifodinæ sunt, nec otiosæ. A monte ad *Xarajes* descendunt lacum, cujus oram radunt usque ad confluvium amnis ab occasu illabentis, cujus nomen Lusitani tacuerunt (i): nec Jesuitæ exquirere ausi sunt, suspectum veriti. Hac proficiscuntur ad fodinas Montis Pinguis vulgo *Matogroso*, ubi pagus est tercentum circiter familiarum (k). D. Antonius Piñeiro testatus est, de primis se fuisse, qui flumen hoc subierant; infrequentemque reperisse gentem Indorum nomine *Parisis*, corporis habitu pusillam, atque miserrimam. „ Fodinis hi, addidit, adlaborant cum Æthiopibus, & mancipiis aliis e Brasilia ductis cum Missionariis, qui Parisios, & Maimbures finitimos numerosam gentem erudiant “. Post hæc Pajaguais se bellum auspicato intulisse Lusitani referunt. Quodsi vellent Hispani operam conferre, exterminandum perfidum grassatorum genus, tranquillandamque Paraguais navigationem.

Ad hæc duo responderunt Socii, non latere Curiam Matritensem, Lusitanum longe lateque regiones occupasse ditionis Hispanæ, quas consilio aut vi recuperare decreverat. Deinde in provinciis ad Peruvium spectantibus interdictum esse cum Brasilia commercium. Piñeiro replicavit, Lusitanos intra suos se continere fines, pacis cupidos bellum non pertimescere. Siquid esset de limitibus anceps, non dubitare se quin amico fœdere deceruetur. De commercio in eam facile venit sententiam, haud temere interdictum ab Hispano, & in Brasilia interdictum esse. Quid Socii responderint.

Præ-

(a) *Cervantes.*

(b) Capitaon-Mòr.

(c) *Fusius* descriptum vide in Supplemento & Documentis.

(d) At ex rivulis iis Añembis concrescit.

(e) Iguairis non Paraguaim influit, sed Paranam sub gradu fere 20. lat. austr. e regione Añembis.

(f) Mboretei potius. Hac fortasse olim Lusitanis Cujabaïm iter erat. Modo per Taguarim Paraguaim ingrediuntur.

(g) Xerecii ruinas adeuntium dexteram spectare semper oportet, quamvis longius distarent, quam chartis indicator.

(h) Taquaris ostium boreale sub gradu 19. latitud. australis est: cum Mboteteis confluat inferius ad austrum.

(i) Nomen fluvio Xauru, qui ex fœdere anni 1750. finis destinatus erat Hispanæ Lusitanæque ditionis.

(k) Numerus hic familiarum in tota colonia forte sit, ad quam etiam spectant pagi a S. Xaverio, vulgo *la Capada de S. Xavier*, & a Santa Anna, præter alios propius Mamoream, a *Santa Rosa*, vulgo *la Esparada*, & a *S. Miebuld*.

Digitized by Google

Præpositus Missionem ad S. Raphaelis non ante venit, quam Lusitani discederent. Ex iis vero quæ narravit Avendaño ad S. Crucis Prætorem, & ad Curiam Charcarum scripsit, addiditque Lusitanorum dono utendum tantummodo ex Curiæ mandato, Curia vero rei summam ad Proregem detulit: Præposito injungit, nequem exterorum Missionarii in Reductiones admittant, neque neophytis ullam cum Lusitanis consuetudinem permittant, nec dona quovis nomine accipiant.

1740. 45. Orta calumnia.

Interdictum anteverterat Avendaño, nam missa Chiquitorum manu, qui Lusitanos in viam deducerent, cum mandatis ut specularentur quorsum iter dirigerent, ut cognovit discedentem Piñeirum vestes, indusia, castoreos galeros distribuisse, in ductorem qui acceptaverat animadvertit, & in foro dona concremari jussit, utique compensata. Monuit deinde Sanctacrucensem Prætorem, quem & certiorem fecit Hispanus rerum gestarum testis. Ille vero silentium quibusdam imposuit, qui vulgare cœperant, Jesuitas ut exterorum largitati gratiam haberent, non mulos tantummodo, equos, & commeatum, sed etiam fidem tradidisse Regi debitam.

Prætor his non contentus ad Platensem Senatum retulit de re tota, qui literis ad P. Moram datis Sociorum prudentiam in factis commendavit. Proregi haud ægrius satisfactum est, vel jubenti donum ad se mitti: missio quod acceperat Avendaño (*a*). Per hanc forte occasionem P. Rico tunc Paraguariæ procurator in Hispania postulavit, ut Chiquiti eadem lege cum Guaraniis recenserentur. Annuit Rex Philippus, qui anno 1745. D. Francisco Xaverio de Palacios Auditori Platensi provinciam dedit, ut secundum mandata quæ simul expediebantur, Chiquitos in vectigalium censum redigeret.

Legatus apud Chiquitos.

Acceptis mandatis iter parat. Missiones noverat superficie tenus. Sed prius quam eo veniret, literas a D. Josepho Pardo de Figueroa Marchione de Valumbroso 14. Junii 1746. datas, eisque necessarium lumen accepit. Nulli eo tempore notior erat America Hispaniensis, quam huic viro, qui Limæ natus Peruvii provincias lustraverat, & conspicua meruerat stipendia in Nova Hispania. In Europam deinde se contulit, hospes ubique gentium, potius quam peregrinus, & nullo non sermone, nulla non scientia familiariter usus. Talem eum exhibet doctus P. Feixoo Benedictinus, pluribus Operum locis, præsertim Tomo IV. *Theatri Critici* P. Vanier, cui notus fuit in Gallia pulcrum ejus elogium intexuit Libro VI. *Prædii Rustici*. En quod ad amicum legatum D Francisco Palacio scripsit.

Literæ ad Legatum.

» Gratissimum erit si omnia apud Chiquitos T. D. ex merito, & ex sententia cedant. Difficillimum tamen est, censum neophytorum ex quo justum exigatur vectigal, institui. Satis nota mihi est regio, ut affirmem, ventis australibus morbos afflari epidemicos magna mortalium clade, ut Reductiones pro incremento, detrimento potius ac diminutioni obnoxiæ sint in singulos annos. De cætero Christianos ad Religionis & vitæ socialis officia conformatos invenies: sed & mechanicis artibus, armaque tractandi dexteritate præstantes. Sua musicæ laus apud eos est, cujus partes omnes eximie calent. Eorum saltationes nec Gallia, nec Italia fastidiverit. Mutationes id genus unos in America Patres Societatis operari fatendum est. Populorum elegantia, cultus divini splendor, Christiani toto primitivæ Ecclesiæ fervore præditi videndi tibi sunt. " Has in Novo Orbe opes inhiant viri apostolici: hæc Paraguaiensium Jesuitarum Imperii summa est. Per labores summos Ecclesiæ & Regis subditorum numero adjiciunt, qui prius feris quam hominibus similiores erant. Ex quibus respublica coalescit, quam ratio & religio moderatur, quæ nova in dies cœlo præbet incrementa. D. T. Missionarios plurimum commendo, quos certus sum nihil, quod ad majorem Dei gloriam, ut est instituti ratio, non vertat suasuros, "

Chiquiti in censum relati.

Cum ad S. Xaverii primam, & antiquissimam Reductionem ventum est, aderant Stephanus Palozzi Præfectus Missionum, & Didacus Paulus de Contreras, ut Legatum per loca omnia deducerent. Officiis sibi invicem devincti ad mandatorum successum operam contulerunt. Missionarii placitum antevertunt Legati, qui id expetere videbatur, ut cuncta ex eorum voto succederent. Sic omnia facile transacta sunt. Chiquitis gratum accidit, quod Rex suæ libertatis assertor esse vellet, dum subditos vocat: & ultro se vectigales dedunt.

Chacoënses cassigantur. 1741. 45.

Interea Chaquenses immane bellum intergraverant. D. Joannes de Montiso & Moscoso Tucumaniæ Prætor ad coercendos, vires intendit anno 1741. In mediam hostium regionem penetravit. Indos iterato fudit, alios in captivitatem redegit, captos Hispanos liberavit, prædam recuperavit, Hispanique nominis terrorem late dissipavit. Tobæ ante alios arma deponunt, deditionem Mocobiorum placitis conditionibus polliciti.

Legatis indicit Prætor, ut responsum in arce quam nominavit expectarent, nec inde discederent, nisi præfecto consentiente. Proni obediunt: de pace consilium versatur: omnia promittunt facturi nihil. Temporariam docilitatem fecit recens a Zamucis accepta clades. Tobarum equitum globus ad S. Ignatii reductionem noctu accessit non expectatus. Commodum accidit ut sequente luce festum S. Josephi celebraretur, cujus gratia cadente sole Zamuci omnes in pagum e rure convenerant. Hostis incolarum absentia fretus impetum primo mane facturus, inconditum clamorem edit. Zamuci non modo arma capiendi

(*a*) Prorex erat Castelfortii successor D. Antonius Josephus de Mendoza Camaño & Sotomajor, Marchio de Villagarcia,

Digitized by Google

di tempus nacti, sed aciem ordinandi, hostem ex improviso adoriuntur. Prima incursione profligati, arma etiam abjiciunt Tobæ, præcipitis fugæ impedimentum. Vestigia premunt Zamuci. Quodsi duo Tobarum manipuli acie conversa non obstitissent, nullus non captus vel cæsus esset reliquus. Manipulorum alter oppugnatus in silvam difficilem, & virgultis impervium se conjecit, quo Zamucorum manus evaderet.

Trium tantum equorum, unius que fœminæ, dum fugit Tobas, lethali vulnere sauciatæ jactura sterit neophytis expeditio, qui hostes persecuti plures apprehenderunt. In his Chiriguanum senem inter scapulas lancea vulneratum, qui post curationem ad S. Joannis cum reliquis captis sub fideli custodia mittitur. Victoriam bina sequuta sunt commoda. Zamucis animos addidit, ne hostem formidarent eo usque terribilem. Atque Tobis gentem infestandi, quæ Christianismo ferociam cum solerti ordinataque virtute mutaverat, excidit in posterum cogitatio. Nihilominus P. Chome & Contreras, penes quos erat Reductionis cura post obitum discrimen neophytis authores sunt, ut terreo muro pagum circundent, cum fenestellis ad tuto jaculandum.

Motus in S. Ignacii. Ex prospero eventu fervor Reductionis invaluit. Sed Castañares quatuor in ea gentes diversas una committens, non satis animadvertit, Indorum odia raro mitescere, nec sine gratiæ miraculo penitus suffocari: suffocataque facile reviviscere. Id accidit præter opinionem in S. Ignatii. Ugarogni postremo reliquis aggregati diuturnas foverant inimicitias, quas Castañares extinctas credidit.

Conquiescunt. Quandiu gregem ipse moderatus fuit, satis pacatum continuit. Deinde tamen odium undique revixit, eoque devenit, ut pejora veteri pastoribus insalutatis horsum illorsum elapsi sint, in solitudinem redacta Reductione. Ut nuntium accepit visitator Missionum, Contreram jubet ad S. Joannis venire, ratus eodem attrahendos plerosque Zamucorum quibus charus erat.

Spem probavit eventus. Vixdum Missionarius ad S. Joannis pervenerat, tres primæ Zamucorum partes eodem se conferunt. Obviis ultis excepti ajunt, sterile S. Ignatii solum horrere se. Monitus visitator, eandemque esse Ugarogniorum sententiam, constituit, ut Zamuci Joannitis aggregarentur. Ex qua Reductione pars, cui Ugarogni adjungerentur, in novam deduceretur coloniam situ præstantem. Consilium nulli non placuit. Novæ coloniæ nomen desertæ inditum est a S. Ignatio (a). Singulis ad destinata loca profectis, ubique restituetus est ordo.

Missiones & recessus. Tucumania tunc erat tranquilla, post confectum videlicet a Prætore bellum. Hinc orta denuo spes Evangelium in Chacum propagandi. Nunc servitutis horror, nunc prava morum exempla irritos fecerant priscinos conatus. Sed spes integrata, germinaturata denique terram, perseverantia, sudore, & sanguine irrigatam. Ut barbari post victoriam erant habiti, nihil erat quod ad fidem invitati quidquam adversum libertati verentur. Ad corrigenda vero ex licentia veterum Christianorum prava morum exempla, Missiones & recessus per singulas urbes optato exitu frequentati sunt. Rustica etiam prædia missi percurrunt, & Hispanos quærunt intra silvas, ubi plures consederant, fortasse ut licentius viverent (b). Labor propitiante Deo provinciæ faciem immutavit. Licentia disparuit: bona male parta vel reddita sunt, vel in eleemosynas conversa: scandala publicis macerationibus reparata: piis exercitiis, rerumque divinarum cultu sanitas inducta morum; & innocentia religionis spiritu, sacramentorum frequentatione, propriarumque status cujusque virtutum usu renovata.

Confluentia in angustias redacta. Multum aberat, ut Flumini Argenteo tam prospere resfluerent, quam Tucumaniæ. Abipones, qui Sanctam fidem in statum redegerant, de quo ad Regem Catholicum retulit Ill. Peralta, luctuosius Confluentes urbem infestabant. Prospera quædam certamina colonos in spem tranquillitatis erexerant; sed ad cohibendum hostem id genus, validiore molimine opus erat. Abiponibus incolæ, quam incolis Abipones notiores erat. Disparuerunt aliquandiu, donec præsidium indormiret. Tunc ad urbem trium leucarum spatio accedunt nullo excubante: & in suburbanis vicenos senos occidunt, captos plures abducunt.

Irruunt aliunde paucis post diebus, Hispanorum plures interficiunt & capiunt, & persequente nemine recedunt. Is ex clade pavor in urbem & viciniam ingruit, animosque civium insedit, ut natam rei restituendæ occasionem elabi siverint. Rustici in propinquiores Reductiones fuga non modo asylum, sed victum quærunt. Actum erat de civitate, nisi Abipones ad collocandam in tuto prædam cum captis, bibendamque Hispanorum salutem ultro abjissent.

Fœdus initum. Post initam cum Sanctafidensibus pacem, prædas nihilominus agere barbaros, supra navi, per pacem uni amicorum vitæ consultum esse ratos. Provinciæ Prætor ut id saltem commodi Confluentiæ urbi & territorio procuraret, sui locum a Rege tenentem D. Franciscum de Vera & Muxica (c) jubet fœdus inire. Hic barbaris denuntiat, post pacem cum provinciæ Prætore celebratam, urbem ditionis ejusdem & præfecturæ oppugnari non posse: nisi Fluentinos infestare cessarent, collatis viribus castigandos donec aliquando saperent.

Ra-

(a) Novæ hujus coloniæ situs octo ad boream distat leucas a S. Michaelis Chiquitorum oppido.

(b) Non ut licentius vivant Tucumanenses Hispani, rura petunt; sed ut agrorum & pascuorum faciliori usu inopiam levent.

(c) Muxica Locum-tenens non Confluentiæ, sed Santæfidei.

Quo successu,

Rationibus aequis atque minis frigide auditis separantur. Mox Abiponum dynastae quidam ad pacem cum Hispanis inclinabant reclamantibus plerisque. Res prope desperata per Abipones, foedus ultro confectum est per Mocobios, qui anno 1730. a D. Stephano de Urizar perculsi (a) ad Abipones confugerant, quorum partes & aciem sequebantur. Post foedus cum Sanctafidensibus, urbem frequentabant una cum liberis & uxoribus. Apud Jesuitas, dum collegium curiosius contemplantur, amice accepti sunt. Visis praesertim quae ad divinum cultum spectant, stupere videbantur. Mocobiis faciebant Abipones, exemplis & sermonibus ita devincti (b), ut Patres eos a consuetis in Sanctafidenses & Flumineos latrociniis haud contemnendo successu avertere tentaverint.

Mocobii ad fidem inclinant.

Longius progressi Mocobii sunt. Ex frequentato collegio in magnam de Patribus aestimationem venerant, quibus occasionem capientibus sermones de religione serendi, mira docilitate respondebant. Anacaiguin dynastem primo conciliarunt. Hic D. Franciscum Xaverium Echagus, qui urbem imperio simul atque pietatis exemplo moderabatur, convenit: si de Societate pastor daretur, & ad firmandam fidem locus, eo gentiles suos concessuros. Hominem complexus, opem quam possit maximam spondet Echague: locumque designat, ubi condita primum erat Sanctafides.

Adest interea P. Machoni ad Reductiones visitandas transiturus, cui Mocobiorum votum narrat Echague, ad constituendamque Reductionem, quam brevi proselytis frequentandam sperabat, consensum rogat. De consensu ne dubitet, respondet Provincialis, dum consilium probaret Praetor, nec diu desiderandos Missionarios dum esset operae pretium. Sed nondum esse maturum consilium ratus, neque posset non continuo sequi visitationis cursum, abiit fide data opem quam posset conferendi.

Urbana comitia convocat Echague, de quorum sententia Praetori Mocobiorum vota, Provincialisque promissa nota facit per literas, quibus respondit D. Michael Salcedo, consilium eo sibi gratius esse, quod ad promovendam in Chacum Christi religionem destinata fides viam aperiret, reliquis de Mocobia gente suorum popularium exemplum imitaturis (c). Manus operi adhiberet, nec ad solidandam fidem utilissimam quidquam praetermitteret, opem non desiderandam, sumptusque quoquo facerent, ex aerario sibi unde refectum iri.

His per Echagum denuntiatis, respondit Machoni, antequam longius procederetur, quidpiam cavendum, quod Praetor non expresserat: nam videlicet Guaraniorum immunitas a commendarum servitute Mocobiorum Reductioni communis esset futura. Nihilominus cum de Praetoris potestate & voluntate non ambigeret, de Missionario futurae sedi providere festinat.

Priusquam Sanctafide discederet, Cordubam scripserat, uno vel altero Mocobiis operario fortasse opus fore. At de primis qui se paratos exhibent fuit Carolus Gervasoni Ariminensis. Sed nec ille nec alius de primis acceptatus est, quod majoris aetatis erant, quam ut novi idiomatis (d) difficultatem, nullo artis grammaticae subsidio mitigatam, superare possent. Elegit eandem Provincialis Franciscum Burges, quem haud ita pridem Theologiae professorem in Studio Cordubensi destinaverat. Novae Missionis cupidus Sanctamfidem properat, ut Praepositi litteras accepit.

Conditur Reductio.

Ut futuri pastoris adventum cognoverunt Mocobii, cumsti qui religionem Christianam amplecti decreverant, ad collegium laeti conveniunt, & in perficiendis mandatis docilitatem spondent. Principio utendum interprete fuit, ea tamen contentione studium linguae suscepit Burges, ut brevi quantum sat erat, ut intelligeretur, comparaverit. Jam omnes in Reductione, quae a S. Francisco Xaverio nomen accepit, consederant, cum P. Michael de Zea in laboris cum Burgesio societatem venit. Proselytis doctrinam frequentantibus, dynastae cum pluribus aliis baptismum expetentis voto concedendum fuit. Servitutis metus reliquos de gente morabatur. Sed cum interdum accederent ad Reductionem, data opera ut errorem deponerent, nonnulli permanebant.

Transfertur.

Cognitum mox fuit, ibi plures in infidelitate retineri, quod multa Sanctamfidem eorum obicerentur oculis, quae cum morum sanctitate, quos Missionarii praedicabant, conciliari non poterant. Proselytos etiam & neophytos ad urbem necessitate divertentes eadem tentatio solicitabat: quare translatio (e) sedis secundum flumen decreta fuit. Vix vulgata non tantum Mocobii Christianorum adversati, sed Abipones etiam non pauci, e

trans-

(a) Obiit Urizar anno 1724. Prius igitur Mocobii ad Abipones defecerunt; ii Urizar illos in defectionem compulit.

(b) Devincti vero sunt Abipones beneficiis maxime P. Benavides Jesuitae, a quo Ichoalai Abiponum dynasta nomen accepit, & retinuit diu antequam Christo nomen daret.

(c) Praetoris voto satisfactum fuit ex parte post annos viginti, condita nova sede a S. Petro, in quam aliquae Mocobiorum tribus convenerunt.

(d) Cognitum est casu diu post, Mocobiae gentis idioma idem fere esse cum modica dialecti diversitate, atque idioma Tobarum: quae gens late per Chacum propagata vagatur. Idque ipsum pluribus linguis Americanis auditu diversissimis usu venire, judex est Ludovicus Oleina, vir solers, olim in Chaco Missionarius, ubi silvicolarum sermones recens extractorum minutatim contulit alterum alteri.

(e) Flumen intellige Paranam 30. fere supra Sanctamfidem leucis; constitutis deinceps aequali fere distantia secundum idem flumen oppidis, a Sancto Hieronymo, a S. Ferdinando, a S. Carolo, vulgo *del Timbó*: quae omnia Abiponum sunt. Postremum in ditione Paraguai: reliqua in Flumine Argenteo provincia.

Digitized by Google

translatio fieret, se Christianos secutum ire, professi sunt. Imo dynasta quidam Abiponum, subditos adducturum se, utque suos alter adduceret, authorem fore pollicetur. Transmigratione peracta fidem liberarunt.

Castañares apud Mataguajos.

In Tucumania nondum quidquam obvenerat, quo tranquillitas turbaretur ad Chaqui fines. Hinc Missionarii aliquam illarum gentium Christo conciliandam sperabant: nec datam occasionem præterire animus erat; etsi noverant quantulum oblatæ speciei esset fidendum. Tarixam missus erat anno 1742. P. Castañares, ut quo maxime indigebat quiesceret, sed longe diverso Dei consilio. Acerbis, & fere perpetuis ex supra memorato casu cruciatibus, animo non conciderat: imo vires invalescere videbantur, cum aderat occasio salutis animarum promovendæ. Quinetiam occasiones captabat tanto studio & ardore, ut tandem martyrii palmam adeptus sit.

1744-45. Accepto nuntio, Gallinazum Mataguajum dynastam Saltam adiisse anno 1744.; Missionariumque de Societate, qui suam gentem in viam vitæ deduceret, a Prætore Tucumaniæ petivisse, mitti petiit ipse a Provinciali, & impetravit postquam testatus est, valetudinem esse laboribus obeundis parem. Tarixensis civis quidam, Franciscus Azoca nomine, cui Dei servus arduam perfectionis viam ingresso dux erat, se comitem dat, ut divinæ justitiæ, ajebat, pro peccatis suæ juventutis satisfaceret. Una cedunt aliquot militum præsidio, donec Mataguajum fines attingerent, a Magistratu donati.

Ingredienti Castañario suboluit optata sors, hortaturque Azocam, ut cum præsidio retrocedat. Ille vero respondit, una vivere, una mori paratum se esse. In prima statione Mataguajum amice accepti sunt. Mox supervenit Gallinazus, Missionariumque rogat, ut apud se consideat. Id se velle respondit ille, sed esse quædam sibi prius disponenda. Abiret ipse, & subditos apraret ad se audiendum, secuturum prope. Munuscula singulis de comitatu distribuit: abitque dynasta velut mandata propere facturus.

Procedere constituit Missionarius, licet Indi qui simul Tarixa venerant, authores essent, ne immunitum se crederet homini, cui diffidere oportebat. His etiam connitentibus, ibi aliquandiu morari decrevit, ubi amice acceptus erat, & ædiculam interea construere, quo deinde rediret per intervalla, ad excolendos indigenas, qui non male comparati esse videbantur. Indos itaque hujus authores consilii ad cædendam in silva proxima materiam mittit, & solus manet cum Azoca. Post horas aliquot adest iterum quidam de Gallinazi comitatu, qui causam adventus quærenti respondet, amissum canem se velle: sed Patre visum negante regreditur.

Ejus & Hispani mors. A perfido dynasta missum, qui absentiam Indorum exploraret, pronum ad fidem est; quippe vix dum cognoverit, solum esse cum Hispano, repedavit. Præcipitem reditum dum mirantur, a furentibus barbaris obsessi vitam Deo devovent: Gallinazus ipse lethalem ictum incussit Missionario, dum Azoca iteratis pluribus occubuit. Castañarium spoliant carnifices, pectorique appositum crucifixum frustatim comminuunt. Alter vexillo cum imagine B. Virginis se super induit, & reliqui sacra supellectile convasata, altaris instrumento, & reculis confessorum, incondito clamore lætantes, ad sua se recipiunt.

Sic cecidit Missionarius, cujus zelus, & animi vigor, ima submissione, & cæca ad Superioris nutum obedientia confirmatus, carnis debilitatem supplevit. Natus erat Saltæ parentibus pietate magis, quam nobilitate conspicuis. Pretiosam objit mortem decimaquinta Septembris 1744., quinquaginta septem fere natus annos, & postquam Societati nomen dederat, quadragesimo.

1745-46. Hispani bello Chacum aggrediuntur. Si bellum a Chacoënsibus incœptaretur, verisimile est, Mataguajos fore primos, quippe tunc maxime post tantam perfidiam a pace & a regno Dei alienos. Sed immoti quieverunt donec Tobæ & finitimarum gentium aliqui Tucumaniam aggressi sunt: quibus coercendis militem conscribunt Saltæ D. Felix Arias, ad S. Jacobi D. Franciscus de la Barreda, uterque Prætor. Arias Chacum ingressus cum biscentum octoginta Saltensibus & Xuxujensibus, a Majo 1745. ad Julium anni sequentis confinia purgavit captis amplius CL. barbaris, arces ædificavit, sicque provinciam tranquillavit, ut inermes, pueri, & fœminæ, qua prius armati viri non audebant, securi incederent.

P. Pons apud Mataguajos. Saltam redeunti obviam fiunt CL. Mataguaii, parati ad obsequia, & Gallinazi perfidiam detestantes. Chacum repetiturum se ait Arias: in fide perseverantes ad se venirent. Ad conditum diem adsunt, & in mediam regionem longe penetrantem sequuti sunt. Tunc pacem cum Hispanis non tantum percussit gens tota, indicto bello contra universos eorum hostes; sed & P. Pons eam mox visitantem amice excepit, atque omnimodam docilitatem pollicita petiit, ut animarum suarum curator esse vellet.

Hispani ducis generositas. Parem exitum sortita est D. Francisci de la Barreda expeditio. Contra Mocobios novis incursionibus infestos aciem duxerat, quorum cecidit plures, alios apprehendit, nobilem Saltensem cum hybride ancilla captivam liberavit, prædam in qua magna erat argenti copia, recuperavit, & glorioſa cœpta generositate coronavit: præda qua parte licebat, copiis quas rure delegerat, distributa, ne obolo quidem sibi retento.

Ager Cordubensis vastatur. Longe aberat, ut Corduba provinciæ caput æque tranquilla atque Salta & Xuxuis esset. Eo usque penetraverant Abipones duce dynasta, qui *Benavides* nomen sibi adaptave-

rat (a), strage ibi edita quæ sæpe reliquos pervaserat provinciæ terminos. Anno 1746. octodecim barbari Bonis Auris abscedentium curruum copiam adorti sunt. D. Josephus Galarza nobilis Hispanus, & Societatis coadjutor Joannes Angelus Amilaga, Collegii S. Michaelis procurator, vectorum omnium vitam servaverunt, (b) præter Galarzæ mancipium captum a barbaris & Hispanum juvenem, qui mox acceptis vulneribus obiit. Alter curruum ordo Corduba Sanctamfidem profectus ab altero eorumdem Indorum globo juxta flumen Tertium impetitus est. P. Jacobus Herrero, qui post emensum Cordubæ studiorum curriculum ad Guaraniam ibat, numerum auxit interfectorum: cujus cadaver diu post repertum secus flumen humatum est. Tot interea Hispani in aciem prodeunt, ut pestis cesserit. Corduba ægre convaluit.

In Reductionibus fames.

Dum hæc in Tucumania gerebantur, hosti contra quem vires minime valent, subjacebat Parana & Uruguais. Fames erat plurium malorum causa, qua magna floridissimæ Christianitatis pars ruinæ aut dissipationis periculum subiit. Anno 1745. gelu supra quam hominum erat memoria, grandine, & locustarum alluvione messis intercidit; in australibus vero, quibus hæc flagella pepercerant, siccitate: ita ut nihil omnino demessum sit.

De Indis Dei providentia.

Ut autem neophytorum virtus extremo periculo probata fuit, ita fides & fiducia in Deum tunc maxime perfecta in ejus voluntatem resignatione emicuit. Sed persuasum pastoribus fuit, nisi de annona provideretur, gregis dispersionem fore necessariam, illudque ex ea incommodum, quod neglectis agrorum cultu & sementi, malo remedium deperiret. Una Dei providentia freti singulis opem ferre contendunt, & Deo dante collata fuit. Neophytorum numerus, qui exeunte anno 1744. LXXXIV. millibus major non erat, post annum biscentum & LXXXVII. millia complebat.

1740-46. Ad Tobatim reductio.

Gaudium ex ecclesiarum incolumitate, acceptus a Parana cumulavit nuntius. Id ut plane intelligatur, memoria repetere oportet quod anno 1738. de Tobatinis qui a Reductione S. Mariæ defecerant, de incursionibus in Paraguariam, ac de inceptis ad reducendos, dictum est. PP. Sebastianus de Jegros, Felix de Villagarcia, & Joannes Escandon, plures annos vestigia transfugarum per invia devinque silvarum & montium frustra quæsierant: eoque redacti diu sunt Missionarii, ut de revocandis erronibus in ovile, summum Pastorem interpellarent. Pene desperaverant, cum Indus qui ab eodem pago Mariano defecerat, post errores varios in eos incidit, quos jam esse imitatum pœnitebat. Sedem elegerant granis & legumimbus fœcundam, quibus non alius genti potior est cibus. Amicæ accepto nihil antiquius fuit, quam ut nuntium ad S. Mariæ deferret, quo defectionem suam condonandam sperabat. Ægre fides habita est. Sed P. Lazarus Garcia pagi rector, ut verum indagaret, remittendum censuit cum delecta neophytorum manu. Nuntium ex vero esse, testantur regressi: quod eo magis lætum Missionario contigit, quod Tobatini legatos laute pro suo modo habitos de Patribus interpellant, qui post defectionem natos baptizent, & curam animarum agant ibi, ubi consistere certum erat (c).

Sat erat nosse recessum, eaque dispositione animorum, inventos esse. Ad novi agri cultum operam spondent plures, quos inter electus est, qui transfugis investigandis plurimum insudaverat Jegros cum Antonio Planes. P. Lozanus litteris datis prima Novembris 1746. ait, jam duos menses apud Tobatinos fuisse Missionarios lætis animis acceptos. Sed litteris aliis Martii prima 1747. tradit, cum trium leucarum spatio distarent a Tobatinis, per ejus gentis dynastam cum subditis obviam procedentem cognovisse, Indos bellum utrimque cruentum gessisse cum Hispanis: illosque, ne rursus instigarentur, combustis mapalibus in silvam, ubi extrema premebantur inopia, confugisse: sic Missionarios alloquentem fiduciam, reliquos vero de comitatu summam diffidentiam demonstrasse.

Ex eisdem cognovit Jegros, gentis primores adesse non ausos, universosque vereri, ne ad S. Mariæ redire cogerentur. Sed data fide, sedem apud eos firmandam, ubi nihil ab Hispanis esset timendum, acquieverunt. Hispanos fugientes in tres longe remotas partes divisi erant, quarum primam tantum adire permisit rigida tempestas. Hæc constabat capitibus CCC. in quibus erant aliquot infantes, illico baptizati.

Eodem venit Indus secundæ divisionis, qui Patrum humanitate devinctus, suos omnes in eamdem Reductionem conventuros spondet. Missionarii de constantia solicini, duos confestim Guaranios, quos secum adduxerant, ad Paranam expediunt, ut annonam simul, instrumentumque deferant ad ædificia sacra & profana. Euntibus adjungitur Tobatinorum dynasta, quem a Reductione deficientem uxor, filii, binæque populariun familiæ sequi noluerant. His a Jegros denuntiatum, dedecere

(a) Benavides Hispanorum partibus adversantibus etiam gentilibus suis adhæsit. Cordubam depopulati sunt a borea Abipones Alaiquimitæ ab austro dynastæ alii, in quibus Cavachichi.

(b) Amilaga intra currum sclopos aptabat quos Galarza, postquam abjecerat equum cum sclopulis hosti prædam, pedibus insistens nunc intentabat, nunc explodebat in hostes propius accedere non ausos.

(c) Primus Legatorum procul venientium conspectus Tobatinos perfugas suspendit, veritos ne majores copiæ ad vi reducendos succederent. Itaque exclamavit eorum unus: Quousque venietis post alios alii? Re cognita, lætis indulgent salutationibus & officiis.

Digitized by Google

cere diutius abesse uxórem a marito, filios a patre, reliquos a suis, qui jam Christianorum vitam vivere constituerant.

Charitate Patrum deinde conciliata tertia Tobatinorum divisione, locus qui totam gentem capere & sustentare posset delectus est. Operam & manus universi conferunt: & Reductio sub auspiciis S. Joachimi collocatur, dicta *S. Joachin del Taruma* (*a*). Hic exitus cœptorum fuit, quæ Paraguai Episcopo & Prætori ad Regem scribentibus facile expediendi visa erant.

Reductio Guenoarum.

Scripserant eodem tempore de Guenois Paranaensium vicinis, quorum Jesuitæ conversionem susceperant. En quod anno 1747. memoriæ prodidit Lozanus. Gens habitat ad Orientem Reductionum Uruguais, qua Paranæ propinquiores hæ sunt, per immensas divisa silvas. Sermo a Guaranico plane diversus. Curiosi alliciebantur sæpe Guenoarum aliqui ad quandam Michaelitarum villam, quo P. Michael Herrera interdum ire consueverat, ibique forte repertis verba salutis ingerere. Corda diu dura, & gratiæ rebellia tandem mitescere visa sunt. Signiferum S. Michaelis (*b*) magni ab his Indis haberi cognovit: quem Herrera mitti curavit a P. Didaco Palacios rectore.

Cum adesse ait, ad Guenoarum conversionem & salutem a Deo se crederet electum: eumque docet, quid facere oporteat, ut disponantur. Signifer Indus mandata fecit, Herreraque infidelium cor mutatum esse animadvertit. Junio 1746. plures numero advenientes benigne accipit, atque munusculis donat. Gratiam illi habent, & ita discedunt, ut non diu reditum moraturi viderentur. Venit post aliquot dies dynasta, atque se ac suos Christianos esse velle, sed nolle mutare solum. Si Reductioni locum eligeret, a Guaraniis mediis silvis disterminatum, Guenoas universos Patribus Societatis dedituros se. Addidit, ut sermonis usum compararet, se apud eum remanere velle.

Annuit Herrera, litterasque dat ad Provincialem, ut ratum habeat inceptum, & Prætoris assensum exquirat. Voluit dynasta, quempiam de comitatu mittere ad suos, quibus referat secunda promissa. Sed ut ipse abiret, maluit Pater. Prope fuit, ut læta convertendæ Guenoarum gentis spes evaneseeret. Horum turma in territorium Japeiuanum incursionem fecit, cujus incolæ duos occiderant: totaque Guenoarum gens ad ultionem movebat arma. Opportune adfuit Herrera monitus.

Guenoas alloquitur: cum Christiani id tantum egissent quod ipsis, si temere oppugnarentur, licebat agere, habendos non esse hostium loco, quales Guenoarum genti non esse, ipse noverat. Sermonem ita temperavit, ut furentes placaverit. Mox tamen animadvertit, dynastem plura quam posset esse pollicitum, nec Guenoas universos ita esse ad christianismum dispositos, ut ille crediderat. Eum hortatur, persuasitque haud ægre, ut ab iis recederet qui fidem aspernabantur. Summis precibus contendit ille, ut quantocius baptizetur, sed objicienti non satis eruditum esse, acquievit; iteratisque doctrinis assiduus erat.

Illud baptismum maturaret coegit, quod indolentem extremo filii morbo cum vidisset Herrera, & se motum sentiret ad petendam per S. Antonii Patavini merita, cui & se & gentem Guenoarum devoverat, ægroti sanitatem, simul preces intendit atque puer perfecte convaluit. Mox alius ejusdem gentis dynasta mari propinquior ad Herreram venit, polliceturque, dum sedes eligatur, subditos convocaturum se. Atque exeunte anno 1746., unus jam proximi Provincialis adventus expectabatur, ut destinatum fieret (*c*).

Sanitas præter naturam.

Tandem penetrare cœperat in Chacum a Tucumania Evangelii lux. Lullium Reductio connitentibus Petro Joanne Andreu, & Petro Artiguez in pristinum fervorem (*d*) restituta erat. Artiguez Isistines plures admiserat, gentem pacatam, sed dispersam: quam totam cogere, propriamque Reductionem ex ea condere meditabatur (*e*). Major erat de pacificæ Vilelarum gentis conversione securitas, anno 1710. ut supra narravi, frustrata. Confectum jam erat, non modo ut evaneseeret servitutis ex sui deditione formido, sed ut christianam amplecti religionem optarent.

Chaquenses ad fidem proni.

Confectum erat utique zelo Doctoris D. Josephi Bravo de Zamora; cui tamen persuasum fuit, ad promovenda cœpta, satis non esse Indorum æstimationem & fiduciam conciliasse, sed extrahendos e mediis infidelibus in eundem pagum, libertatem in tuto collocandam, comparandamque substantiam, qua indigebat. Qui Tucumaniæ noverat inopiam, Platam iter intendit, ut Reductionem confirmaret authoritate Curiæ, & subsidia corrogaret. Spem probavit eventus. Curia benigne Bravum accepit: & amici quorum de religione studium noverat, Potosii maxime, subsidia largiti sunt. Sed ad Vilelas rediturus occubuit.

Nuntio ad Tucumaniam delato cum ope corrogata, Prætor de suscipienda Missione Jesuitas interpellat: quod illi detrectarunt, ve-

(*a*) Dictat sedes S. Joachimi sicut Taruma centum a Paranæ Reductionibus leucas ad boream. Cui post annos duos adjectus est pagus a S. Stanislao in loco, qui *Tapiesagui* dicitur, tribus ad illius occidentem leucis.

(*b*) Nomen Signiferi, *Chepé*, seu Josephus Tiarai, mortuus deinde bello Guaranico.

(*c*) Quod nondum perfectum est, imo nondum inceptum quod sciam, vel incepto promotum.

(*d*) In pristinum etiam locum, scilicet a *Conventillo* in suburbanis S. Michaelis ad Miraflorem.

(*e*) Condita jam fuit duodecim a Miraflorea leucis secundo flumine Salso prope dirutam arcem a Valle-bona. Nomen huic a S. Joanne Baptista; Lullensi vero a S. Stephano inditum, vel reddi-tum est.

Digitized by Google

veriti ne Capitulum ſede vacante male haberet, quaſi metere vellent quod alii ſeminaverant. Paratos eſſe, Prætori reſpondent, ad Dei & Regis obſequia; ſed Vilelarum Reductioni per Eccleſiaſticum de Clero ſæculari inchoatæ, de ſucceſſore providendum a Diœceſano. Replicat Prætor, cum ſuo placito careret defunctus Bravus, ac proinde non poſſet condita Reductio privilegiis uti, quæ ſolus ipſe conferre poterat, quippe Vice patronus, rem eſſe quæ ad Capitulum ſede vacante non pertineret (*a*).

Huc uſque res erat deducta, cum Lozanus litteras dedit prima Novembris 1746., nec in datis prima Martii anni ſequentis quidquam addidit. Illud conſtat, poſt aliquot annos quamdam extitiſſe Reductionem Vilelarum (*b*), & Epiſcopum Tucumaniæ eam viſitantem, Jeſuitam adhibuiſſe viæ comitem. Ex quo Sociorum curæ non ſubeſſe (*c*) conjectura eſt; maxime quia horum eo tempore conſilia ad eam Americæ partem converſa erant, quæ polo antarctico proxima eſt. En rerum geſtarum ſummam.

De Terra Magallanica.

Habitantes intra fretum & Mare Magallanicum hinc, Chilenoſque illinc montes, Tucumaniam & Chacum, ignoti erant triginta abhinc annis, ſi Pampas exceperis, qui per vaſtas planities inter Bonas Auras & Mendozam urbem errant, ubi nihil eſt quod oculorum aciem terminet, nihil quod ventorum impetum cohibeat, quos Hiſpani appellant *Vientos Pamperos*, qui Flumen Argenteum immanibus procellis turbant. Litteris P. Emmanuelis Garcia datis 7. Junii 1746. notitiam de his gentibus ſat generalem referimus acceptum, ſpemque narrationis magis diſtinctæ, quam nondum accepimus. Satis vero notitiarum eſt, ut appareat omnium noſtrum Geographorum de iis regionibus, ac de indigenis vitium.

Gentium natura.

Ex hujus Miſſionarii ſententia, non eadem Pampis omnibus origo eſt, licet omnes a Monticolis, vulgo *Serranos* ſtirpem ducant; ſed in Puelches & Tuelches diviſi ſunt. Hos vocant Bonis Auris Pampas Magdaleniſtas, quod ingruente fame in pagum a Magdalena irruerint; illos vero Pampas Matanceros, quod eodem tempore & cauſa Matanzæ pago appropinquaverint, Bonis Auris finitimo. Montani Tuelches circum Vulcanum habitant, & pars Magdaleniſtarum juxta flumen a Salicibus, vulgo *de los Sauces*, quod ab oriente ad occidentem (*d*) defluens mare Magallanicum ſubit. Partem continentis auſtro finitimam binæ tribus colunt Aucaes & Peguenches, ſeu Pehuenches (*e*). Illi æque a polo diſtant, atque Valdivia in Chile. Peguenches, quorum aliqui propius boream ſpectant, per infrequentes turmas, uſque ad fretum evagantur. Hac ratione Patagonibus ſedes reliqua nulla eſt: nec in nominatis gentibus eſt ulla, quæ corporis habitu gigantem referat, vel monſtrum: nec per occaſionem mox memorandæ expeditionis ullum rerum vulgatarum veſtigium apparuit, neque enim homo vivus, nec os mortui viſum eſt, quo hanc gigantum terram eſſe, vel ſedem fuiſſe perſuaſum ſit (*f*).

Sermo, indoles, ingenia.

Monticolis non idem atque freti accolis eſt ſermo: & dialectis ex utroque derivatis ſua cuique difficultas ineſt. Ad communem tamen uſum ſatis intelliguntur ſignorum ope, qualia pluribus Americanis conſueta ſunt. De reliquo natura ſunt inconſtanti & varia, ſed cum primis feroces & arrogantes, inopes licet & miſerrimi, Pampæ maxime, & Montani, qui nulli gentium, nec Hiſpanæ inferiores ſe habent. Inopiæ vero cauſa, de qua gloriantur, inertia eſt. Solis Hiſpanorum vicini, neceſſitate modice laborant.

Quanquam hiems rigidiſſima eſt, nudi eſſe malunt Montani, quam textrina deſtineri. Operimenta quædam ab Aucais ſibi comparant, qui greges aliquot nutriunt, & ex lana telas conficiunt. Frumentum ſerunt, quo lapidibus piſto condiunt placentas. Cuprum habent & metalla alia, ex quibus confuſis calcaria fingunt, & fræna, rara quidem eoquod labor durus ſit. Oves ad veſcendum non occidunt, ſed famelici venam ſcindunt, & ſanguinem potant. Vulgaris montanorum cibus eſt caro jumentorum, vulpium, ſtruthionum, huanacorum. Bubulam amant Pampæ, rapto maxime partam ex Hiſpanorum paſcuis. Silvatici boves abundant apud eos, ſed otiari quam venari malunt.

Vitia.

Quibus cum Hiſpanis conſuetudo eſt, toti per diem, interdum noctu in ludo ſunt, vi-

(a) Si de parochia, Indorumve Doctrina res eſt, ad utrumque pertinet ex lege. Epiſcopus, ſeu Diœceſis ſede vacante Gubernator, tres examinatos & approbatos ad curam animarum Prætori proponit, e quibus hic, vel qui pro Rege patronum agat, eligit unum, cui Diœceſanus titulum canonicum conferre debet.

(b) Non una, ſed duæ jam tunc erant in Tucumania Vilelarum Reductiones, alia ſecundum flumem Salſum ad Orientem S. Jacobi *del Eſtero*; alia quatuor Cordubâ leucis ad montium radices. Utraque infrequentiſſima & miſerrima, etiam dum curatores habuit clericos pietate & zelo præſtantes: hæc D. Franciſcum de Salvatierra, illa D. Joſephum Bravo, ac deinde D. Clementem Xerez.

(c) Deinceps ſub Ill. Argandoña tradita fuit Societati, ex facultate credo 22. ex iis quæ concedi ſolent Epiſcopis Indiarum, Præficiendi videlicet parochiis Regulares in defectu ſæcularium de conſenſu Superiorum[16]. Translata deinde fuit ad locum, cui a *Petacas* nomen eſt, in ejuſdem fluminis adverſi ora per Bernardum de Caſtro de Societate curatorem.

(d) Imo e converſo ab Occidente ad Orientem.

(e) *Che* indigenis gentem ſonat. Unde Moluches apud Falkner in Deſcriptione Patagoniæ, Peguenche, Tuelche, &c. gentem ſignificat borealem, Occidentalem, Auſtralem.

(f) In Collectione Mediolanenſi Opuſculorum pro comperto ex noviſſimis itinerariis habetur eſſe gigantes: „Sapiamo eſſer la nazione Patagoni, che può dirſi una nazione de Giganti, poichè ſon tutti tra i 6. piedi, e i6. e mezzo[16]. Scelta d'Opuſc. intereſs. tom. XVII. ann. 1776.

Digitized by Google

victus etiam immemores. Cupidissimi, quorum amicus tandiu sis, quandiu donaveris: quin etiam largitas cupiditatem exaggerat. Nemini obsequium non prius compensatum præstiterint: & pro vilissimo furto longe lateque discurrunt. Emunt & rapiunt venditurі, æque vafri mercatores atque fures. Turpissimis vitiis obnoxii, & nescii pudoris.

De religione sensus. De Deo notitiam sat distinctam habere videntur: & voces habent, quibus Ens quoddam supremum significatur, quod nulla stata ratione colunt; etsi Hispanus dim apud Montanos captivus Garzia testatus est, teneros quodam effectu proferentes se audivisse illius nomen. Aucaes ferè solem adorant, ad quem conversi dum feram occidunt venatores, sanguinem sursum projiciunt, velut lætitiæ & gratiarum actionis documentum. Puerperæ dicuntur Lunæ prolem sistere, seu quod ei referant acceptam, seu quod eam propitiare velint (*a*).

Animas credunt immortales. Ut primum quis vivere desiit, unum concursus ad mortui mapale fit, sedentesque circum cadaver, in fletus & inconditos clamores totis lateribus erumpunt. Pari tono respondent propinqui: quod cum aliquantum factum est, cadaver deducitur, & cum viventis utensilibus humatur. Omnia convasant vel corrumpunt, quæ memoriam revocare possint. Tugurio vacuato faces admovent; & infaustissima augurantur, si somniantibus species appareat. Ominibus aliis & sagis fidem præstant: & solæ fœminæ sortilegia tractant, ac de familiari cum demone fœmocinatione gloriantur (*b*).

Conjugia, educatio. Uxorem ducendam emere oportet, quæ temere cum alia commutatur. Dynastæ ditioresque ducere possunt quotquot amaverint. Dum vir sine prole moritur, viduam ducit illius germanus frater. Quodsi moriatur uxor, soror, vidua ejus thalamum subit. Immodicus est parentum amor erga filios, quos vel intolerantissimos nec verbo castigant. Siquem primo impetu percusserint, epulo gratiam integrant. Pater filium *vos*, filius patrem *te* appellat. Hinc communis rei perturbatio. Et evangelicum semen, quod alias in corde puerorum primas ut plurimum radices agit, hic difficilius surgit.

Missionarios petunt. Etsi Pampæ nonquam Hispanis bellum indixerant, & Sanctorum nomine, cognomine Hispanorum dynastæ plures succubuerint, de sincera ad Christianismum conversione desperatum erat, cum anno 1749. duo illorum dynastæ & totidem Montanorum Bonis Auris convenjunt D. Joannem de San Martin, ut Patres Societatis ad suos mittantur religionis magistri. San Martinus Prætorem monet D. Michaelem de Salcedo, qui Machonio Jesuitarum Præposito occasionem detulit, gentibus evangelizandi. Bonaerensibus Sociis a Provinciali invitatis Matthias Strobel, & Emmanuel Querini officium acceptarunt.

Solum, quod dynastæ ad firmandam sedem postulaverant, reperit Strobel inter *Saladillo* amnem & rivum alterum binas leucas procul a Muri Magallanico, in planitie, post Caput a S. Maria (*c*) silvulis distincta. Monitus Querini dynastæ convocat, qui ad possessionis aditum subditos parant. Sexta Maii 1749. novi coloni iter intendunt, quod nondum confecerant, cum adveniisse infideli genti tempus misericordiæ significavit Deus. Dynastæ cujusdam uxor morbo correpta baptismum summis petit precibus, quem ut acceperat, salutaria religionis sensa proferens spiritum egit. Eam prope sequitur infans aquis lustralibus regeneratus, lætantibus illius marito, hujus genitoribus, quod pro tota gente prædestinatorum par beatorum sortem possessum anteiret.

Reductio a Concaptione.

Die 26. Maii Ascensionis festo ad destinatam sedem ventum est, & ante crucem extemplo erectam Missionarii divina mysteria celebrarunt. Guaranii aliquot comites iverant, qui construendis ædi sacræ, & colonorum mapalibus dederunt operam. Dynasta, qui de via uxorem amiserat, potestate a Prætore facta, Conrector renuntiatur. Tribus aliis præcipua committuntur munera, reliqua reliquis utriusque gentis primoribus in eandem rem publicam unanimi sensu convenientibus.

Cœlum proselytis propitium.

Adultos imo & pueruli ad sacram doctrinam baptismi desiderio properantes vocare opus non erat: Missionariosque nondum sermonis facultatem adeptos rogabant, ut Hispano loquerentur idiomate, quod illi suo tantummodo colloquentes intelligebant. Septuaginta infantes primo baptizati sunt, quorum quinque mox vivere desierunt. Quinquennis alius in morbum & ex morbo in delirium incidit, quo etiam Deum orare non cessabat, ac tandem pronuntiatis *Jesu* & *Maria* nominibus extinctus est. Eodem fere tempore fœmina puerum enititur mortuo similem. Querinius casu tugurium ingressus, causam mœroris interrogat. Fœtum terra depositum cooperstumque deprehendit, & spiritum alternare animadvertit. Baptizatum mox videt.

Montanorum dynastæ uxor acerbis doloribus cruciata in extremum agonem venit, gravida cui partus appropinquabat. Cum proles in utero mortua crederetur, extrahi ad servandam matrem parabatur. Strobel monitus accurrit, ægramque hortatur, ut preces ad Sanctum Societatis conditorem intendat: cujus applicata reliquia fœtus emittitur nullo primum vitæ signo, & capite ita perforato, ut cerebrum appareret. Flens baptizatur, baptizatur

(*a*) Moluches, ait Falckner, admittere duo principia, bonum & malum. Quorum sacerdotes meri sunt harioli, appellanturque Vizzardi.

(*b*) Quod hic habet Garzia de fœminis, quæ solæ sortilegia tractant, facile conciliaverit cum Vizzardorum ministerio tot gentium diversitas.

(*c*) Imo post Caput a S. Antonio, quod Fluminis Argentei australis est cardo.

Digitized by Google

ptizatus expiraret, vita eo tantum prorogata ut mortuo salus æterna succederet.

Junior quædam recens maritata adversa valetudine baptizari cupit tam impense, ut diutius differri non pateretur, etsi vitæ discrimen nondum emicaret. Baptismum iis sensibus & fervore accepit, qui supra naturam esse viderentur. Baptizata sacro oleo petit ungi, & voti compos velut ecstatica spiritum Deo reddidit. Omnes universim eosdem affectus præseferebant: eratque miraculo hominum a regno Dei aversissimorum tam cita mutatio.

Infidelium accursus.

Tot mirabilium fama vulgata, frequens infidelium accursus ad Reductionem fit; sed quos una moveret curiositas accepisse brevi pœnitendum fuit. Incommodissimi utrique Missionario acciderunt. Cum barbaris pudoris expertibus agendum erat, qui prima rationis documenta ignorant, qui recti ordinis impatientes ferocitatem insolentiamque exaggerant, admonentes ludificunt, ab beneficia ingrati nec preces pensi habent, nec cœlestium irarum minas. Pueri ludis, pugnis educationem aspernati turbabant. Patientia nihilominus, & constanti charitate ministrorum Dei, apud quem hæ virtutes tanti sunt, exemplo etiam primorum Reductionis habitorum, factum est, ut rationi concederent, & sincera fide plerique converterentur. Labori, quem horrent, parcendum fuit: & hæc conniventia cum Guaraniorum aliquandiu retentorum, Patrum etiam exemplo, præter opinionem profuit. Terram ut colerent, & semina jacerent, persuasum est tandem, spe messis laborem mitigante iis, qui tantum procuraverant commodi, gratiam habent, perfectamque spondent docilitatem, quamquam erat qui eos apud se desiderans, contra Missionarios instigaret, simul atque his persuadere nitebatur, oleum & operam perdicum bipedibus humanitatem civilem perosis, nedum religionem Christianam.

Neophytorum fervor.

Labor mitiores fecit docilioresque: gratia vero obstaculis expedita reliquum perfecit, & fervor invaluit. Ea fuit discendi contentio, ut noctu etiam dormientes interpellarent Missionarios, vel ad petendam novam doctrinæ traditæ explicationem, vel ad probandam an fida memoria, quod præscriptum erat, retinerent. Id tamen minus mirandum est, quam indomitæ gentis submissio, ut nemo vallo invitis pastoribus egredi, nec nisi scripto fieret potestas, Bonas Auras accedere auderet.

1741. - 47. Extrema fames.

Per occasionem horum itinerum ea narrabant obviis gentilibus de Patrum charitate & moderatione, ut undique ad Conceptionem convenirent proselyti. Pax florebat unanimis, & Dei laudes dies noctesque resonabant. Prope abfuit, ut adeo læta primordia improviso acerbarentur casu, conceptaque gentes has ad ecclesiæ gremium alliciendi spes evanesceret. En unde casus obvenerit:

Prætor regiis inimicus mandatis quatuor centum francos (a) ex ærario Missionariis erogaverat, præter septingentos hinc inde collectos cum pecore, armento, & seminibus ad Coloniæ constituendæ sumptus. Hæc omnia tamen prima messis absumpserat. Siccitate extrema, insolitoque gelicidio interiit secunda, Bonis Auris etiam desiderata, combustoque militum quorundam negligentia frumento reliquo, Reductio omni ope ad incolarum victum destituta fuit.

Labefactata vero non propterea fuit neophytorum fides. Imo pagum contra hostium incursiones circum vallare perseverarunt, novaque rura mapalia construere, Hispano villico, ad armentorum custodiam.

Bellum cum Montanis.

Sed maximum novæ sedis detrimentum, in qua perpauci adultorum baptizati erant, inde natum est, unde minus erat timendum. Ab anno 1734., quo præturam auspicatus est D. Michael Salcedo, bellum perennabat inter Hispanos, & Monticolas, qui Bonaurrenses provocaverant, agros populati. Hispani, quibus aggressores ignoti erant, forte quia de nocte clades erat illata, Pampas incusant, in vincula traditos. Carcer haud diuturnus quidem fuit, ita gravis tamen ut liberi Pampas alios, cum Monticolis jam notis aggressoribus, ad vindictæ communiorem compulerint.

Primis quatuor expeditionibus commoda & incommoda paria utrimque, neque magna fuerunt. Sed anno 1740. Montanorum dynasta, quem Hispani appellabant *El Cacique Bravo*, cujus nepos cum suorum quinquaginta in recenti prælio ceciderat, iratus quod universæ genti factum particularium imputaretur, contractis copiis in pagum a Magdalena dirigit aciem, ferro & igne devastandum. Inde contra Conceptionem arma convertere meditabatur, unde Hispanis ad montes dati erant viæ duces.

Pagus Magdalena vastatur.

Jam longe processerat, Hispanis nihil suspicantibus. Primis novæ Reductionis Indis consilium fuboluit. Conspectum equorum gregem, ut quos instigaret quispiam; Missionariis indigitant simul & ajunt, arma movere Monticolas. Commotos tranquillare curant Patres, atque D. Bartholomæum de Canales, finibus præfectum, visa monent. Sero tamen. Nuntius expeditus est vigesima secunda Novembris, atque vigesima sexta pagum adortus Bravo. Bis centum interfecti sunt, plures capti, quibus cum abacto armento & universa præda in montes sub valida custodia præmissis, ad Conceptionem vertit aciem, quo exploratores præiverant.

Conceptio servatur.

Jam illic nullo metu expectabatur. Prætor de Magdalenæ strage certior factus, atque de Conceptione veritus id quod erat, quadraginta militum expeditam manum immittit cum

tor-

(a) Bis-centum numos octiregales argenteos.

tormentis aliquot. Exploratores hostium eodem fere tempore adsunt quo auxilium hoc; octava Decembris nocte. Per tenebras appropinquantes custos sensit, tormentumque explosit, vigilantiæ testem. Dynastem admonient, qui aperto marte decertare non ausus, receptui signum dat. Hostium vestigia Prætor sequi jubet quatuor equitum manipulos, quibus post viginti itineris leucas, aquæ & pabuli penuria redeundum fuit.

Hispani præoccupati.

Conceptionis sedes vix a dynasta Bravo secura, haud impar subiit periculum. Rumor incerto authore Bonis Auris dissipatus est, neophytos cum hoste in hujus civitatis excidium conspirasse. Et quod mireris nullus non fidem habuit, vel habere simulavit (*a*). Hispani de captis in pago Magdalenæ fuga liberi affirmabant, Bravum excidium Reductionis machinari. Sed nulli persuasum fuit, quod errorem nullus deponere vellet, multosque male haberet ea neophytorum sedes & immunitatis; obfirmata usque adeo opinione, ut duo qui interea venerant Bonas Auras cum Querini litteris in vincula conjecti sint.

Eos continuo Prætor jussit absolvi, sed in civitate satis moraturos, ut de Reductione quasi proditorum lustro rumores, & intentatas jugulo minas audirent. Nec Missionariis, ut infensissimis rei publicæ hostibus, nec auribus neophytorum parcebatur. His Conceptione vulgatis consternati sunt Indi, quos haud ita pridem ut patriæ proditores jugulandos a Bravo, sors eadem sine causa manebat ab Hispanis. Montani maxime commoti sunt, quorum dynasta de duobus alter, veritus se primo appetendum, in montium tuta se recipere constituit. Consilium credidit amico, cui ut suæ gentis pacem utrique parti necessariam conciliaret roganti respondit: „ Id utique totus adnitar. Dum injustæ Hispanorum infectationi me subtraho, eos ignorare demonstravero, quid inter amicos distet, veros & falsos. “

Dynastæ recessu Bonaurensium suspectus confirmati sunt. Sed D. Dominico Ortiz de Rozas (*b*), qui Salcedo successerat, neophytis favente, & litteris Querini ad Indorum Protectorem D. Franciscum Suarez, ut ex officio conferret operam deprecantis, quievit clamor. Vix turbine hac parte sedato, denuo turbatur Reductio Montanorum metu, nam Prætor accepto nuntio, falso quidem (*c*), classem Anglos mittere contra Bonas Auras, quadraginta milites præsidio missos revocaverat. Sed metum dissiparunt Missionarii: nihil esse quod hostem formidarent, tantummodo validum adversus incautos: non deserendos, dum usus ferret.

Nihil prætermisit novus Prætor, ut Montani cum fœderatis, errore niti bellum quod susceperant, & utriusque partis interesse pacem, intelligerent. Ineunte anno 1742. Missionariis Conceptionis significaverat, ablegandam ad fratrem proselytam Bravi dynastæ sororem, ut ab injuriis cessaret. Annuit illa, & quarta Februarii cum aliquot neophytis armatis profecta est, quos P. Querinius viæ comites addendos censuit. Iter secundum montes intercluſum est arescente solo. Tunc Inda comitatui suadet ut retrocedat, certumque reddat Querinium, fratrem ad Prætorem missum ire, qui solidam pacem constituat. 1742. 47. Pax cum Montanis.

Diu desiderato nuntio, terrore continendum hostem censuit Prætor, qui D. Christophorum de Cabral Tribuni Militum locum tenentem cum armatis DC. ad montes ire jubet, pacem offerre dynastæ, eamque refutantem adoriri. Non omnibus placuit ductoris delectus, pro quo plures mallent Tribunum ipsum. Sed dissentiente Prætore, biscentum (Indi, credo) in aciem prodire nolunt.

Cabral nihilominus ire pergit: & Prætor ratus, e re fore si Jesuitarum aliquis castra sequatur, Collegii Rectorem interpellat, a quo Strobel designatur. Cum in clivum, quem Hispani vocant *El cerro de Casuati* sub gradu quadragesimo primo latitudinis australis, ventum est, quo Aucaës & Peguenches carnium equinarum causa convenire solent, aderat dynasta, cui tota pene subest regio, aliis quinque dynastis stipatus, & in Hispanos invehi cœpit. Totam suam gentem ait, cum frequentibus australium copiis, malum quod Bravus intulerat Magdalenæ pago, Bonis Auris inferre deliberasse, cum Jaati (qui Conceptione discessit) nuntiatum venit, Patres Societatis pacem generalem cunctis placituram meditari: idem esse testatam sororem Bravi, a quo mittendus erat Conceptionem, qui rei veritatem exploraret.

Strobel objectis a dynasta satisfecit; non primo ab Hispanis pacem violatam esse: Prætori sat esse virium ut bello prævaleret. Neophyti Montani Missionarium comitati pacis consilium popularibus simul inspirant: quos fidei semper tenax Jaati secundavit. Tandem ut utrimque cessarent ho-

(*a*) Verosimilius est, fidem ab aliis simulatam, ab aliis habitam. Illud certum, dum is rumor Bonis Auris dissipatus est, jamque præ foribus hostem adesse, notum & nobilem civem D. C. D. abjecto capillitio per vias publicas currere visum: incertum quo metus hominem ferret: nec proditurum eo habitu, qui rumori fidem abnegaret. Alii ridebant, quos fidem simulasse pronum sit.

(*b*) Comite *de Plobatones*, qui post Chilensem Præfecturam dum Hispaniam repetit, obiit in mari.

(*c*) Falso quidem, non ex vano, dum Anson his oris insidiabatur.

hostilia, captique restituerentur conspectum est. Bravus etiam Hispanos apud Auaues & Peguenches venundatos redimere in se recepit. Munera iis distribuit, quibus negotium commisit exequendum, atque dynastis, quorum res erant. Quibus ita constitutis, data utrimque amicitiæ fide discessum est.

Reliquum erat, ut fœdus initum a Prætore confirmaretur. Quatuor dynastis, quorum duo erant Montani, duo Peguenches, cum Cabrale venire placuit. Humanissime acceptos Prætor Regias donis cumulavit. Obstitit nonnihil de fœminis, quæ captæ per Hispanos, Conceptionem missæ Christianam religionem susceperant, Nolentes natale solum repetere fidei periculo, Prætor compellere renuit: nec multum dynastæ ea de re soliciti fuisse videntur. Illud constat, Christianas has Conceptione perseverasse, dynastasque Prætoris officiis & comitate devinctos, captos ex Hispanis, quam possent celerrime liberandos promisisse.

HI-

HISTORIÆ PARAGUAJENSIS.

LIBER VIGESIMUS SECUNDUS, ET POSTREMUS.

ARGUMENTUM.

Regis mandata de tributo Reductionum. Novus Prætor. Philippi Regis ſcheda. Status Conceptionis. Bellum civile. Reductio transfertur. Navis Hiſpanica. Ora Maris Magallanici luſtratur. Caput Album. Inſula a Regibus. Portus Deſideratus. Inſulæ a Pinguinis. A Paſſeribus. Fons Ramirius. Orlandia Inſula. Leones marini. Procella. Portus a Sancta Cruce. Sinus S. Juliani. Inventum ſingulare. Erreres nautarum. Sinus a Cammaris, ſeu a S. Joſepho. Reductio montana. Fœmina lapidea.

1744. 47. Regis mandata de tributo Reductionum.

NIhil erat quod ſpem moraretur per Magallaniam Evangelium prograndi. Poſtquam pacaverat eam Bonaurenſis Prætor, regium quod recens acceperat de viſitandis Reductionibus, & ordinando tributo mandatum exequi parabat. Jeſuitæ mandatum quo calumniæ ceſſarent, expetiverant: quod ut delatum fuiſſe norunt, Sanctamfidem cum amplo commeatu venit P. Ribarola, Japejuum unde exordienda erat viſitatio, Prætorem deducturus.

Novi Prætoris adventus.

Dum iter parabat Rozas, ſucceſſorem D. Joſephum Andonaegui militaris globi Præfectum (*a*) navem fregiſſe nuntiatum eſt ad terræ Caput *de las Carretas*, quod Montevideo diſtat ſeſqui leucam; ſcapha ſervatum cum uxore & familiaribus; reliqua cum nave periiſſe, poſt ſcaphæ receſſum bifariam diviſa. Andonaeguius Bonis Auris deſcendens regia mandata Rozæ tradidit, quibus Prætor & Præſes conſtituebatur Curiæ Chilenæ, cum facultate Bonaurenſem Præturam retinendi, donec tempus ituro faveret. Sed quia commodum erat, uti voluit.

Philippi Regis ſcheda.

Reductionum itaque viſitationem differre oportuit, quia nec novus Prætor, antequam rem publicam experiretur, abeſſe poterat; & in mandatis alia quædam habebat, longo temporis uſu expedienda. Nempe Philippus Rex de Reductione Pamparum & Montanorum accepto nuntio, & de conſilio novam in Magallania Chriſtianitatem condendi, Salcedo Prætori injunxerat quinta Novembris 1741., ut cœpta promoveret, ex ære regio ſacram ſupellectilem Miſſionariis, opemque neceſſariam ſufficeret, atque militare præſidium, dum eſſet operæ pretium.

Bello, quod inter Auſtrales & Hiſpanos ſupervenerat, ad primæ Reductionis incolumitatem ſervandam redacti ſunt Miſſionarii: & ex iis quæ ſupra dicta ſunt liquet, quanti ſteterit ne conſilium evaneſceret. Firmata vero pace, & Rege connitente, nihil erat quod cœptis obſtaret, maxime poſtquam dynaſta Bravo ſororis opera Patres in montes admittere pollicitus erat. Eratque ſpes major in eamdem ſedem contrahendi auſtrales, quippe minus erraticos; præterquam quod erant Conceptione fœminæ horum cognatæ, quarum officiis uti poſſent Miſſionarii.

Hoc rerum ſtatu Prætor Rozas cum Provinciali Jeſuitarum de promovenda religione conſultabat, cum apparuit ſucceſſor. Diverſus jam erat Bonis Auris de Conceptione ſermo. Miniſterio per neophytos ad neceſſariam æque atque optatam pacem exhibito perſuaſum erat, non proditorum luſtrum, ſed arcem provinciæ munitiſſimam eſſe Reductionem. Etiam illi qui maxime oblatraverant, contra infeſtas ſæpe infidelium gentes uſui eſſe poſſe fatebantur.

Conceptionis ſtatus.

De cætero fervor pietatis erat ibi, quantus ubi maximus. Primores univerſi, pueri omnes, & ex majoribus ætate amplius biſcentum baptiſmum acceperant, nec aliud enixius expetebant reliqui. Summa erat in Dei cultu aſſiduitas, in fidei doctrina comparanda ſolicitudo, erga paſtores docilitas & amor, ſtudium orationis, & in religionis exercitiis alacritas. Florebat ager, promptuaria frumento & annona redundabant, armentumque in dies augebatur. Hæc hominum mutatio, quibus vaga vitioſaque vivendi ratio erat ingenita, fidem ſuperabat abſentium. Sed prope abfuit ut Bonaurenſes neophytis reconciliati tantæ ſpei chriſtianitatem perderent.

Bellum civile.

Horum conſuetudo cum Indis, ſæpe Bonas Auras tempore belli, & conſultatæ pacis ingreſſis, interdici non potuerat. Hinc aquæ vinariæ guſtus inolevit, in pagum etiam clam Miſſionariis deportatæ. Id gentium ſibi temperare neſcit. Ebrietas ingruit, malorumque ut inter barbaros alluvio ſequi ſolita. Sed unis proſelytis principio ſuccumbentibus, & Miſſionarios diu cauſam mali celantibus, quale ex occulto igne erupit incendium.

Eo uſque latuerat vetus inter Pampas Magdaleniſtas & Matancéros inimicitia, quorum nominum rationem ſupra explicavi. Tribus erant

(*a*) Brigadier.

erant diversæ partibus, & odio. Ad fidem convérsos religio reconciliasse videbatur; sed sopitum rancórem ebrietas excitavit. Furor animos occupat, ad arma concurritur magna utrinque strage. In discrimen conjectis Missionariis aures occludunt. Prætor interpellandus fuit, qui militum manipulum Conceptionem immisit. Motuum authores capti Montevideum deferuntur (*a*) sub custodia tenendi. Milites in pago, quandiu ad restituendam rem publicam oportuit, commorati sunt. Aqua vinaria disparuit: ne deinceps Indis venderetur cautum est; & cessante mali causa, facti pœnitentia successit.

Reductionis translatio.

Alii deinde incommodo medendum fuit, prius non satis cognito. Periodicis per annos singulos morbis Conceptio suberat. Sed amœnitas loci, & commoda, soli depressionem celaverant; quo sæpe pluviis inundato, insalubris emergebat æstas. Postquam vitium innotuit, situs potior eligitur in silvoso clivo quatuor a mari leucas distante sub gradu trigesimo quinto latitudinis australis. Opus de integro suscipiendum fuit, in quo Indi, & sibi invicem reconciliatos, & pastorum dicto ut cum maxime audientes se probarunt.

Liburnicæ adventus. Quo consilio.

Post hæc regia navis *a S. Antonio* sesquicentum doliorum, tormentorum octo, præfecto D. Joachimo de Olivares, apud Gades urbano Senatore, Bonas Auras appulit. Navarchos elegerat Rex peritissimos Hispaniæ, primum D. Didacum de Varela Cantabrum, secundum D. Basilium Ramires Hispalensem. Voluitque Rex, ut P. Josephus Quiroga Jesuita, qui antequam Societatem ingrederetur, diu navigaverat, & nauticæ peritus audiebat, una conscenderet (*b*). Quam provinciam ille, Paraguai Missiones obiturus, lætus suscepit. Cum occidentalis ora Maris Magallanici esset lustranda Bonis Auris ad fretum, Quirogæ mandatum est, ut observationibus operam conferret. Cui adjuncti sunt Socii Matthias Strobel, & Josephus Cardiel. Id agebatur ut constaret, numqui essent populi ad Christianismum propensi, & ad Reductiones instar Conceptionis: numqua etiam esset fida navium statio præsidio munienda, quo Hispanicæ tempestatibus agitatæ se reciperent; qua commodus esset in continentem accessus; unde gentes exteræ arcerentur.

1745-47. Ad explorandum solvit.

Præmonitus Bonaurensis Prætor jam omnia paraverat sub navis adventum, quæ 5. Decembris 1745. Montevideum petit, unde milites, qui præsidio essent quæsiti portus, extrahendi erant. Strobeli & Cardieli considendum erat ibidem, cum ut militi spiritualia ministrarent, tum ut quam possent plures curarent Indos. Etsi Montevideum quinquaginta plurimum leucas Bonis Auris distat, non ante diem decimam tertiam anchora demitti potuit. Complures militum ultro se sistunt parati ad iter; sed non amplius viginti quinque, quos capiebat navis, duce Signifero D. Salvatore Martino *del Olmo*, accepti sunt (*c*). Decima septima cessum est, vento boream propiore quam occasum. Nebula, quæ totum diem tenuit, conspectum abstulit insulæ Floreæ (*d*).

Dominica 19. anchora jactitur tribus leucis sub quarta ab Oriente ad austrum Lupariæ (*e*), quæ tribus passuum millibus longa protenditur a quarta ab austro ad ortum ad quartam a borea ad occasum. Caput ejus australe occultis rupibus incumbit, quas cavere oportet. Eo die vectorum turba Sancti Francisci Xaverii novendiale incœpit, quem itineris auspicem elegit, piis aliis operibus sponte susceptis. Novendiale sequitur generalis communio, experte nullo. Cunctis, qui juramentum temere proferrent, constitutæ pœnitentiæ subjacere placuit.

Caput Album.

Vigesima prima, poli altitudine explorata inventus est gradus trigesimus quintus, minutum undecimum. Dominica luce 26. gradus trigesimus octavus, trigesimum quartum minutum: ventus austrum inter & ortum ex æquo medius: mare gravidum. Die Lunæ 27. sub gradu 36., pari minuto, frigus maximum (*f*). Die Martis 28. sub gradu trigesimo nono, minuto nono. Longitudo vero tercentum viginti trium graduum, minutorum quinquaginta septem, æstimata est. Jacta bolis post meridiem ulnas duas & quinquaginta descendit in arenam leucophæam & tenuem. Hoc loco balænæ primo apparuerunt. Dies Mercurii 29. læta, tranquilla, Hispanica hieme frigidior sub latitudinis gradu quadragesimo, minuto quinquagesimo sexto; longitudinis tercentesimo vigesimo secundo, minuto decimosexto. Die Mercurii Januarii 5. hora decima matutina conspectum fuit Album promontorium ad notum, atque borealis ora longe lateque sinuata. Navibus statio secura est, terra qualis ad Sacrum est Promontorium, alta & rasa protectis. Eam recensuit Quiroga ad quartam ab ortu ad austrum, sub gradu quadragesimo sexto latitudinis australis, minuto quadragesimo octavo. Ex quo caput Album subesse confecit gradui quadragesimo septimo. Idque animadvertere oportet, ne caput cum angulo terræ prominentis, & effosæ, quæ mare respicit, confundatur. Ex habita hoc itinere ra-

(a) Mox Asia nave præsidiaria in Hispaniam solvente deportandi imponuntur. Sed tumultuantes procul a terra rebellarunt contra vectores incautos, in quibus D. Josephus Pizarro Novi Regni, deinde pro Rege moderator, tunc Asiæ navis Præfectus erat. Non nullius cæde compressi tandem rebelles Pampæ, pelago se dant præcipites. Quatuor Asia vehebantur Jesuitæ, quorum Alphonsus Carrillo a pampis sauciatus est.

(b) Conscendit eodem fere tempore, sed navem aliam, donec Bonas Auras ventum est, ubi cum Sociis Antoniadem sumpsit.

(c) Hoc itinerarium ordinavit P. Lozano ex documentis Quirogæ & Cardielis *Charl.*

(d) *Isla de Flores.*

(e) *Isla de Lobos.*

(f) Scilicet circa solstitium ibi locorum æstivum.

Digitized by Google

ratione, Album promontorium sub gradu longitudinis tercentesimo decimo tertio minuto trigesimo collocare licet. Immensæ profunditatis tractus hic est. E regione capitis Albi bisida rupis exstat; ad austrum vero angulus terræ depressioris. Inde ora decurrit sub linea meridiana; amplique sinus cornu ad portum usque Desideratum extendit.

Insula Grandis, seu a Regibus. Portus Desideratus.

Die Jovis 6. Januarii ventum est ad austrum capitis Albi, unde litus quatuor leucas distat, prora ad Insulam Grandem retorta, portui Desiderato objectam. Cum esset Epiphaniæ dies a Regibus appellata est: quod nomen jam pridem a viatoribus acceperat. Totus ille sinus caput Album interjacens portumque Desideratum, terra clauditur alta, quam aliquot aperturæ distinguunt dumis & abieculis silvescentes. Eadem lucem portum ingreditur navis ad boream Insulæ. Indicat ingressum tumulus arboris egressus colore niveus. Qua respicit austrum, terra eminet in rupem arbori bisidæ similem fastigiata. Intro venientibus spectabiles sunt cautes abruptæ, quarum borealis a leucis una vel altera structæ arcis similitudinem refert. Circa vesperum Cardiel & navarchus uterque descendunt, observantque intumescentis æstus exordium hora septima pomeridiana: ac secundum litus lacusculos, quorum superficies ad unius regalis argentei densitatem sale incrustata erat.

Ins. a Pinguinis, & a Passeribus.

Die Veneris 7. æstus intumescere cœpit mane, hora septima, minuto decimo quinto. Hora nona descendit iterum cum signifero & sexdecim militibus Cardiel, Indos quæsitum. Eodem tempore Præfectus, navarcus uterque, Strobel, Quiroga, & aliquot milites cum Primitio (a) scapha portum explorant. Ad occasum conversi oram australem insulæ Pinguinariæ radunt, canalem bolide tentant usque ad Passerariam, quam inter & continentem penetrant, fluentum quoddam speculantur cannis coopertum, amni simile, a ventis rutum (b). Scapha relicta, e clivis terram perlustrant aridam, rimosam, monticulis, & calcariis lapidibus stratam, arboribus nudam, præter virgulta quædam in vallibus raris. Ea est ora tota, qua boream spectat post Passerariam insulam sinui objectam, in quo naves omnigenæ hiemare possunt. Sinus alter haud absimilis repertus deinde est in eadem ora boreali propius occasum contra insulam *a Regibus*. Aquam inquirunt: nec præter aquæ salubris (c) puteum inventa est: quam unam Hollandi portus hujus exploratores aperiisse feruntur.

Cardiel cum aliquot de comitatu saxorum acervum offendit in montis vertice, quibus suberat putre cadaver, nec ita procerum, ut *Itinerator* Jacobi Le Maire hujus regionis incolis affinxit. Nullius de cætero vestigium hominis. Arbor nulla præter virgulta rara, ariditas summa. Ægre ad navem regredi potuissent, nisi pridiana pluvia refecti e rupium cavitatibus hausta. Nec sationis est patiens terra, in qua nulla vallis apparet (d). Regio a jugis montium melior visa est (e). Sed quacumque fuit iter, ne singularis quidem eremitæ victum suffecerit, aut habitaculum. Animal nullum in conspectum venit, nec nisi unius alteriusve guanaci (f) vestigium, & aliquot volucres. Sub ejus diei vesperum visus e navi est canis, specie domesticus, sic a litore adlatrans, ut si navem assequi arderet. Sed hospes a vectoribus tunc quidem admitti noluit. Prima nocte universi qui descenderant navem repetunt.

Ins. de las Peñas, de Olivares, de los Rejes.

Postero die Cardiel, comitesque pridiani in australem oram exponuntur. Reliqui scapham adhibent cum commeatu quatriduano portum circum ituri. Ad occidentem prora vertitur usque ad insulæ caput, quam Olivariam vocant de Præfecti cognomine. Inde canalem ingressi, quo dividitur a continente, sinum adnavigant, qui juxta occiduum insulæ caput est. Ad descensum, æstus affluxus præstolandus fuit. Ex loco insulæ eminentiore vidit Quiroga, canalem portus leucas aliquot decurrere contra zephyrum. Eidem cum utroque navarcho de situ convenit insularum Ruparia, seu *de las Peñas*, & illius cui a Regibus nomen est. In Olivaria lepores, struthiones sunt, & marmor multicolor: non aqua potabilis, sed aridum undique solum. Secundum caput occidentale sunt ostreæ: & nautæ grandes exiguæque, sed nullius pretii, piscati sunt margaritas.

Fons Ramirez.

Dominica 9. australem oram de integro speculantur contra zephyrum. Inde ad borealem transeunt, de aquatione soliciti. Hora decima in os rivuli ventum est e clivo quinque leucas a mari distante scaturientis; sed aqua gravis putealem potius, quam fluvialem aut fontalem sapit. Locus de cætero ad haurien-

dam

(a) *Cabo de Escuadra.*

(b) Ex originali documento corrige: *Canalem quemdam* speculantur amnis alveo *similem*. Ex iis enim quæ sequuntur, constat fluentum nullum hac parte esse repertum, quod portum influat Desideratum. Imo constat ea potissimum aquarum potabilium inopia commodissimum de reliquo portum inutilem evenire exploratorum sententia. *Cano*, & *canada* Hispanis sonat, non fluentum, sed canalem etiam siccum, qua dum pluat, aqua decurrerit.

(c) *Salubre*, quod in Hispano originali est, non sonat *salubre*, sed fallum. Itaque puteus erat aquæ falsæ, non salubris.

(d) Documentum, quo Historicus usus est, non negat esse valles: & ubi clivi atque montes sunt, ut hic habes, valles etiam esse oportet. Ubi tamen *Quebrada* Hispanice audis, terræ anfractum potius intellige quam vallem.

(e) Oppositum habes in Documento: *Non melior est visa.*

(f) Ex Nota soppositia. *Ou Livancos* videtur confundere Charlevoix Guanacos cum eo quod Hispani vocant *Lavancos*. Sed Guanaci sunt de genere caprino; *Lavancos* sonat speciem anatum.

Digitized by Google

dam perquam commodus. Fons Ramirius a *Ramirez* ſecundo navarcho inventore dictus. Univerſa circum regio jam exploratis ſimilis eſt, in qua nihil arboreum.

Inſula de Roldan. Die Lunæ 10. per canalem ire pergunt contra zephyrum uſque ad inſulam cautibus horridam, quam Orlandiam dicunt *a Roldan*; poſt cujus Meridianum profunditatem a quatuor ulnis ad unam ſenſim diminui notatum eſt: ac deinde aquæ ſuccedere cœnum. Ad navem eodem fere tempore quo Cardiel cum ſuis regreſſi ſunt. Hic regionem ſimilem expertus eſt, minus tamen aſperam. A mari binis paſſuum millibus fontem reperit aquæ potabilis, ſed ſalſuginem ſapientis.

Deſcriptio Portus Deſiderati. Ex his confecit Quiroga in Itinerario, quod in compendium redigo, Portum Deſideratum eſſe totius orbis optimum, ſed inutilem, in quo omnia ad ſtatuendam ſedem neceſſaria deſideres in regione ſterili. Eſt tamen quo vitrum & ſapo fiat, marmorque albo, nigro, viridi variegatum: pyritarum rupes albæ, & rubicundæ, talcumque continentes inſtar adamantis ſplendidum; cotes & lapides alii vitrioli ſpeciem referentes.

Leones marini. De animantibus viſi ſunt in continenti guanaci, lepores, & vulpeculæ quas *zorrinos* vocant. In Inſulis ſunt leones aquatici: quo nomine viatores appellant amphibium longa jubarum copia, quibus caret, in chartis inſignitum. Cervix quidem plures quam corpus reliquum pilos habet, ſed digito non longiores. De cætero lupis marinis quam nulli animantium ſimilius eſt, mole tamen majus Fluminis Argentei lupis, trium annorum tauro magnitudine par. Caput & collum habet vitulinum. Pedes antici pinnæ ſunt, quas alarum inſtar extendit. Poſticorum ſinguli quinque habent digitos, quorum tres tantum ungulati ſunt. Non omnes leones unicolores ſunt; ſed quidam rubri, alii nigri, albi alii. Voce mugiunt mille paſſibus reſonante: gradu tardi, caudam qualem piſces habent. Appetiti ſtrenue reſiſtunt, oppugnatoque cæteri opitulantur. Piſcatu vivunt: quare de piſcibus reliquis intra portum minima ratio habenda eſt, ex quibus piſcatores nautæ unum omnino gallum, apuas, ſoliginesque paucas adepti ſunt.

Portus commoda. Latitudo Portus Deſiderati juxta Quirogam, & utrumque navarchum, eſt quadraginta ſeptem graduum, & quadraginta quatuor minutorum; longitudo vero tercentum ac tredecim graduum, minutorum ſex (*a*). Ingreſſus anguſtus, & muniri facilis. Quin etiam poteſt ferrea catena obſtrui per canalem totum, ab ortu ad occaſum decurrentem, uſque ad Olivariæ caput Orientale: qua ſingulæ tantum naves introire poſſunt. Ubique uſque ad Orlandiam ſtatio eſt; ſed commodiſſima ad occaſum Pinguinariæ, ab univerſis ventis tuta. Inter Paſſeràriam & continentem binæ ſtare poſſunt naves, quia licet ventis ibi montanis obnoxiæ ſint, hi tamen ſunt parum incommodi, parum etiam mare commovent.

Die Martis 11. anchora recepta, iter intenditur ad S. Juliani portum. Notatum, poſt minutum quadrageſimum octavum gradus item quadrageſimi octavi uſque ad minutum quinquageſimum ſecundum ejuſdem gradus, oram in ſinum curvari, in quo medio inſula modica & ſcopulus emergit binis a terra millibus paſſuum: oram decurrere mediam inter occaſum & auſtrum, ad auſtralem deinde quartam ab occaſu flecti: terram eſſe altam; ſed litoris imi proclivitate navibus inacceſſam: nec arborem apparere, nec aliud viſu ſpecioſum, ſed nuda montium juga. Circa horam ſextam pomeridianam navarchi brevia veriti fundum explorant glareoſum ſub ulnis quindecim. Vento ſubſidente die Jovis 13. in anchora una ſtant ſupra ulnas viginti.

Die Veneris 14. hora quinta matutina diſceditur contra Eurum vadorum cauſa boream & occaſum interjacentium, quæ ſex tantum aquæ ſuperſtant ulnæ. Videntur illa ante duo paſſuum millia (*b*): diſtantque a litore millibus decem. Hic ubi quadraginta & octo gradus, & quinquaginta ſex minuta ſunt, ora dirigitur inter occaſum & auſtrum. Hora tertia poſt meridiem, turbo ex iis quos a ſimilitudine quadam *ſiphones* appellant, a zephyro ingruit. Turbulentum ſpirabat obſcuriſſima nubes; tum ſiphones ut plurimum alba nubecula crumpant. Hujus de cætero vis eadem atque reliquorum. Aquam videlicet maris attrahunt, ex qua compactam columnam ventus circunfert. Væ navi, quam offenderit! Extemplo ſubmergitur. Tormento exploſo diſſipatur. Hic tamen non aliud factum eſſe videtur, quam contractis velis donec pertranſiret, cunctari. Cum ora eſſet ad gradum uſque quadrageſimum nonum, minuta quindecim perluſtrata, nec portus appareret a S. Juliano, propius auſtrum, quam vulgo fertur, vergere exiſtimatum eſt, utendumque vento uſque ad fretum, ut in reditu exploraretur. Acus magnetica deſciſcit hoc loco novendecim gradibus.

Sabbato 15. Vulturno ſit iter inter occaſum & auſtrum. Poſt gradum quadrageſimum nonum minuta octodecim eodem reſpicit ora quæ tuto proxime explorari poteſt. Terra depreſſa eſt & nuda, alicubi ſic excavata, ut muri ſpeciem referat. Eadem luce hora tertia poſt meridiem in conſpectum e regione venit mons *a Sancta Cruce*, in rupem deſinens altiſſimam. Hora quinta viſus ad occidentem fuit, cum navis quatuordecim aquæ ulnas fundumque glareoſum ſuperſtaret, binis a terra paſſuum millibus. In ſinum chartis indicatum poſt caput a *Santa Agnete* prora ducitur ad pernoctandum, terramque delineandam poſtridie. At ſinu caret ora, quæ ad

(a) Long. videlicet a Teneriffæ jugo.

(b) Videntur utique quatenus aqua ſuperſtans diverſi coloris eſt quod in vadis contingit Fluminis Argentei.

ad auſtralem quartam ab occaſu nullo anfractu decurrit. Hora nona zephyrus invaluit, Vela contrahuntur, iturque adverſus Eurum. Commoto pelago contrahitur & acation, uno reliquo dolone, contra Vulturnum curritur. Aptantur opercula. Saluti navis pro virili conſulitur. Ægerrime pernoctatum eſt.

Procella. Dominica 16. furit procella uſque ad horam ſecundam poſt meridiem. Undis repercuſſa navis opplebatur aquis. Arcæ & quidquid ſtricte revinctum non erat convolvebatur. Nec ſtantibus, nec ſedentibus, nec cubantibus quies ulla. Secundus navarchus, dum operas regit, gravi capitis percuſſione lauciatus eſt. Hora ſecunda, miteſcit mare, explicatur acation & epidromos: recenſeturque gradus quinquageſimus, minutum undecimum latitudinis; longitudinis vero tercenteſimus undecimus, minutum tertium.

Die 17. cœlo ſereno viſus eſt ad Occidentem amnis a Sancta Cruce, & ora luſtratur, inde ad ſinum a Sancto Petro curva: nec terra prius luſtratis lætior apparuit. Decima octava reliquus ſinus exploratur, videturque quaſi fluminis alicujus oſtium, ſed vadis obſtructum, quibus fluctus illidebantur. Anchoris in ulnas quinque laxatis, primus navarchus ſcapha tutiorem nequidquam ſtationem requirit. Diſceſſus inde paratur in flumen *de Gallegos*; quod propius auſtrum adlabi credebatur. Sub meridiem numerati ſunt gradus quinquaginta & unus, quadraginta minuta latitudinis.

Die Mercurii 19. poſt horam quintam matutinam, receptis anchoris oram ſequuntur uſque ad Caput quoddam in vadum deſinens. Ulterius eſt oſtium, quod num fluminis a Sancta Cruce, an *a Gallegos*, an portus aliquis eſſet, indagaturus Varela, anchora jacta, in ſcapham deſcendit. Sub veſperum regreſſus ait, acceſſum ad oſtium auſtrum reſpicere; longum trajiciendum eſſe vadum, quo frangebatur undarum vis. Balnææ cadaver in litore jacere, complurium animantium extare veſtigia, campum ambuſtum. His ſpes facta poſtridie portum & Indos aſſequendi.

Die Jovis 20. anchora tollitur, prope oſtium rejiciendas in ſenas ulnas. Varela medium & qua reſpicit auſtrum ſpeculatus, nihil eſſe tutum refert. Locus eſt ſub gradu vigeſimo ſecundo, minuto vigeſimo octavo, ubi æſtus tumet altiſſimus. Tribus horis ulnas totidem deſcendit: & hora tertia poſt meridiem rurſus aſcendere cœpit. Exploratum fuit, terram promontorium verſus *a Virginibus* Freto propinquum, eſſe depreſſam, oram decurrere ad quartam ab ortu auſtralem: promontorium vero diſtare leucas quatuordecim. Cum in regiis mandatis non eſſet, ut Fretum ingrederentur, nec in oræ reſiduo portus amniſve proderetur eſſe, nec in Freti aditu periculoſo; reditum indixit Præfectus ad Sanctæ Crucis flumen, quod propius ad boream ſpectare exiſtimatum eſt, quam chartis notetur.

Poſtridie 21. meridie ad gradum quinquageſimum primum, minutum vigeſimum quartum ventum eſt. Die 22. ſub veſperum tonuit & pluit. Vigeſima tertia prima luce radebatur auſtralis ora portus a S. Cruce. Ad cujus ortum hora ſeſquidecima anchora demittitur 500. a terra paſſibus, in novem ulnas, ſub gradu quinquageſimo, minuto vigeſimo. Aditum exquirit Varela, quem reperit ad boream, ratus eſſe fluminis oſtium; ſed brevi errorem depoſuit, poſt ſeſqui horam ad navem regredi compulſus vi refluentis æſtus, qui tertia veſpertina ſex ulnas deſcenderat: fuitque timor, ne navis circum quam vada & ſcopuli ſenſim emergebant, in ſiccum accumberet. Ad quærendam magis tutam ſtationem cura vertitur. Anchoram tollunt, quæ protinus rejicienda fuit undique ſyrtibus revelatis. Media nocte dum intumuerat æſtus, exitus paratur. Mox vero exæſtuare cœpit, nec per tenebras periculum facere oportebat. Portus a S. Cruce.

Die 24. hora ante meridiem vela panduntur: & procul a ſcopulis confectum eſt, portum eſſe inhoſpitalem, contra quam olim fuit majoribus etiam navigiis. Oviedus ait, anno 1526. Commendatorem Loaiſam cum claſſe ſua ſtetiſſe ibi. Atque Herrera addit, Prætoriam ibidem eſſe reparatam. Hic etiam narrat, anno 1520. Magallanem menſibus Septembri & Octobri in hoc portu commoratum uberem piſcationem feciſſe. Tandem anno 1618. Nodales fratres, Maiæum cogitantes Fretum, eo ſe recepiſſe: in quorum itinerario portus commoda enunciantur. Deinceps tamen æſtuum ſumma vi, vada congeſta ſunt, quibus obſtruitur. Quiroga notavit, fluxum ſex horas, totidem refluxum obtinere.

Vigeſima quinta zephyro & africo mare nimium agitatur: quod per ea loca nunquam non fit ventorum impetu. Vigeſima ſexta frigore riget. Vigeſima ſeptima, gradus computatur quadrageſimus nonus & minuta ſeptendecim. A Sancta Cruce regio eſt plana, & ſpecie quidem ſterilis (*a*), in qua mons nullus, nulla arbor eminet, uſque ad gradum quadrageſimum nonum, minutum vigeſimum ſextum. Inde tamen uſque ad Caput Album, quod gradui ſubeſt quadrageſimo ſeptimo, juga montium ad boream decurrunt. Sabbato 29. & 30. vento nunc a ſeptentrione, nunc ab occaſu ingruente, non aliud quam latera navis in gyrum obverſari. Ad auſtrum converſus navem concutit vehementius, quæ plicatis acatio & dolone, epidromon obliquavit. Die Lunæ 31. invaleſcit ventus uſque ad deci-

(*a*) In Hiſpanico Documento terra dicitur eſſe nuda inſtar Bonaurenſium camporum. Non dicitur ſterilis, neque enim Bonaurenſes agri ſteriles ſunt; ſed ejus taptummodo non feraces, quod non ſeminaveris nec plantaveris.

cimam antemeridianam; & navem in extremum conjecerat discrimen, cum circa meridiem cadere cœpit. Tunc repetitus occasus terræ causa, quæ oculos fugerat. Xaverianum novendiale iterabatur, quod dies Purificationis & communio generalis excepit.

Portus a S. Juliano. Calendis Februarii occasum prora sequens fluentorum vi ad austrum delabitur. Hora tandem nona terra in conspectum venit sub gradu quadragesimo nono minuto quinto. Reliqua luce sursum deorsum itum fuit; per noctem vero oram explorare non licuit. Tribus a terra leucis anchora relaxatur; pari enim spatio litus a gradu quadragesimo octavo ad quadragesimum nonum scopulorum causa inaccessum est. Quarta latuit usque portus. Quinta, terra tribus aderat leucis sub gradu quadragesimo octavo, minuto vigesimo quarto. Tertia post meridiem hora ad occasum conspectæ sunt cautes, a P. Feville sub gradu quadragesimo octavo minuto decimo septimo collocatæ. Quæ remotior ab ora est quinque sexve leucarum spatio, carinæ similitudinem refert. Eadem latitudine sunt quatuor aut quinque aliæ a terra distantes sesqui leuca, quarum solum cacumen extat aqua. Ora regioque tota depressa est & arida, nisi quod per intervalla tumuli quidam modice surgunt.

Sexta die sub gradu quadragesimo octavo, minuto trigesimo quarto, terra longe distabat. Inde vero usque ad gradum quadragesimum nonum minutum decimum septimum, terra in duplicem sinum curvatur, cujus cornua quartam australem ab occasu respiciunt. Terra est alta, & per intervalla litus longe lateque explanatur in vada. Sole cadente calidissima spiravit aura: quod ibi locorum raro fit. Anchora jacitur prope meridianum collis, quo nullus in tota regione altior eminet, leucarum sex distans spatio. Septima, gradus quadraginta & octo computantur, minuta totidem, dum collis erat ad quartam borealem ab occasu. Sub vesperum anchora solvitur in fundum tenacis cretæ, binis a sinu leucis, quem collis respicit ad orientem. Octava primus navarchus sinum exploraturus descendit in scapham, amnem a S. Juliano eodem confluere ratus; sed vi refluxus ventique occidui navem repetere hora tertia post meridiem cogitur, fluctibus tantum non mersus, quorum unus aquæ cadum in scapham injecit. In primo sinus aditu quatuordecim ulnæ repertæ sunt supra fundum cretæ nigricantis, ubi commode stare possis in anchoris. Qua spectat ad austrum ulnæ quinque ad septem eodem fundo. Pervius est aditus, nisi quod propter australe cornu latent binæ cautes, mari exæstuante conspicuæ.

Sinus describitur. Die 9. vento occidentali successit tenuis aura borealis, qua intra sinum, ex eo quod erat notum, itum est leucæ spatio. Hora secunda post meridiem, contra refluentis pelagi vim, anchoram demittere oportuit. Primus deinde navarchus, Quiroga, & alii in terram descendunt, flexus canalis explorant, & virgulta quædam recens ambusta. Hora sexta navis promovetur, ac duplici anchora in statione collocatur a ventis omnibus tuta. Æstu pleno novem erant ulnæ profunditatis. Mox tres, solo ex creta alba satis commodo.

Decima, Signifer & Strobel cum militum auxilio in litus expositi Indos quærunt, simul atque navarchus primus, Quiroga, & Cardiel cum commeatu in scapham descendunt, lustraturi sinum, de fluvio in chartis notato soliciti, cujus, sinu toto circum lustrato, ne vestigium quidem apparuit. Compertum fuit tamen, naves vel maximas posse in canalem penetrare sesquileucæ spatio; stationem tutissimam esse post: parvam insulam æstu summo pene obrui solitam; quam, dum aquas superat, anseres glottidesque opplent. Qua respicit austrum & occasum, æstu pleno pelagi instar esse, imo vero æstu penitus exsiccari. Ibi scapha subsidit, quæ per affluxum relevata iter sequitur inter occasum & austrum, ubi albicantes scopulorum apices esse vident quod vallum esse crediderant. Cum ab eo loco tria passuum millia distarent, rursus accubuit scapha. Navarchus & Cardiel terra flumen ad oram usque maris exquirunt: quod nusquam apparuit, nec eorum quidquam, quæ in chartis delineantur, & in binis laminis itinerarium Ansonis decorantibus. Inter cautes reperit Cardiel ingentes lapidis specularis crustas.

Postquam omnia investigata sunt, scapha repetitur, laborque intermittitur usque ad horam post mediam noctem sesquisecundam. Die undecima, hora octava fundo adhærens scapha, hora secunda post meridiem expeditur ad reditum. Nusquam aqua potabilis, nec ligna præter spinifera quædam virgulta reperta sunt. Strobel cum Signifero litore expositus similia atque de Portu Desiderato retulit: inventos tantum puteos ulna profundos, aqua plenos subsalsa: puteos esse recentes, forte ab aliquo viatore excavatos: quinque a mari passuum millibus paludem esse sale incrustatam. Sed saporis optimi pisces capti sunt, asello similes, etsi quidam affirmarunt esse quos Hispani vocant *Pexe palo*.

Duodecima, valetudine impedito Quiroga, navarchus uterque descendit ad notandum salinarum locum, redituri vespere sine militibus uno & altero qui deviaverant. Decima tertia, de sede ponenda Præfecti, Navarchorum, Signiferi, & Sociorum sententias exquirit Quiroga: quas antequam proferant, hinc a Signifero cum Strobel & octo militibus; illinc a Cardiel cum militibus decem, commeatuque ad quatriduum, terra sinum esse circum eundum censuerunt. His superveniunt milites, qui pridie deviaverant, ajuntque quatuor a sinu leucis paludem esse aquæ dulcis, visos guanacos, struthionesque, nullam arborem.

Decima quarta Strobel & Cardiel, hic ad occidentem, ille ad ortum descendunt. Strobel confectis ad austrum sex leucis paludem

ali-

Digitized by Google

aliam æque diſtantem offendit, cujus ſuperficies tota ſale conſtabat. Ignis ad oram ſilveſcentibus dumis admotus binas leucas prolatus eſt. Idem contigit Cardielis comitatui, dum herbeſcenti campo faces applicat. Primo hic die ſex leucarum fecit iter ad occaſum uſque ad aquæ potabilis paludem, ſecundum quam pernoctavit.

Inventum ſingulare.

Poſtridie peragratis tribus paſſuum millibus in domum venit, ſecundum quam ex una parte ſex erant vexilla explicata, varii coloris, binis palmis quadrata, palis eminentibus impoſita, terra infixis. Ex alia parte quinque equorum cadavera paleis imbuta, caudata, & crinita, quorum ſingula palis tribus pari altitudine ſuſtinebantur. Domum cum militibus ingreſſus operimenta repetit, ſub quibus tria nondum putrefacta jacebant humana cadavera, viri unum, reliqua fœminarum. Harum alteri ærea lamina in fronte, & inaures erant. (a). Hinc gente Puelches eſſe exiſtimatum eſt. Non procul eſſe habitacula credidit Cardiel; ſed tres ultra leucas nequidquam progreſſus, commeatus defectu, repedare cogitur. In paluſtres anſeres ſclopia collinebant milites; at globuli minutiores requirebantur. De via præmittit Cardiel militum par cum literis ad Strobel, quibus triginta hominum petebat auxilium, commeatumque ad quatriduum.

Eadem die 15. Varela & Quiroga ſinus aditum explorant, & quidquid in eo vadorum eſt, ſed vento in terram deſcendere compulſi ſunt, dum nautæ truttarum copiam ſeptem aut octo librarum in ſingulas piſcantur. Ligna etiam ibi offendunt ad comburendum apta. Sub veſperum regreſſus Strobel ait, inventum ſalem ulnæ prope unius denſitate, albedine nivea, ſaxea duritie.

Decimaſexta, contra zephyrum vehementem licet, navis immota ſtetit, mare etiam minime turbatum. Strobel Cardielis litteras accipit, auxilium a Præfecto petit, & expedit. Ipſe poſtridie ſub ſolis ortum cum Signifero & milite ad ſocium venit. Quo tempore Varela & Quiroga ſinus aditum tentare pergunt. Ex eminente deinde clivo ad boream conſpecta palus trium fere leucarum longitudine; incertum an aquæ potabilis, a pelago certe disjuncta.

Porro Strobel poſt quatuor leucarum iter per militem vocat ad ſe Cardielem. Feſſus ille adeſt; ad quem Strobel ait, penſatis omnibus imprudentis fore longius ire: comitatui ſarcinis & itinere fatigato barbaros occurrere poſſe equites, & expeditos armis. Cardiel reſpondit, ut erat tot virorum virtus & alacritas, omnia pericula poſthabiturum ſe. Ad hæc Strobel, cui a ſociis obediendum erat ait, Dominum a ſe conſultum iri, poſtridie mane, quid e re foret edicturum. Cardieli vero perſuaſum erat, Indorum ſedem non procul abeſſe, viderat enim canem album, qui edito contra euntes latratu fugerat, utique ad herum. Poſtridie tamen denuntiat Strobel regrediendum ad navem: cui nulla mora ſocius obedit. Id potiſſimum Superiorem movit, quod allata cibaria ſat cunctis haud erant in regione plane vacua.

Cardiel nihilominus maximi intereſſe ratus, ſiquid certum de Indis haberetur, Superiorem rogat die 19., ut ex Provincialis præſcripto ſententiam exquirat Præfecti, Signiferi, Acceſi, Quirogæ. Annuit ille, conſtituturumque fuit, ut Cardiel cum militibus & nautis, quotquot ſponte vellent, curſare pergeret, cum commeatibus, qui ad octo ſufficerent dies. Die 20. in quam incidit novilunium profecti ſunt. Quiroga & uterque navarchus ſummi atque imi æſtus momentum accurate explorarunt, e quibus hic hora quinta matutina, ille undecima contigit. Quod prænoverint oportet, ait Quiroga in Itinerario, qui hoc uti velint portu; nam ſummus & imus æſtus ſex totis ad perpendiculum ulnis diſtat, ita ut navis quæcunque maxima poſſit vada exæſtuante pelago ſicca, æſtuante tranſvehi.

Cardiel cum triginta quatuor hominum comitatu hoc etiam die diſceſſit ad occidentem verſus. Servandum ordinem conſtituerat, quo nihil ad pietatis & religionis exemplum accommodatius. Medius incedebat inter alas duas, ita poſitas ut facilius lacus, ligna, animantia, atque fumi Indorum indices notari poſſent. Cum apparerent humana veſtigia, Miſſionarius gradiebatur primus, gradu ſecundum debiliores moderato. Ante pectus crucifixum præferebat, & manu baculum in crucem ſuperne deſinentem. Sub noctem coronam precatoriam alternis recitabant, & *Salve Regina* cantabant: quæ omnia ſecundum manualis campanulæ ſonitum peragebantur.

Sic dies quatuor itum eſt, plerunque per tritas Indorum ſemitas, uno pede latas. Quartæ lucis veſpere per ſpecillum e clivo ſummo late luſtrata eſt regio peragratæ ſimilis, in qua nihil arboreum, nihil viride, nihil eſculentum, nec terræ jugerum ſationi commodum; ſeu ſatis aquæ potabilis ſecus Indorum ſemitas. Animal nullum præter guanacos, ab aliquot paſſuum millibus in fugam converſos, raroſque ſtruthiocamelos.

Speculatores non propterea cadunt animo, quanquam alii ſoli aſperitate calceos detriverant, alii etiam pedes laceraverant puſtulis & plagis. Primis itineribus Cardiel acerbos coxæ cruciatus paſſus eſt; quinta vero die ſine fulcro progredi non potuit. Sed omnium incommodiſſimum erat per noctem frigus. Ac li-

(a) Similis inventi fit mentio in Itinerario Oliverii Noor Holandi. Dum anno 1699. in Portu Deſiderato deſcendit, ſepulcra vidit lapidibus rubro pictis operta, intus & foris arcubus, ſagittis, armiſque aliis ornata. Sagittis ex ligno lapideum erat ſpiculum. Cadavera etiam rubro colore infecta erant. Septembris 20. barbari triginta ex inſidiis impetum faciunt, trium de claſſe cæde.

Digitized by Google

licet virgulta essent ad comburendum, experimenti desiderio hinc ardebant, illinc rigebant insomnes. Nihilominus si ex Cardielis sententia rei summa penderet, is erat animi vigor, ut infideles sequi donec assequeretur, perseveraſſet. Sed cum cibaria octo tantum diebus sufficerent, e quibus jam quatuor effluxerant, maturandus fuit reditus.

Interea Quiroga circuli quadrante graduum undequinquaginta, minutorum duodecim latitudinem sinus S. Juliani esse confecit. Primus navarchus, Signifer, & Strobel, in plures lacunas venerunt, alias aquæ dulcis, alias eo sale superintectas, qui sole repercussus visum offensaret. His septem aut octo vicugnæ cum guanaco uno visæ sunt, persuasumque fuit, ab Indis sinum non accoli; eorum sedes longe distare; eos, quorum extabant vestigia, esse Aucaes, Peguenches, aut Chilenos, ad legendum salem fortasse profectos; equos quibus earum partium incolæ non utuntur, aliunde advectos esse oportere, ut a Chile.

Sabbato 28. exitus paratur, postquam deliberatum fuit, contra Regis voluntatem esse Jesuitarum commorationem eo loco, in quo nec infideles erant convertendi, nec victui necessaria. Eadem luce hora nona matutina tolluntur anchoræ; sed ingruente zephyro reiciendæ fuit una, altera deinde quod primo vento invalescente reptaret. Scapha nonnulla in terram delati inscriptum reperiunt I. O. HN. WOOD. Die Martis, Martii prima 1747. (a) eodem vento perstandum ibidem fuit: atque per otium e regione stationis inscriptum; *Reinando Phelippe V. año de 17.6.*

De sinu S. Juliani navigantium errores.

Hora quarta vespertina favonio navis expedita altum tenuit hora quinta, receptaque scapha prora vertitur inter boream & ortum. Accuratissime locus exploratus fuit, & ex iis quæ Quiroga post collatas cum aliorum, tum suas observationes ait, liquidum est cui potius credendum sit, an Capellano Ansonis in sinum a S. Juliano fluere amnem amplissimum ortum e lacu eodem, ex quo *Campana* flumen in Mare Pacificum decurrit, vaga viatorum fide asserenti, idque tabulis insculpenti; an vero tot peritis indagatoribus, qui explorato sæpe aqua terraque sinu, rivum nullum, nedum flumen amplum recipi testantur.

Sinus descriptio.

Hac nihilominus marium communicatione vulgata, de ponenda in S. Juliani sede sententiam tulit Indiarum Senatus. Dixi, aditum subesse gradui undequinquagesimo, minuto duodecimo latitudinis australis. Numerantes itaque gradus quadraginta novem cum solo minutorum discrimine, haud procul absunt a vero. Quod attinet ad longitudinem, a Teneriſæo culmine, qua primum meridianum Hispani circunducunt computatam, Quiroga 311. graduum, minutorum 40. arbitratur esse. Aditus est difficilis, quia conspicuo caret indicio, quodsi nequeat altitudo poli cognosci, æstimatione utendum est incertæ securitatis. Etiam altitudine cognita procedendum cautissime, nam prima sinus curvatura vadis est plena. Ea quibus errorem vitaveris:

Adeuntibus cavenda.

Pæne ad ingressus occidentem eminet collis, venientibus inter boream & ortum spectabilis, qui principio insulæ speciem refert, sed ut appropinquaveris, in conspectum veniunt tria collium aliorum cacumina, quæ insularum etiam vias apparent. Navigantes ab insula a *Regibus* paululum a terra divertere oportet, occultis sirtibus horrida. Dum vero ad gradum quadragesimum nonum ventum sit, oculis observandus collium prædictorum altissimus, ad terramque applicanda navis, donec ad occidentem respiciatur. Tunc prima curvatura proxima est, ex cognitis accedentibus inter boream & ortum, quod ad dexteram candidum exhibet scopulorum vallum. Quæ ad sinistram jacet terra longo spatio depressa est, cautibus albis ut muro munita.

Naves imo portu nequeunt ingredi, quod canalis tunc duarum summum & dimidiæ ulnarum sit reliquus. Canalis hic medius decurrit inter occasum & australem, usque ad terræ linguam non nullis cautibus dentatam. Inde flectitur ad australem, non longe ab occiduo litore. Æstu summo navis quantumvis magna subire potest, dum seno ulnas, ut supra dictum est, pelagus ascendit. Nihilominus inexpertus gubernator, scapham præmittat, bolidem adhibeat in canalis trajectu.

Ingredi præstat, cum æstus detumescentis vehementia mitigatur, ut anchora commode jactari possit. Grandioribus navigiis statio est trans insulas, ubi tredecim aut quatuordecim ulnarum altitudo perennis est, fundumque ex creta pingui & nigra, arenula mistum. Nulla ventorum vi agitatur ibi mare, litorea crepidine munitum. Duo tumuli portu claudunt æstu nullo superati, quo frequentissimæ convolant gabiæ. Exæstuante pelago pars sinus australis penitus exsiccatur.

Nulla per æstatem in S. Juliani navibus aquatio est, fontes quippe & lacunæ tres & quatuor distant leucas. Palus vero proxima ad ingredientis dexteram distans quatuor passuum millia, ægre reperietur inter clivos effusa. Per hyemem ex aquis nivalibus torrentes sufficiunt pronum ad fidem sit. De cætero regio est sterilis, plenaque salsugine: in qua solum ad occidentem virgulta quædam sunt ad focum nata: nullum animantibus pascuum præter modicum circum virgulta, & in palustribus dumis: arbor nulla fabrilis.

Haud ægre portus munitri potest aggere structo super caput, quod inter australem & occasum est primi borealis aditus; canalis enim ibi est angustissimus, & intra teli fusilis jactum, nec agger oppugnari posset ex navibus vado illidendis refluente pelago, dum sinus

(a) 1746.

nus totus aret præter canalem ipſum vix tribus ulnis altum. Saxa ad ædificandum abundant, teſtaceaque calx: haud aliter atque ſpecularis lapis in collibus ad auſtrum, ex quo gypſum confici poſſit. Sunt piſces aſello ſimiles; glottides, anſeres, aliæque volucres aquaticæ. Terreſtria animantia ſunt, ſtruthiones, guanaci, vulpes, vicugnæ, quirquinchi, quos vulgus appellat. Quatuor aut quinque ſalinæ ſunt paluſtres in vicinia. Temperamentum aeris ſiccum, hiems frigidiſſima.

Poſt tres hebdomades obſervationibus iteratis exactas altum repetitur Calendis Martii: nec in ora perluſtrata quidquam occurrit notandum ante diem decimam, qua ſub gradu quadrageſimo quinto, quæ ſinus latitudo eſt ad auſtrum promontorii *de las Matas*, pelagus intumuit. E regione promontorii jacet inſularum par, quarum major unius, minor quatuor leucarum ſpatio diſtat a continente. Ambæ ſub eadem linea ſunt inter auſtrum & ortum recta. Præter has aliæ ſunt quatuor quarum maxima auſtrali adjacet cornu, tres modicæ intra ſinum continentur promontorio obliquatum, quod abs re dicitur *de las Matas*, ſeu *a Dumis*, cum regio ſit arida, & minime dumoſa. Fluenta ad boream & auſtrum vehementia ſunt, & ſecundum æſtus viciſſitudines ordinata. Terram modice altam tumuli diſtinguunt per intervalla. Inter bina capitis cornua jacet ſinus, intra quem die undecima demiſſa eſt anchora ſex fere paſſuum millibus procul a terra. Circa meridiem Signifer, primus Navarchus, & Quiroga ſcapha vecti in ſinu ſinum (a) reperiunt commodum, undique a litore ita profundum, ut intra ſclopi jactum ſeptem aut octo ulnæ ſint, & ab omnibus ventis tutum præter ſubſolanum & notum, ibi locorum parum timendos.

Sinus a S. Joſepho. In clivos deinde aſcendunt, unde ſinum ſpeculentur *a Cammaris*, vulgo *de los Camarones*, in quo ſinus alter continetur cum litoris anfractu ad auſtrale cornu. Sub veſperum ſaxoſa trium leucarum via defeſſi navem repetunt. Poſtridie ſub noctem ſtetit navis intra ſinum ſuper ulnas viginti quinque in fabuloſo fundo. Ampliſſimus eſt ſinus a Cammaris, in medio nulli non obnoxius vento. Sed poſſunt ſtare naves ſecundum oram auſtralem ab auſtralibus, ſecundum borealem a borealibus tutæ. Medium tenet inſula quatuor fere paſſuum millibus longa, plena volucribus & lupis aquaticis, ad cujus caput orientale vada prorogantur & tumuli a continente diſtantes longitudine inſulæ. Huic nomen inditur a *S. Joſepho*, quæ gradui ſuppoſita eſt quadrageſimo quarto, minuto trigeſimo ſecundo latitudinis; longitudinis vero, ut æſtimatur, tercenteſimo decimo tertio, minuto trigeſimo tertio.

Die 13. hora octava matutina Signifer, Strobel, & milites ſex, ſoli naturam, & incolas inveſtigatum deſcendunt. Sub noctem redeunt, quatuor per cautes & tribulos, quibus militum pedes cruentati ſunt, leucis peragratis. Viſa procul ſpecies amnis; ſed ſiccus erat alveus, quo nivales aquæ, ſeu pluviales ex tempore defluunt. Nec aliud eſt flumen, quod Geographorum chartis reſpondeat circum ſinum undique aridum, plantis æque atque accolis deſtitutum. Hic ſolum & in S. Juliani cammari viſi ſunt.

Die 14. ſub ortum Lunæ ad inveſtigandum flumen a Salicibus iter intenditur: ventumque poſtridie ad boream Capitis *a Sancta Helena* ſub gradu quadrageſimo quarto, minuto trigeſimo poſiti. Ora tota depreſſa eſt præter aliquos modicæ altitudinis tumulos, procul inſularum ſpeciem referentes. Decima ſexta, vento per noctem ingruente mare turbatur. Decima ſeptima, hora octava veſpertina ventus ab occaſu ad auſtrum repente translatus navem grandioribus quatuor velis euntem, in extremum diſcrimen conjecit. Tribus ægre plicatis, cum uno epidromo ceditur.

Decima octava gradus computati ſunt quadraginta duo, minuta tria & triginta: quæ fluminis *a Salicibus* latitudo eſt. Sed ventorum adverſitate, aquæ penuria, hiemis propinquitate, & quia Bonis Auris facile terra itur, nec ſedes in tanta vicinitate conſtituenda erat, vento & fluentis eo loco ſecundis utendum fuit ad reditum omnium ſententia.

Sabbatho 26. malo ſummo, qui lababat, reficiendo adlaboratum eſt ſub gradu trigeſimo quinto, minuto trigeſimo ſexto. Vigeſima octava gradus iidem, minuta tria ſupra quadraginta recenſentur. Trigeſima prima poſt horam quintam mane Caput *a S. Maria* in conſpectum venit. Aprilis prima gradus numerantur triginta quatuor, minuta quadraginta & octo, cum tres a Capite leucas inter ortum & boream diſtaret navis. Seſqui hora poſt meridiem viſus eſt collis, quem Hiſpani vocant *Pan de azucar*. Poſt quintam vero adverſus ventum navis quædam apparuit: quæ poſtridie ſecundum ventum viſa fuit, aurito velo. Signum & ſecuritas fit explicato vexillo Hiſpanico, exploſoque tormento. Erat Tartana D. Joſephi Marin, natione Galli, incolatu Hiſpani, qui Gadibus ſolveat cum litteris regiis ad Prætorem Bonaurenſem. Navem ajebat ſequi, quod Flumimis Argentei eſſet inexpertus. Aprilis quarta ventum eſt Bonas Auras.

Illud generatim, ex ſententia Quirogæ, de ora luſtrata quam *Patazonicam* dicunt, affirmari poteſt, intra gradum 36. 40. m., & 52. 20. m. lat. auſtr. contineri. A Capite S. Antonii, Fluminis Argentei cardine, uſque ad Caput Album, oram decurrere inter auſtrum & occaſum: inde uſque ad inſulam *a Regibus*, a polo ad polum. Poſt inſulam uſque ad

(a) Hunc ſinum a Sancto Gregorio appellarunt.

Digitized by Google

ad flumen *de Gallegos* ad quartam australem ab occasu. Illinc ad Caput *a Virginibus*, quod prope fretum Magallanis est, ab austro ad ortum. Terram deprimi usque ad gradum quadragesimum tertium, & navibus esse inaccessam. Post gradum quadragesimum quartum ad S. Juliani sinum, elevari terram. Usque ad gradus quadraginta sex, ulnarum quadraginta esse profunditatem binis a terra procul passuum millibus. Post S. Juliani usque ad Sanctæ Crucis iterum terram deprimi: fundum maris alti esse commodum, sed incommodum accessum ad litora. A Sanctæ Crucis ad Gallœcorum flumen, modice terram elevari; deinde abjici usque ad Caput Virgineum. Cavendum esse nocturnum ad Caput *de las Matas* accessum, adjacentium longe intra mare insularum causa. Oram ab insula a Regibus ad S. Juliani portum imperviam esse, ab eaque procul navigandum.

Stati venti sunt vere & per æstatem boreas, vulturnus, favonius & zephyrus; non subsolanus neque eurus. A zephyro est summa pelagi agitatio, fere certa in conjunctionibus, oppositionibus, & Lunæ quadraturis: ab æstuque maris prima hujus navigationis difficultas. Alicubi ascendit ulnas sex ad perpendiculum: quo pelagi fluenta divertuntur, nunc ad boream, nunc ad austrum, & in se invicem collisa ad ortum reflectuntur, vel ad austrum inter & ortum.

Navibus statio tantummodo est in portu Desiderato, in S. Juliani, & S. Gregorii. In primo fons est, & in necessitate facilis aquatio. Ora de reliquo arida, nullius arboris ferax. Solum circa S. Juliani sinum ligna focaria, piscatus uber, & salinæ sunt. Æstate frigidam, hieme frigidissimam esse oportet, ut est in Chilenis montibus nivium copia, quibus tamen minime fœcundatur, quare nec habitata est.

Præter flumen *a Salicibus*, quod & *Desaguadero* vocant, non aliud in ora tota videtur esse, sed alluviones solum temporariæ. Forte præterierunt aliqua exploratorum oculos; oram tamen investigarunt omnium qui præcesserant accuratissime: & quæ navigatores alii vulgarunt, commentitia sunt. Parhabenda est ratio de rebus aliis per primos viatores diffamatis. Est qui affirmet in portus Desiderati sepulcris a se visa cadavera sexdecim pedes longa. Tria tamen, quæ viderunt Hispani, nihil præferebant exoticum (*a*). Alii testati sunt, in ejusdem portus sinu magnam esse piscium copiam. At ne unus quidem incidit in Hispanorum plagas (*b*). Alii ostreorum diametrum in S. Juliani esse undecim palmorum: quod exploratores nostros post omnia lustrata plane fugit.

Ut ut res hæc habeat, certum est oram Patagonicam hoc itinere potius quam alias illustratam esse, ita ut constet, nec esse habitatam, nec habitabilem: irritamque fore pastorum sedem, ubi subsistere nequit grex. Quare & consilium hoc oblivioni traditum est (*c*). Strobel Conceptionem, ubi Emmanuelem Garciam reliquerat, rediit: totaque sociorum de firmanda in Magallania Christianitate solicitudo, gentibus jam pridem notis definita est. Pace inita cum Hispano, plures Conceptionem convenerant: votumque inde reportaverant Reductionis apud se constituendæ.

Montanos primum incessit cupido, quorum dynasta Strobeli haud ita pridem regresso consilium aperit. Missionarii humanitate devinctus prætorem adit, petitque Patres Societatis, quorum Præpositus a Prætore interpellatus P. Cardielem, & Thomam Falconer (*d*) dynastæ ad montes suos redeunti comites adjungit. Septembri 1746. profecti sunt, fide a Prætore data, nihil a se ad cœpta religioni, reipublicæ, & suæ præfecturæ usque adeo proficua, promovenda, solidandaque desideraturos. Socii a … Monte…

Ex litteris a Cardiele post adventum in montes datis novimus, exeunte Novembri prope Vulcanum cujus supra memini, constitutam sedem non longe a palude, inter rivum & lignorum minime fabrilium silvam, quibus aptiora Falconer eo tempore quærebat: Indos tercentum se circum congregatos, de fide Christianorum amplectenda parum solicitos; quos tamen eo sensim allicere sperabat. Addebat observatam sæpe loci latitudinem esse triginta & duorum graduum, quadraginta minutorum, quæ fere altitudo est Boniaeris, unde quinquaginta leucis aberat (*e*).

Ex sermonibus cum montanis plura noverat Cardiel de regione, quæ vera-ne an ficta essent, explorare susceperat Falconer. Primo statuam lapideam esse fabulo usque ad renes immersam, cujus brachiorum crassitudo humanam coxam æquabat: brachiisque paria, quæ supererant, sexum fœmineum denotabant. Secundo, quod majoris est momenti, & ab Indis seorsim interrogatis una sententia confirmatum, flumen *a Salicibus* prope mare bifariam dividi, insulamque intermediam Hispanis habitari, ideſt Europæis; hos enim indigenæ appellant Hispanorum nomine. Saxea sta… tua.

Hu…

(*a*) Anno 1758. D. Antonii Arriaga civis Bonaurensis lembo ad S. Juliani sinum salis comparandi causa appulso, aderant Indi quasi tercentum circiter diu cum nautis conversati, nec absque humanitatis indicio. Horum unus ultro venit Bonas Auras, ubi aliquandiu commoratus est. Statura quidem procera, non tamen ea quam plures gentium cognitarum non æquarent. Eo quidem proceriores ad S. Juliani fuisse reliquos navarchus testatus fuit.

(*b*) Præter gallum unum, & paucas apuas, loliginesque, ut supra dictum fuit.

(*c*) Oblivioni tradendum certe non fuisse videtur de constituenda sede consilium, finminus in Patagonia, certe in Terra ab Igne, Maloinis, vel loco inter utrumque mare medio.

(*d*) Thomas Falkner Medicus Anglus Cl. V. Ricardi Mead auditor, in patriam deinde reſux, author Descriptionis Patagoniæ. Ed. Londini. 1774.

(*e*) Latitudo Boniaeris est gr. 35. m. 34. s. 26.; latitudo Vulcani 37. grad. 40. min. Longitudo vero Vulcani uno vel altero gradu propior Orientem est Bonaërensi.

Digitized by Google

Hujus narrationis authores ferunt, cum advenis his majores ſuos commercium frequentaſſe, in quo tamen occiſis aliquot (cauſa latet) ceſsatum erat; in continentem quandoque cymbis transferri; nec conſtare qua ratione, aut quo tempore eam ſedem occupaſſent.

Sed concepta ſpes Chriſtianam religionem in Magallania conſtituendi, eamque promovendi uſque ad Fretum, brevi diſparuit. Cauſam ſilent documenta mea. Illud eſt certum, Reductionem à Conceptione, cujus primordia, progreſſuſque vidimus, frequentia & pietatis fervore Paraguajenſium nulli ſecundam, eſſe deſiviſſe; excitatumque illac poſtremis his annis acre bellum inter Hiſpanos & Indos.

Mandata ſub hæc regia, quorum executio a Commiſſariis ſuſpendi noluit, donec Regi incommoda imminentia exponerentur, miſerationes Domini erga infideles ad Chriſtum converſos a ſæculo laudantibus timorem fecerunt, ne ad laudandam judiciorum Dei profunditatem redigerentur: quemadmodum de Japonenſi Eccleſiâ jam diu redacti ſunt.

Quibus & quotquot incolumitatem amant illius Eccleſiæ, tot virum apoſtolicorum neophytorumque ſanguine & ſudore ædificatæ, id reliquum eſt ſolatii atque ſpei, eximia Principis religio, cujus ſtudium propagandi Jeſu Chriſti regnum quâ longè lateque ipſe regnat, nunquam non probatum eſt.

Nec ſpes inde minor, more majorum & ſuo, de actis per eam occaſionem, pariter atque de calumniis enormibus diſſipatis, ex jure pronuntiaturum. Non eum latet, quot diſcrimina plures ſubierint, dum neophytos adigere tentarunt ad perficienda mandata: nec latet, ex voto fortaſſe perficienda, ſi tempus & patientia ſuffeciſſet, immaturaque, nec neceſſaria, nec imperata præcipitantia, non id exigeretur a neophytis quod vires ſuperabat, quodque pluribus exitioſum non poterat non eſſe. Quare & in furorem acti ſunt, & primus furor Miſſionariis pluribus impendit.

SUPPLEMENTUM HISTORIÆ PARAGUAJENSIS.

LIBER VIGESIMUSTERTIUS.

ARGUMENTUM.

Status Provinciæ circa annum 1750. Luſitanorum novæ ſedes. Itinera per Paraguaim. Fœdus limitum. Edicitur Indis, qui concedunt. Mox rebellant. Prima contra rebelles expeditio irrita. Expeditio ſecunda, qua juſti ſunt. Migrant ex oppidis natalibus. Fœdus diſcinditur. Oppugnatur Colonia Luſitana: & expugnatur. Capta item alia Luſitanorum caſtra. Colonia reſtituitur.

1750. Status Provinciæ.

REcedentibus barbaris in natales ſilvas, notaque Chaqui latibula, datum Hiſpanis eſt reſpirandi tempus. Iter, quo Bonis Auris & Corduba commercium cum Peruvio frequentatur, expeditum erat & tutum; tametſi ſuum inerat ſecuritati ſedimentum timoris. Deſerti metu agri recolebantur, inductis Æthiopibus, & hybridis cultoribus, vocatiſque armentariis ad reſtituenda quæ belli vis extinxerat vivaria boum, ſine quibus coloni miſere vivunt. Sed ut hæc barbaros alliciunt quam maxime, aderant improviſi per turmas leves & modicas, abactiſque bobus & pecore, pecuariorum alios occidebant, alios captos abducebant. Propius tamen urbes accedere non audebant, inde pulſi a Joanne Martinez de Tineo Prætore Tucumanio, qui conſilio & manu promptus irruentes retuderat, & ultro perſecutus, poſitis in confinio præſidiis, intra Chacum continebat, ut quidem ii contineri poſſunt, quibus immenſus uſque patet campus ad maleficium. Attamen frequentiores vias occluſerant cum nova caſtra, tum oppida proſelytorum per Jeſuitas condita, quantunvis nec multa numero, nec admodum ſolida.

Idem erat ferme rerum ſtatus quaqua Paraguaria fines extendit a termino auſtrali Fluminis Argentei ad borealem præfecturæ Aſſumptionis, cui uni proprie convenit *Paraguai* nomen. Id porro nominis inditum eſt a *Paraguai* amne, qui præfecturam interfluit, aquarum copia nobilis, & voce ipſa quæ fluvium coronatum ſonat, coronæ ſpeciem referente lacu, unde naſci credebatur. Sed quod ad fontes Paraguai pertinet, jam ſatis conſtat, amnem hunc procul Xarajeſano lacu naſci, ſcilicet in jugis montium, qui ſupra Cujabaam ſunt, ſeu altius ſi vera dicuntur de Joanne illo Garcia, cujus meminit Charlevoix.

Verum ut ut res hæc habeat, patiens eſt Paraguais grandiorum navium ad uſque juga Cujabaenſia. Sed ut adverſo naviges amne, commodiores phaſeli ſunt a remis, brigantinus myoparo, & genus omne Xavechiorum. Neque ſolum Paraguais navigabilis eſt, ſed amnes alii eum etiam prope ortum influentes, nominatim Jáuruus ſub gradu 16. min. 25. latitudinis per aliquot leucarum ſpatium naves ſuſtinet, utique minores.

Poſtquam vero Jauruum recipit Paraguais in binos diducitur alveos, quorum alter, arctior quidem ſed altior medios interfluit Xarajes, alter excurrit in occaſum, ambituque ſuo, antequam alvei confluant Guabis aquas attrahit, niſi forte Guabis lacum ſubeat a *Caracara* dictum, qui cum Paraguai aquas communicat in extremis Xarajum finibus.

At Xarajes iſti non lacus perennis ſunt, ſed depreſſa quædam lataque planities, quæ Paraguai alveos exuperante, aquis ſtagnat, deinde ſiccatur. Neque lacu verior eſt Orexonum inſula; nam ubi deſcribi conſuevit in medio lacu inſula nulla eſt; infra Xarajes tamen amne diviſo in duo brachia, inſula fit decem leucarum ſpatio longa. Cæterum in æſtuariis, quæ Decembri menſe exundans Paraguais efficit, ſolum extant magnæ quædam ſilveſcentium arborum inſulæ, formicarum receptacula, quæ alvearia ſimul & horrea in altioribus ramis ædificant, occultiſque ex creta cuniculis trunco adhærentibus, dum aquæ ſubſidunt, in agrum & meſſem deſcendunt, a ventis ſecuræ.

A fluvio nomen ſortita eſt Aſſumptio urbs, quæ & ipſa *Paraguai* vocatur, in litoralium foſſarum ſupercilio condita, an ſuſpenſa? Regii dimenſores anno 1753. ſitam judicarunt, alii ſub gradu XXV. min. XVII. ſec. XV. latitudinis; longitudinis vero a Gallico meridiano CCCXX., min. XII.; alii ſub gradu XXV. min. XVI. latitudinis: CCCXX. min. X. longitudinis. Idem *Paraguai* nomen in regiones alias ideo proculdubio derivatum fuit, quod Jeſuitæ ſic Provinciam ſuam appellaverint, quæ deinde Miſſiones & ſedes in Flumen Argenteum, in Tucumaniam, in Tarixam, Chriguaniamque, in Chiquitiam, & Chacum invexit (*a*).

Scri-

(a) Novit hanc veram appellationis cauſam Author Encyclopediæ Liburnicæ V. *Paraguai*, qui & Paraguariæ fines latiſſime prorogavit, ut ſequitur: „Les meilleures chartes que nous avons du Paraguai, nous ont été données par les Jeſuites; mais ils ont moins egard a ce qu' on doit appeller proprement Paraguai, que a ce qui fait la Province de leur Compagnie qui porte ce nom, & qui obéit a un ſeul Provincial ..... Le Paraguai propre eſt borné au nord par le gran fiume des Amazones; au midi par les terres Magellaniques; a l'orient par le Breſil & par le mer du Nord, a l' occident par le Tucuman, le Gran-Chaco, la province de los Charcas, & celle de *Sainte Croix*". Id quod ex parte diſcere potuit hic Author ex Pinelo non Jeſuita.

Digitized by Google

Scriptor quidam Germanus (*a*) nomen aliud appingit Paraguariæ, dum ait: „Ea eſt in provincia Paraguaria Divi Joſephi veneratio, ut tota illa a gentilitate ad fidem orthodoxam traducta provincia S. Joſephi Colonia nominetur.“ Appellatio uni Germaniæ nota forte in uſum ſæculi reſervatur, quo tota illa provincia a gentilitate ad fidem orthodoxam converſa ſit: quod nimium longe abeſt. Recens commotæ gentes inter Aſſumptionem & Sanctam Crucem mediæ ad Reductiones inclinabant. Chacoenſium plures Tucumaniæ confines evocabant Miſſionarios. Iter a Guaraniis ad Chiquitos uſque adhuc intercluſum apertum jam erat anno 1767. A Xuxuio ad Confluentes urbem magna ex parte conſtratum. Ad auſtralia rurſus parabatur miſſio. Et Chiriguania minus erat impervia. Sed lætæ ſpei terminus, totiuſque Paraguariæ ad Chriſti fidem converſio longe aberat.

Paraguariæ Societatis Præpoſitum ad viſitandas omnes ſui juris ſedes bis mille & quingentarum leucarum iter ingredi debere, tunc memoriæ proditum fuit (*b*), quando pauciora oppida erant Sociorum miniſterio colenda. Sed cum modo jam eſſent Indorum Reductiones LVII., creverat Præpoſiti labor & iter, ſi collegia omnia, domus, & neophytorum oppida adeunda eſſent, minimum ad tria leucarum millia. His finibus continentur Epiſcopatus quatuor, parſque Archiepiſcopatus Platenſis, alias *de Cuquiſaca*, alias *de los Charcas*: Horum Tucumanicus qua notos habet limites, ad leucas quatuorcentum extenditur. In eo civitates ſunt ſeptem, pagi poſtquam barbari otium fecerant, innumerabiles; ſed qui familiis ternis quaterniſve conſtent, Indorum, Hybridarum, Hiſpanorum.

Horum omnium curam gerunt triginta & quatuor parochi ſæculares, quibus in tota diœceſi Tucumaniæ non plures ſunt: & quod neceſſe eſt, latiſſimi ſingulis parochiis ſunt fines, ut vel una ſexaginta longa ſit leucas: grave parocho onus ſuam ſuorumque ſalutem non negligenti. Sed ſunt qui parochos adjuvent viri e tribus ſacris familiis, Dominicani, Franciſcani, & Redemptores, a quibus exactis inde Sociis Epiſcopi ſuppetias exigant. At cum illi pauci numero ſint, multaque ſacramentorum & divini verbi miniſteria ad affluentem illuc ſeu commercii cauſa, ſeu ſpe augendarum opum, ſeu quæſito alibi commiſſorum in immenſis deſertis aſylo; eum inquam ad affluentem illuc hominum pagatim diſperſorum vim, multa ſint miniſteria, haud facile religioſi iſti ſuffecerint.

Sunt quidem præter iſtorum tres ordines, Tarixæ Fratres Hoſpitalarii S. Joannis de Deo, & Eremitæ S. Auguſtini. Sed illi, quemadmodum Bethleemitæ Bonis Auris, ægra corpora curare ſat habent, cum ſacerdotes non ſint. Auguſtinianus revera Eremita eſt, qui monaſterium habitat, unius enim & ſolus eſt, ſibi imperans & parens Prioris nomine: quod in aliis Americæ regionibus extra Paraguariam uſu venit.

Cæterum ex iis quos in provinciam affluere diximus, nulli frequentiores ſunt Luſitanis, qui tot ſunt Bonis Auris & in ſubjectis pagis, ut tertia civium colonorumque pars ex iis conſtare credatur. Putes, illos in proprio ædificare. Neque aliter ipſi ſentiunt & dicunt. Certe Vaſconcellos (*c*) trahit limites Luſitanicos ad gradum XLV. latitudinis auſtralis. Et Dominicus Texeira Auguſtinianus (*d*) Bonas Auras vocat ultimam auſtrum verſus Americæ Luſitaniæ urbem. Quin anno 1668. prodiit Ulyſſipone tabula geographica, qua linea diviſionis ducitur per Tucumaniæ fines. Nec melioribus uſi ſunt tabulis, quos narrat Charlevoix (*e*), Potoſium montem Luſitanæ dictioni vindicaſſe. Luſitanorum novæ ſedes & itinera.

Sed Luſitani libros ſuos & tabulas factis comprobant. Gojaſenſes Auriſodinæ Generales, Colonia Sacramenti, oppida Cujabæ, Curitibæ, Silvæ Pinguis vulgo *Matogroſo*, & Sanctæ Roſæ, vulgo *la Eſtada* ad Mamoré fluvium, inſitæ opinionis argumento ſunt. His acceſſionibus adeo crevit Diœceſis Januaria, ut anno MDCCXLVI. in quinque regiones ampliſſimas dividenda fuerit, tres nimirum diœceſes, & prælaturas duas. Illæ ſunt vetus Januaria, altera S. Pauli de Piratininga, tertia Mariana. Prælaturarum prima eſt Gojaſes, ſecunda Cujabaä. Qui porro ſingulis attributi ſint fines, videre licet in Conſtitutione Benedicti XIV. P. M. edita VI. Decembris ejus anni (*f*). Hæc autem Magiſtratuum ſacrorum diviſio propterea a Pontifice Maximo petita fuit, quod ægerrime tanto novarum acceſſionum intervallo jus quæreretur ab Antiſtite Januarienſi, cui miſſæ literæ non ante annum redderentur, quantum videlicet, ut reſponſa Roma in Braſiliam perferantur, ſatis eſt (*g*).

Mercatores Luſitani, quorum erroribus acceſſiones hæ debentur ſic i lac commercia exercent. Inſtruunt claſſem LXX. ferme linurium de excavatis arborum truncis, quas canoas vocant in portu tot leucis ab urbe S. Pauli diſſito, quas medio die conſeceris. Inſtructam claſſem agunt Añembi fluvio ad Paranam in quem influit. Medio Parana navigant ad oſtia Pardi, qui Paranam ſubit ab occaſu, ortus in collibus, qui tractu continuo excurrunt a Cujabaa ad Itapuam Guaraniorum oppidum.

Pardo prorſus eunt, donec amnis deſtituit rates, quæ ubi limo hærent, exponunt mer-

(*a*) Joannes Dirkink Serm. de S. Joſepho in Auctario.
(*b*) Letr. Edif. & Cur. Rec. XXV.
(*c*) Chron. do Braſil. Lib. 1. n. 15.
(*d*) Vita Gomez Freire, lib. 2. pag. 330. num. 279.
(*e*) Charlev. lib. 13.
(*f*) Bullar. Luxemb. tom. 17. c. 22. Incipit *Candor*.
(*g*) Simon Marquez Baſil. Pontif. Diſp. 1. ſect. 4.

Digitized by Google

merces, & poſt merces ipſas quoque lintres ſubducunt, omniaque plauſtris impoſita tranſportantur per octo millia paſſuum ad flumem Camopoan. Hujus rei cauſa habitat ibi Luſitanus quidam, qui plauſtra ſufficit, ipſius lucro, mercatorum commodo & Æthiopum, qui antea & merces & navigia portabant humeris.

Reddita claſſis aquis fertur ſecundo Camopoan ad Taquarim Paraguaim adfluentem. Periculoſus eſt trames, quem barbari inſident, & quos palantes vident aut procul a claſſe, capiunt vel occidunt. Majus eſt intra Paraguaim periculum; ubi Pajaguæ cum monoxylis ſuis abdunt ſeſe in denſis arborum ſilvis, quæ ripas obumbrant, & curvatis in aquam ramis tegunt. Illinc dum favet occaſio erumpunt: adoriunturque primos Luſitanos, quos color & arma diſtinguunt. Pajaguais arma ſunt, aliis arcus & ſagittæ, aliis remi ipſi, quibus, ut ſint pro haſtis, acuminatis utuntur: pugnantque e ſingulis monoxylis quini ſenive, toto corpore nudi. Magnas initio clades in Luſitanos ediderunt, qui ut malum averterent, Cujabæ majorem lintrem munire ſolent, quam bellicam appellant. *Canóa de guerra.*

Ea ſub claſſis adventum, qui ſtato tempore fit, ad oſtium Taquaris bellica æneo conſtat falcunculo, quatuor palmos longo, qui celerrime ad ejaculandum aptatur & explodituir. Cilicinos cucullos adhibent pro lino, nequid ignis intra tormentum ſit reliquum. Ajuntque metallum minus quam lino calefieri, ſæpius etiam exploſum. Celeritatem facit tormenti levitas, & inſtrumenti matura præparatio. Quatuor occupat milites, quorum alter paratum cucullum apponit; alter trude premit & urget; tertius tubulum pyrio pulvere jam plenum ſpiramento affigit, quo moram tollit temperandi fomitis; quartus torrem admovet. Falcunculi ſtructura vulgaris eſt. Vehiculum rotis caret, & fulcro nititur circum verſatili. Lintri remigio ſunt Afri octoni, novenive, uniformi habitu parati, præſidio milites duodeni cum duce: quem a ſole & pluvia camera velis inumbrata protegit. Pendet medium militum tentorium. Proram & puppim remiges tenent, quorum uniremus aut remi palmula eſt pro gubernaculo.

De die navigant, & ubi nox ſupervenit, navigium ad ripam applicant, ubi denſior eſt ſilva. Arbores vepreſque ſuccidunt in gyrum: ſoloque purgato, primum parant tentorium ducis, quod longum eſt octo paſſus vulgares; altum duodecim, cui pro tigno eſt arundo. Hæc *taquara* nomine non ea eſt, quemadmodum quidam prodidit, ex qua templorum turres ædifices; tamen ſi levius imponas pondus, ferendo ſit; ex eaque tabulata fiunt pro ædificiis, imo & tormenta bellica, ſi taurina pelle conſtringantur. Ducis tentorium tegitur amphimallo ex lana, ſubdititio linteo; quo melius, uti experientia comperium eſſe ferunt, imbres arcentur. Milites, Æthiopeſque retia, quibus dormiunt, ex arborum ſuſpendunt ramis, ex ſuperiore parte ad terram uſque circum dejecta ſindone, quæ jacentes a pluvia defendat, & a culicibus, ut ludebat quidam *ſyncathegorematicè infinitis.* Interea linter ad litus ſtat cum vigile, qui ſi Pajaguarum, aliorumve qui amni *Perrudos* nomine imminere ſolent, rumor ingruat, ferreis fiſtulis quas multas ſecum habet, aliis ſuper alias jaculatur, quo hoſtem arceat, dormientes excitet. A terra verotuetur ſilvoſa loci natura præter canes excubitores, qui Luſitanis nunquam non accumbunt.

Dum claſſis in Paraguaim venit, per alveum Orientalem ducitur, quo inſulam Orexonum claudi ſupra diximus. Inde brachium ſubeunt amnis *de los Porrudos*, quod appellant *Chiané canalem*: ac tandem Cujabæ flumen, a cujus ripa urbs diſtat duabus tribuſve leucis. Eam collocant ſub gradu decimo quarto, minuto decimo latitudinis auſtralis: & ex longitudine qua Jauruu oſtium eſt, conjici poteſt, Cujabam gradui CCCXXII. a meridiano Gallico ſubjacere.

Cujabæ nulli ſunt muri, arx nulla, nec tormentorum machinæ; ſed unius tantummodo cohortis præſidium, ex qua duodeni milites mittuntur in caſtella contra barbaros, totidem alii in lintrem tutandæ claſſi, reliqui ſunt urbana ſecuritas. Ex civibus autem ducenti ſint albi, Luſitani; cæteri coloris atri, fuſci, citrini, ut quiſque Æthiops eſt, vel Indus, vel ex horum genere miſtus ad quinque millia capita. Dicit jus civibus, militibuſque Prætor, clericis ſacer Magiſtratus Prælati nomine; ſed cui forme Antiſtitis veſtes ſunt & jura, etiam conſecrandis calicibus, & impertiendo Confirmationis Sacramento. Quod aliis ſacrorum præfectis apud Luſitanos, & in Mozambique commune eſt.

Nullibi quod ſciam in tota Braſilia ſunt auriſodinæ; ſed lavacris id nomiais datur, ubi legitur & purgatur aurum: æſtimaturque vigenis ternis characteribus Cujabaenſe. Mons etiam inventus eſt adamantibus prægnans; ſed extrahi vetuit Rex Fideliſſimus, ne copia vileſcerent. Lavando, purgandoque agro ſtudent Æthiopes, quorum ſinguli ſeptimo quoque die dant hero trium aureorum pondus. Pro pecunia ad rerum commutationes & pretium ſunt auri grana ad octavas, quarum ſingulæ binis aureis æquiparantur. Sunt loca ubi major eſt auri copia; ſed penuria laticis inculta.

Cujabæ a Braſilia diſtantia mercium Europæarum pretium auget. Lineum induſium ſenis aureis venit, ſeu trinis octavis. Vini & aquæ viteæ vaſarium, cujus eſt Jauarii decem aureorum pretium, Cujabæ valet ſexagenis. Equus centenis, bis centenis mula conſtat aureis. De bobus melius proviſum eſt; nam inter Jauruum & Paraguaim poſita ſunt a Luſitanis vivaria: & inde extracti bo-

Digitized by Google

boves væneunt vicenis aureis in capita. Verum nihil ibi carius eſt ſale, qui a Luſitania petendus eſt regia lege, impoſitaque gravi pœna, ſiquis vel aliunde, vel olim importet.

Cujabæ ſub cœlo humido & calido nullus frequentior eſt morbus, quam qui dicitur a Luſitanis *Vicho*, ignoratione curationis vulgo exitialis. Laxat anum fœde, & dyſenteriam atque febrem parit. Cauſam eſſe credunt vermem ibi natum, cui necando ſumunt ore acres mali aurei, citri, & ſimiles ſuccos, quibus non vermem, ſed ſe ipſi enecant. Anno 1753. cum Medicus Hiſpanus Luſitanorum militum anteſignanum querentem audiiſſet, multos de ſuis verme illo morderi, quid rei eſſet exquirit, & in ſe recepit, reſtituendos brevi in integram valetudinem. Contendebant Luſitani, ſucco acri, cui piper indicum, *agi* vocant, ſalem & allia miſcent, utendum. Sed adverſantis medici opera ægrotorum deſperatiſſimus biduo convaluit. Non vermi fictitio tribuendus eſt vermis ille, ſed aquis potis; quæ in mediis caſiæ fiſtularis & catharticarum plantarum ſilvis ſtagnant, & eluvione fluunt, additis æſtu regionis, infeſtis culicibus, & ex eo vigiliis. Hiſpani qui cum Luſitanis ad regendos in Jaurui oſtio fines profecti ſunt, eo morbo tacti ſobria ante prandium ſorbitione vini animæ, quæ a miſtione aromatum miſtella dicitur, convaluerunt.

Præter oppidum Cujabæ habent illac Luſitani Villam bellam *de Matogroſo*, quo iter eſt non ita longum, dum ſtatæ ſoli inundationes tenent; feruntur enim lintres a Cujabæ portu ad Jauruum per ſtagnantes agros. At ubi ſubſident aquæ, eundum eſt per amnem *de los Porrudos* ad Paraguaim, per cujus occidentalem alveum rurſus aſcendunt ad Jaurui oſtium ſeptuaginta leucarum curſu. Inde diſtat Villabella octo dierum itinere ad occidentem ſita ubi Sereré & Vaporé confluunt. Conſtabat illa anno 1753. viginti quinque tantum caſis palea tectis; ſed decennio poſt centenæ jam domus erant, nec uſque adeo inelegantes. Illinc iter unius diei eſt inter boream & orientem ad juga veteris Matogroſſi, cui hodie nomen eſt *Chapada de S. Xavier*, nec procul aurifer vicus a Sancta Anna. Ad occaſum vero, præter oppidum a S. Michaele Moxorum ſedem, arx eſt a Sancta Roſa, vulgo *de la Eſtacada* eo loci, ubi Vaporé non ſuo ſed *Itenes* nomine Mamoream adlabitur, quem locum Luſitani ex fœdere occuparunt, & fœdere quaſſato retinent, & muniunt.

tus li- Ad Mare Braſilicum & Flumen Argenteum
tum. minus intro penetrarunt, quod timerent forte vicinarum ſedium Hiſpanos. Sed cum per hos male ceſſerit anno 1735. Coloniæ Sacramenti obſidio, e timore jam jam amittendæ nova Colonia nata eſt. Nam auxilium a Braſilia petitum, obſidione ſoluta ſupervacaneum, conſtitit ad Flumen Grande, quod & a S. Petro dicitur, & a Luſitanis Paraiba: quod nomen eſt aliis Braſiliæ fluviis commune. Ex eo ſedes & arx condita fuit ſub gradu trigeſimo latitudinis; longitudinis CCCXXV., cui deinde addita ſunt ad Flumen Argenteum verſus caſtella S. Michaelis, & S. Thereſiæ, quod & *Chui* dicitur, & *Angoſtura*; ad oram vero & confluentes Fluminis Grandis, caſtella S. Gundiſalvi, S. Amari, Amnis Pardi, & Jacui.

Rapida hæc locorum occupatio & poſſeſſio litem de proprietate magis intricavit, quæ Luſitanos Hiſpanoſque a prima conquiſitione Novi Orbis exercuit, nullo pacis conceſſo ſpatio, niſi cum ad Philippos devenit Luſitania. Putatum primo eſt, rem definiri poſſe, tractuſque terrarum diſterminari, ſtellarum obſervatione; nunquam tamen Hiſpanis cum Luſitanis convenire potuit. Pactum eſt tandem, ut fluviis & montibus fines regerentur: qua certe ratione melius Regum dominia diſcernuntur, quam lineis a polo ad polum.

Alexander Papa eo nomine VI. anno 1493. lineam duci juſſit centum procul leucis ab aliqua Heſperidum inſula. Sed ex qua inſula, cum multæ ſint, in medio reliquit. Anno proxime ſequuto 1494. in Turre Syllana conventum eo eſt, ut linea Alexandrina duceretur tercentum & ſeptuaginta leucarum termino ab inſulis Capo-viridis, pari vel ſuppari dubio, quod comitiis utriuſque nationis ſemel iterumque Pace-Julia habitis dirimi non potuit. Anno 1524. placuit Luſitano Moluccas videlicet ſpectanti inſula Salis, quæ inter Heſperides orientem reſpicit. Anno 1682. jam de Moluccis ſperans nihil, maluit inſulam a S. Antonio, quæ propius occidentem jacet, ut nempe leucarum numero ex ea ducto, plus ſibi in finibus Braſiliæ vendicaret. Nunc vero quando longe ad occidentem ultra proceſſit, quam utcunque pactum ſit, compenſationem eſſe ſignificat eorum quæ de Luſitana ditione in oriente occupata ſunt ab Hiſpanis. Integrum his erat imperium in oriente per occaſum propagare, haud aliter atque Luſitanis in utrumque hemiſferium inferre ſigna per orientem. Qua parte Magallanes iter habuit, & Moluccas & Philippinas Hiſpano nullius injuria comparare licuit. Si vero nulla fuit uſurpatio, temere compenſatio requiritur.

Sed Matritenſi Fœdere anni 1750. ſtatutum eſt, ut præter Coloniam Sacramenti, & S. Chriſtophori vicum cum ſubjecto territorio, Luſitano concederent occupata, imo novis cumularentur largitionibus. Quoad Paraguariam ſpectat, lapis primus terminalis conſtituendus erat ad oſtium rivi, qui a Caſtellis montibus in mare defluit ſub gradu trigeſimo quinto. Hinc ad Ibicuim linea ducenda, lapideſque per intervalla ponendi in altiſſimis montium jugis, quorum latices hinc ad Flumen Grande ſeu Paraibam, illinc ad Argenteum decurrunt. Ad Ibicuim hæſit aqua; quod duo ſint fluvii cognomines, alter a Montegrandi, alter a Sancta Thecla fluens, nec de principatu conſtabat. Leve offendiculum, nunquam

Digitized by Google

remotum nec ſuperatum. Per Ibicuis alveum ad Uruguaim progrediendum erat. Per adverſum Uruguaim ad confluvium Pequirii. Per hujus alveum ad fontem uſque; traditis Luſitano ſeptem Tapenſium oppidis cum pluribus paſcuis armentalibus; incolis alio tacite commigrare juſſis. Quærunt illi, num apud ſe manere ſit integrum: & affirmatum eſt, ſed facta domorum, agrorum, immobiliumque bonorum jactura. Coloniæ a Sacramento incolis datum eſt, ut pro voluntate remanerent, vel rebus ſuis etiam immobilibus commodo ſuo venditis ſolum mutarent. Indis abeuntibus, ut ſua ſecum mobilia, & ſe moventia portarent, reliqua omnia perderent. Vicies octies millia aureorum ad emigrandum donabantur cum capita in ſeptem pagis eſſent triginta millia.

A Pequirii fonte quærendum flumen proximum, quod Iguazuum, Luſitanis Curitibam, influat; eoque veniendum ad Paranam, quo adverſo exquirendus Igareis. Eaque ratione tota cedit Luſitano Guaira, Mameluccorum incurſionibus inſignis. Per Igareim ejuſque fontem linea traducitur ad *Corrientes* fluvii caput, eoque ſecundo ad Paraguaim, cui miſcetur ſub gradu vigeſimo ſecundo latitudinis auſtralis, octo paſſuum millibus ad boream *Ita-pucu-guazui*, ſeu Saxi-lati-grandis, quo Paraguais alveus anguſtatur. Inde per canalem qua major ſit aquarum copia *Xarajes* ſtagnum trajicitur uſque ad Jaurui oſtium, ubi ſecundum auſtralem oram, Paraguais occidentalem, lapis erectus eſt. Ut Luſitanis integra eſſet Jaurui navigatio, iterque Cujabaä Matogroſſum, juſſi ſunt regii dimenſores, nihil eſſe moroſos in definiendis terminis, quos regerent ad auſtralem Vaporees ripam contra oſtium Sererees, per quem linea ad Mamoreem ducta Paraguariæ vale diceret.

1752. Ad exequenda pacta conventa legatus eſt a Luſitano Gomez Freire de Andrade, Januarienſis Prætor, Comes deinceps a Bobadella dictus. Pro Hiſpania Gaſpar Munive, Marchio Vallis liliorum, Senator Indicus, qui cum nobili ſubditorum comitatu Bonas Auras appulit 20. Februarii 1752. Ludovicus Lope Altamirano Jeſuita ſimul venit cum ſummo ſui Generalis in Socios imperio, ut inceptum ſecundaret. Anno tunc proxime elapſo 21. Julii, qui dies erat decimus octavus ab inito magiſtratu, ſcripſerat Præpoſitus Societatis Ignatius Vicecomes, quid de limitibus tranſactum eſſet, id impenſiſſime denuntians, ut ante dimenſorum adventum vacua eſſent oppida ex fœdere tradenda Luſitanis. Sed ut navigatio Bonaurenſis infrequentior eſt, Literæ Vicecomitis traditæ ſunt euntibus in Peruvium, unde terra citius in Paraguariam deferrentur. Et quidem citiſſime tranſmiſſæ ſunt, quandoquidem poſt menſes ſeptem quam Romæ datæ ſunt, acceptæ fuerunt per Peruvium & Tucumaniam apud Guaranios. At acceptæ ſunt quinto die poſtquam Bonas Auras Regii dimenſores appulerant.

Cum nihil dum de horum adventu in Reductionibus ſciretur, Præfectus Miſſionum ex mandato Vicecomitis per Provincialem denuntiato, Miſſionariis ſub Sacramenti Religione præcepit, primum nequis obſiſteret, deinde ut quiſque pro virili niteretur, ut omnia ex Regis Imperio fierent. Ipſe vero ad Uruguaim unde aberat profectus, Regis indicit decretum. Mirari illi, quid novæ rei eſſet; ſed valuit & pudor & Præfecti præſentia. Unus tantum fuit Nicolaita dynaſtes, qui diceret, quos haberent agros, a majoribus accepiſſe. Addidit tamen, neſcire ſe prudens, an imprudens eſſet reſponſum hoc ſuum. Sed quia his ſe continuit dictis, communis ſententia reliquorum obtinuit. Scripſit hæc Præfectus ad Provincialem, addito, haud putaſe ſe rem eſſe confectam, inconſtans Indorum ingenium eſſe, impatienſque laborum, qui deinceps in tranſmigrando neceſſarii erant.

Quindecim interea Socii in diverſa profecti, migraturis quærebant ſedes & agros. Aloyſianis tractus inter Iberaäm, Mirignaim, & amnem a S. Lucia, medius delectus eſt. Laurentinis Paranaenſis inſula. Aguapeis objecta confluenti, quæ *Magna* dicitur. Sed maluerunt hi ad oppidum S. Mariæ Majoris, unde S. Laurentii colonia deducta erat, poſtliminio redire. Michaelitæ ad agros quos Hiſpani vocant de Valdes -- Inclan ad Flumen Nigrum Bonas Auras verſus. Joannitæ optarunt clivos *a Gonzalez*, qui Neembucu, Parana & Paraguai clauduntur. Angelini probarunt agros qui ad boream oppidi a Corpore Chriſti jacent, quos Joannitæ rejecerant. Borgianis datur ager ad Quegaim, & qui oppidum a Trinitate & Itapuam interjacet, Nicolaitis.

Dum hæc in Miſſionibus gerebantur, quærit Præfectus ſaturine eſſent Indi in termino *a quo*, an in termino *ad quem*. A P. Barreda provinciæ moderatore Bonis Auris reſponſum eſt, Regis Commiſſarios a ſe conſulcos annuere, ut ibi ſementis fiat, unde migrandum eſt; ſed interea in locis deſignatis excitarentur aliquot mapalia, quo meſſis matura tranſvehi, & tranſmigratio urgeri poſſet: quo reſponſo nihil prudentius conſultiuſque. Indis denuntiato, curatores reſpirarunt. Sed paulo poſt perlatæ ſunt Altamirani literæ; quatenus Regii Miniſtri probaſſent ſementem in deſerendis agris fieri, id tamen fortaſſe improbatum iri a Luſitanis, qui nondum convenerant. Quapropter illico, nulla mora. Indi commigrarent. Eo temporis ventum erat, ut poſt tranſmigrationem neceſſitate lentam, nullum eo anno ſerendo ſupereſſet commodum: unde fames publica & certa pernicies immineret. Indicta nihilominus eſt emigratio; ut ambigas, num magis cæca tunc fuerit Jeſuitarum obedientia, quam præceptio.

Id ex eo proxime ſequutum eſt, ut Indorum animi, & tota rei ſumma acerbarentur. Cum præfectus curatorum ad Nicolaitas mitteret chartam, qua deſcripti erant agri mi-

gra-

gratuïs attributi, responderunt a Deo & a majoribus quos acceperant, esse potiores, & plane rebellarunt. Motum concitavit transfuga, qui diu per Brasiliam vagatus, forte aderat. Septem oppidorum traditionem, ajebat ille, non Lusitano, sed Castellano tribuendam. Hispanos esse Indorum rei proditores, quam emerent Lusitani. Hos voluisse terminos ita regere, ut incolumes essent Missionum pagi. Id narrabat ut in Brasiliam vulgatum rumorem, quem deinde ex parte probavit eventus; nam cum oppida septem vacua tandem exhiberentur, refutata sunt, ut linea recta duceretur post Jaciui ad boream, dum saltem *Maldonado* insula & statio ad Flumen Argenteum, Lusitanis accrescerent finibus, retenta interim donec id impetraretur Colonia Sacramenti ex fœdere tradenda. Nicolaitas primo sunt secuti, deinde antegressi Michaelitæ, quorum exemplum movit & Joannitas & Angelinos. Restabant Aloysiani, Laurentini, & Borgiani, quos licet in data fide perseverantes turbavit reliquorum pertinacia.

1753. Ut transmigrationem urgeret Altamiranus, ad Missionum oppida venit 9. Septembris. Abscessit Martii 12. sequentis anni 1753., postquam nolens motus asperaverat. Aggeratis præceptis, excommunicationibus, interminationibus cœlestium irarum, rem perdidit, quam forte cunctatione, consilio, & puerilium animorum tolerantia confecisset. Præcepit parochis, ut de transmigratione ad populum declamarent, ostensa e superiore loco Christi crucifixi imagine, cujus nomine abitio exigeretur. Habitæ declamationes sunt, visæque aliquantulum tumultuantes commovisse. Laurentius Balda declamavit in S. Michaelis oppido ipsis Christi natalitiis, ostenditque Christi recens nati sculptum simulacrum. Illacrymatus orator fletum auditorum excivit, flentesque spoponderunt, emigraturos.

Altamiranus ne conceptus intepesceret ardor, jussit statim, quoniam Michaelitanis equi præ manibus non erant, eos e prædio S. Nicolai suffici ad transvectionem. Verum cum missi ad deducendos, familiariter egissent cum pastoribus Nicolaitarum, valuerunt apud eos plus tumultuantium voces, quam domi valuerant sacri concionatores: abjectoque migrandi consilio, in oppidum reversi seditiosis illud rumoribus implent: Altamiranum causam malorum esse, nec eum Jesuitam; sed sub pulla ad decipiendum tunica Lusitanum esse Guaranici nominis inimicum. Quam opinionem cum vellet Balda ex animo seditiosorum evellere, responderunt tandem, ituros se ad S. Thomæ, ubi Altamiranus erat: si Jesuitam esse deprehenderint, sancte habituros; sin Lusitanum, in præterlabentem Uruguaim dejiciendum. Horum admonuit Altamiranum Balda per litteras, addens, ægre se credere quidquam suos contra ipsum ausuros, id tamen vereri, dum nihil jam apud tumultuantes valebat jus & religio.

Is nuntius perculit vehementer Altamiranum: ratusque nihil esse tutum, fugam circumspectabat, quam demum arripuit Bonas Auras versus. Eodem tempore moniti Michaelitæ per speculatores gentem exteram finibus appropinquare per Sanctæ Theclæ, eo confluunt, iter obliti ad Sancti Thomæ, siquid revera cogitaverant Altamirano adversum. Extera vero gens erant Regii Dimensores, quos Indi pergere prohibent, & repedare cogunt, dato commeatu.

Id contigit mense Martio, de quo tempore agens auctor qui libellum edidit *De Republica Paraguai*, caput affert epistolæ ad Vallislilianum, quo Lusitanus Gomez ait, nihil se dubitare quin sibi persuaserit ille, Jesuitas esse qui contra fœdus conjuraverint: idque quod sine horrore quodam ne cogitari quidem antea potuisset, post primam jam aciem indubitatum esse. Sed qui post annos sex Relationem de Republica vulgavit, ut tractam ex authenticis documentis, non animadvertit, quam parum epistola prodita, & Relatio tempori, rei, & sibi constet. Scriptam esse ait epistolam 24. Martii 1753. post primam aciem, cum acies prima contigerit anno sequente 1754. Imo & comitia in insula Martin Garciæ, quibus bellum decretum est, posteriora sunt, quippe sub finem illius anni celebrata, ut ex eadem ipsa Relatione constat. Sed hoc unum specimen fictionis sit. Ex Quæstione habita coram Judice Ecclesiastico Sanctæfidei D. Ignatio Lacoizqueta typis sæpe vulgata constat, quid de reliquo Opere sentiendum sit.

Cum exercitus conscribebantur, Hispanicus 1754.
Bonis Auris, Lusitanus ad Flumen Grande, Indorum cuneus prædiorum fines circum cursabat. Comes accesserat Sociorum unus cum altari portatili, qui ut erat tempus ad præceptum paschale constitutum, sacramenta administraret cum ægris, tum iis qui longinqua prædia curabant, tum etiam aliis, qui vicinos barbaros, & e Brasilia quosdam pecus abigere solitos, aut ingredi prohibebant, aut ingressos arcebant. Ad Fluminis Pardi ripam novum Lusitanorum præsidium, qui locum non suum furtim occupaverant, dum vident Indi exploratores, vim parant ad oppugnandum. Sed invitati a præsidiariis, vallum subeunt: atque ut quisque in Lusitanorum manus venit, in vincula abripitur. E vinculis inter alia dicunt, Patrem Jesuitam haud procul abesse. Ergo Lusitani eum ducem esse putant: & multiplicato Patrum numero, quoniam eadem Guaranica vox unum & plures significat, propè esse Jesuitarum exercitum qui præsidium invaderet, aut credunt ipsi, aut ab aliis credi volunt. Unus idem qui & trans flumen aberat, scripsit *Ephemerides de Bello Guaranico*, ubi ait (*a*):

Unus

(*a*) Num. 7.

Unus me ductor exercitus convenit; ut patet ex ipsis verbis transcriptis in *Regno Jesuitico* (*a*) ab accusatore ipso, qui sui deinceps immemor verba per infamem apertamque calumniam transvertit in hæc: *Unus me ductorem exercitus convenit*. Ut videlicet ipse curator animorum, qui ab uno ductorum se vocatum affirmat, palam fateretur se ductorem.

Acies prima.

Hæ tamen velitationes erant. Sub anni 1754. medium prodiit in aciem Andonaequi Prætor Bonaurensis. Primumque omnium edita est Japejuani pecoris strages, cujus armentis constituta sunt Hispanorum quædam vivaria secundum Fluminis Argentei ripas. Japejuani eo usque quieverant apud se, quippe quorum oppidum, prædiaque extra limites erant fœderis. Sed ubi hostiliter abigi armenta rescierunt, ad arma conclamant. Quia vero Patres negarunt divinum panem, quo in aciem prodituri muniri solent, in ipsos vis & arma conversa sunt. Inclusos domi aqua & igni interdicunt, appositis custodiis. Tunc promptuaria reserant dilapidantque: clamante quopiam constare jam satis, parochos suos cum Hispanis in perniciem armentorum & oppidi conjurasse. Erat dynasta quidam perditis moribus qui ruentes incitabat, & ex popularibus, adventitiisque aliis trecentos omnino commovit contra Hispanos bis mille & quingentos. Primo impetu occisi, vel capti sunt. Captus etiam dynasta in custodia Bonaurensi mox decessit, se ipsum temeritatis accusans, & curatorum innocentiæ testis. Ad sedandos Japejui motus missus est a Præfecto Missionum Josephus Cardiel, qui ex singulis captivis fuga dilapsis, domumque regressis novit, quam indignis artibus quidam usi sint, ut interrogati culpam in curatores derivarent.

Interea Freire Lusitanorum dux paribus ferme copiis profectus est 28. Junii e castro Fluminis Grandis, Pardumque prætergressus lente movebat agmen in oppida; etenim cum exercitus uterque eodem tempore irrupturus esset, sic iter temperabant, ut alter alterum respiceret. Jam abierat October, nec Lusitanus copias propius admoverat: & Guaranii contenti erant, si per modicas turmas exercitus iter morarentur, atque extremos carperent. Novembri nuntius venit ab Andonaegujo, retroducere se copias. Recedendi causa non fuit, ut vulgatum est, quod ea parte munitissima quædam oppida viribus impar offenderit, cum inde longissime distarent oppida omnia, nec quod Indi segetes corrupissent, pabulum incendissent, pecus avertissent, ut commeatu exercitum intercluderent; sed quia negati cœlo diu imbres herbam & lacus siccaverant, nec triginta millibus, tot enim supputata sunt, equorum, jumentorum, vaccarum, quæ castra pro equitatu, impedimentis, & annona sequebantur, sufficiebant pascua.

Foris datum Guaraniis otium domesticæ turbæ sequutæ sunt. Alphonso Fernandez per Barredam Bonis Auris ablegato, ut pro se Reductiones visitaret, provinciam dedit Altamiranus, ut cogeret ad deditionem Indos. Ut in oppida pervenit, cœpit velut aliud agens rem tractare, animos mollire, & tumultuantium consilia prævertere. Sed non diu fefellit. Id quod erat suspicati, unde, qua causa venisset, quid vellet; manus injicere tentarunt, non, ut ipsi dictitabant, quo male ipsi vellent, sed ut in puerorum ludum adigerent, quos doctrinam christianam docerent. Quod cum Fernandium non latuerit, illorum manibus subduxit se, & ex Uruguai ad Paranam iter intendit. Inde litteras dedit ad Carolum Tux Nicolaitarum curionem, quas Indis e loco superiore interpretaretur. Legebat Tuxius & interpretabatur, audiebant Indi religiosissime taciti, sed ubi de transmigratione agi cœptum est, susus est inclamare quispiam, plicaret librum (liber seu *quatiá* Guaraniis est quidquid legitur), & doctrinam Christianam explicaret. Pergebat Tuxius, sed ita seditiosorum clamor invaluit, ut cessaverit tandem: & epistolam immisit in sinum. Post cum in æquum descendisset, arreptus est a seditiosis, contendentibus ut librum traderet, atque ut nihil sancti est ubi furor & seditio mentes occupat, sacerdotem exuunt, & repertas in sinu literas extrahunt, in medium-que forum delatas comburunt. Quam audaciam cum Fernandius resciit, ad Prætorem Bonaurensem scripsit, ense jam solo nodum extricari posse.

Urgebat Altamiranus, novaque in dies præcepta multiplicabat, quibus alii præcipitanter parebant, alii reclamabant, non contra Regis imperium, sed contra vim præcipitem, nec a Rege, nec a Ministris imperatam. Sed Altamiranus conclamatis rebus temere credidit, & scripsit, præcepta sua contemni, aliorumque vitio negotium corrumpi. Hinc fulmina, de quibus in Relatione de Republica sermo est.

Integrato bello exercitus Hispano-Lusitanus convenit in S. Antonii Michaelitarum prædio XC. leucas ab oppidis distante, die 16. Januarii 1756. Quatuor ex eo menses obtinuit acies, donec occupati sunt pagi: quod temporis spatium præstolando e Jacui (*b*) promisso commeatui, superandis Montis Grandis angustiis, & vagis incompositisque Indorum turmis abigendis datum est. 1756. Acies secunda.

Decima Februarii conspecti ex adverso sunt duo mille super clivum a cæteris prominentem, quem *Caaibaté* appellant Guaranii. Hos ut vidit Andonaegui, mittit qui recessum indicat horæ spatio. Cum illi obstare pergerent, ap-

(*a*) Part. II. Artic. III. §. 2. num. 63. pag. 152. Edit. Matrit. 1770.

(*b*) *Jacui* amnis, in Flumen Grande fluens, quem Relatio de R. P. P. versionis Italicæ cujusdam arcis Præfectum, esse fingit, dum ait pag. 14.: *Essendo arrivato nel principale posto, che il detto Jacqui aveva e non lo daba.*

Digitized by Google

appropinquat acies ad pugnam inſtructa, primoque tormentorum bombo diſſipati ſunt. Plerique ad foſſas torrentibus non longe excavatas accurrunt, ubi pauci arcus intendunt, duoſque vel tres hoſtium occidunt. Ibi ab Æthiopum magis, calonum & lixarum, quam militum copiis circumſepti, ad mille & ducentos interfecti ſunt, conclamantibus a victoria Luſitanis, dum Andonaegui viſa miſerorum ſtrage, lacrymas cohibere fruſtra nitebatur.

Pagi evacuantur.

Poſt hæc & levem ad Churiebim velitationem expeditum copiis iter fuit, captaque oppida ſine cæde, ſine tumultu; niſi quod Nicolaitæ, ut primi rebellarunt, poſtremi depoſuerunt arma. Ad occupandum oppidum cum militibus tercentum mittitur Fluentinus. Sub prætor, quem cum adventare novit curio, equum petit a paſtoribus, quem illi negarunt. Obviam procedit pedes cohorti, dum fremebat ob necem centurionis D. Ludovici Lezcano, qui dum idiomatis peritia fretus ad palantes in agris Indos accedit propius; oppreſſus erat. Propter oppidum erant pauci ſagittarii, ut aditum obſtructuri. Clamat Curio, & temerarios inde faceſſere jubet. Illi nihilominus ſagittas jacere, quarum una veſtem ductoris offenſavit. Fiſtulis reſpondet cohors, & binis utrinque alis medios includunt. Tunc Indi arma deponunt, datiſque & acceptis viginti quinque verberibus in ſingulos, tumultus quievit, & pax confirmata eſt.

Dum hæc in oppidis Miſſionum gerebantur, appulit Bonas Auras Andonaegui Prætoris ſucceſſor D. Petrus Cevallos cum mille militum ſupplemento. Paraguariæ ſtatus, ut erat per Europam fama, talem virtute & conſilio requirebat, qualem Cevallos bello & pace ſe probaverat. Ferdinandus Rex cum eum abs ſe dimiſit: ait: „Ito quo nemine rogante mitteris. Ibi Rex haberi volo. Fac ut habear.“ Additum mandatis, ut Jeſuitas undecim perduellionis inſimulatos in Hiſpaniam expediret: dum tamen ipſe habita quæſtione crimen deprehenderet. Quodſi nullius, vel non tanti criminis rei vel omnes vel eorum aliqui eſſent, pœnam pro arbitrio mitigaret, vel remitteret. Utique ſubeſſet ne falſum criminationi verebatur, qui quæſtionem de integro inſtituere juſſit, & accurate cavere, ut cauſa ad juris normam exigeretur ante non exacta. Machinæ, quibus Sociorum nomen cis mare oppugnabatur, ſphæram ad Flumen Argenteum, ubi explodebantur, longe lateque fumo compleverant. Idque quod incautam aciem obcæcare natum erat, perſuaſit novo Prætori, cunctandum donec rareſceret. Interim ad Uruguaim iter intendit, ut ſupremam fœderi exequendo manum imponeret.

Cum ad paſcua Japejuana venit, indicium ei detulit centurio quidam ex iis qui Bonis Auris machinas acrius torquebant, adeſſe Indos qui dicerent, miſſos ſe a curione Japejuano, ut pecus averterent quo agminis iter commeatus inopia retardaretur. Indos Prætor conquiri jubet, & in tentorium induci vocatis gnaris indigenæ ſermonis interpretibus, aliiſque teſtibus. Introductis Indis metus primum ademptus: dicerent quæ ſcirent: ipſis quidquid illud ſit, malo non fore. Si fallerent, parata ſupplicia, & grave malum. Poſt id coram interrogati, qui eſſent, unde profecti, & de cauſa? fuit omnium una vox, Japejuanos eſſe, veniſſe a Curione miſſos, ut pecus omne quantum vel dux peteret, vel copiis eſſet opus, admoverent. Quæſtioni aderat index, erubuitque, maxime cum auditis Indis, tacitus retorſit in eum oculos Prætor, qui rem totam tabulis publicis incluſam Matritum miſit. Hujus generis alia pendentem per ſe animi Cevallium cautiorem in dies reddebant.

Fœdus diſſolvitur.

Vacua oppida dum Luſitano exhibet, refutata ſunt, multa cauſante Freire ſimul atque Coloniam a Sacramento machinis & armis, atque omnigeno belli inſtrumento muniendam e Braſilia curabat, quam invicem ex fœdere oppidis acceptis traditurus erat. E triginta Indorum millibus qui ſeptem oppida incoluerant, ad quatuordecim millia creditum eſt eſſe poſſe, qui tranſmigrationem peroſi in natalium ſilvarum latebras confugerant. Eo potiſſimum Luſitanus excuſavit fœderis contemptum, prodita fama quatuordecim millia armatorum eſſe ad protrahendum bellum in inſidiis appoſita. Sed numerum complebant infantes & fœminæ: majoreſque natu latebras inveſtigare novas, quam bellum protrahere mallebant. Nihilominus ut vias omnes tergiverſanti occluderet, fugitivos revocare ſtatuit Cevallius: quod anni ſpatio perfecit. Nempe dimiſit quoquo verſus binos ternoſve milites cum comite Jeſuita illos ut metum, hunc ut amorem conciliarent. Ubi in globum vel familiam inciderant, Jeſuita reditum ſuadebat, dum miles excuſo igne fumum e tabacho fugebat, ad fugendumque tubum porrigebat Indo. Sic tota familia officio devincta manus dabat, ſuſceptis in ſinum ab equitante milite infantibus, quos parentes ultro ſequebantur, & latentes familias indicabant. Hac ratione ſine vi ſine cæde, prudente Cevallii conſilio, revocata translataque ſunt quatuordecim illa Indorum millia, quos uti leones totidem e ſilvis erupturos Freire metuerat: demonſtratumque ſimul, quo marte potuiſſent ad tranſmigrationem compelli reliqua ſex decies millia.

Verum Hiſpanus, ut ab Indis otium fuit, cœpit quod in regiis mandatis erat, in tumultus authores inquirere. Habitæque ſunt eo præſertim nomine quæſtiones, an Jeſuitæ cauſam tumultui dederint, Indoſque ad rebellandum incitaverint? In eam rem vocavit Bonis Auris D. Florentium Moreiras Juriſconſultum, qui quæſtioni præeſſet. Sed Moreiras de medicorum conſilio, qui victurum negabant, ſi longum iter infirmo corpore ſuſciperet, valetudinem excuſavit. Quare Cevallius ſubſti-

tuit

tuit D. Didacum de Salas bellicis Ordinationibus præfectum, qui ab æquitate, conſilio, & in Regem obſequio diu ſe probaverat. Huic additi ſunt bini centuriones Hiſpani guaranice periti ex urbe Fluentina, ubi ſermo ille familiaris eſt.

In quæſtionem Itapuæ habitam vocati ſunt centum & eo amplius Indi ex iis, qui motibus proxime interfuerant, nominatim Nicolaus Neengiru, quo non alium eſſe oportet, quem fabula Nicolaum Primum renuntiavit Paraguariæ Regem. Singuli ſeorſim ut accerſiti fuerant, affirmarunt, nullum ſibi e Jeſuitis authorem ſeditionis fuiſſe. Eodem tempore in San-Borgiano Prætorio quæſitum eſt a centurionibus, qui in hoc bello meruerant, quotquot in caſtris aderant, quid ipſi noſſent de Jeſuitis, eorumque molitionibus ad Indorum ſeditionem quod attinet? Reſponderunt pro ſe quiſque, oppido multa ſe quidem audiviſſe; ſed nec in bello, nec poſt bellum vidiſſe quidquam, quo ſontes cenſeri poſſet. Quæ omnia Indorum Centurionumque teſtimonia publice obſignata Matritum miſit Cevallius. Noluitque, quoniam nihil de crimine conſtabat, undecim illos, de quibus ſupra diximus, aut illorum quenquam in Hiſpaniam mittere: nec iidem alias inde repetiti ſunt. Matriti vero ea teſtimonia, tabulæque publicæ alto preſſæ ſilentio, exemplaque alia deinceps eodem expedita, multo quam antea profundius ſepulta ſunt. Dum quæſtio vertebatur, vivere deſit Ferdinandus Rex: cui ſimul atque ſucceſſit Carolus, fœdus diſſolvit. Lapides pro finibus conſtituti a Caſtellis ad Guaranios dejecti ſunt, Indique extorres ad ſeptem oppida revocati. Luſitani vero retinent oppidum S. Roſæ apud Moxos, Victoriæ caſtrum ad Jacuim prope Guaranios, præter antiquas ſedes Coloniam, Cujabaam, Matogroſſum.

Coloniæ obſidio.

Dum Hiſpanus Coloniam cum ſeptem oppidis commutandam ſperabat, clam muniri novit, nec tradendam niſi vi expugnaretur. Ex Uruguai itaque redux Cevallius ſpecie caſtra muniendi, quæ e regione coloniæ ſunt, obſidionem parat ſumma virium inopia, animi vigore ſupplenda. Exercitus unde-unde collectus vix duo millia æquabat: in quibus Indi Jeſuitani erant mille; & ſuburbana quidem militia vi prope trans flumen adigenda fuit. Ut omnia paraverat, nuntium de luſitanico bello tartana detulit, quod extemplo militari ritu contra Coloniæ muros denuntiatum eſt. Quinta Octobris 1762. oppugnari cœpit extructo a borea ſeptem tormentorum aggere, quorum tria candentes jactarent pilas, cum in caſtris mortaria deeſſent. Nocte quatuorcentum milites cum foſſoribus quingentis obvium Luſitanorum cuneum præter cæſos duos in arcem compellunt. Erat ſub anchoris liburnica, quæ ſtationem jaculis mutare coacta, promovendi aggeris copiam fecit. Die ſexta perfectæ ſunt vincæ: & undecima adverſus boreale propugnaculum collineatur.

Poſt biduum cum ſummus erat propugnantium ardor, murus ruere cœpit, ſed noctu reficiebatur corbitarum ſarcina ex inſulis fluvialibus ſuffecta. Ut hoc auxilium interciuderet, obſidioque aquâ ſecunderetur, armaverat Cevallius Victoriam navem Hiſpanicam, & aliquot onerarias præfecto D. Carolo Sarria. Sed claſſis hæc quantumvis accerſita, tutam in adverſo litore Barragani ſinus ſtationem tenuit, donec pacta erat arcis deditio.

Die 14. novus extruitur agger, quod primum a muri parallelo declinare cognitum eſt. Decima ſeptima nova biſcentum ab arce hexapedas diſtans excavatur foſſa. Decima nona muri labes ampliatur. Quinque de octo novi aggeris tormenta armamentis dejecta ſunt die 22.; ſed per noctem reſtituta. Vigeſima ſexta de arce invadenda conſilium vertitur & prævalet; quanquam aliquorum ſententia fuit, nondum ſatis murorum excidiſſe ad aſſiliendum. Per D. Joſephum de Molina, & Franciſcum de Saravia deditio indicitur Luſitano, qui tempus deliberandi & inducias poſtulat. Sed die 29. per duos duces reſpondet, pergere licere; aberant enim tres myoparonum præfecti, quorum erat pacta ſubſcribere. Quadringentæ pilæ, duæ ſupra viginti igniariæ ollæ conjectæ ab arce eo die ſunt. Eratque intus qui narravit, palabundam fœminam a marito gladium petiviſſe, quo Caſtellanos a mœnibus arceret. Jeſuitani Tapes apud Hiſpanos ſtragula humectabant, & ad cadentes ab arce ollas impavido clamore accurrebant, ut convolutas extinguerent. Obſidionis ephemerides confecerunt ipſi ſuas corio inſcriptas, quibus inter alia ridicula puerilisque id referunt, quemdam de ſuis ibi nominatum cadens *opepon* extinxiſſe mingendo.

Luſitani re maturius conſiderata hora quarta pomeridiana Militum Tribunum Almeidam, & Legatum Rodriquez mittunt, qui ſequentia pacta requirant: arcem, niſi intra dies decem a Braſilia ſubveniatur, dedendam: non indecore prodituros milites ad navem: cuncta manualia arma, cum igne nigra, tum albo deferenda, atque nautica tormenta duodecim, cum pyrii pulveris talentis quinque ſupra viginti, militum forenſia etiam ſcripta; Præfectum, duces, & militem, poſſe mancipia, mobiliaque bona ſecum portare, aut cum immobilibus vendere, nominatis qui pretium æſtimarent: convaſanda templorum ornamenta, & ſodalitatum: integrum fore incolis cum rebus ſuis abire, venditis quæ deferri non poſſent: mercatoribus abeundum rationum iis, quorum intererat, reddendarum cauſa: qui primo itinere conſcendere non poſſent, ſuorum imperio moderandos, comiterque habendos, fide publica muniendos, nequâ adverſa claſſe via obſtrueretur: ſiqua deinde Braſilica navis appelleret deditionis ignara, hoſpitio donandam: ad conſcenſum dierum duodecim ſpatium largiendum.

Ex his datum eſt tantummodo, ne milites me-

Digitized by Google

meritis honoribus fraudaretur; arcem vero illico tradendam. Res suas pro arbitrio portarent aut venderent Prætor, duces, & milites æque atque coloni: hi vero arma sua, non tamen ex publico armamentario distributa. Ut commeatum bimestrem sufficerent utriusque partis commissarii: scripta fori deferrentur, non tamen contenta in urbano tabulario, nec templorum ornamenta. Incolæ pro voluntate cederent, & ad Brasilienſium mercatorum institores quod spectat, ex jure agendum; quotquot vero in arce essent reliqui, præfecti constituendi subituros imperium Hispanorum instar. Fide publica muniendas naves: sed Argenteo Flumine recta discessuras. Hospitio donandas, quæ infra mensem applicarent exarmatæ. Pactis utrimque subscriptis, arcem occupant Hispani. 3. Novembris 1762.

Mox apparuit decem navigiorum classis, quorum tria cataphracta, reliqua erant vectoria. Prætoriæ nomen a Clive tormentis sexaginta munitæ: toti vero classi præerat Macnamara Hibernus. Erant bellica duo reliqua, alterum Anglum, Lusitanum alterum. Incertam in utrunque litus descensionem simulavit Macnamara: ratusque, arcem esse ab Hispanis necessitate tot loca tuendi destitutam, ad oppugnandam se sistit 6. Januarii 1763, atque summa vi & ardore incœptum promovet. Verum cum Cliveæ vicinitas Sarrianæ navi Hispanæ esset incommoda, situm illa mutavit. Sarria viribus impar Anglicum harpagonem timuit, & loco cessit. Recessus hic animos addidit Anglo, spemque fecit certam arcis obtinendæ. Cevallius, qui sub classis adventum jacebat valetudinarius, lecto se propripuit; atque vectus equo per murum præsidium firmabat pro virili; sed tormentarium inopia laborabat. Guillelmi cujusdam indicio, qui intra obsessam arcem cum Lusitanis fuerat, conspectus & cognitus fuit Macnamaræ, qui jaculatoribus ait: Parcite viro, ut non propria ipsius cæde, sed murorum excidio pressus intereat. Ventus a terra classi contrarius debiliorum fuit salus. In Clivea id erat neglectum, ut apponerentur, qui tormentis explosis ardentia stuparum ejectamenta exstinguerent, quæ vento retrudebantur. Horum quodpiam in puppis cloacam recidit, quod sero cognitum navem incendit. Dum ardet, Macnamaram sibi desperato mortem conscivisse sclopulo in aurem retorto, nonnullibi proditum fuit. Sed longe abfuit turpis & imbecilla mors a viro sibi constante. Ab incendio servandum dorso excepit classiarius natator quidam, qui cum longe distaret a ripa deficere cœpit. Quod ille cum videt, & utrumque periclitari, gladium porrigit nautæ dono, ut sibi uni consulat, ipse vero fluctibus se committit. Alii, quos inter amicus Guillelmus Batton, exciso malo, & in flumen projecto inequitantes, ægre quidem, sed tandem applicant. Classe Anglo - Lusitana eo casu dissipata, Hispanus animos ad ulteriora redepit.

Flumnis Grandis expugnatio.

Arce, cui pro Colonia nomen a *S. Carolo* brevi duraturum factum est, instaurata, Lusitanos ex angustiis Chui pellere, & propugnacula inde ad Flumen Grande a *S. Petro* constructa debellare constituit Cevallius. Decima nona Martii 1763. pro specie oras lustrandi, ad munimenta Maldonati, quæ jusserat excitari, iter intendit. Inde progressus octava Aprilis cum eo militum numero, qui vix mille superaret, trasmissisque haud ægre fluminibus, & aquarum stagnantium interjacentibus vadis, non procul a Lusitanis stativa posuit die decima sexta. Postridie locum contemplaturus cum cohorte appropinquat. Arx est *Chui*, alias *a S. Theresia* quatuor propugnaculis stans in clivo inter paludem & mare, quibus conjungitur aggere hinc inde ducto, tormentisque muralibus utrinque subjecto. Intra teli fusilis jactum supereminet collis, ubi Cevallius per noctem vallum extruit, primaque luce tormenta collocat & præsidium, prærupti situs opportunitate usus, Lusitanis interea jaculantibus unius tantum fossoris cæde. Arcem ad noctem diei decimæ nonæ quatere decreverat Hispanus, deinde scalas admovere, simulque aggerem utrumque ad mare & ad paludem aggredi, ut sexcentum militum atque Paulistarum complurium præsidii vires distraherentur. Decima octava quatuorcentum Lusitani erumpunt sub meridiem ad obstruenda clavis valli tormenta, rati per eos tantum defendi, quos ab arce conspexerant. Sed ut alios qui latuerant vident laxatis habenis occurrentes consternantur ordinibus perturbatis, & panico terrore perculsi dilabuntur, nequidquam revocati ducum imperio. Eadem nocte cuncti arcem destituunt præter Thomam Ludovicum Osorio præfectum cum ducibus vicenis binis, atque militibus tercentum. Scalas confestim petit Cevallius: cujus cessationem Osorius per legatum orat, sui & reliquorum deditionem pollicitus. Accepta est ad arbitrium: & nocte media castrum ab Hispanis occupatur.

Post semihoram, antequam hostis a metu se reciperet, quatuor expediuntur turmæ. Altera ut arcem a S. Michaele septem distantem leucis caperet, internecione indicta præsidio, siquid repugnaret. Quod ex sententia cessit, dedito ad arbitrium. Aliæ duæ, ut hostium equis arreptis, vestigia sequerentur. Quarta, ut primam sustineret. Tribus deinde in Flumen Grande conveniendum simul erat, ut hostium interciperent fugam, ne machinas & belli apparatum secum portarent. Eo perventum est 24. Aprilis, tantaque celeritate exterriti Lusitani flumen transmittere adeo festinant, ut complures mersi sint, relictis tormentis triginta, biscentum pyrii pulveris doliolis, mortariis

octo, ollis Miſſilibus centum, pilis ſeptem mille, bolidum granatarum biſmille, ſclopis quadringentis, cum cætero belli inſtrumento, equorum quatuor, pluribus boum millibus.

Hoſtium capti ſunt centum: Incolumes reliqui in adverſam translati ripam Viamontem octoginta diſtantem leucas profecti ſunt. Ad eam Luſitanorum ſedem occupandam, & reliquas uſque ad Flumen Pardum proceſſuris Hiſpanis, belli ceſſatio denuntiatur. Tota regio parta fuit unius tantum foſſoris jactura. In expugnanda vero propugnandaque Colonia undecim omnino deſiderati ſunt. In reditu Cevallius oppidum condidit a S. Carolo novem a Maldonato paſſuum millibus. Die vero 27. Decembris Petro Joſepho Suatez Regis Fideliſſimi mandata exhibenti, Coloniam reſtituit, poſtquam Caſtellano paruerat amplius anno.

HI-

HISTORIÆ PARAGUAYENSIS.

LIBER VIGESIMUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Reductiones in Chaco. Mocobiorum. Abiponum. Tobarum. Mataguajum. Lullium. Isistinesium. Malbalaarum. Vilelarum. Chunupium. Passainum.

Reductiones in Chaco.

BEllum & pax, novarumque sedium vices alternabantur in Paraguariæ centro, dum fines ad ortum ex fœdere movebantur. Assumptionis terminos, Confluentium, Sanctæfidei, Cordubæ, S. Jacobi *del Estero* diu infestaverant Mocobii & Abipones, alios alii. Num victi possent in servitutem redigi, dubitatum fuit, quemadmodum olim de Chilenis (*a*), de Chiriguanis affirmavit Matienzus (*b*), ac de Caribibus jure (*c*) licet. Quod Chacoenses audent: in Hispanos, captis ac cæsis quotquot sub manu sunt, servitutis injuriam levat. Nihilominus, siqua fides Ramiro Valenzuelæ (*d*), moris est ne Chacoënses manu capiantur, sed ut retineantur cum iis permutandi quos ipsi capiunt. Dum tamen retinentur, servorum loco sunt, & esse decet.

Mocobiorum Reductio.

Xaveriana Reductione, quam in finibus Sanctæfidei ab anno 1743. curaverant Socii, malum ex parte propulsatum est. Sed cum protervorum numerus & silvicolarum esset major, supererat quod animos solicitaret. Anno 1765. posita est Mocobiorum sedes *a S. Petro*, quatuordecim fere leucis ad occidentem Xaverianæ, sed reliqui erant in silvis ex eadem gente mille circiter errones. Horum dynasta quidam Pahaiquin nomine venit Saltam in Tucumania, constituendæ cum suis Reductionis cupidus. Placuitque D. Emmanueli Campero Prætori, ut P. Josephus Jolis in silvas, quas frequentius habitant, se conferret, gentis statum, & quo mitterentur Pahaiquini pollicitationes, exploraturus.

Martii 11. 1767. prodiit e Reductione Passainum *a Columna* novendecim Indorum comitatu, quorum duo Christiani, reliqui nondum baptizati erant. Nolenti Prætor addidit octo militum præsidium. Postridie Calendas Apriles, post se relictis Indis tredecim, & quatuor militibus, in conspectum venit Mocobiorum juxta locum ubi condita & diruta fuit Conceptio urbs, de qua plura apud eam gentem in memoria sunt, triginta intra Chacum a Confluentibus leucas. Adventanti Missionario obviam procedunt cuncti ordinatim, hinc viri, illinc fœminæ. Descendenti in pedes appropinquant dynastæ, & apprehensa manu inclamant *Amice*, *Amice*, dum fœminæ vociferantes ora sibi manu verberant: quod signum est gratulantium.

De itineris causa Indos alloquitur Jolis, ac de promissa per Pahaiquin Reductione, cujus apud Sanctam fidem peregre absentis uxores aderant, & in his Hispana quædam a puella capta. Responderunt barbari, præter sententiam suam eum dynastem verba dedisse: longe abesse, ut vellent apud Hispanos considere. Si de constituenda ibi, ubi erant, sede res esset, nihil moræ futurum. Missionarius ait, id unum intendi, quod ipsis erat commodum. Si de mente Prætoris certiores fieri vellent, quosdam de suis ablegarent, se interea apud eos permansurum. Hæc spondenti arriserunt Indi, sententiam non mutarunt. Itineris successum referente Jolis, Indis satisfactum voluit Prætor, statuitque ut Augusto mense rediret Missionarius sedem locaturus: esse jam tentoria quædam, quibus uteretur. Sed per Augustum tentoria improvisis adhibita sunt usibus.

Abiponum gens affinis Mocobiæ trifariam divisa est. Primam tribum appellant *Naqueggaguebee*, cujus dynastæ erant *Alaiquin* & Petrzus suo sermone dictus *Rebajacaiquin*. Secunda, cui nomen *Riicabee*, suberat dynastis *Nerugini*, & *Ichoalai*, qui & *Benavides* audit, dum hæc primo scribebantur superstiti, & Hispanorum amico, etiam cum reliqua gens erat infesta. Tertia est *Jaconaigatum*, *Naré*, & *Cachiegaquin* dynastis subdita. Circa annum 1746. Cordubæ fines undique truentabant. Nec aves eo tempore transvolare Flumen Tertium ausas, pavidus ajebat indigena. Illic Jacobus Herrero Corduba profectus cum aliis occisus est, non a Benavide, ut scribit Charlevoix, sed ab alio ejusdem gentis dynasta Benavide invito.

Abiponum gens.

Haud minor strages erat ad boream per Alaiquinum & suos edita. Castella quædam illac ad continendos barbaros excitata sunt, nisi forte malis caulas appellare, unde conspecti aliquando sunt Abipones cultros Hispanorum sanguine tepentes ad præterlabentem rivum lavare impune. Quin vel in ipsum Cordubæ forum terror pervasit; nam cum hebdomada sanctiore de nocte, ut fit, supplicatio-

(*a*) Alloza. Verbo *Bellum*.

(*b*) Matienz. apud Lozano, Historia del Chaco. §. 8.

(*c*) Lege 13. t. 2. lib. 6. Recop. Ind.

(*d*) Valenz. Addit. ad Solorzani Politicam, lib. 2. cap. 1. num. 37. & 38.

tiones haberentur, fuit neſcio quis qui clamaret *Indi, Indi*; qua voce ita omnes terrefacti ſunt, ut extinctis repente facibus univerſis, latebras in tenebris quæritarent ſemivivi. Barbaris addebat animos concepta de Cordubenſibus opinio, quos *gentem goſſipinam* appellabant; quaſi e molli goſſipio factos.

Pax cum Abiponibus Cordubæ exoptabatur, qualem Sanctafidenſes pacti recens erant. Idcirco cum Didacus Horbegoſo Jeſuita Corduba in Sanctæ fidei ſe conferret anno 1747., ut pacem conciliare vellet rogatus eſt: quam ſi obtineret, novo firmaret oppido. Fœdus quidem ictum eſt haud ægre in prædio *Aſtapiré*; verum de condendo oppido ut reſponderent, eodem loci redituros ſe poſt tres lunas polliciti ſunt Abipones. Cum tempore condicto non adeſſent, bello impliciti quod cum Paraguajenſibus gerebant, Horbegoſus cum ſocio Franciſco Navalon in deſerta penetrarunt, donec inventi ſunt. Quinque dynaſtæ Neruginī, Alaiquin, Benavides, Ichilimin, & Cavachichi in ſententiam admittendæ Reductionis & Patrum convenerunt; erectaque illico cruce locus oppido, quod a *Sancto Hieronymo* nomen habet, deſignatur propter flumen *a Rege*, quod Paranam influit a Chaco ſub gradu 29. latitudinis auſtralis. A boreali in adverſam ripam deinde translatum eſt, tum aquæ potabilis penuria, tum quia corrogati armenti cura, quo victus ſtat oppidanorum, alluvionibus intercludebatur. Cum Jeſuitæ exacti ſunt, cenſus erat 450. Chriſtianorum, 278. catechumenorum.

De Jacobæo milite alia eſt Abiponibus opinio atque de Cordubenſi. Illum obſervant, & timent, atque placare ſatagunt. Erant apud Jacobæos capti quidam, quos ut redimeret Alaiquin, fœdus cum Hiſpano conciliare ſtuduit. Subprætor Jacobopolitanus Franciſcus de la Barrera, barbaris æque charus ac formidatus Landrielem Magiſtrum Militum Chaqui experientiſſimum miſit, qui eos ad comitia vocaret. Adſunt numero triginta, paxque reſtitutione captorum reciproca firmata eſt. Subprætor Alaiquino virgam honorariam manu geſtandam donavit cum Hiſpanica veſte militari, colore, globulorumque ordine conſpicua; ſed qua barbarus modice devinctum præbuit ſe. Diu poſt cum Sanctafidenſibus conventuro perſuaſit tandem Miſſionarius Martinus Droviſofer, ut Hiſpanicam veſtem adhibere vellet. Induſio facile ſe convolvit, ſagum haud ita facile, accommodavit tamen. Sed femoralia neſcius qua dextrum, qua lævum immitteret pedem, indignatus abjecit quaſi compedes quaſdam. Acceptaque virga argento capulata, Hiſpanice partim indutus cætera nudus in comitia prodit.

Jacobopoli redux cum ſuis conſtitit procul a S. Hieronymo. Monitus a curatore P. Joſepho Brigniel, ut propius accederet, doctrinæque addiſcendæ operam daret, ſic præſcriptum eſſe a Subprætore Jacobæo; reſpondit: „Hæc tibi ſcripta ſint. Ego vero aliud me manere juſſus ſum, donec mittatur qui me transferat alio.“ Nempe deliberatum erat, ut nova Reductio conderetur, quæ ad Jacobæam ditionem pertineret. Scripſerat Brigniel, intempeſtive transferi germina id genus. Sed Tinso Prætor eo tempore Tucumaniæ id expedire cenſuit ad præfecturæ tranquillitatem. Condita primum eſt Reductio *a Conceptione* dicta, novem a S. Hieronymo leucis inter auſtrum & occaſum. Unde rei familiaris difficultate, aut forte quia non is erat ſitus, qui ad Tucumaniæ ditionem certo pertineret, ad Flumen falſum translata fuit, ac deinde æquationis cauſa inter utrumque Dulcis alveum, videlicet inter alveum prope Sumampam deſiturum aquis, & novum alveum per mediterranea devianibus apertum. Solum mutare noluit Alaiquinus, Reductioniſque translatæ dynaſta reliquus fuit Malaquinus, curatoribus Joſepho Sanchez, atque Bartholomæo Araoz, cui ſucceſſerunt alii.

Male habuit Benavidem Alaiquini defectio, quod pauci a ſuis partibus reſtarent bellatores. Quare Jacapigas Narei dynaſtæ ſubditos ad S. Hieronymi allicere contendit. Ægre id tulit Subprætor Fluentinus, qui novum ex iis oppidum ſuæ ditionis condere meditabatur. Apud Prætorem Bonaurenſem, ejuſque locum tenentem in Sanctæfidei egit, ut hoſpites dimitteret Benavides, ex quibus oppidum a S. Ferdinando coaluit juxta Flumen Nigrum, quod a Chaco e regione Confluentium urbis Paranam ſubit. Thomam Garciam curatorem habuit, qui dum ſacro miniſterio dat operam in Hiſpanorum caſtris contra Jacuim ex vulnere a Luſitanis accepto concidit anno 1763. Garciæ in S. Ferdinandi ſucceſſit Joſephus Clein, qui populum ſæpe labantem majore labore quam fructu ſuſtinuit: atque dum hæc ſcribebantur, vulnus in capite a ſuis Abiponibus acceptum curabat.

Pace cum Tucumaniæ & Fluminis Argentei civitatibus conſtituta, indictum fuit Petizo, gentilibuſque dynaſtis, propagandam ad reliquas Hiſpanorum ſedes, & Paraguai Miſſiones. Ægre quidem, ſed Benavidis opera conceſſerunt tandem. Petizuſque in ſe recepit, neguis Abiponum Paraguaim amnem trajiceret. Trajecit tamen haud ita poſt Oaharcaiquin Petizi propinquus, occiditque Villeræ Paraguajenſium aliquos. Eodem tempore flumen tranſgreditur quidam de Cavachichi tribu, Guaraniis in prædio Jacobææ Reductionis illata clade. Ayuncolo Neruginio perſuaſit Benavides, puniendum ſuſum, ſibi alioquin ab Hiſpanis impunandum. Eam tantummodo pœnam dedit Cavachichi pagus, ut fœminis quatuor captis privaretur, Sanctamfidem mittendis. Ut pœnas daret Oaharcaiquin, in aciem prodeunt Benavides & Neruginius, uno de graſſatoribus occiſo. Cognato ſuppetias fert Petizus majore vi,

at-

Digitized by Google

atque hoſtium equos armaque prædatur: quo illi exacerbati claſſicum canunt. Alaiquinus contra Benavidem iratus, Petizo ad cujus tentoria confugit, ſtimulos addidit.

A Pacieque Alaiquini filio turbatum etiam eſt, qui populabundus irruit in prædia Cordubæ & Sanctæfidei, pecus & pecuarios juxta habens & mactans. Idemque alios oppreſſit in itinere ad S. Jacobi, cui *a Porongos* nomen eſt. Parens, ne in ſupplicii a filio meriti ſocietatem per Hiſpanos vocaretur, ſilvas petit. Pro malo mente conficto verum offendit; incidit enim in graſſatores infideles, quos inter Pahaiquin erat, cujus ſupra memini, a quibus occiſus, toſtus, atque devoratus fuit. Neruginius etiam ab oppido defecit, veritus ne ab Hiſpanis patratæ cujuſdam cædis poſtularetur; ſed inſontem eſſe cum affirmaſſet Benavides, data immunitatis fide regreſſus eſt. Diſſimulatum etiam fuit cum Pacieque, qui & Reductioni S. Hieronymi adſcriptus, ſpe floreſcentem, ut erat ingenium, perturbavit.

Petizus & ipſe S. Ferdinando aſcitus eſt, eaque defeſſus quiete, ad Conceptionem tranſfugit. Quidam de ſuis offenſatus S. Hieronymo aggregatur, qui cum ſilveſtrium equorum venationi vacaret, a globo de Petizi partibus inventus eſt, prædaque ſpoliatus. Ad vindictam, prædamque recuperandam properat Neruginius cum Xaverianis, ſed ſagitta uni oculorum infixa peremptus eſt. Ira tunc obcæcati Xaveriani ſtragem edidere maximam, nec turbæ parcunt imbelli, donec cædi ſuperveniens Benavides, puellas aliquot captas ſervavit, quæ Xaverianis ceſſerunt. De Hieronymitis pœnas ſumpturus Petizus, qui victores commoverant, Conceptionem deſerit. Equos abigit hoſtium, atque Benavidem provocat ad ſingulare certamen procul ab oppido; quod nollet, ait ille, ubi Patres aderant, manus conſerere. Certaminibus id genus nunquam Benavides abnuit: eodem oris habitu, quo ad venandum, ad concertandum capit arma. Sed quia procul ab oppido provocatus erat, & Petizus abegerat equos, tunc quidem abſtinuit.

Diffamatum mox fuit, Petizum, Paciequem, & Abiponem alium nomine *Zapancha* in excidium Sanctæfidei urbis conſpiraſſe. Aberat Subprætor apud Guaranios; quare locum ejus tenens cum Xaverianis in aciem prodit adverſum eos, quibus ultro Benavides acceſſit. Hic Paciequem, Zapancham, atque barbatum alium Indum nomine Emagmequin ex ſilva, in quam ſeditioſi confugerant, arte traxit, tradiditque Alzugarai Hiſpanorum duci, per quem in Montevidei arcem cuſtodiendi transferuntur. Ex eo numerus rebellantium invaluit, conſpirantibus aliis trium Reductionum oppidanis, qui ſimul cum Mocobiis infidelibus, cum Tobis, & Vilelis, biſcentum haſtatorum numero, prædium Benavidis invadunt, & expilant. Adeſt ille, fures abigit, furtaque recuperat.

Poſt hæc in rebelles aciem ducit uterque præfectus Sanctafidenſis, & Jacobæus, qui & Petizum aſcivit belli ſocium, viarumque ducem. Abſurdum plane conſilium! quandoquidem nondum hic perfidus conſpirationis intentæ ſuſpicionem purgaverat. Peritia locorum uſus ad rebelles nuntium præmittti: quibus elapſis re infecta retrocedendum fuit.

Ad ſedandos barbarorum motus e re fore viſum eſt, ſi Zapancha quem amabant, Montevidei vinculis abſolveretur. Sed ille dum fugam præcipitat ſuperato muro, manus fregit & coſtas. Pacieque vinculorum compars in libertatem pro Zapancha ſubrogatur, abſurdiore conſilio; nam barbari hunc amore, illum odio proſequebantur. Ille inter ſuos etiam inimicos habebat, qui eum vinctum & abſentem mallent, quam liberum: turbulentique ingenii libertas periculoſa eſt. Cum Pacieque rediit in S. Hieronymi rerum perturbatio, donec iterum ille defecit, Brignielem mentitus fugæ authorem eſſe, ſi vellet eſſe tutus ab Hiſpanis.

Abeuntem ſequitur generalis motus, & de conſpiratione contra Hieronymitas rumor. Benavides, ut malum avertat, in aciem prodit. Novit per transfugam, hoſtes in propinqua ſilva caſtra metatos: ipſeque, quia nox appropinquabat e regione conſtitit in alia. Denſus per eam noctem decidit imber: ortoque ſole, cum miles ſtragula ſiccaret, hoſtes e ſilva in pugnam prodire videbantur. Nihil motus Benavides per nuntium expectare jubet, nondum ſuos corpora curaſſe. Et quia ſilva munitus pro vallo erat, expectandum hoſti fuit. Menſis erat November 1757., quintus antequam Benavides baptizaretur: cum- 1757.
que animadvertiſſet, dum parabat aciem, plures ſuorum eſſe baptizatos, ait: „Nunc videro, utrum Deus Chriſtianorum Chriſtianos adjuvet.“ Mox prodeunt acies utrinque ordinatius quam vulgo conſueverint. Binas ſeditioſorum alas Petizus, & Pacieque regebant. Paciequi denuntiare jubet Benavides, ut recedat, nihil adverſus eum ſe velle. Perſeveravit ille tunc quidem; ſed incommodam expertus hoſtium vicinitatem, terga vertit cum ſuis, quorum diſceſſione major ex adverſo ſpes fit. Frontibus adverſis Benavides & Petizus in directum uterque nitebatur, cum illius ex fratre nepos obliquato cornu Petizum a latere petit, ad eum per adſtantium cædem penetrat, & haſta confoſſum de equo deturbat. Reliqui duce cadente diffugiunt. Victor capita cæſorum reſciſa ſupra ſingulos palos expoſuit: documentum, ajebat, eorum qui a populo deficiunt.

Chriſtiani in ædem ſacram conveniunt, & a curatore, qui præ foribus expectabat admiſſi gratias agunt Deo. Adfuit etiam Benavides, ſed a veſtibulo retroceſſit ad alligandum vulnus acceptum. Deinde tamen ad eum

Digitized by Google

venienti Missionario, fassus est, Deo gratias pro victoria referendas. Eam fœminæ de more celebrarunt fractis in foro publico universis culinarum ollis.

Petizi filii cæso parente S. Ferdinandi Reductioni aggregantur, mox defecturi ad Conceptionem: nec ibi perseverarunt. Anno 1763. Reductionem petunt in finibus Assumptionis cum aliis suarum partium Abiponibus. Eamque a Prætore D. Josepho Martinez Fonte procurandam suscepit Societas Jesuitarum, minima quidem, ut est turbulenta gens, proficiendi spe. Dicta est a *S. Carolo*, positaque quatuor a principe Paraguais alveo leucis, qua respicit occasum, quinque passum millibus a sinu, quem a figura *Herradura* vocant Hispani. Binos inter rivos est, sed aquæ salsæ, quæ & sinum Paraguais inficit. Aquatio fit in proxima palude: pascua vero tributa sunt ad Paraguais orientem, non procul a trajectu, qui *Timbó* dicitur.

Dum ipse Prætor instat operi, vulgatur rumor, Benavidem adventare cum biscentum Mocobiis, ut equos quos abactos a Carolitanis crediderat, vi recuperet. Sedato rumori succedit alter, infideles Mocobios excidium novæ Reductionis machinari, cui præterea imminent Abipones perfugæ, sat numero ad subvertendam eam & reliquas illarum partium sedes.

Reductio Tobarum, Mataguajum, &c.

Tobæ in superioris Tucumaniæ finibus Abiponum instar sunt, quinetiam infestiores, per quos aliquando provincia ad incitas redacta fuit, maxime Salta & Xuxui civitates. Præsidia, quibus tota constat Hispanorum substantia, depopulati, viam ad Peruvium intercluserunt, etiam suburbia cruentarunt Hispano sanguine. D. Joannes Victorinus Martinez de Tineo collapsos Hispanorum animos excitavit, armatos in aciem duxit, barbaros persequitur, in confinio excubias collocat, arcesque non perfunctorias. Hac Missione eo conversi sunt ethnici, ut inducias, pacem, reductionem, Jesuitam postularent. Lulles, qui turbatis finibus intra provinciam recesserant, & in *Conventillo* loco precario consederant, ad suam Miraflooream binas ab Estechi ruderibus distantem leucas, regrediuntur. Eorum propinqui Isistines Vallem bonam occuparunt infra Miraflooream unius diei itinere. Mataguaii in oppidum convenerunt, cui deinde admoverunt faces, combusturi simul P. Franciscum Ugalde. Malbalæ quidam Franciscanorum curæ commissi non perseverarunt. Vilelæ traditi sunt Societati, quæ ab anno 1763. trium oppidorum fundamenta posuit: quæ novi prædii Andalgalensis proventu illac multiplicanda sperabat. Prædii solum eo consilio suppeditaverat D. Ludovicus Diaz Hispanus, Petri Joannis Andreu, & Lullium opera fœcundandum. Immodicis novarum Reductionum sumptibus, ingratissimisque barbarorum alliciendis atque cicurandis impar donum, sed utilissimum æque ac pium.

Cum anno 1750. Felix del Bono, & Romanus Arto Mataguajos curarent in loco, quem Rosarium appellant, eo venit Nikiates, nobilis Tobarum dynasta, de sua gente contrahenda, & constituenda fide solicitus. Hominis authoritas conversionis multorum, ejusque indoles conversionis suæ spem fecerat. Sed quod obierit infidelis, causa fuerit Sacerdotis morituro casu adstantis imprudentia. Hic animam agentem interrogat, num velit esse Christianus? Illo negante Sacerdos ait: *Abi ergo ad inferos*, & doco cessit. Qui Nikiatem probe noverat, spem affirmat melioris exitus, si diversa institueretur ratio. *Estote prudentes sicut serpentes* Sacerdotibus inclamat Sacerdos Summus. Et qua ratione serpens ad perdendam Evam usus est, ad animarum salutem uti præstat.

Circum Ledesmam arcem Xuxui distantem bini solis itinere, Tobæ aliquot coacti erant: optabatque Tineus Prætor ut curam susciperent Jesuitæ. Hiscere tamen non audebat, ratus Missionarios primos luituros sanguine primatum: eratque acerbum, quod parum firmæ futurorum spei viam sterneret id calamitatis. P. Franciscus Lardin, cui Prætor id significaverat, professus est omnia posthabituros Socios provinciæ tranquillitati, & conceptæ fidem promovendi spei. Sub Tinei successore D. Joanne Francisco Pestaña & Chumacero ad Tobas eos missi sunt Socii, ibi excolendos ubi erant, propter Ledesmam, donec anno 1757. novem passuum millia recessernnt in locum æque distantem a Flumine Nigro. Mollis est montes altissimos interjacens sed procul disjunctos, ut longe lateque spatietur soli & cœli facies. Amœnissima, uber, & læta, quam totam facile irrigare possis: in qua & silva est lignosa, esculentisque radicibus atque fructibus sponte abundans. 1757.

In prima sede arx erat, qua continerentur Tobæ; sed erat vicinitas perennis quercularum fons. Eos passim de factis, quæ jure an injuria imputabantur, Hispanis sepurgare oportebat. Illinc recedere cupiebant illi, atque Missionarius cui facultas deerat. Cum arcem aliquando destitutam præsidio notassent Tobæ per diem; sub noctem ut ad caulam redeuntibus præsidiariis ajebant: En quam sincere, quam procul dolo res habeat. Si vestram arcem vel occupare, vel incendere subiisset animum, quis prohiberet? Sed querelis vacabat nulla dies. Missionarium sine quo migrare nolebant, ut inde faceret secum, urgebant barbari. Cumque habitationis defectum excusaret, clam abeunt aliqui, & casam extruunt, exiguam quidem & rudem, qua tamen splendidiorem nunquam ædificassent.

Tandem copia fit emigrandi. A S. Ignatio nomen habuit principio constans biscentum capitibus sub *Curacais* seu dynastis Marini & Tesodi, qui singulos fabricarunt seorsim vicos, area media ad sacram ædem relicta. Curatores habuit plures, nullum diutius Romano Arto. E collegio Saltensi missus primum

ad

Digitized by Google

ad Mataguajos, ea mentis alacritate provinciam ſuſcepit, quam facit obedienti nota Dei voluntas, de cætero nulla propenſione delatus. Nocte diem ſextam Octobris ſecuta 1756., qua Socius Ugalde ſagittis confoſſus & combuſtus, ipſe binis ſagittis utrique lateri infixis ſauciatus eſt. Ex eo in novum ardorem exceſſit erga immaniſſimos, & ingratiſſimos amor: quali ſcilicet opus erat ad convivendum diu Tobis, ad tolerandum tædium, & labórem ſpinas irrigandi, ad conciliandum eorum animos & amorem, ad coercendos, dum aliquid pro ingenio patraverant, aut moliebantur.

Circum Ledeſmam conſidentibus munuſcula tribuebantur principio, cicurandis & mitigandis animis opportuna. Dum id moris obtinuit, naturam Tobæ mutare viſi ſunt, dociles, obſequentes, laborioſi; areſcente largitionum vena, ad artes & ingenium regreſſi. Mutationem fuiſſe illam dexteræ Excelſi, multi tunc quidem judicarunt; nec eo deſiit eſſe, quod Tobæ inſtituto curſu ſuperſederint. Nihilominus cadente anno 1761., cum incolarum numerus anni dies jam æquaret, duo & quadraginta adulti baptizati erant, pueri centum & ſexaginta tres, præter quinquaginta ſeptem infantes ſeptemque adultos in vitæ diſcrimine ex aqua regeneratos. Ex his converſionem referam unam vel alteram.

Tobarum, qui Chaqui meditullium colunt vel pervagantur, pars quædam parebat Ovagaiquî dynaſtæ, viribus & imperio ut in ea gente præcellenti, tali apud ſuos, qualis apud Hiſpanos Prætor eſt, ajebat Saltenſis quidam, quem ille captivum tenuit. Anno 1759. Tucumani e S. Michaele uxorem Ovagaiquî, tres filias & filium bello ceperant; quos redimendi deſiderio, aut Dei vocatione, dynaſta eodem anno ad Reductionem venit. Ab Ignatianis acceptus eſt ſub umbella e ſtruthio cameli pennis conſecta. Pro feſtis & ludis compotandi certamina decreta de more ſunt, nullo non hoſpitis gratia ad numerum inebriato, hoc hydrómeli, illo ſiliquaria. Et quia ſolus venerat ſine imbelli familiæ turba, quod adventus deambulatorii ſignum eſt, adducendam pollicetur ſi ſecuritas fiat; Hiſpanos ſe veritum eſſe. Data fide, Indorumque comitatu, retulit luna tertia quatuor & quadraginta capita.

Saltam Prætoris ſedem ab Arto deducitur, ad officia familiaria adjuncto per Tobas Reductionis Conrectore. Captos de ſuis recepit, ſecum civitate donandos in S. Ignatii. Mox natales repetit ſilvas proſelytorum ſupplementa reducturus. Sed cum Mataguaiis de via collatis manibus, pectore ſauciatus fuit. Saltam ſecundum a Miſſionario deductus, Socii coadjutoris curatione ſanatur. Æger lethali morbo decubuit Februario anni 1761. quo baptizatus in ſpem ſalutis vivere deſiit. Prohiberi tamen non potuit, quin a barbaris ritu ſuo parentaretur. Inhumando filius impoſuit pileum, & baculum quo vivens utebatur. Jejunavit cognatorum univerſitas: puellæ duodecim coma tonſæ ſunt, & luctus in compotatione finem habuit.

De converſionis alterius ſinceritate ex iis quæ præceſſerunt, & quæ ſecuta ſunt, merito dubitaveris. In mortis vitæque diſcrimen venit Illiri de Tobarum primoribus, & Regius Signifer in S. Ignatii. Accedit Miſſionarius, ac de converſione moriturum interpellat. Ad veſperum remittitur. Veſpere in poſterum protelatur. Deinde audit, matri conſilium diſplicere, nondum ætatem eſſe maturam. Supervenit anus mater, & contra ſuadentem vociferatur, latrat, obſtrepit, ut abeat in malam rem, ſuoſque baptizet. Acquievit tandem poſt id turbinis æger, & ex tempore diſpoſitus caput inclinat baptizanti. Quod reliquum vitæ fuit, de ſalute animæ, de æternitate parum angi viſus eſt. Bellatores Indos convocare jubet, quos hortatur, ut quem admodum valuerat ipſe, ipſi macti virtute valeant: ſic fore ut rebus omnibus abundent: mœſtum mori ſe, quod ſuarum ipſius virium ope relinqueret orbatos. Mox equum quo uti conſueverat adduci jubet, & extra mapale Indorum manibus elatus earum amplectitur illacrymatus, nec diu poſt apud ſe receptus obiit.

Ad aggrediendum hic audaciſſimus erat, ad ſcelus novo ſcelere diſſimulandum ſolers, Cataphractum ſe ſe ſtitit aliquando ante arcem Fluminis Nigri, Tobaſque conjurationis poſtulatos ut purgaret, præſidiarios omnes provocavit ad ſingulare certamen. Apud Ledeſmam ejus præſidii miles inventus eſt rure jugulatus. Creditur, id quod erat, interfectus a Tobis. Prætor delecturum ſeminatur omnes ad unum, niſi dedatur author. Illi vero Illirio duce, Tobas inſontes eſſe affirmarunt, Indum gente diverſum authorem eſſe. Cum Prætori nondum ſe probarent, addiderunt, authorem ſibi notum eſſe, cujus gentis, cujus regionis incola: ituros ſe, adducturos eum, ut innoxios eſſe conſtaret. Annuit Prætor, & aliquandiu digreſſi Indam alius gentis captivam decollant, caputque quod occiſoris eſſe mentiti ſunt, ad Prætorem deferunt: qua ratione in cauſa ceſſatum eſt.

Quanquam modicus eſt apud Tobas converſionum proventus, ſupervacanea non eſt miſſorum perſevetantia; habent enim qui errantes revocare nitatur, cujus dicto nonnunquam audientes ſunt. Eſt qui eorum machinationes ſubvertat, & auſus comprimat, quibus ea provincia ſuperioribus annis afflicta fuit. Senſim miteſcit ingenium ferox, & ſanguinolenta naturæ feritas. Cum Hiſpanos haberent hoſtes, puerulum trimum aut quadrimum captivum ſic torquere horori non fuit: Cultro inter mentum & guttur perfodiunt ad linguam, lorumque per vulnus immittunt, quod a lingua extans ad os trahunt. Eo miſerum ſuſpendunt ex equi collo: & inconditos ſe contorquentis pueri motus effuſe ridebant Tobæ. Murem ſi vivum capiant, ante-

quam

quam cædant, juvat eum membratim diſcerpere. Ac cum vacca ferociens cornu Tobam petiiſſet, per medios quæſitam lucos ad ſupplicium pertraxerunt. Eam toto corpore viventem & ſpirantem excarnificarunt, atque ex membris fruſtula minutatim reſecabant cultro, donec mugire ſimul & vivere ceſſavit.

Ne quidem ſibimetipſis parcunt. Pugnis ut plurimum ludunt: pugnos vero utroſque ſimul conjectant in adverſarii frontem & faciem, in ſupercilia maxime contortis compreſſiſque mediis digitorum articulis, punctim magis quam cæſim. Ludos rixæ vulneraque ſequuntur, & ex compotationibus immodicis plures interfecti caderent, niſi fœminæ arma, cum bacchus bullire cœpit, abſconderent, quod moris eſt. In medio ſæpe tumultu profuit curatoris adventus, ad moderandum, ſin minus ad prohibendum. Sæpe ad alicujus necem accinctos fuſte continuit. Cum ad digladiantes accederet aliquando, illorum duo genua flectunt ſupplices, ajuntque: Pater miſereat te noſtri: pauperculi ſumus. Qua confeſſione & habitu ſui potentibus inſueto palam fit, unde rixa dimanaſſet. Apponendum tamen lucro eſt, quod tunc ſaltem rationi cedant, cum mero mens titubat. Concurrentes inter ſe Marini & Teſodi factiones, cum jam hinc inde ſagittæ volarent, interpoſito curatore quieverunt. Rurſus arma cum moverent, ut turbulentam gentem peroſus, equum admovet ad abeundum parochus. Illi vero depoſitis armis accurrunt, atque rogant, ne ſe deſertos velit.

Curacaæ ſeu dynaſtæ duodennes filias *Dominas* appellare conſueverunt ſequente ritu. Jejunant illæ duos menſes, carnium videlicet abſtinentia. Interea pater montes adit ſtipatus, & mel colligit, ex quo hydrómeli cantharos complures parat. Bibendo, cantando, ſaltando concio tota pernoctat. Armati deinde primores puellam binis ordinibus mediam collocant, & ex iis duo lodice ex cannabi Indica haud multum noſtræ diſſimili involvunt, clamoribuſque inconditis & geſticulationibus deducunt ad cantharos, unde & ipſa bibit. *Dominam* proclamant, & ex eo titulum habet, cujus eſt honor obſequium præſtitum etiam a parente, cujus imperio immunis deinceps eſt. Clientelaris fidei documentum eſt Indi cæſaries, quem ſui primum occiderint. Hoc officium ut filiæ præſtaret Marinius dynaſta, contra Mataguajos movit, & tres occidit, quorum primi & cæſariem & caput ad filiam detulit. Increpuit Miſſionarius dynaſtem, quod filios educaret inſtar ſui ſanguinarios & barbaros; & quia Indi in Reductionem contracti catechumeni audiunt, & Chriſtianos ſe eſſe velle ut plurimum profitentur, etiam cum Baptiſmum aſpernantur moribus, templumque frequentant & Catechiſmum donorum cauſa; ab iis ceſſandum addidit Miſſionarius, ſatius eſſe verba Dei neſcire, quam intellecta contemnere. Pollicitus eſt dynaſta, nunquam in poſterum ſimilia commiſſurum. Quem cum Miſſionarius æquo animo comparatum eſſe crederet, Dei timorem, obſervantiam, & obſequium denuntiare pergit. Silentio tunc quidem receſſit barbarus; recaleſcens tamen potu poſtridie rediit clamores ingeminans: „Mentiris, mentiris. Deus non eſt, vel ſi eſt ubi eſt? Illum voca: huc veniat; ſe nobis conſpiciendum ſiſtat, & loquatur. "Parochus objectis vaporibus circunfuſus & attonitus, effert de caniſtro aliquot tabachi folia, ut ebrium avertat: quæ ille arripit, & abit, corrigendus alias.

Cum pueris majus eſt operæ pretium. Curatorem amant, & veluti parentem colunt, quem blandum ſemper & facilem, atque beneficum experiuntur. Culturæ patientes, aliquid legere, ſcribere, operari, ſacris miniſtrare docentur: quo & natorum ingenia miteſcunt, & genitorum conciliatur voluntas & amor. Fuit puer, quem pater oppidi pertæſus reducere ſecum voluit in ſilvas. Reſtitit ille quoad potuit; ſed vi tandem abſtractus eſt. At ubi a patre per noctem incurioſius obſervatur, in oppidum relabitur: tandiuque ſpeculatur adventum patris, quem ſui cauſa rediturum noverat, donec eo procul viſo abdidit ſe taurinam ſubter pellem; ratuſque filium non repertum aliorſum fugiſſe, ſolus pater in ſilvas abiit.

Natorum caritatem ſequitur ut plurimum parentum fiducia. Cum inter Ledeſmæ præſidiarios Indoſque ſuſpiciones invaleſcerent & querelæ, Tobis Miſſionarius perſuadere contendit, non eſſe quod timerent, niſi fidem violarent. Cui barbari ſubdiderunt: Credimus jam tibi: nondum Hiſpano. Ut Reductionem ab imminente malo ſervaret incolumem, Xuxuim cum Tobarum primoribus eundum fuit Arto. Flumen *a Pongo* tranſmittendum eſt ſemel, imo & ter, ſi præcipitia quædam vitare velis. Tunc maxime intumuerat ſalebroſum & rapidum; ſed cum neceſſitas urgeret, equo vadum experiri oportuit. Ubi major erat undarum impetus, abripitur equo, præcepſque ſurſum deorſum in certam mortem ferebatur. Impedes conjecti Tobæ accurrunt, nec ſine ſuo ipſorum periculo ſublevant fluctuantem, in ripam abducunt, & ſervant.

Non tamen ſemper hanc Indorum voluntatem Artus expertus eſt. Dum ad pacandam rixam accedit aliquando, ictu ad ſolum deturbatur. Nonnunquam vitæ diſcrimen ſubiit: quod licet principio ex vano creditum ipſe putaverit, deinde tamen id quod erat, innotuit. Ineunte videlicet Aprili anni 1759. rumor increbuit, tres Indorum in caput Patrum conjuraſſe. Captivus quidam nuntium uxori detulit. Hæc operarum magiſtro; ſunt enim ad rei familiaris curam conductæ quorundam operæ, dum barbari cicurantur. Operarum magiſter monuit Socium Arti Antonium Pariſium. Magiſter ſibi timens in monte pernoctabat. Pariſius literas dedit ad præfectos proximarum arcium, ut nempe ſuppetias mitterent. Quod cum Indos non latuiſſet, ſiniſtram de ſe opinio-

Digitized by Google

nionem inoleviſſe ſuſpicati ſunt. Succedunt milites e Ledeſma, Flumine Nigro, e munitiuncula S. Bernardi. Ab Arto quærunt Indi, quo tot milites irent? Reſpondit ille, quoniam tempus erat hebdomadæ ſanctioris, venturos forte ad confitenda peccata, vel ut ramos accipiant. Pariſius in Reductionem Bonævallis confugerat. Artus quod rumori abnegaverat fidem, ac ne diſſiparetur Reductio, perſeveravit.

Cum provinciæ Prætor, mileſque Saltenſis atque Xuxujenſis adventaret, hic Miſſionario labor & opus fuit ut Tobas tranquillaret, nam ſoliciti rogabant, num etiam Prætor ad capiendos ramos, ad confitenda peccata veniret tam procul? Rem totam aperire oportuit, vulgatumque rumorem; ſi tamen quieſcerent, ſecuros jubet eſſe. *Ut* ſimultates cum milite præveniret, Indorum alios ad proximam ſilvam miſit, alios ad incile, unde fluminis aqua derivatur ad Reductionis uſus. Sed Indi arma nuſquam deponere. Exploratores mittunt ad arces, & qui de Prætoris adventu, de viribus, ex viſu certiora referant: quid fieri oporteat inter ſe conſultant. Alii oprimendum militem, priuſquam reliqui pervenirent; alii ceſſandum, dum perſeveret Pater; ſi ſolum mutet, impetum facturos ad internecionem obfirmant.

Cum militis præſentia ſolicitos haberet Indorum animos, Ledeſmæ præfectum orat per literas Artus, ut illum revocet. Reſpondit verbo, reſpondere ſe non poſſe valetudine affectum. Rogat ejus locum tenentem, qui facto negat quod conceſſerat verbo. Die Veneris ſancto ad S. Ignatii venit D. Michael Pacheco Xuxujenſium Militum Magiſter cum Prætoris mandato, ut qui venerant Ledeſma, loco cederent. Diſcedentes ut viderunt Indi, ſponte ſe in oppidum recipiunt, a Pacheco nihil veriti, quem amant veluti patrem, & patrem vulgo appellant Tobæ, *Tata Pacheco*. Veluti filios ipſe pacavit, & diſpoſuit, ut Prætorem veſpere ejuſdem diei acciperent. Digreſſus Prætor Pachecum aliquandiu cum paucis reliquit in Reductione, qui Tobarum tranquillitatem confirmaret.

In pace Tobarum mores æque perditi; atque in bello ſunt. Parent illi quidem ad tempus libenter, videnturque exuiſſe ferociam. Sed mox fræna mordent, & recalcitrant. Nunc agunt iidem quieti in oppido, & paulo poſt nulla cauſa deficiunt ad ſilvas. Repente ubi jam belli oblitos putes, arma contra Mataguajos movent. Hiſpanos oderunt, eoſdemque officio ſponte proſequuntur. Saltam uſque. Momento laborant, menſem otiantur. Nunc preces catechumenorum balbucinantur: nunc catecheſim horrent. Centies in die ſaltant, rixantur, & in amicitiam redeunt.

Inconſtantiæ præter volubile ingenium tres ſunt cauſæ. Prima cibi penuria. Etſi enim e publico demenſum datur, cum vorent uno die quod in quinos reſervandum erat, illos hac illac dilabi oportet, ne quatriduo jejunent. Secunda, frequens in urbibus & caſtris conſuetudo; unde redeunt turbulenti & triſtes ingeſtis opinionibus, quaſi ſervitus quædam ſit vita civilis ſub parocho. Tertia e regione eſt, cum ethnicis commercium. Cum audiunt enim a gentilibus ſuis, & ſæpe audiunt, Hiſpanos Sanctafideenſes aut Jacobæos in Chacum penetraſſe, & ex Tobarum gente captos abduxiſſe, vel occidiſſe, idemque ſibi timendum in oppido, ſtridentes & rabiunt. Ad hæc, cum furtivis equis furtivos ethnici commutatum veniunt, ut procul diſtracti nullibi ex inuſta nota dignoſcantur; ſimul etiam reportant quidquid cultrorum, ferramentorum, rerumque utilium a curatore diſtributum erat proſelytis. Atque hæc quidem incommoda impediri ſaltem ex parte poſſent, ſi caſtellani qui in confinio ſunt, ethnicos prohiberent acceſſu, præter eos qui cum familia veniunt permanſuri; atque proſelytos prohiberent exceſſu, præter parochi ſcripto munitos. Sed præſidiarios, pauci cum ſint aut imbelles, Indi contemnunt, & quo libet penetrant ultro citroque.

Quo plura patiuntur curatores in hoc Reductionum genere, eo minus eſt, quod miniſteriis agunt. Quod ſi duo ſint Socii, eorum alter plurimum vacat, ad excurſiones & ſcrutandos infidelium receſſus, ut fert occaſio nata. Vigeſima ſeptima Julii 1762. P. Joſephus Jolis cum aliquot Tobarum, in quibus Marinius erat dynaſta, comitatu ex S. Ignatii profectus eſt, ut oram Fluminis Grandis, quod & Rubicundum vocatur, Chacum interſecantis luſtraret; ſimulque infideles obvios vel ad conditas jam ſedes alliceret; vel ad denuo condendas. Trium ſarcinarum commeatus erat, quarum altera munuſcula ferebantur ad conciliandos infideles, reliquis comitatus cibaria.

Nova Tobarum Reductio ſimul condita atque exciſa.

Auguſti ſeptima ad arcem *de los Pitos* ſecundum Flumen Salſum ventum eſt, unde propius diſtat Flumen Grande. Sexaginta fere leucarum ſpatium eſt brevi trajiciendum, ſi via ſtrata foret, quam per dumeta ſæpe aperire oportet. Et quæ ſternitur hoc anno, proximo eſt inutilis, tum quia denuo obſtruitur viatorum infrequentia, tum aquæ penuria, quæ cum pluvialis tantum ſit, ſemitas propter paludes variare cogit, ubi citius ſerius areſcit pro tempore. Iter etiam morantur equi ſubſidiarii, qui facile deviant in nemoroſo trajectu. Meditullium inhabitabile ſit aquæ perennis inopia, quanquam ſi ad extrahendam e terræ viſceribus facultas vel induſtria ſufficeret, loci ſunt ad ponendam ſedem accommodati, & abunde ad ædificia uſuſque reliquos materiati.

Itineribus duodecim a Salſo ad Rubicundum venit Jolis. Et quanquam per citeriorem ripam deſcendere conſtituerat, Rochi Goroſtizæ gratia qui occurrerat, ad ulteriorem tranſiit, ut mox narrabo, citra rediturus haud ita poſt. Quinque dierum iter cis fecerat ſecundo flumine, cum tres Tobarum tur-

Digitized by Google

turmas offendit contra Paſaines & Vilelas ducentes aciem. Trecenti fere erant Tobæ, ducibus Telegoti, Aglaiquî, & Noigomiquî: qui ſuperioribus annis Alaiquinum ceciderant Abiponum ducem. Eodem convenit biduo poſt Pahaiquin, cujus ſupra memini, cum aliquot Mocobiis, Tobis, & Malvalais, quos licet gente diverſos, Tobarum nomine voco, quippe Tobis confœderatos.

De reductione cuncti interpellanti Jolis annuerunt, bina tamen lege, ut ſedes ibi ſtatueretur, ubi tunc erant, vaccæque ſufficerentur e Conceptione oppido, quod illi ſeptem dierum itinere diſtare affirmabant. Quodſi ſedes ibi collocari non poſſet, ad Auratum flumen conceſſuros. Id poſtremum maluerunt tandem; aberat enim locus hic propius ab Ignatianis, quibuſcum, ut gentis ejuſdem, melius Tobis conveniret quam cum Abiponibus.

Monitus Jolis, paganos alios tribus inde leucis conſediſſe, eos adit, invitatique ſuas illico reculas convaſant, & redeuntem ſequuntur. In loco ubi convenerant, crux erigitur, quam barbari ſuis coloribus exornarunt. Frequentiſſimi ſunt per ea loca poſtes ita variegati, arrecti alii, alii vetuſtate dejecti, ex more videlicet Indorum, qui undecunque moverint caſtra, pigmentatos relinquunt palos. Monumenta ſuperſtitionis eſſe arbitrantur aliqui; ſed alii putant, commorationis ibi aliquando factæ mera eſſe indicia. Quodſi ſuperſtitioſum aliquid admiſceatur, utique oportuit cavere, ne ſancta crux inficeretur. Paſaines & Jacoonitæ palos hoſce appellant *Goſquira*.

Sexta Septembris reditum parat Jolis ad Xuxui fines unde profectus erat: eoque ventum eſt tandem cum biſcentum proſelytorum ſupplemento, quos reliqui ſecuturi erant. Aquationis cauſa per oram Rubicundi redeundum fuit, penetrandumque per medios Mataguajos Tobarum hoſtes. Hos in aditu primo vitari oportuit, cum comitatus Miſſionarii tredecim omnino conſtaret Tobis. Cum plures jam eſſent in reditu, nihil erat timendum, dum caute incederetur. Unius menſis & dierum aliquot fuit reditus, in quo barbari æqui animi præbuerunt documenta, poſtquam diffidentiæ, ſuſpicionumque nonnihil extenuatum eſt. Nocte quadam, nemine audire rati, id ſermonis inter ſe communicabant: Quorſum hæc Patris largitio & dona? Næ is explorator eſt. Nos Hiſpani ea ratione habebunt, qua Malvalaäs. Dum tempus favet, repedare præſtat. Ad hos prima luce accedit Jolis, atque: Chriſtianos vos fieri volo, utque veſtes & eſcas habeatis. Patres proditores non ſunt. Malvalaärum calamitas contigit, ubi Patres aberant, illorumque merito, qui contra Hiſpanos conjuraverat. Quibus dictis acquieverunt Tobæ.

Melle ſilveſtri, palmarum medulla, una vel altera capivára, quod animal amphibium eſt ſimile porco albicanti, victum ſibi atque Miſſionario compararunt: cui ſarcinarum commeatus vix ad medium iter ſuffecerat. Largitatem ille remuneratus eſt, viam ſalutis cæcis pedetentim oſtendens, atque complanans.

Septembris vigeſima de Mataguajûm vicinitate prima apparuerunt indicia. Per noctem monuit equorum paſtor, ſibilos eſſe auditos intra nemus. Sclopo bombus ad terrorem fit: primaque luce hoſtium veſtigia conſpecta ſunt, qui audito fugerant. Non dedecet apoſtolicum Miſſionarium armorum uſus, ad vitandas ut in præſentia cædes inſontium, ad arcendos graſſatorum incurſus, ad ſervandum gregem incolumem nullius damno. Sat aliquando fuit ad abſterrendos latrones barbaros obtecta collineare canna; verum hæc eſt inutilis de nocte. Nec damnandi apoſtolici Capuccini, qui in Africæ excurſionibus, Æthiopum licet auxilio fulti, ſæpe ſclopos deſiderarunt auxilii loco (*a*).

Poſt tres dies obviam ad bina paſſuum millia conſpecti ſunt Mataguaii, qui viſis advenis, ut ſuorum alios vocaturi, citato gradu retrocedunt. Tunc Tobæ de prælio certi arcus tendere, ſagittas acuere. Imbellem turbam cum aliquot armatorum cuſtodia ſeorſim collocat Miſſionarius. Et ipſe reliquos, ne perirent, Deo commendabat, ſimul tamen atque ſtragulum colligebat, aptabatque ſclopum, quidquid immineret. Caute progreſſis in conſpectum veniunt hoſtium mapalia, unde in proximam ſilvam fugiebant pueri & fœminæ. Haud procul in editiore loco bellatores conſiſtunt contra Tobas, quos etiam Miſſionarius conſiſtere jubet, hoſtiumque motus obſervare. Sic frontibus adverſis utrique aliquandiu ſteterunt. Quia vero Mataguaii ſolitis ante pugnam velitationibus abſtinebant, audaciores quidam de Tobis ad teli jactum accedere juſſi ſunt. Hoſtibus tunc etiam immotis, propius accedunt ad alloquium, & ex inſenſiſſimis repente amici, plurimam ſalutem dant & accipiunt.

Confeſtim apparuit imbellis noſtrorum turba; Mataguaja vero vel longius fugerat, vel nondum ſe credere induxit animum. Victum ingreſſi ſunt Tobæ, commutatiſque, cultris & *huallcas* ſeu vitreis lapillis a Miſſionario donatis, Mataguaiis valedicunt. Horum alii poſtridie viſi procul diſparent, mox aucti numero redituri cum quodam Bernardo nomine, qui Miſſionario ſalutem dicit, offertque dono ovorum ſtruthionis par. Tobarum de Mataguaiis ſuſpicio invaluit redeunte Bernardo cum pluribus armatis, pigmentatiſque nigro ac rubro, dum pleriſque venatum dilapſis pauci bellatores circum Miſſionarium aderant. Hos monuit, ut arma pararent, ſic tamen ut celarent diffidentiam: idque ad continen-

(*a*) Hiſtoire des Voïag. tom. IV. lib. 12. cap. 1. §. 1.

Digitized by Google

tinendos barbaros valuit, ſiquid erant machinati. Quia vero in primo acceſſu amicos ſe dixerant, vultu ad ſeveritatem compoſito ait Jolis: Quid belli & armorum apparatus ad amicos? Reſpondit Bernardus, animi cauſa venire, amicoſque ſalutatum. Omnia pacate tranſacta ſunt, Mataguaiis Tobas invitantibus, ut ad mapalia ſua diverterent poſita ultra foſſam qua fluminis Aurati continetur alveus. Ibi apponunt eſcas, piſces, ſtruthionis ova, vulpinas carnes, ſiliquas: quorum partem Miſſionarius ſortitur, haud minus indigens. Cunctorum deinde remuneratur hoſpitium reſiduis acubus.

Nocte proxima ad Tobarum ſtativa conveniunt officioſe viginti Mataguaii, eo numero non ſuſpecti, poſtquam redierant venatores. Excubiæ nihilominus agebantur adverſus infidæ gentis molimina. Septem de viginti ſaltando, atque liſtris & buccino ex cervina ungula facto canendo pernoctarunt. Poſtridie mane pro officio Tobæ gratiam habent, oblatis pro cujuſque facultate donis, equo, vel ſtragulo, ſuſceptiſque invicem a parentibus alterius utrius filiis pax confirmatur.

Ad præfectum Miſſionum de Tobarum adventu refert Jolis, & ille ad Tucumaniæ Prætorem, cujus ditioni adjacet regio, ut locum ſedi conſtituendæ determinet. Fluminis nomine *Sicci* ad radices montis *a Sancta Barbara* hinc Ledeſmæ valli, illinc toti Chaco imminentis litus poſtulatum eſt, amœnum, fertile, lignoſum, aquis uber: quo negato conditus Reductio ſecus flumen Auratum, quod e monte *ab Alumine* ortum in palmeto a Rubicundo amne iter diei diſtante terram ſubit. Ibi Jolis paleatum ſibi conficit tugurium, terramque ſuis manibus exercere cœpit, ut eſcas ſibi ſuoque gregi pararet, cibatus interea radicibus, palmarum medulla, & interdum vulpina carne, qua veſci Tobarum exemplo didicerat. Novæ Reductionis pueri aliqui Mirafloream muſicam diſcendi gratia, & aliqui Lules ad novam Reductionem ut agros colere, & officia reliqua docerent, tranſlati ſunt. Sed cum maxime rem publicam & religionem in nova ſede promovendi ſpes floreret, funditus illa periit.

Iſiſtinis haud ita pridem ad Vallembonam reductis antiqua fuerunt odia cum Tobis: quæ aqua luſtralis in baptiſmo non penitus extinxit. Neque Tobæ in Reductione poſiti, quominus incendio fomitem præberent, ſibi temperarunt. Triginta leucarum ſpatio diſtabat Vallisbona: quod equo utentibus Tobis, nec ullibi conſidere aſſuetis, atque juxta tigridum vivaria facile pernoctantibus, minimum eſt. Cum Iſiſtini panico ſuo metendo, in agro qui a *Caſtellanos* nomen eſt, darent operam, eo Tobarum aliqui fures ingrediuntur. Mirum quod non illico manus poſthabito jure contulerint. Quid quærant percontantibus, reſpondent, ſtruthiones venari. Rurſus Tobæ Iſiſtinum puerum, qui Vallisbonæ prædium curabat, adorti ſunt. Expoſtulantibus ajebat Curio, jam Tobas in Reductionem coactos ſub Patre, non hoſtium, ſed fratrum loco habendos: maxime quando apud Auratum erant propinqui Lules Tobarumque filii apud Miraſloream.

Sed cum ea ratio parum Iſiſtinos moveret, dum odiorum cauſa perennabat, monitus eſt Miſſionum earum præfectus, ut Prætorem ejuſque locum in arce S. Ferdinandi ſententem urgeret ad continendos Tobas. Id prætermiſſum eſt, vel quia non petitum, vel quia non impetratum, vel quia facultas & copia deſuit. Lis itaque barbarorum arbitrio dirimendo relinquitur.

Franciſcus Toas agrorum Vallisbonæ cuſtos illac errantem Tobam occidit. Alium equo furtivo ferentem a tergo fœminam occiderunt Iſiſtini, Fœminam fuſtigatam abire primo permiſerant. Sed ne factum apud Auratum vulgaret, nuntioque malum Lulibus Piſtribuſque pararetur, in ſe reverſi eam quoque occiderunt. Ut hæc novit Vallisbonæ cunio, Superiorem admonet, qui agentes apud Auratum Socios protinus cum Chriſtianis Lulibus in proximam S. Ferdinandi arcem ſe recipere jubet. Apud Auratum cum Jolis, erat Aloyſius Olcina, qui de ratione Tobas continendi conſulturum eo venerat haud ita pridem.

Accepto nuntio ſub noctem in angustias nedacti ſunt. Diſcedendum erat ſine mora: ſi enim patratæ cædes in Reductione vulgarentur ante diſceſſum, ab dubio & ipſi Lules conciduntur. Abitionem vero improviſam Tobis ſuſpectam oportebat eſſe. Utcunque tamen res haberet, actum erat de Reductione. Sacramento confeſſionis invicem expiati, quod reliquum erat noctis, ſacræ ſuppellectili convaſandæ operam dant Socii. Mane Jolis ad primores ait, ad arcem ſe vocari, vereri nequid eſſet a Mataguaiis turbarum: quo expedito reditum pollicetur. Profecturos circundant omnis ætatis & ſexus proſelyti, rogantque lacrymis & clamoribus ne ſuos deſerant, ne abeant non rediturі, ſe conſtantes expertum redirent. Pauca præ dolore reſponderunt Socii & abeunt.

Ad Sancti Ferdinandi prævenerat Superior *del Bono*, & Præfectus arcis habita conſultatione decrevit, ab Iſiſtinis tradendos ibi commiſſorum reos: quo & Tobis ſatisfieret, & reliquorum conſtaret immunitas. Vallisbonæ curatori ſententia denuntiatur, qui difficultatibus ſuperatis perſuaſit Indis, ut acquieſcerent. Sed jam jam profecturis innotuit, eodem die Franciſcum Toam primæ necis authorem a Tobis interfectum eſſe: quo nuntio & iter ſuſpenſum eſt, & odium recruduit.

Armentum rure cogebant Iſiſtinorum aliqui, in quibus & Toas, cum ſex Tobæ, undecimque pueri & fœminæ ejuſdem gentis Miraflorea Auratum tranſeuntes conſpecti ſunt. Paſtorum quidam deviarunt, poſtquam iter una confecerant, amicabile immo & Tobarum

cuidam indigenti commodaverant equum. Cum Tobis ire pergunt reliqui, Tobas etiam, quem fortuito adorti hasta confodiunt. Reliquos appetunt, qui valide repugnant, & invicem tres Tobarum occidunt, tribus aliis fuga majoribus fuga dilapsis. Contra imbellem deinde turbam furunt Isistini; & ne equis quidem pepercerunt. Tunc memores antiquorum suorum interfectos decalvant, & capillamenta in Reductionem Vallisbonæ triumpho ducunt, ubi saltationibus & cantu victoriam celebrarunt. Capillamenta tollere & comburere ægre potuit curio, ne trophæo facti memoria perennaret. Id tamen agent Tobæ, quod ad memoriam pro trophæo sit.

Haud minus turbarum est Miraflores, Lules Isistinum socii Felicem *del Toro* curatorem, simulque Præfectum earum Missionum, Tobas contra Toam instigasse, & Vallisbonæ reos Tobis tradere voluisse, temere rati sunt. Quæ opinio in eas erupit voces, ut Felix metu perculsus, ac ne præsens animos acerbaret, ad S. Michaelis urbem fugerit clam. Sensim intepuit Latium ardor. Corrector probatæ fidei neophytus Vallembonam profectus, Josephum Ferragut curatorem rogat, quid agere oporteat. Cum P. Præfecto respondit ille, rem esse confectam, dum malefacti pœniteat. Rediret Mirafloream, darentque operam, ut quiescerent motus. Interea venturum illum in Vallembonam, inde cum honore reducendum. Quoad Prætorem, scituram eum quid sibi esset agendum. Ad S. Ferdinandi Prætor profectus reductionum primores convocavit, in pacem & ordinem restituendos.

Jotis vero militum præsidio munitus Auratum petit, ut quæ in Reductione erant reliqua transveheret, nihil inventum ire ratus, nam etsi omnia ut potuit convasaverat, Tobarum furori nihilominus, jam suorum cæde, ut pronum erat, acerbato fuerant exposita. Sedem reperit plane desertam, intactam de cætero, quamvis essent plura ad movendam Indorum salivam nata. Quare judicatum est, non prorsus desperatum esse malum. Centum & sex Tobæ Auratenses ad Sancti Ignatii in Ledesmæ valle receperunt se, dixerunteque Arto Curioni, infra tres lunas venturum contra Vallembonam Pahaiquinum; nihil tamen esse, quod Hispani, vel Patres sibi ab eo timerent. Iram vero Pahaiquini mitigatam esse, satis constat ex iis quæ de hoc Mocobiorum dynasta tetigimus.

Chunupiorum reductio.

Gens alia natura mitior quam Tobæ Paraguariæ Missionariis eodem tempore negotium facessivit. Hispanis e Tucumania Chacum aggredientibus anno 1759. in cohorte Saltensi sacrorum ministram egit Josephus Ficher Jesuita, ut simul earum Reductionum neophytos Hispanorum socios curaret. Rubicundi oram radentibus obviam venit Chunupiorum tribus, quos Ficher hortatus est, ut proximis Lulium, Isistinorumve sedibus aggregarent se, ubi civilis & Christiana vitæ commoda sperare possent. Gens est studiosa pacis, quam adversum Hispanos, siquidem nisi lacessita arma movisse nequam memoria est. Dum vero lacessita se tuetur, vires addit unio numero potior. Spes non erat, in Reductionem alliciendos per armorum strepitum; sed agendum belli tempore paratum, fructum deinceps reddere posse.

Ab anno 1710. Urizar Tucumaniæ Prætor in utramque Rubicundi amnis oram militum miserat manus, qui Chunupios consilio ad provinciæ fines attraherent, statuendæ sedis gratia. Occidentales accolæ amicos Hispanorum esse velle respondere; de statuenda in finibus sede, cum se tepidos exhibuissent, cessatum est. Orientales datam finibus appropinquandi fidem non liberarunt; Indis quippe vicinitas Hispanorum nunquam non suspecta fuit. Ea propter sine armorum strepitu Chunupiorum susceptus fuit conversus, consiliumque ponendi apud eos sedem, si emigrationi repugnarent.

Cum Socios in Paraguaria regeret P. Petrus Joannes Andren, Missiones Cacoënses, quibus antea præfuerat promovendi cupidus, ad Chunupios misit P. Rochum de Gorostiza. Mense Majo 1762. Miraflores profectus cum aliquot Latium comitatu, ad Vallembonam accepit commeatum, vaccas quatuor, centumque farinæ summam. Vaccarum altera in cibum distributa, tres reliquæ in silvam elapsæ disparuerunt. Farina Chunupiis reservata, nemorum Salsum inter & Rubrum jacentium radicibus, fructibus, & indigena melle vescendum comitatui fuit. Ad Rubicundi oram posita statione, qui Chunupios certa sede carentes investigent, mittuntur; eodem redituri ad conductum diem, uteunque res haberet. Cum dies constituta præteriisset, nec Chunupii adorant, nec exploratores. Nequid iis contigisset adversum timor erat, cum nona Junii pridie festum Corporis Christi bini præcedunt nuntii reliquorum adventus. Mox succedunt armati viginti quinque, alacres & fidentes. Postridie perventurum vulgus ajunt, missurosque se qui quos Ficher invitaverat, convocent; quanquam ex iis, addunt, rari ortæ pestilentiæ supersunt.

Dum hoc iter decretum fuit, aere, vel charta computata fuisse videtur locorum distantia; difficultatum quæ de terra nascuntur posthabita ratione. Cum Gorostiza moram traheret opinione magis diuturnam, nec quod devenisset resciretur, interfectum a barbaris fama vulgavit; hicque de tarditate rumor tardiorem fecit reditum. Diffamatum simul est, suis ad infideles Missionibus Patres provinciam turbare, Indos quiescere, Hispanos sub ficu quenque sua pacem suaviari; jam convolandum ad arma, domos, prædia, familias negligendas, vagandumque peregre per media discrimina, ad castigandam Indorum pœna conversoris imprudentiam. Hunc vitio tributum est, quod Paraguajenses Socii infide-

Digitized by Google

delium Miſſionēs agitent; alibi, quod olim partis contenti, Miſſiones ad infideles aſpernentur.

Arcis S. Ferdinandi *a Valle* præfectus equitum par miſit, qui de Goroſtizæ fato certiora quærerent. Illum hi cum Chunupiis, qui recens advenerant, tranquille colloquentem reperiunt. Salutem Patri dicunt, & redditam accipiunt lingua barbaris præſentibus ignota. Cum vero vident, curſu citato qua venerant regreſſos equites, ſermonem fuiſſe judicarunt barbari de ſe in ſervitutem redigendis: equiteſque authore Miſſionario ad exquirendum majus militum auxilium currere. Diu connitendum fuit ut eximeretur error: quare reditus tardior evenit.

Dum de ponenda ſede quæſtio fit, experiri velle ſe reſponderunt, qua ratione Lules & Iſiſtini haberentur: & quo loco ſedes ponenda. Quare miſſus adoleſcentes quatuor de primoribus ſecum reducere conſtituit, ut gentis univerſæ legatos & ſpeculatores. Ventum eſt ad Vallembonam, cum populare feſtum agebatur S. Joannis Baptiſtæ: omniaque geniali murmure conſtrepebant. Hoſpites menſæ aſſederunt primæ: ac dum poſt commune prandium miniſtros aſſidere vident ſecundæ, ipſi etiam hoſpites iterato diſcubant, & ſecundum prandent. Ad ſuos regreſſi dicere nequeunt, Cæci vident, ſurdi audiunt, claudi ambulant. Vere tamen dixerint, Famelici ſaturantur. Quo potius fortaſſe moveas hoc bipedum genus. Id nihilominus ſatis intellexiſſe viſi ſunt, non omnes dies in Reductione fore feſtos; nam Goroſtizam eos rurſus convenientem; quod modo referam, non plures triginta ſecuti ſunt, qui omnes fere deinde defecerunt.

Nona Auguſti 1762. ſibi invicem obviam in media ſilva facti ſunt P. Jolis adiens, & Goroſtiza rediens: ille de Tobis ſolicitus, hic mœſtus quod Chunupios conciliatos anus inſtigatrix in defectionem compulerat, præter duos, quos defecturos proxime verebatur. Locus erat, cui nomen Puteus *de Ajelen*, ubi forte inventa eſt aqua. Ibi moram fecit Jolis, ut qua ſiti plures perierant equi, laborantem reliquam turmam repararet. Moratur & Goroſtiza ad deliberandum utrum eos qui fugerant retro inveſtigare, an deſerere oporteret. Poſt biduum retroceſſit, cum ut Tobis aquaria, quæ recens invenerat monſtraret, tum ut transfugarum diſquireret veſtigia. Ex *Ajelen* remiſſus fuit ad confinia miles, auxilio datus Miſſionario, qui metu infidelium paſſim vacillabat.

Ad celebrandum B. Mariæ feſtum Auguſti decima quinta iter ſiſtitur: & quia defuit altaris copia, tota celebritas reciproca Sociorum confeſſione, & ex palo-ſancto, quo nemus abundat, erecta cruce circunſcripta fuit. Ad quærendum ſecandumque rei accommodatum lignum, in ſilvam qua denſiſſima eſt penetravit Goroſtiza, ut poſtquam arborem elegerat, ceciderat, & humero impoſuerat, mente defixus, ut pie a ſocio creditum eſt, in crucis myſterio; aberraverit a via: longiuſque per implexos errores a ſtativis circumagebatur, donec Jolis tarditatem veritus, Indos mittit devianti inquiſitores, redituro duces, crucifero Cireneos.

Ad Flumen Grande ventum eſt, quod ibi jam ex confluvio Tarixæ & Xuxui rivorum, profundam & latam trahit aquarum molem. Utrinque accolunt Chunupii; ſed flumen trajiciendum fuit, quia pronum erat, fugitivos ad remotiora loca, & acceſſu difficiliora contendiſſe. Goroſtiza arreptis natantis equi jubis tranſire poſſe credidit; ſed ubi major erat impetus aquarum equo excuſſus in extremum periculum, certamque mortem venerat, niſi Marinius Tobarum dynaſta, celeri natatu opem tuliſſet. Cautior Jolis ex bubulo corio ratem fecit, uſu facile parabilem, qua tracta per nandi peritos, ſiccus in adverſam ripam evaſit. Id etiam aqua decurrente periculoſum eſt, cum ratis gubernator eſt unus, ut enim ratem trahat funè vel loro dentibus compreſſo, diſtans prænatat, nec poteſt æquilibrium, quo ſalus ſtat, ſervare. Si vero quatuor ut minimum ſint, qui ſinguli ſingulos ratis angulos curent, ſummates etiam viri tuto ſe imbecillæ machinæ crediderint.

Trans flumen per æſtuaria & paludoſam oram ſubeundum longe fuit, quod ſuperior alvei crepido denſiſſima ſilva obſtrueretur. Poſt leucas quinque vel ſex conſpectus eſt equus, & præmiſſus ad explorandum Tobarum alter retulit, Indos adeſſe. Accedentibus Miſſionariis ſe ſiſtunt Jacomitæ quidam cum paucis Chunupiorum. Horum unus ſe dat viæ ducem ad locum ſua gente magis frequentatum. Rati, ad amnis trajectum, ubi commeatum reliquerant, eodem die redituros eſſe, nec tentorium portarunt Socii, nec cibaria præter panis nautici & caſei modicum, quo prandium nocte conſtitit indiviſum a cœna. Poſtridie ventum eſt ad Chunupiorum fere bis centum ſedem, qui de reductione interpellati, conceſſuros ajunt ſe, cum P. Goroſtiza, qui præſens aderat, ſui gratia regrederetur. Hæc omnium dicis cauſa ſententia fuit: ſed triginta redeuntem illico ſequuntur. Eo loco tam procul a Chriſtianorum cultu inventa eſt crux rudi quidem opera per ethnicum facta, quem Jolis aliud non habens novacula remuneravit.

Cis amnem dies aliquot una profecti ſunt Socii, donec luſtratis conſuetis Chunupiorum ſedibus, cum iis qui ſe dediderant, revertitur Goroſtiza. Et quanquam pauci admodum erant, paucioreſque deinde fuerunt, ne conſilium interiret ſtatuendæ ibi ſedis, ubi expeditior eſſet in poſterum totius gentis converſio, ad Salſum amnem iter diei infra Vallembonam collocati ſunt, additis ſupplemento ſexdecim Omoamparum familiis, quæ Miraflorеæ aggregatæ interim fuerant. Translati deinceps ſunt inter Miraflorem & Vallembonam, condita Reductione Sanctæ Mariæ *del*

Digitized by Google

Buen Conſexo : in qua tandem deficientibus con-colonis ſoli perſeverarunt Omoampæ.

Paſainum Reductio.

Cum Miſſionarii Tobarum & Chunupium Rubicundi litora luſtrabant, Auguſti 25. ventum eſt in ſinum quo alveus obliquatur, & *a Cruce* per Hiſpanos erecta anno 1750. nomen habet. Ibi ſtativa locare decreverant, ſed viſa trans ſinum gentis ignotæ turba, vicinitatem cavere, eamque præterire conſtituunt. Dum propius accedunt, eſſe Tobas affirmarunt Chunupii : quos allocuturi Socii præcedunt cum binis popularibus Ignatianis. Sed erant pars Paſaines, pars Vilelæ, olim Tobarum & Mocobium amici, quos eo tempore fugiebant, Malvalaæ cujuſdam occiſi vindictam veriti. Horum ignari Socii accedunt, non præmiſſo nuntio. Aberatque prope calamitas, niſi Chriſtianus quidam Vilela, nomine Petrus, e Reductione S. Joſephi adfuiſſet. Ab eo pacati ſunt motus excitati Patrum acceſſu, qui in lætam denique de adventu gratulationem deſierunt.

Opportunum tempus nacti fugitivos, & patriis finibus exules ad reductionem invitant Miſſionarii. Fidem obligant, quam aliqui liberarunt, condita nova ſede propter amnem Salſum tredecim infra primam Chunupiûm leucis. Ad Rubicundum caſu reperti biſcentum armatorum æquabant numerum præter imbellem puerorum fœminarumque turbam. Equos habent, & oves, e quarum lana ſtragula ſibi texunt : equos vero cum lanceis commutant Mucobium Abiponumque Sanctafidenſium. Primi Fluminis Salſi accolæ non plures centum viginti quinque fuerunt, quibus alii deinceps additi ſunt, tum in S. Maria *de Pace* colonia brevi deſtructa, tum in S. Mariæ *de Columna*, quo ſexcenti convenerunt duabus tertiis defecturi.

Fauſtus Sociorum acceſſus Paſaines & Vilelas imminente vindicta liberavit, quam fugiebant, nam Jolis a Goroſtiza disjunctus occurrit Auguſti 30. Pahaiquino, qui cum Tobarum Mocobiumque globo, & tribus Malvalais pœnas illatæ cædis repetere ardebat. Cui Miſſionarius ait, Paſaines & Vilelas in Reductionem convenire, nec ſolos offenſari poſſe qui cum Hiſpanis & ſecum fœdus inierant. Sibi etiam ipſi parari malum, per acerbatos Paſaines intercludendo, dum rediret. His animi pacati ſunt, remotuſque obex, qui novæ Paſainum ſedi, ſi hoſtilia cœpta procederent, imminebat.

HI-

Digitized by Google

HISTORIÆ PARAGUAJENSIS

LIBER VIGESIMUSQUINTUS.

ARGUMENTUM

Missiones P. Iosephi Pons. Ad Tobatines. Ad Guañanas. Ad Chiriguanos, & Mataguajos. Ejus obitus, & virtutes.

1761. Missiones P. Pons.

ANno 1761. obiit Josephus Pons, cujus labores & gesta ad superiores annos partim spectantia referre juvat, eorum supplementum, quæ Charlevoix narravit obiter. Natus est Pons non in Gallobelgio, ut historicus habet (*a*), sed in Cerdaniæ, quæ Hispaniæ citerioris regio est, oppido Pi, sive Pino, in Urgelitana Diœcesi, haud procul a *Puicerdá*. Natus est anno 1687. quo Tarixani Collegii fundamenta jaciebantur *ad conversionem Chiriguanorum*, ut in supremis est Conditoris tabulis datis anno Ponsii Chiriguanorum apostoli futuri natalitio. Antequam in Societate, probationem orsus est apud Carmelitanos strictioris observantiæ, unde adversa valetudine dimissum ad secundam vocationem authoritate apostolica expediri oportuit.

Unde triginta natus annos Paraguajensi Societati nomen dedit in Hispania jam sacerdos: & priusquam tirocinium expleret, jam Guaraniorum Doctrinis operam conferebat. Duo & septuaginta simul missi Bonis Auris descenderunt: quo tempore de Sociis quatuor per barbaros occisis rumor erat; Bartholomæo Blende, cum ad Chiquitos iret; Josepho Augustino de Arce paulo post in eodem itinere; Blasio de Silva, & Josepho Mazo, in Parana amne. Nam etsi duo primi cæsi erant ab anno sæculi decimo quinto, non ante duos annos casus compertus fuit; imo de ratione qua contigit, nondum liquet. Illud notatum fuit, recens missos tristibus his exultasse nuntiis: quodque animos frangere natum erat, accendisse desiderio sacrificii, & gaudio quod sanguinem Dei causa profundendi faveret occasio. Profudit Julianus Lizardi, eorum qui postremo venerant unus, & proximus Ponsii commilito.

Ad Uruguaim & Paranam egit Pons usque ad annum 1732.: quo tempore plures orti sunt motus, quibus præter statam de cujusque oppidi re publica, de familiis, & neophytis singulis solicitudinem, exerciti sunt Missionarii; nam armati biscentum neophyti jussu Prætoris Bonaurensis Coloniam versus profecti sunt, ut Lusitanos intra fines suos, quos trangressi credebantur, compellerent. Centum sexaginta sex Fluentinæ Civitati suppetias ferre jussi sunt, connitente D. Francisco Noguera Subprætore. Quatuor millia ad Lusitanum Montevideo pellendum ibant, ex quibus duo millia ad construendam arcem, quæ nunc *Vetus* dicitur, perseverarunt. Tria millia pro Rege data sunt Balthasari Garcia Ros, ut Paraguai præturam obiret, quam sibi Antequera vindicaverat. Centum auxilio veniunt Sanctæfidei contra Mocobios & Abipones. Sex millia tandem conscripta sunt per Bonaurensem Prætorem ad tuendos rebellantis Paraguai fines. Et quia his omnibus per curatores providendum fuit, mirum quantum ministerio laboris accreverit. Illud peculiaris incommodi Ponsio contigit, quod familiæ sexaginta, quas summo labore contraxerat ex silvis, & baptizaverat, momento defecerint, ut modo referam.

Missio ad Tobatinos.

Centum ad Guaraniæ boream leucis jacet regio Taruma, cujus incolæ dicuntur Tobatini. Eadem ibi cognomina reperta sunt, atque in S. Jacobi, & S. Mariæ de Fide Reductionibus; quare eorum creduntur esse reliquiæ, qui olim Doctrinis inde adscripti sunt. Circa annum 1698. reducendis Tobatinis adlaborarunt P. Bartholomæus Ximenez, & Franciscus Robles, qui octo menses apud eos commorati tribum *Jeju-Barucú* dynastæ ad S. Mariæ deduxerunt. Invitati cæteri respondebant, baptismo caput inclinaturos, apud Tarumam tamen.

Anno 1721. cum a PP. Polycarpo Duso, & Michaele Afner visitati in eadem sententia perseverarent, aliquot familias Marianas assumere constitutum est, ex quibus nova Reductio in pristina majorum sede coalesceret. Dum hoc consilium agitat Dusus, cœpto desistere cogitur, nam ruens propter viam immanis truncus arboris mulum quo vehebatur occidit, & ipse graviter læsus aliquandiu fuit, ac in posterum collo contorto, & capite obstipo. Casum arboris adeo subitum & peremptorium, ut mulo caput contriverit, superstite qui vehebatur, fuit qui dæmoni imputaret, Tobatinorum conversionem impedire nitenti, nec habenti facultatem ad plura. Certe non sine Deo factum est, ut ad ea quæ deinde cum in Doctrinis, tum in Paraguariæ motibus, egit & passus est Dusus, vita & vires suffecerint.

Pro eo Tobatinorum reductio Patri Pons commissa fuit, quam multis ad Deum, & ad præ-

(*a*) Lib. XX.

Digitized by Google

prælatos precibus & votis expetiverat; inclinabat enim magis ad infidelium conversionem, quam ad curam & conservationem minus incommodam neophytorum. Ad Tarumam venit decima quinta Januarii 1722.: constititque ibi nunc solus, nunc per intermissas vices cum socio. Infideles, quos Dusus conciliaverat, obviam ordinatim processerunt; quibus Missionarius perpetuam suarum animarum curam spopondit. Eum a primo accessu caritate singulari complexi sunt: eosque invicem ille sibi tenero amore, & sua ipsius quantum licet atque decet demissione perpetua devinxit.

Martii decima sexta baptismis opera dari cœpit in nova Reductione, quam a Rosario appellavit, erudire pergens quos subinde parturiebant silvæ. Verum non diu prospere res cessit; nam Aprili cadente ingruit dysenteriæ lues, qua cuncti novam sedem pertæsi ad sua nemora respiciunt. Hoc incommodum in prima gentium harum reductione sat frequens, ex inconsulta victus mutatione oriri crediderim. Cum de sede constituenda consilium vertitur, ex piorum largitate armentorum copiam colligi mos est, ex quibus non modica bubulæ carnis portio novis hominibus, qui nemorum radicibus & fructibus maximam partem assueti sunt, in dies singulos distribuitur, quam ut plurimum insulsam, & semiassam devorant. Conciliandis animis, & ad positam stationem alliciendis id utile sit; sed oportet in mutanda pristina ratione victus pedetentim incedere.

In baptizandis infantibus hæsit Pons, cum certus esset, ab ethnicis genitoribus secum abducendos, nec audebat nisi in vitæ discrimine constitutos abluere. Cujusdam infantulæ sine baptismo decessu supra modum doluit, ac de sententia prima motus est. Genitorum consensum facile impetravit, dataque fide in oppidum regrediendi dum cessaret lues, nullum infantum non baptizavit: & quanquam multi desiderati sunt, nullus præter infantulam illam sine baptismo. Monitus Indam rure peperisse, adesse festinat cum aqua, & supra herbam, ubi a matre editæ fuerant, inventas infantulas duas baptizavit. Novit eas a matre ad necem quæri, non odio baptismi, quem infideles hi non horrent, & consensum ipsi præstiterant. Sed occisas voluit, ut se molestia, illas ut vita, qualis erat sua, infelici liberaret. Eas ut a morte redimat, lactandas tradit Missionarius humanioribus fœminis; eo tamen absente receptas fera mater oppressit.

Adultos quos afflavit lues, baptismo aptavit, baptizavitque periclitantes. Baptizati præter unum mortui sunt omnes, magna ex decedentium habitu facta ministro spe salutis. Una fuit fœmina, in qua cumulatum gaudium desideres. Prope moritura baptismum aspernabatur. Instat minister interitum animæ dolens: illa vero sive importunitate, seu quia errorem deposuit, baptismum petit. Propere dispositа abluitur & obit.

Fere omnes, quibus integra valetudo, & aliquot quibus ægra fuit, silvas confugerunt, polliciti quidem postea redituros. Interea Pons cum Marianis agrum exercebat communem, quem *tupambae* vocant, rediturus; & peculiaria sata, quæ *abambae* dicuntur, primoribus: mittebatque subinde nuntios in silvarum recessus, ut nossent expectari se, atque datam fidem liberarent. Rari adventabant, iique pestilentiæ metu, etsi tertius jam erat mensis, a quo cessaverat, elabebantur. Novembri matura messe vis est addita nuntio, & aliquot regressi perseverarunt.

Eo usque discursare ad excitandos pigros non potuerat, in Reductione solus; sed ut socius adfuit a Doctrinis, excursionem maturavit trium Marianorum comitatu, e quibus mox unus fuit reliquus, cum infideli adjuncto. Adhibitum est equorum par, quorum alter ad pascua nota fugit; alter viarum gravitate fatigatus, trahendus ipse fuit a pedite, per intervalla conscensuro, & pro quiete alternaturo laborem. Nocte proxima tentorium & lectum præbuit spissum nemus. Secunda venit ad infidelium pagum, qui nocte licet concubia obviam exierunt læti. Tecto excipitur rudibus palis incumbente sub palmarum foliis, ubi sic ebulliebant scarabæi, ut gradus præter eos figi non posset. *Tarabós* appellant, insectum simile gryllo, sed non stridet. Pestis est in Paraguai præfectura, quæ domos clam subingressa, omnia fœdat roditque; in rusticorum tamen casis major est copia. Igne & fumo a paganis mitigata locum fecit hospiti ad pernoctandum. Cœna appositа e *ietí*, quod radicum genus est batatæ simile, & mandioca; quibus postridie mensa redintegrata est. Convocatis incolis necessitatem denuntiat Christiano ritu vivendi atque moriendi; concedendum itaque in oppidum, ubi tandiu nequidquam expectati erant. Illi non ultra moras nectere promittunt.

Duodecim passuum millia distabat pagus alter, quo viæ ducem se præbuit ethnicus quidam. Idque solatii fuit Dei servo, quod Induli complures esculenta rure quæritantes, cum ignotum quem primo vident, fugere soleant, quasi ad vocantem accurrerent matrem. Hic majoris lætitiæ documentis acceptus fuit, quod fœmina quæ & ipsa per silvas cibum captabat, onusta licet pera non vacua, supra peram infante uno, brachiis alio, ad nuntiandum Patris adventum præcucurrit, paganosque tempore convocaverat, ut longe processerint obviam. Ægrotantes singulos Pater visitavit, & consolatur, persuasitque universis, ut ad destinatam sedem convenirent: quod postea executi sunt. Ad solvendum officii divini pensum sub arbore divertenti, undique radicum & frumenti copiam ultro conferunt, & ad coquendum ollas. Circumvenientibus pueris reliquias distribuit: qua ratione eos sibi, & parentes magis conciliavit.

Ad alios trium dierum iter intendit per invia & opaca nemora, in quibus sponte natis

fru-

Digitized by Google

fructibus vesci, & protentorio arboribus uti, jam didicerat. Ibi noctem agebat, colubros & vermes venenatos, quibus abundat Tarumana regio, nihil veritus. Non procul a pago turbo tonitru multo, vento, & aqua procellosus incubuit, quo madidus in tecta malo facta venit. Accurrunt pagani, & hospiti condolent; eoque crucifixum manu tenente & sermocinante, in media concione fulmen excutitur. Pavore vel impulsu in terram deturbatis plusibus, serpens circum Missionarii pedes fulmen, non aliud quam occidit equum, minimo omnium malo, quod equuleus jam esset. Tandem omnibus in Reductionem se receptum ire pollicitis, dum reculas suas convasassent, ad excipiendos Pons præit.

Christianus illac forte discurrens, suam illi suppeditavit equam. Mulam obtulit alter, cui modicam radicum esculentarum farcinam imposuit. Æquum erat expectare, dum torrentes retenti turbine superantes alveum defluerent; sed reductionis zelus ministrum urgebat. Prima nocte desertum subiit tugurium, in quo duo viæ comites palorum attritu excusserunt ignem: quem usum Dei providentia pauperes docuit in his regionibus. Palum alterum supra terram collocant positione horizontali, mediumque affricant lapide, vel cultro forsan, quatenus inniti possit alterius cuspis, & fomes excipi. Paxillum superiorem manibus rotant more verticali: quod si paxilli & fomes aridi sint, confestim ignis emicat.

Planta vulgaris, Hispanis *Durazznillo* usui nata est, sed & alia ligna adhiberi consuevere. Æthiopibus Afris idem moris esse in Itinerariis (*a*) proditum est, nisi quod ibi de fomite, quo paxillorum cardinem tegere oportet, mentio non fit. Sed in Paraguaria, pro fomite sunt paleæ vulgares, vel arens animalium stercus. Id etiam olim ex usu fuisse refert Plinius (*b*), ubi ait, Calidæ morus, laurus, hedera, & omnes e quibus ignaria fiunt. Exploratorum hoc usus in castris, pastorumque reperit, quoniam ad excutiendum ignem, non semper lapidis occasio est. Teritur ergo lignum ligno, ignemque concipit attritu excipiente materia aridi fomitis".

Inde progressos effusus imber excepit: quo jam madefactos non diu morati sunt transmittendi rivi. Horum unus tumidus & rapidus mulam corripuit, cui servandæ farcinam posthabere, & abjicere oportuit. Calceos ocreasque coriaceas, quibus supra nudum Pons utebatur, ut siccarentur equæ superimposuit: & hæc abstulit rivus alter. Breviarium autem, ne madefieret, suis portabat humeris. Utpedibus iter agendi molestiam levaret, dicere solitus erat: *Deus Pensum non vult equitem*. Neque huic tantum Deus voluit, ut subjaceret per vias incommodo.

Infideles convocati fidem datam hac vice quidem liberare properarunt. Eaque fuit Missionarii contentio, ut brevi ad baptismum comparati sint omnes. Advenantibus injungebat, ut catechismum frequentarent, cujus verba singula proferebat, explicationemque rudibus accommodatam alternabat cum memoriæ cultu. Baptizatis iterum supervenit antiqua lues, qua quinque supra octoginta maximam partem adulti desiderati sunt. Novum Missionariis messis incrementum: nam barbari rudes, qui providentiæ fines non satis ponerant, dum calamitatem baptismo succedere vident, pronum est ut beneficium non reputent, mentemque subeat de remedii malignitate suspicio. Luis tempore, quæ quidem non diu perennavit, Pons medicum egit, & erga filios matrem. Debilioribus carnes ipse coquebat, convalescentibus distribuebat sibi parandas cum mandiocca radicibus, præter quod non aliud supererat, seu edulii seu domi. Hæc officia devinxerunt animos, ad perficiendam mox emigrationem, alioquin minime assequendam.

Erant sub anni finem baptizati trecenti & quinquaginta quatuor præter Marianos; sed longe a Reductione aberat stabilitas. Neophytos una convivere oportebat; at in ea silvarum vicinitate, & tanta in iis sponte nascentium escarum ubertate, dispersio malum erat necessarium, dum domi parcus erat victus, nec sine labore copia. Ex Doctrinis armenta immissa erant, quæ Indi suis ipsi incursionibus dilapidabant; ita ut ex vaccis nongentis in pascuam silvam inductis, prima recensione tertia pars desiderata sit.

Illud erat momenti gravioris incommodum, quod Indorum sata intra jactum lapidis alicubi distarent a via, tum qua Assumptione ad herbiferos montes, tum qua a Guaguaçu ducit ad Villam. Id viarum frequentant mulionia herbariorum turmæ, qui de Indis id agere norunt, quod Indi de armento. Abducunt & perdunt, præter scandala nova genti & simplici magis exitiosa, quibus jactum secus viam conculcant semen.

Propterea de transferenda in ejusdem quidem naturæ, sed a periculo distans & immune solum sede deliberatum est. P. Lucas Rodriguez, qui Tarumam advenerat Ponsii comes, Indos pro concione de transmigrando interpellavit; sed audito commoti & iterum dissipati sunt. Consilium Ponsio non probabatur ob incommoda, quibus etiam dum terminus arridet, mutatio quævis obnoxia est. Sed quia prælati, qui tunc erant, in adversam sententiam inclinabant, & quia Doctrinæ secutis motibus jam concussæ, necessariam novis sedibus opem ferre minus poterant, acquievit.

Arte, ut neophytis persuaderetur, utendum fuit, ad visendos videlicet gentiles suos in S. Mariæ de Fide invitatis spe redeundi. Et erat ani-

(a) Hist. des Vojag. trad. par l'Abbé Prevost. tom. IV. lib. 12. cap. 2. §. 2. pag. 498.

(b) Plin. lib. 16. cap. 40.

animus ut redirent; non ad eundem ſitum, ſed ad alium ejuſdem regionis Tarumanæ, ſive in ditione Paranderi dynaſtæ recens baptizati, quæ duos itineris dies ad occaſum diſtabat, ſive ad Ibarorim, ſive ad Guirahuguam ſpectantem ad ortum, ubi non oppido uni commoda ſedes erat. Quodſi ad eundem regrederentur, ſpes erat abſentia minuendum amorem erga priſtinos agros, adigendoſque haud ægre, ut commodiore loco ſerent.

Doctrinas adire placuit quinque dynaſtis cum ſua cuique tribu: D. Joſepho Guiracuera, D. Barnabæ Paranderi, D. Chriſtophoro Xavier, & D. Philippo Iarucaburu, recens baptizatis, & Jeſu, cujus ſupra memini. Quatuor expeditionibus finem habuit transmigratio, ſimul atque annus 1723. In primam vecturæ inopia, adverſaque tempeſtate difficilem, viginti octo non plures convenerunt; ſed Pons ductor addebat animos. In reditu per ſeditioſos qui a Doctrinis defecerant, perturbatam Reductionem invenit: quam cum ægre pacaſſet, decem neophytos expedivit. Horum cum duo de via defeciſſent, novit ſe præſentem eſſe oportere. Sequi cum antiquis duobus Chriſtianis properantem diruptæ pluviæ retardant.

Madidus ſub dio noctem egit. Diſparuerunt equi præter unum quem capiſtro tenuit. Hic ad proſequendum iter adhibitus in medio torrente adhæſit luto. Pedibus ibidem inſiſtere Miſſionarium oportuit, atque ſtipitis forte tranſverſi ſulcro in adverſam ripam aquis ad humeros immerſum adrepere. Sarcina liber etiam equus emerſit, ſed ſuapte preſſus gravitate, & prope inutilis. Indos aſſequi nitebatur Pons, quod crederet ſibi relictos in defectionem perditum iri. In ruſtico mapali, quod propter viam erat, petit equum impetravitque; ſed eum qui in proximæ paludis æſtuario ſuccubuit. Nunquam veſtem, etiam cum eſſet copia, mutare conſuevit hic Dei ſervus, qui toties toto corpore madefactus repetit quem ut inutilem contempſerat. Etſi tardiſſimo gradu, migrantes Indos aſſequitur, pigra voluntate reſides. Hos poſtquam reliquit in termino, ad deducendum alios revertitur. Tertiam expeditionem ut acciperet Marianus curator, obviam medii diei itinere profectus eſt. Ponſque non ultra progreſſus ad perficiendum opus redlit, & Reductionem *a Roſario* vacuam reliquit octava Decembris.

Efferveſcebant jam eo tempore Paraguai motus, convenientibus copiis ad S. Michaelis, quæ ſtatio eſt S. Mariæ de Fide ad Tebiquarim, in cujus vicinia claſicum gravius reſonabat. Tobatinis auribus id erat inſuave, nec dum ſumma res erat turbata, Tarumaam cogitare vacabat. Cum in natalibus ſilvis tranquillius agerent quam in Doctrinis, ſexaginta quotquot erant familiæ una fugerunt, haud ita poſtquam Pons ad Chiriguanos miſſus erat, & ante biennium quam Paraguaici motus quieſcerent. Reddita pace, de transfugis reducendis deliberatum eſt, interpellata per Epiſcopum & Prætorem Societate, connitente Generali Coloniæ Procuratore. Continuo ſuſceptum eſt opus, ſed peſtilentia bellum ſecuta, qua XXIV. Guaraniorum millia periiſſe creduntur, interceptum uſque ad annum 1737. quo miſſi ſunt Felix de Villagarcia & Lucas Rodriguez. Ad Guirahuguam primo diverſum, unde quindecim menſium ſpatio Tobatinos nequidquam per Tarumaæ ſilvas inveſtigarunt. Villagarciæ ſucceſſit Sebaſtianus de Jegros, qui iteratis excurſionibus aliquos invenit, ex quibus anno 1747. coaluit oppidum a S. Joachimo.

Poſt annos duos hujus ſedis procurator Antonius Planes, cum Pirapoi, Curuguati, & Capivari Xexuim influentium ripas Indis frequentari cognoviſſet, ad reducendos contendit paucorum Joachimitarum comitatu. Intentoria venit Arabebe dynaſtæ, qui Miſſionarium comitor accepit. Arabebæ filius Tapari dynaſtam monuit, & munuſculorum diſtributione, cultrorum, cuneorum, orbiculorum ex vitro, univerſi conciliati, & deſiderio Reductionis accenſi ſunt. Miſſi deinde neophyti, cum ethnicorum neminem reperiſſent, grana quædam frumenti ſui in eodem loco ſeminarunt: atque tempore meſſis, quod eſt Novembet, venit Jegros, tentorium figit, & S. Stanislai oppido fundamenta ponit. Inde anno 1751. ad *Tupitangue* locum tribus a S. Joachimo diſtantem leucis translatum eſt. Eramque anno 1766. in binis his Reductionibus Indorum capita tria millia ſeptingenta ſeptuaginta ſeptem.

Miſſio ad Guañanas.

Sed ut ad Pons regrediar. Auguſti 25. 1730. e Doctrinis ad Guañanas iter intendit, iteratiſque excurſionibus Corporis Chriſti Reductioni nonnullos aggregavit. Quinquaginta & unum ſcriptum reperi; ſed Charlevoix ex libello quodam Joannis Joſephi Rico (a) Paraguai procuratoris, centum & ſexaginta numerat. Guañana gens æque atque Tobatini ſilvatica eſt, ſed immitior. Inter Paranam & Uruguaim ab hodierna Guarania ad antiquam Guairam Braſiliam verſus incerta ſede vagatur: idemque nomen donari ſolet boream Paranæ colentibus, qui alias Guajachi dicuntur, ex quibus pauci *a Jeſu* oppido adſcripti olim ſunt. Ex Guañanis Reductionem condidit ad Icatuum amnem P. Antonius Ruiz de Montoja, a Braſilianis diſſipandam, exqua reliqui diſperſi & acerbati fidem, baptiſmum, reductionem, Miſſionarios horrent.

Gabriel Patigno, qui Corporis Chriſti eccleſiam curabat anno 1722. bis adverſo Parana horum infidelium receſſus inveſtigavit, nonnullos adduxit, qui in eo oppido uxore ducta perſeverarunt. Poſterioribus annis cum herbarii Corpiſtæ Paranam ſubirent, munuſculis inſtruebantur, ut Guañanas ad ripam ac-

(a) Lib. XX. fine.

Digitized by Google

accedere ſolitos arraherent. Ea ratione aliqui ad viſenda oppida allecti ſunt, qui comiter habiti uxores & familias deinde reportarunt. Ex iis ſpe facta miſſi ſunt Pons & Alexander Villaviexa, qui Reductionem apud eos collocarent, ſi ferret uſus, vel infideles reducerent quotquot poſſent.

Ad Hocorium uſque venerunt leucas aliquot ſupra Iguazuum, qui hodie Luſitanis eſt Curitiba. Neophyti quibus notum erat Guañanaärum ingenium, Miſſos monent, ut clam ſe contineant, niſi velint aucupium perdere, ſe daturos ſignum apparendi cum e re ſit. Ad oram, ut alias conſueverant, accedunt barbari, ſolos ire Guaranios rati. Pons vero continere ſe non potuit, quin donis onuſtus in terram deſcenderet cum Guañanaä interprete, uno de proſelytis. Illum ut vident, in fugam acti ſimul omnes, nec de gentilis ſui amica voce, nec de donis commonſtratis rationem habent, niſi ut pedes concitent. Miſſionarius in ſe receptus intra navem abditur, ne deinceps ſe ſiſtentes abigeret: totuſque reliquæ expeditionis labor toleranda conſtitit nocturna pariter atque diurna culicum tinnulorum aculeata peſte. De cætero Guaraniorum comitatui cura fuit.

Dum Guañanaärum aliqui exiguo numero, ut fit, ſecundum litus apparebant, illi ut dona commutaturi producebant ſe, herbariorum more. Guañanaæ ſimplices ad commercium deponebant arma, arcum, pharetram, & clavam: exarmatique compellebantur ad navem, ubi tranquillabantur haud ægre, a Ponſio maxime, qui turbatos barbarorum animos ſedandi gratia eminebat, atque ſibi etiam detractis cibo & veſte mulcebat. Gratior evenit captis in Reductione commoratio, ut deinde interrogati, perſeverare malueriot, quam natali ſolo reſtitui. Huc exiit adhibita principio compulſio, fortaſſe non omnibus probata. Quanquam vero ea ratione capti ſponte perſeverarunt ſuſcepta fide, gens reliqua magis alienata ex eo fuit: ut dum herbariorum apparet navis aliqua, cautius inquirant, utrum Patres abſconditi ſint.

Anno 1731. illinc venit in Guaraniam non unius gentis barbarorum, turma, qui ſupra Iguazuum eſſe Indos reductionis cupidos affirmarunt. Miſſum eſt Sociorum par, qui rei periculum facerent. Sed latet, cur ab incepto ceſſatum ſit: ſorte ne in ſubitum de Luſitanorum finibus impingeretur. Eo loco Guañanaärum converſionem reliquit Pons, l cum difficiliorem Chiriguanos cicurandi provinciam aggreſſus eſt.

Miſſio ad Chiriguanos.

Decies ut minimum cum a Peruvio, tum a Paraguaria contendit Societas eam gentem convertere, præter incepta Ordinum SS. Dominici, Franciſci, & Auguſtini. Armis ſæpe tentatum eſt, ut montes Tarixam, Sanctam Crucem & Potoſium inter jacentes in ditionem redigerentur; ſemper tamen incaſſum. Prorex etiam D. Franciſcus de Toledo a bello Chiriguanico, quod ipſe ſuſceperat, inglorius retroceſſit.

Ineunte anno 1731. Senatus Tarixenſis ad Caſtelfortium Proregem de cladibus per Chiriguanos in eos fines illatis retulit; ad continendos, convertendoſque indigendam Jeſuitarum Miſſionem, quorum inſtitutum id erat, qui ſermonis Guaranici quo utuntur Chiriguani, peritorum habent copiam: & propter alia, quæ in mandato dicuntur *media*, in petitione *motive*, quibus fauſti exitus ſpes ſit. Paraguariæ Provinciali indictum pro Rege fuit, ut ad Tarixæ fines expediret Socios, quibus ipſe a Guarania octingentis diſtante leucis comes venit, ut propius rem urgeret. Multi ob denuo factam ſpem eo mitti deſiderarunt; ſed tribus cecidit ſors, Juliano de Lizardi, Ignatio Chome, Joſepho Pons. Hos ſecum ducere conſtituerat D. Joannes de Echalar Tarixenſis Proprætor, & barbaros vi cogere ut apud ſe admitterent; ſed connitentibus Sociis, ut ſine armorum ſtrepitu vadum experiri liceret, acquievit.

Cum ſex Indorum Chriſtianorum comitatu in Salinarum vallem contendunt, ubi conſtitit Lizardius cum viæ duce progredi non auſo. Chome vero & Pons, quod infideles longius incertum quo receſſerant, in montana penetrarunt. In Chiquiacá valle conſpecta dolent rudera Reductionum, quas illic curarunt Dominicani. Quarto poſt die canes audiunt adlatrantes. Tres Indos præmittunt, e quibus duo tantum regreſſi nuntiant, ad montis radicem infideles eſſe vultu minaci, tertium comitem apprehendiſſe, jam fortaſſe occiſum: orare ſe ne ultra gradiantur.

Chome præceps potius quam gradatim de montis culmine ſe demittit, & præ nemoris denſitate inopinato circum videt barbaros duodecim haſtatos & pharetratos, eumque medium quem occiſum nuntii verebantur. Occurſu lætum ſe ſimulat, ore impavido ſalvere jubet, & in ſingulorum ruit amplexus: quo illos ſuſpenſos tenuit. Suum eorum oppidum videre velle ſe ait: & accedente tunc Ponſio cum commeatu ex frumento & carne ficca, pars ſingulis tribuitur. De tranſeundo in oppidum opus erat dynaſtæ conſenſu: quem ut impetrent duo præcedunt, Chriſtianus alter, alter infidelis.

Ipſe cum miſſis adfuit dynaſta, qui ſaxo tacitus inſedit, labia remordet, capite ad haſtam reclinato. Quo deveniet hæc fabula? ad Pons ait: Chome. Officiis inſtanti dynaſta nihil reſpondent: eſcas apponentem penſi non habet. Quidam de ſuis ait: *Ipia-raci*, quod corporis æque atque animi ægritudinem ſignificat. Primum intellectum ſimulat Chome, manumque porrigit ad arteriam. Sed brachio vi retracto ait ille Valeo. Vales, contemptim replicat Chome, vales, cibumque reſpuis? Tuis proderit. Te vero dum mordeat fames, monitorum expecto. Id contemnentis habitu pronuntiatum cunctis prævaluit officiis. Barbarus loqui & ridere cœpit. Suos jubet potum propinare Patri, cui & frumenti ſpicas aliquot dono obtulit. Jam bene affecto ait Chome:

hæc. Gratum mihi donum est, sed gratius si oppidum ibidem copiam sacris faceret. Persuasum fuit, respondere illi. Sed cum ab altero dynasta id esset petendum, is motus renuit, indicto Patribus ut quamprimum solum mutarent. Obstructo aditu ad vallem Salinarum regressi sunt, quo jam metu reducta comitatus pars, Lizardio Sociorum discrimen exaggeraverat.

Imbres supervenerunt, alluvionesque torrentium, Chiquitæ fluminis quo Lizardius etiam converterat, quatriduanam moram fecit commeatus patientibus inopiam. In radicibus Indorum cibo spes erat. Sed melius a Deo provisum est, nam flumine, ut dum alluvio montana est, in statum alveum de recente contracto, piscium in arctatis palpitantium copia reliqua fuit, ubi sicca tandem legerentur. Hac ope ventum est ad Salinas, inde Tarixam triginta leucarum spatio distantem, sed præruptum, cujus in singulos dies quatuor quinqueve leucas expeditus eques agere confecerit.

Ad Cujambujos.

Divisis nunc Sociis, Pons solus ad Chiriguanos Cujambujos Rubicundi amnis accolas profectus est, qui ad Chacum versus habitant loca quadraginta fere leucas a montanis distantia. Eum septem & quadraginta redeuntem secuti sunt, Tariquenis adjuncti, qui in valle Conceptionis, Tarixâ non procul, natale solum repetendi tempus expectabant. Utrosque quinque mensibus excoluit, novos baptismo aptavit, baptizavitque novemdecim. Diebus singulis post sacrum, catechismum explicabat candidatis. Vespere præter Sabbathum & Dominicam eodem officio antiquos exercebat: nunc singulos, nunc cunctos probabat, & ad sacram communionem disponebat: qua bis eo tempore refecti sunt. Per noctem preces recitabat cum pueris, quos domi tenebat, & peculiari cultu ad futurorum spem accommodabat. Sabbathum sequentemque Dominicam spiritali Hispanorum solatio dabat, qui fausto frequenti numero eo ibi conveniunt.

Iter secundum ad montana.

Mense Julio 1733. Pons & Lizardius ad vallem Salinarum profecti sunt cum Hispanis, fœdus cum montanis infidelibus pacturi. Hos quatuor post condictum dies incassum exspectarunt: regressique Hispani, iursus ex superiorum præscripto dividuantur Socii. Lizardius Cujambujum, quo venerat modo, repetit, locuta aliquot earum partium infidelis se dedere velle, nuntiatum erat. Pons vero superatis montibus tentare voluit, quid barbari fœdus, aspernati de fide sentirent. Quærit inter Hispanos vix ducem, nec invenit, quod ab infidelibus auditum affirmabant, eos ad eum necessitatem iri, vel manibus ligatis promptos expellendum, nec aliam cum illis esse conditionem. Metum non noverat vir Dei, qui postquam Hispana cohors retrocesserat diuturnæ expectationis impatiens, cum uno progressus est juvene, qui ex auditis apud Hispanos passim vagiebatur & flebat: neque piis Missionarii suasionibus cessabat pavor. Sed tandem ægre fieri, ire pergit. Illudo ordi-

Paddius ut plurimum per longos difficilesque montium anfractus quinque dies ad Itau vallem & tectos venit, comiter & officiose acceptus. Missio qui ducem absentem vocaret, adfuit hic vir apud se Patre lætus. Rogatus cur ad celebrandum cum Hispanis fœdus non accessisset, frivola quædam causatus est, quibus Pons sibi ea lege satisfactum simulavit, ut infra dies quindecim accederet. Fidem integrâ, Missionarium precatus ut Tarixam adiret; se apud Prætorem excusatum. Redeuntem posse illac tum ipsum tum sui similes quo libitum esset, ire. Id Pons petiverat, nam usque ad Parapitim & Guacajam transire medebatur; unde nati erant aliqui de baptizatis in valle Conceptionis. Tarixam quidem profectus est Missionarius, sed voluit Prætor iter ad confinia suscipere, frustrandum forte cum primo.

Iter ad Parapitim.

Abjecta fœderis hac parte conciliandi solicitudine, de transcundo ad Parapitim consilium integrat Pons. In Valle Conceptionis erat nobilis Chiriguanus nomine *Jaguaro*, olim dum valeret bello captus, jam senex, & valetudine adversa, a baptismo modestior quam pro ingenio: & apud suos bellicæ virtutis laude clarus. Hujus propinqui erant duo apud Itaum dynastæ, quales in Guacaja erant filii; ipseque ad Parapitim imperitaverat, ubi & uxor erat superstes. In Itau noverat Pons, Jaguaronis filios parentem lugere captivum: credidit que, si per medios infidelium montes eum duceret, liberum traderet suis, bene habentem, a Patribusque apud Hispanos habitum opinione melius, nihil deinceps fore Missionibus impervium. Hoc consilio, dum Reductionem procurabat in Valle Conceptionis nullo non officio Jaguaronem demereri studuit, corrogataque ex Hispanis pecunia, splendidam ei vestem coccineam accommodavit, addita honoraria virga argento capulata: detractoque scorteo quo nudebatur, talem paravit, qualis nemo unquam Chiriguanorum principum apparuit.

Ineunte Septembri Tarixâ profectus est Jaguarone comite, miserantibus quos obitum ex gentis ingenio discrimen non latebat. Chiriguanus inter eos, qui potestatem in Reductione impensius solere videbantur, præmiserat ipsi gentis primoribus persuaderent, ne crederent adituro, nec sub dura servitute liberi esse nolenti fierent Christiani. Ex hac quidem prænuntio ex auctoris textu sententia Jaguaronis etiam sexta & amor aura natali capessebant palam & degustabant. Ventum est in Caisam postremum montium jugum, quod latis Chaqui campestribus Paraguariam versus dominatur.

In planitie descendit. Pons quo tempore Sanctacrucensis Prætor inde discesserat post bellum, & quo allunde accedebat Tominensis Prætor D. Laurentius del Rio & Ameaga, qui Sanctacrucensium discessionis ignarus hostium vires diversæ propetabat a Tomine fratribus Chiriguani duces bello [illegible] quos

To-

Digitized by Google

Tominenſium copiarum latebat paucitas, Ponſium cum ſuo Jaguarone tunc forte vicos eorum circum curſantem orant, ut ad placandum Proprætorem obviam procedat, omnia polliciti, inducias, pacem, admiſſuros Reductionem & Patres. Tominenſes invenit Miſſionarius in campis Itacuanis, ubi cognito Sanctacrucenſium diſceſſu, reditum maturavit Proprætor; nam Chiriguani, qui de campeſtribus & montanis in belli ſocietatem convenerant, plures erant quam quos ipſe ſolus debellare poſſet; & in acie poſtrema, victi licet, bellicæ virtutis documenta dederant.

Pons a legatione redux ſedem & Reductionem ad Parapitim in Jaguaronis ditione locare contendit ex pactis. In comitiis vero principum, dum ſpes erat Jaguaronem Chriſtianum exhibiturum ſe, & pro benefactis gratiam habiturum, frigide ait: „ Hiſpanorum nemo quidquam; hic, Ponſium deſignans, pauxillum donavit mihi. “ Sed cum non eo refutaretur miſſio, neque data fides violaretur, Tarixam redire voluit, ut rei ſtatum edoceret, & neceſſariam requireret opem. Obvium habuit Lizardium miſſum ad inquirendum an viveret; anxius enim rumor inoleverat, occiſum a barbaris. Quodſi eſſet incolumis, ut collegium adiret, vota profeſſorum nuncupatum.

Deſideraveris, cur Lizardius ad Parapitim uſque non venerit, vel ſi pervenerit, cur non ibidem expectaverit Socium, ſpem fovens interea deſtinatæ reductionis. Sed ſpes tota Jaguarone conſtabat, cui Ponſium redeuntem comitari placuit, quamquam ut venerat in Vallem Conceptionis occubuit ex morbo. Concidit ſimul morbida etiam ſpes, natuſque novus timor, nam infideles Jaguaronem a Patribus interfectum divulgarunt. Credidit Jagareca filius Guacajæ dynaſta, juravitque Patrum atque Miſſionis excidium. Quinquaginta leucas amplius diſtabat, & bello Sanctacrucenſi, quod propius fumabat adhuc, continendus videbatur; ſed & poterat vicinorum animos ad vindictam inſtigare. Continuit ſe tamen, & conceptum errorem depoſuiſſe videtur.

Prima Novembris 1733. vota ſolemni ritu profeſſus eſt Pons; nam licet in Societate litterarium curſum confecerit nullum, nec conſtet an de pridem confectis periculum, ut moris erat, ſubierit; uſu tamen ſe probavit theologum, ſatiſque doctum ad prædicandum Evangelium. Labores autem Apoſtolici jam exacti digni fuerunt, ut præter morem remunerarentur. Ipſo profeſſionis die miſſionum excurſiones proſecutum eſſe oportet; nam quarta poſt ejuſdem menſis luce ex diſtante Salinarum valle ad montium interiora profectus eſt. Profecti ſunt ſimul Lizardius, ut in Carapari conſiſteret, & Chome ad Caiſam progreſſurus, dum Pons ad Pilcomajum ſe conferret. Hoc amne tranſmiſſo venit ad Tareiri pagos, ubi caſibus adverſis interceptus eſt.

Pagos ædificant Chiriguani omnes in gyrum, cujus centrum tenet mapale majus, hoſpitibus diverſorium, ad publicoſque conventus, & comportationes curia. Huc divertit Pons in primo Tareiri pago, dum adveniret Angaipa dux. Venit tandem animi tumorem ſpirans, & Patres ait eſſe ſatorum peſtem, idque ſibi notum, quod audiverat ab Hiſpano; magos eſſe qui univerſa faſcinarent. Ab ethnico duce quodam ſe monitum, ut a venturo ſibi caveret; primis muneribus captandas fœminas; in pago te locatum venire ſedem, nec ceſſaturum donec omnes Chriſtiani fiant.

His ut ſatisfaceret, ait Pons, Miſſionarios per proximum Pilcomajum ſurſum deorſum ire velle, ut cum Paraguariis ipſius Angaipæ cognatis, humanos uſus communicent Chiriguani. Si ad eos ipſe proficiſci vellet, cogniturum plane, Patres non eſſe ſatorum peſtem, nam lætiſſima ibi ſunt ſata, fructuumque omnium ubertas; cogniturum, quam utiles ſint ſuarum Miſſionum pagis, Chriſtianos, quos faciunt, non falli, ſed ad ſummam provehi felicitatem, quandoquidem illorum miniſterio, & adminiſtrato baptiſmo via ſternitur ad paradiſum, ad vitam poſt mortem immortalem atque beatam, & æterni atque ſummi boni participem. Si velit ſuos cognatos adire, fore ſe viæ ducem & comitem, quo videret Hiſpanum haud minus quam ethnicum ducem mentitum eſſe.

De felicitate Guaraniorum, eorumque republica ſermonem protulit, quod animadverterit, Angaipam argumento delectari. Sæpe loquentem interrupit: *Cheruba, ſermo tuus gratus eſt valde*. Ad ſuos conſanguineos iturum ſe libenter profitetur. De quo cum ſermonem protraheret, immanis adeſt Indus, qui forte audierat loquentes, nec probabat ducis affectum. Juvenem Miſſionarii comitem penes eum jacentem adoriuntur, & fuſte petit, ajebatque: *Carai, qui ruanis à Curâi* vocat Hiſpanum; & Hiſpanum non eſſe juvenem probe noverat. Id tamen erat filium cædi, ut doleret patri. Tunc ait Miſſionario dux: Abi obſecro, abi jam. Cumque non nihil moraretur, ſupervenit alius & inclamat: Age, move te Hiſpane: res tuas nolo, nolo vaccas, frænos, calcaria, nihil, abi tantum. Ita rem ſuggerit Angaipa: Cede Pater.

Ad ulteriorem ejuſdem tribus pagum iter intendit: & procul jam aberat, cum Indus occurrit plane nudus, arcu teloque armatus. Paventi ſimilis urgere cœpit, properaret, accedere jam graſſatores. Neque id non credidit Pons, qui non propterea concitavit gradum, omnia Deo commendans a quo pendebat. Cum proceſſiſſet longius, juſſit nudus ille peram quam puer geſtabat deponere, excuſſaque catinum ſtanneum ſurripuit, & fuſculam, eaque in proxima abſcondit ſilva. Mox ait: Siſte, adſunt jam. Adfuitque Indus alter, qui jumento quo Pons vehebatur, frænum detraxit. Tunc comes ratus actum eſſe de Patre, pagum unde exierat curſu pe-

tiæ, monetque ducem, qui cum aliquot de suis hastatos acquirit equo. Interea latronibus accessit alter, qui ex equo primum circumductio in pedes descendens manum injecit in singulum, quod post tergum equitantis Missionarii plicatum & alligatum erat. Restitit hic aliquandiu, ad imbres arcendos & frigus necessitate. Sed Indus contra: Cessa, inquit: tu es, tu, qui patrem meum occidisti.

Advenit deinde Angaipa dux cum comitatu, qui expilatum domum reduxit, & aprugnæ carnis unum, bina indici frumenti fercula ad prandium apposuit. Frumentum accepit, carnem reliquit, quod sabbatum esset, necdum Americæ datus, qui nunc est, carnium usus eo die: quod a barbaro intellectum admirationi fuit. Inter prandendum multa rursus quæsivit de Guaraniis, de quibus cum satisfactum esset, ait dux: Expecta hic me paulisper dum redeo. Eundum mihi rus est; sed brevis est mora. At vix abeuntem conspicati sunt barbari, cum repente apparent, dudum qui puerum cecideraat. Missionarius qui ad persolvendum divinum officium se comparabat, Breviarium complicavit, ratus eo se pensio liberatum eos adventare.

In toriceas, quibus insederat peras primus ut impetus, expilaruntque parum farinæ oryzæque quod supererat. Quispiam ferus venit, coronamque precatoriam pendentem e zona vi abstulit. Idem petit vestem: cumque interiorem Missionarius dare pararet, inquit ille, non istam volo, sed pullam hanc, tunicam videlicet. Negavit Pons, sed frustra. Indus enim, quæ a pectore ad imos pedes consuta erat, vi discidit, eandemque alio opitulante a tergo retraxit. Indarum quæ convenerant, hæ flebant, ridebant illæ: & quædam implumi gallinæ similem appellavit. Haud tanta quidem nuditas fuit; sed præter pileolum reliquæ fuerunt caligæ, subucula, & thorax. Brachia etiam perdidit, incertum quo jactu.

Post hæc rediit dux, reique indignitate commotus, quam sui patraverant, pœnas exigere meditabatur; sed Ponsii sermone quem magnopere probavit, placatus est, ac forte minus quam par erat, viribus & imperio se potentem judicavit. Comiter dimissum monet, commodius fore tempus quo ad se rediret. Ducis filius sub tumultus exordium averterat jumenta de prædonum conspectu, quæ deinde restituit. Recepta sunt etiam ephippia, omni tamen ferramento destituta, ut ægre jumentis apcari potuerint. Inda Breviarium reddidit, Indulusque puer bina acuum involucra, raro fidei documento, mirando, & opportuno; quod inter Indos acus magni fiant, & pro moneta ubique sint. Attulit etiam Inda quædam piscem assum: eoque commeatu & habitu Paraguajensis bellator jumento insidens effræno, & clitellario, centuriali insignis nuditate, viam ingrediebatur occidente jam sole. Eunti comes adjungitur, qui sub initium barbarici motus prudens abdiderat se.

Pilcomajo circa mediam noctem transmisso, ad ripam sub dio frigente solo pernoctavit. In pago Timbosi Indos reperit qui cibum suppeditarent, nocteque proxima venit Caraparim, quo haud ita pridem convenerant Lizardius & Chome, a quibus quo ibat habitu ad lunam conspecto, acceptus est commisemtione simul & risu. Chome, qui Caisam spe irrita manendi petiverat, subsidiariam togam detritam portabat, qua indutus Pons suos casus narrare potuit. Ea ipsa nocte tribus simul sociis extrema parata erat pernicies. Et quanquam Necangi ducis virtute incolumes servati sunt, norunt tamen, nihil quod ad religionem spectaret, eo rerum statu posse confici.

Novembris 24. 1733. ad confinia reditum est animo post Martium Aprilemve anni sequentis, quo tempore pluviæ cessare solent, cœpta prosequendi. Pluribus ibi nuntius vulgatum est, certum esse infidelibus missos de medio tollere, si pagos repetere suos auderent. Omnium tamen dolebat maxime gentis obstinatio, nam ii etiam apud quos mitius habebantur, audito Christianismo aceiscebant. Quare in eorum usu & consuetudine diu tentanda via erat, ut gradum promoveres, Atque gradum semel promotum retro agere oportebat.

Sed neque minus diffamatis, neque spei ut erat gentis pertinacia debilitate, prohibiti sunt Socii, ne simul omnes de integro per Itaum, ubi Pons comiter acceptus erat, cœptis insisterent. Cum primo pago ad nemoris oram posito appropinquarent, præivit Chome non antequam superstaret, visus a barbaris, quibus ait ex abrupto: Fama est, mihi necem & sociis meis machinari vos. Ex vobismetipsis scire volo, num revera oderitis qui vos amant, nec nisi salutem & commoda vestra quærunt. Suspendit paganos repentinus sermo, maxime cum duos reliquos continuo succedere vident, nec sciunt, utrum hos alii plures sequantur. Exposito progrediendi consilio repugnarunt. Esse quod loquantur ad Chimæi, Tapeteræ, & Caararuti duces. Daturos se operam responderunt, ut ipsi venirent. Et venerunt quidem ex illis duo, qui de reductione quidquam moveri non sunt passi. Quinimo Sociis regressum denuntiant ad crastinum mane: & regressi sunt post conciliatam Christo fœminam, quæ moritura baptizari voluit. Mox iterum penetrandum Ponsio fuit in montana, non reductionis condendæ causa, sed vicendæ quæ recens ad Vallem Salinarum translata erat.

Ad Salinas Reductio.

Indi de Tariquæanis superstites, & Cujumbui haud ita pridem conversi, sedem precariam in Valle Conceptionis septem a Tarixa leucis obtinebant. Una expectabatur pax, ut in Vallem migrarent Salinarum, ubi proprios habent agros & pascua, optima quidem, si longius tempore belli distaret hostis, qui pessimus tempore pacis vicinus est. Est in confinio Vallis Salinarum, cujus ad occidentem

co-

colunt Hiſpani, ad Orientem infideles Chiriguani. Huc Reductio translata eſt: & quia Tariqueani Cujambujuique diſpares ingenio ſunt, in duas leucis duodecim diſtantes ſedes dividuntur, quarum alterum *a Conceptione* vocatam in Valle ſuperiore obtinuerunt illi; hi vero alteram *a Roſario* in Valle inferiore.

Ut erat tranſmigratum, in utriuſque ſedis exidium ethnicos conjuraſſe vulgatur: jamque receſſus a confinio in deliberationem venerat. Certa calamitas ad præcavendam incertam, quamquam non ex vano erat timor. Ut neophytorum ſecuritatem proprii capitis periculo confirmaret Pons, ſolus cum Indo montes aggreditur exploraturus infidelium conſilia. Chimæum uſque venit, Tapeteram, & Caãrarutim; ubique profeſſus palam, venire ſe non ſedis ſtatuendæ conſilio, ſed ut ſciat, veræ ne an falſæ ſint voces per confinia diffamatæ. Idem undique reſponſum accepit, neque de bello, neque de belli cauſa cogitationem ſubiiſſe; rumorem ab erronibus, qui in Reductionem itabant, ſparſum ne crederet. Ut ſic reſpondentibus habeatur fides, addunt, *Jaguarembei* ad Parapitim dynaſtem Jaguaronis avunculi, quem adhuc ipſe putabat odio interfectum, necem ulciſci velle; id tamen ut impedirent, in ſe recipere. Ponſio perſuaſum eſt, ingenue locutos. Et quidem illatæ anno ſequente cladis non ii fuerunt authores primi, licet in belli ſocietatem deinde convenerint. De Parapitanis minus erat timendum: nec erat veroſimile, ad invadendum Tarixæ fines, longe ceſſuros a proximo confinio, cui Sanctacrux victrix imminebat. His quievit timor non totus, donec Lizardius & ipſe ad Pilcomajum ſe contulit, paremque retulit nuntio ſecuritatem.

Cum nihil adverſum ulla ex parte imminere videretur, ad reductionem promovendam cura convertitur. Pons Cojambujum repetit, qua proſelytorum ſupplementa contrahendi, viamque ad Tobarum, Mataguajum, Chacoenſiumque aliorum converſionem aperiendi ſpes affulgebat. Auguſto cum aliquot neophytis Cujambuiis, quibus gentilium ſuorum ſalus cordi erat, profectus eſt. In primo pago ut ſe ſequerentur, hortatus eſt ſurdos, ſic tamen affectos, ut omnes deinceps reducendos ſperaverit. Cum alloquendi fœminas veniam petiſſet, conceſſerunt operam, ut credebant ipſi, perdituro. Tredecim nihilominus perſuaſum eſt ſtatu liberis.

Cum his diſceſſuro ſupervenit Indus, qui ſuam matrem cum puella in defectionem compulit. Eodem alius cum ſocru defunctus eſt officio. Harum exemplo reliquas ſingulatim amittere veritus, reditum maturavit Miſſionarius. Juxta Hiſpanorum pagos, qui Rubicundum accolunt, Indorum utriuſque ſexus globus occurrit, & par puellarum corripit, quarum alteram relictæ matris deſiderio flentem, neophyti recuperant, & matri reſtituunt. Quatuor ſuccedunt Indi, & quaſi raptorem fœminarum Miſſionarium increpant: quibus ait, vim & nefas eſſe procul. Petunt aliquid quo liber abire ſinatur. Nihil reſpondet habere, nihil debere. Unus eorum petit ſtragulum. Sed erat tunc aliter quam in Tareiri comitatus. Petit panem: & ille quos ſibi neceſſarios reſervaverat, duos porrigit. Cum iis rixam ciere parabant neophyti; ſed audientes Patris dicto pacati ſunt.

Cum ſacrum celebraret apud Iſidorum Ortiz, quo plures Hiſpani convenerant, infideles quidam pervertere fœminas conati ſunt. Eas deinde allocutus vacillantes invenit aliquas. Has dum ad perſeverantiam hortatur, neophyti vi arrepeas equo imponunt. Sed calumniam veritus Pater, & ne ab infidelibus in poſterum additu prohiberetur, Deo ac Deiparæ commendatas, deponi jubet in pedes, nec invitas trahi: atque ſolis quinque Reductionem ingreditur. Peculiaris de Roſario cura data eſt Ponſio, ut non prætermiſſis opportunis excurſionibus, id rigaret & coleret quod ipſe plantaverat. Eodem pacto Lizardio commendatum fuit Conceptionis oppidum: ita ut Miſſionarii, dum is utriuſque Reductionis permaneret ſtatus, ſibi invicem opitularentur.

Non diu ſtatus ille perennavit; nam paucis poſt menſibus novi Chiriguanæ gentis motus excitati ſunt. Ad boream Salinarum duodecim fere leucis poſt Pilcomajum jacet *Ingree* Vallis, cujus incolæ primi rebellarunt, aliiſque fuerunt rebellionis authores, conſpirantibus monticolis univerſis præter *Catuarî* Itau dynaſtam. Hujus legatus cum Tarixam Roſario tranſiret; monuit Ingreanos in Conceptionis ruinam commotos eſſe. Pons illico monet Lizardium; ſed rumor inſtar priorum ex vano eſſe judicatur. Maii decima quinta 1735. ad Conceptionem ire conſtituerat Pons; ſed intercurrentibus cauſis prohibetur. Deo videlicet providente, ne Socius uterque eodem caderet impetu. *Indignus ego tanti fui boni*, illacrymans exclamabat ſæpe memor hujus occaſionis & aliarum manu infidelium occumbendi. Stragem narrat Charlevoix lib. XX.

Eodem tempore motus erupit in fines Sanctæ Crucis, ubi Reductio a S. Hieronymo diruta fuit. In Coſcale quindecim ab urbe leucis mulionum turmam adorti barbari, alios occiderunt, alios in captivitatem ſervarunt, expilatis ſarcinis quinquaginta, abactiſque plus centum mulis. Ad quinque leucas cuſtodiarum alteram confodiunt, alteram abducunt. Urbem ipſam invadere obfirmaverant tripartito per *Pacú*, *Almendraz*, & *Coſcal* ſuburbana loca, quo tempore Prætor ægrotabat, & cives imparati erant. Mulionum caſus hoſtes moratus eſt: qui plures illac appetebant, otiumque fecit, ut ruſticanæ militiæ in urbem convenirent, ubi ſeptuaginta omnino viri cum præſidio erant. Frequentes atque terrifici fuerant per eos dies de hoſtium incurſu rumores, donec trecentum & quadraginta Chiquiti Jeſuitani cum P. Joanne de Cervantos auxilio venerunt: quo civitas reſpiravit, expediendique arma facultas fuit, non tantummodo ad repel-

len-

Digitized by Google

lendam vim, ſed ad rebelles perſequendos intra montium juga.

A Tarixa non tantus fuit ardor, quia clades tota Reductionis fuit, nec ad vivum civitatis acceſſit ferrum. Eodem quo contigit die nota fuit Ponſio, qui duos miſſit probatæ fidei exploratores, quorum teſtimonio certior eſt faſtus de Reductionis excidio, & de Socii vinculis, nam mors latuit dies aliquot. Nuntius Tarixam expeditur, ubi ſententiarum diverſitate manus contractæ aliquandiu ſunt, donec pro Rege decretum eſt bellum ad patriæ violati finibus periclitantis incolumitatem neceſſarium. Negata vel retardata ope Roſarium ad Orozas translatum eſt, qui locus erat minus quam Vallis Salinarum obnoxius. Pons ad Vallem uſque *Ingré*, ſi ferret uſus, per medios rebellium montes & receſſus iter intendit, donec certa de Lizardii ſorte ſciret. Novit in Itau, ab Ingreanis ſagittis confectum altero quam captus erat die. Quo nuntio Roſarium regreditur, inde petit Conceptionem dirutam, hoſtiumque veſtigia ſecutus poſt leucam cadaver reperit a volucribus diſcerptum poſt duos & viginti dies quam occiſus erat. Exuvias collegit Tarixam tranſferendas.

Indicto bello ad caſtigandos rebelles quingenti milites Tarixani delecti ſunt, quorum ductor D. Joannes de Echalar Ponſium rogat, ut caſtra ſequatur, tum ut copiis ſpiritualem ferat opem, tum propter Cujambujos belli ſocios, paucos quidem numero, neque enim multi erant univerſi Reductionis incolæ, nec multum iis, quippe Chiriguanis, fidendum erat. In caſtris Dei miniſter publice ex occaſione, privatimve ad Dei timorem, ad mandatorum obſervationem, ad rectum confeſſionis uſum hortabatur aſſiduus, ſed minime acerbus, qui omnia ſuavi conſuetudine & gratia temperabat. Favebat etiam viri ſancti, atque fidelis miniſtri, per quem Deus loqueretur, opinio. Per diem nunquam non ſeorſim ibat, ut coram Deo, aperto capite. Per noctem in ſolo cubanti pro lecto erant ephippia, pro ſede, pro menſa. A ducibus oblata commoda officioſe recuſabat, ſemper expeditus ad ſingulorum ſolatium.

Chiriguani plura quam a Tarixa timere viſi ſunt ab adverſa Sanctacruce. Illorſum quippe inclinaverant omnes deſertis Tarixanis finibus uſque ad Pilcomaii viciniam. Niſi ars fuit & dolus ad alliciendos eos Hiſpanos, quo venerunt Auguſti vigeſima. Ut ad *Ingré* vallem tranſmiſſo Pilcomajo ſe conferrent, anguſtias non amplius duodecim latas ulnis ſuperare oportuit, quibus utrinque rupes altiſſimæ, & prærupta imminebant ſaxa. Hic ſuper confragoſa culmina repente apparuerunt hoſtes frequentiſſimi, & incondito clamore, ſummo impetu & vi ſaxa ingentia & tela conjiciunt in tranſeuntes.

Hiſpanorum multi vulnerati ſunt, quos inter centurio D. Iſidorus Raja oculo ſagitta infixa collapſus eſt. Cadentem vidit Pons, qui per medios militum vulneratorum globos, telaque volitantia accurrit: jacentem ut poteſt componit humi, & ad pie moriendum perinde diſponit, ac ſi tutus domi jaceret in lecto, donec tres milites ſcorteis induti, neque ſic immunes, animam agentem tutius accommodant, ubi vivere deſiit. Interea qui nondum in anguſtias deſcenderant, ſuperatis rupibus infideles fundunt, iterque expediunt. Quodſi agmen incederet caute, & qui rupes tandem ad pellendum hoſtem ſuperarunt, ad exploranda prius loca mitterentur, potuiſſet clades forte vitari. Cum Miſſionarius illæſus evaſit, ſagittas ſanctum Patris habitum venerari, ajebat miles.

Ex anguſtiis in oram fluminis ventum eſt, dum e regione apparuit infidelium copiis inſultantium manus. Clamantibus reſpondebat Pons elata voce *filios*, *amicos* appellant. Et ſolus flumen niſi quis obſtitiſſet, tranſmittere parabat, ad conciliandos eos alloquio & amplexu. Caſtris eo loco poſitis, mille ſupra paſſibus in adverſa ripa ſe ſiſtunt armati triginta. Quos ut vidit Pons appropinquat propere, nec id prius ab Hiſpanis notatum fuit, quam ibi eſset quorſum infideles vadum tentabant. Armatus accurrit centurio quidam vim veritus, binoſque tantum barbaros accedere jubet.

In amplexus emergentium ruit Dei ſervus atque ait, ne velint incommoda belli pati, & certum vitæ animarumque ſubire diſcrimen: aliquando ſapiant, nec elabi ſinant bona quæ veros Chriſti fideles manent. Facile Chiriguani in pacta deſcendunt, cum Hiſpanus eſt coram armatus. Pacem etiam nunc, & captorum libertatem pacti ſunt. Copiæ retrocedunt, miſſis ad Ingreem, ubi capti tenebantur & reſtituendi erant, duobus Roſarianis. Horum alterum de via occiderunt infideles; alter reſtituendis, neque unquam quod ſciam reſtitutis, adjunctus eſt. Sic a Tarixa pax inita fuit.

A bello quidem deinde ceſſatum eſt; ſed iter Hiſpanis per montes & acceſsus non aliter patet quam belli tempore. Evangelio ſunt magis inacceſſi. Viginti ſex annos ſupervixit Pons aditu ſemper prohibitus, ſpe deluſus, clamando indefeſsus, per confinia huc illuc pari atque per montes labore, nec quoad infidelium converſionem utiliore diſcurrens, paucorum Chriſtianorum curam agens, in quibus fides modicas radices egit. Id unum ſolatii fuit, aliquorum imminente morte reſipiſcentia, & parvulorum baptiſmus. Sed erat ejus miniſterium Hiſpanis, Miſtindiſque, valles tranſmigrationum ſuarum habitantibus ſolatio & auxilio.

Apud Orozas, quod D. Joſephi Gareca prædium eſt, Chiriguanorum Reductionem quatuor aut quinque menſibus procuravit: quo tempore rumor hoſtilis invaluit, qui licet falſus ad S. Annæ locum prope Tarixam tranſmigrare coegit, quod nihil apud Orozas tu-

Digitized by Google

tutum esset. Neophytorum familiæ in S. Annæ triginta & una plures non erant. Sed ubi cessavit ab hoste timor, ingruit rei familiaris difficultas. Pendendi in singulos annos erant agri domino triginta & quinque aurei, ubi nullus erat reditus, boves emendi ad agri cultum, emenda ad serendum vescendumque usque ad messem, grana. Apud Salinas non nihil armenti reliquum fuit, sed post belli motus habitum pro derelicto.

Montes tunc adire petit Pons vel incomitatus, ut æquiora si possit exigat pacta; invitaturusque ad Reductionem Caturari dynastem, qui a suis vim passus in Chiquiaca Valle, ad fidem videbatur promus. Petitione rejecta ut intempestiva, constitit in S. Annæ donec suorum potius quam sua necessitate vagari coactus est, grege velut onustus, sedem ubique quærens ad deponendum nullibi repertam. Vicinum aspernabantur universi, nedum hospitem. Unus D. Josephus Gareca eum iterum apud se quatuor aut quinque annos passus est, de cætero vagum nulla sede, donec Salinis restitutus est, per oram Rubicundi, per Mamoram, & tractum quem *Mavra-de-toldos* vocant.

Hic erat, cum Mataguajos tres neophytos Chiriguanis aggregatos ad interiora Chaqui misit, ut gentiles suos ad Reductionem alliceret. Post menses octo cum proselytis triginta regressi sunt: quare in spem majorem erectus transit ipse in Buruaim amnem quem accolunt Mataguai, Gueg-boses, & Abucheræ. Iter est impervium propter angustias, rupes, & ancipitis vadi fluvios transmittendos. Incommodum augebant medii Cujambuii infideles, qui cum Mataguaiis viæ comitibus perpetuas gerunt inimicitias, quos tamen hoc itinere mites experti sunt; & gratos, imo & officiosos viæ duces usque ad trinas Ori & Colorati fluminis fauces trajectu difficillimas propter gurgites & glomerosa saxa.

Octo menses in loco, cui *Vallecito* nomen fecit, commoratus nonnullos conciliavit Mataguajos & Gueg-boses; sed insalubrem stationem expertus est, nisi in alimenti novitatem vitium referas. Indico frumento vesci consueverat; cujus generis commeatus brevi est absumptus: & indigenæ rem agrariam non curant, herbis, radicibus & raro piscatu contenti. Fructibus etiam silvarum vixerat Pons, sed non tam diu: eratque tunc viribus & ætate robustior. Fastidiebat omnia, nec totis octo diebus stomachus accepit quod non respueret. Aprulum venati sunt comites, cujus usu jecore modice recreatus est.

Mittit ad comitia qui denuntiet quo valetudo redacta sit centurioni D. Thomæ Gonzalez; qui etsi viarum difficultatem probe noverat, opem ferre properavit cum militum manu. Jacentem reperit qui misericordiam commoveret, viribus exhaustum, macie extenuatum, insectorum quibus abundat locus acubus ore deformatum; sed festivum & lætum, Deumque pro exilio in mediis gentibus feris ac barbaris præstito laudantem. Pro suscepto sui causa labore gratiam habet: & cum familiis denuo conciliatis ad confinium iter intenditur.

Martius erat anni 1746. Cum vero ad Ori fauces ventum esset, ubi flumen intra rupes trium fere stadiorum spatio arctatur, evadendi copia defuit. Centurio natatores attulerat; sed aquarum subinde intumescentium impetu adverso inutiles. Postquam dies quatuor semitam per tumulos nequidquam quæsierant, certam universi comitatus perniciem judicarunt. Militum commeatus proselytis impertitus consumptus erat, desiderabanturque radices esculentæ. Infideles de reditu consultabant, & militem venisse pœnitebat, in terra hostili periturum. Ut ope divina siderent cunctos hortabatur Dei servus; cumque nocte quadam invaluisset mœror, de cibo & semita proxima luce consulendum a Deo affirmavit: quo sermone qui omnia sæpe quaquaversus investigaverant, minimum erecti sunt animis, pernoctarunque obmurmurando.

Sed luce prima inter amnis æstuaria certi generis cucurbitarum vident plantarium. *Zupallos* appellant, eximii illac locorum succi & usus escam, quæ pro pane simul & assa pro obsonio vulgo est. Per rupes etiam, quibus fluentum coercetur, apparuit semita perpetui instar podii, qua ægre quidem evadendi fuit locus. Milites, quorum narratione hujus itineris innotuit exitus, miraculum censuerunt plantarium & semitam, utrunque locum prius exploratum testati, semitamque disparuisse post usum.

Refecto circa hoc tempus Salinarum propugnaculo, eam vallem Hispani prædiis & pascuis sensim occuparunt. Ad extremum qua respicit austrum, fundus erat Reductionis, belli tamen causa, deprædatione, & necessitate plane desertus. Ponsii jejuniis restitutus est hac vice; nam synodus, ut appellant, Regis mandato curatoribus Indorum pendenda quotannis, diuque suspensa, simul erogata fuit: quo pretio armenta quædam in vivaria suffecta sunt, majusque foret operæ pretium, si prudentem barbari patererentur œconomiam. Reditus ad Salinas.

Eo qualiquali subsidio, & vicini propugnaculi securitate, incerta sede vagantem gregem in eundem locum, ubi commodius excoleretur, contrahi curatum est. Sed obstacula duo principio emicarunt: nationum, ex quibus Reductio coalescit, disparitas unitati adversa, ut infrequentia divisioni: & quod fides, utique agri vitio, radices egisset minime altas, & invalidas ad incrementum & fructum. Hinc pauci numero, consuetudine discordes, abierunt alii in locum, cui nomen Hispanicum est *a Garrapatas*, alii Tariqueam, Miringam alii, alii denique Mataguaii plerique omnes in Vallem Salinarum.

Hic Pons plures habuit Socios, modici ad ministerium usus, nullumque ferendo diu ex perdita opera mœrori parem: Ipse unus ad obitum huic affixus cruci perseveravit lætus,

tus, ætate, atque diſparato gregi providendi neceſſitate gravatus. Infideles adeundi copiam petere vivus non ceſsavit, ſemper denegatam, eoquod eſset major barbaros commovendi timor ſpe proficiendi.

Ad Mataguajos iter irritum.

Cum timor, qui a Chiriguanis ibi erat, ab aliis gentibus non immineret; præſto fuit indefeſsum Miſſionarii ſtudium ubi ſe obtulit occaſio. Per Saltæ fines in Tucumania, Prætore D. Joanne Eſpinoſa de los Monteros, nova de Mataguajûm converſione ſpes facta. Ut a Pons linguæ perito, ingeniumque gentis experto provincia ſuſciperetur, optatum fuit. Strato jumentorum pare, altero ſibi, Indo qui comes iret altero, totus ad iter conſtitit apparatus per immenſas Tarixæ, Punarum, Xuxui, & Saltæ ambages uſque ad Chaqui meditullium, nec longe a Buruai, quo per boream haud ita pridem intraverat. Spes auditu facta, viſu defecit. Et Ponſio ad Salinas ſuas repedandum fuit, uno ſuſcepti laboris merito. Hinc infidelium duces pacificos adire non potens per nuntios ſæpe interpellavit, & Chriſto conciliare contendit. In baptizatis nihil prætermiſit ad ſolidandam & augendam fidem; ſed irritus in utroque conatus fuit. Non latebat paſtorem, gregis maciem attribui imbecillitati zeli. Deo tamen ſatisfacere contentus arcanis acquieſcebat Providentiæ conſiliis: neque verbum unquam excidit, quo ſe geſtave ſua probaret hominibus.

De Mataguaiis inceptæ.

Pro Chiriguanis ſpem converſionis in extrema ſenectute fecit Ponſio Mataguajûm gens. Anno quippe 1758. illorum triginta tres in Vallem Salinarum eggreſſi, deditionem ſui polliciti ſunt. Veniſse largitionum cupiditate, quibus Miſſionarii proſelytos ineſcare ſolent, ſuſpicio fuit. Ponſius vero credidit, ſincero trahi fidei deſiderio, quia non viri tantummodo venerant, ſed imbellis etiam turba fœminarum puerorumque. Eratque id ad perſuadendum ſatis, ſi gentilibus ſuis Salinarum vallem jam pridem colentibus adjungi peterent, quod dicto citius factu pronum erat. Sed optabant, nova ſede conſtitui in Tucumaniæ finibus e regione Xuxui in ſitu ſeſqui diei iter a pago S. Ignatii diſtante.

Amice accepti & habiti dimiſſi ſunt, ut cum aliis ejuſdem gentis, quos in eadem ſententia conſtantes eſſe dixerant, regrederentur; interea de loco ponendæ ſedis deliberatum iri. Monitus Superior reſpondit, quandoquidem Xuxui & Tucumaniæ fines amabant advenæ, ad Ledeſmæ præfectum vel provinciæ Prætorem remitterentur. Quodſi Patrum opera vellent uti, Reductionem a S. Ignatio tres leucas Ledeſma diſtantem adirent: qua facilius voti compotes eſſe poſſent. Eratque proculdubio congruentius, nam præterquam quod locus erat natali propinquior, & ab infauſto Chiriguano climate remotior, poterat nova ſede Chacoenſium vicinitate confoveri, promoverique oppidorum ſeries, quibus Tucumaniæ tueri fines, & Chacum circunvallare conſtitutum erat.

Dum peregre aberat Mataguaiûm dux, nec reſponſum acceperat, ſæpe miſit ad Ponſium qui denuntiaret, in voto Chriſtianiſmum profitendi ſe perſeverare cum ſuis; nolle ſe quod alii fecerant Patres fallere; ad Xuxui fines propenſum quidem ſe fuiſſe, ſed Chiquiacam vallem, quam pertranſierat, placuiſſe ſuis, quæ ſi concederetur, venturum anno ſequente.

Salinis diſtat Chiquiaca leucas octo, congruum diſtinctæ Reductioni intervallum. Id tamen obſtabat, quod etſi Chiquiaca fundus Reductionum fuit, quarum pars innoxia fuerunt Mataguaii, vallem deſertam titulo compoſitionis adeptus erat Tarixanus quidam civis. At licet id tituli ea lege conferatur, ut nemini detrimento ſit, Indiſque nominatim faveat Indiarum hujus argumenti lex regia, lis tamen eo tempore vitata fuit. Deinceps mota, Platenſiſque Senatus conſulto cauſam obtinuit Indorum pars. Pons vero precibus impetrare a poſſeſſore contendit vallis angulum ubi collocaret Mataguajos, Salinarum alendos armento, & nullo ullius quoad fieri poſſet damno. Gratiæ rogatorem adhibuit nobilem amicum religionis ſtudioſum; ſed incaſſum. Et quidem ardua res erat ex quo ibidem contigerat haud ita pridem. Nam conducta ad agrorum cultum Mataguaiûm quorundam infidelium, ſed aliarum partium opera, conſervorum aliis occiſis, aliis vulneratis, ad notos cum armenti præda confugerant receſſus. Arduum inquam erat, ut donarentur hoſpitio qui cum graſſatoribus forte conſpirabant: nec erat præter ipſorum eorundem teſtimonium quo ſuſpicio diſſiparetur.

Quapropter & prælati lentius agebant, quam ad ſecundandum Miſſionarii zelum oportuiſſe videatur. Nihilominus, ne repellerentur ſupplices, & quia Pons locorum peritus affirmabat, Mataguajos hos nec authores fuiſſe commiſſorum nec ſontes, mandatum fuit, ut venturis ad Chiquiacam obviam procederet, denuntiaretque palam, ſi vellent Chriſto nomen dare, ad Salinas conderent, neophytis ſuæ gentis aggregandi; alibi conſidendi ſpem tunc quidem abjicerent. Mandatis acquievit: & de quinquaginta in Chiquiaca numeratis, ad Salinas quadraginta ſex profecti ſunt.

Poſt Platenſis Senatus conſultum, cujus nuper memini, ad Chiquiacam translati, non diu fuit quin genio indulgerent rebelles, deſtructamque Reductionem prædati abierunt. Abeuntes ægre ſequebatur anus caduca & cæca, quam nepos clava percuſſam occidit: quo ei conſultum frigide affirmabat, ne ab Hiſpanis perfugarum veſtigia ſecuturis, Miſſionis excidium, Miſſionariique injuriam ulturis cæderetur. Miſſionario certe Joſepho Jolis nulla erat de ultione cogitatio. Quin etiam Mataguaiûm cura liber, ad promovendas harum partium Miſſiones, fovendaſque unitate cum Chacoenſibus, poſtquam illi defece-

Digitized by Google

fecerant, a Salinis ad Xuxui fines viam rectam aperire constituit. Eumdem compendio sequar: iterque, licet confectum post obitum Ponsii, hic dabo, ut tandem Chiriguanis, Mataguaiis, & Chaco vale dictum sit. Quatuor menses & dies octo, amplius videlicet quam si Gadibus veneris Bonas Auras; tenuit iter, quod uno volatu confecerit avis.

era Chiguanis Tobas.

Martii septima 1765. Rosario Vallis Salinarum Reductione profectus est cum aliquot sarcinatum commeatu fere inutili. Comitatus principio fuit Hispanorum trium, nigralbi unius, Chiriguanorum duorum, & quatuor Mataguajûm, redactus deinde ad quatuor hos; quorum alter accepto vulnere mancus erat, alter semifatuus. In superandis montium jugis communia patienda fuerunt incommoda per semitas ita declives & angustas, ut si gradus minimum fallat, in immensum præcipitent jumentum & sarcinæ. Ad vitandos hos casus, præstat aliquando per alveos ire saxosos, lubricos, inæquales fluentorum inter montes & cautes decurrentium, quorum unum quinquagies a Missionario transeundum fuit. In Itau valle barbari armati occurrunt pugnandi occasionem captantes, quorum alter caprina pelle a venatore forte discissa galeatus ajebat, ab Hispanis se capite sauciatum. Sed largitionibus & officiis iter expeditum est.

Die duodecima ab oriente declinavit ad austrum, ut amnium Itau & Tarixæ confluentem quæreret. Tres dies per nemora, anfractus, & amnis alveum iter habuit; sed plantarum, avium, ferarumque varietate recreatus. Antæ, quæ *Magna Bestia* dicitur, Elano similis, innumera visa sunt vestigia, sed duo triave tantum capita. Altera canibus instigata præcipitem se dedit impune; altera aquis immersa respiravit, aut certe diu fine respiratione latuit, donec periculum a persequentibus procul abfuit. Recentibus tigridis vestigiis conspectis, arma expediuntur, nec diu post bellua in quendam de Mataguaiis impetum fecit, qui cautus in flumen conjecit se.

Clamoribus & strepitu sociorum & canum agitata arborem adrepit: mox ferreo tubo disploso, dejicit inde se, alium subitura truncum adeo lævem procerumque, ut perhix tantæ molis ascensus fidem superet. Ad occidendam Indi nervos omnes contendunt, ac primo se totos denudant, monentque Missionarium ut togam saltem abjiciat. Noluit ille, neque tanto erat opus apparatu. Pharetras sagittis pene exhauriunt, ad venandum quo viverent deinde desideratis. Osseas & ligneas haud ægre revulsas dentibus manibusque bellua concidebat, & ad imum ejectabat truncum. Ferreas unam & alteram altius penetrantes contempsit, haud aliter ac plumbeam glandem immissam. Nigralbus laqueum admovit hasta ex arbore vicina, quem apprehensum manu tenuit tigris, utque retineret eum contra vim adhibitam, appropinquavit solo. Tandem ab altitudine octo ulnarum projecit se in armatos lanceis transfigenda: detractaque pelle, sagittis, & glande assa in cibum cessit.

Id contigit in trajectu a S. Augustino, qua ad Buruaim iter destinatum erat, ad interpellandos obiter de conversione Mataguajos; sed intercessum est a quatuor hujus gentis Christianis de comitatu, quod immineret cunctis sors Augustini de Castañares, cujus morti duo ex his interfuerant: affirmabantque Burvajanos esse quidem gentis suæ, sed alterius inimicæ tribus, odio rabientis in suam, & in Chiriguanos maxime, qui pars comitatus erant.

Eo conversos, qua fluminis vadum esse credebant, viam octo leucarum securibus sternere oportuit. Expatiantes late aquas dum contemplantur, neglecta sarcinaria jumenta ponte sua transire pergunt: dumque Indi denudantur & adnatant, jam illa ubi erat aquarum major impetus & copia vacillabant, nec gradum regere poterant. Tosti frumenti Indici farina per saccorum rimas sensim elabi cœpit, fluentumque albicantibus lineis diradiare. Carnes siccæ altera commeatus pars humefactæ, ut nec igne, neque sole, continentis pluviæ causa siccari potuerint, in putredinem & vermes abierunt. Hæc conspicati Hispanorum duo clam retrocedunt. Reliquorum una fuit sententia, ultra cedi non posse nisi pedibus, sarcinas fore vere impedimenta: imo potuit ex iis quæ præcesserant, intelligi, pedibus etiam fore impervium iter. Flumen quidem illud nudis equis transmissum fuit per totum fere diem, servatisque armis, & ad coquendam aquam situla, breviario item & crucifixo, Hispanus & nigralbus cum jumentis & reliquo apparatu remittuntur, Reductioni unde exiverant restituendis.

Missionarius cum cæteris per nemorosa & prærupta loca secundum juga montium, quæ Tarixam & Xuxuim interjacent, iter habuit usque ad rivum, ubi vulpe Indorum venatione quæsita cœnarunt. Silvæ majorem partem cannetis constant, & cannis quinque formarum, quarum altera folia fert instar Indici frumenti, sed spinis secantibus horrida. Arundo est solida, lævis & enodis. Noctem qua largissime pluit, sub arbore egerunt; primosque duos menses obtinuit imber vix intermissus. Prima luce per mediam pergendum fuit pluviam victum quæsituris. Inventum alvear septem famelicis modicam suffecit opem, comestis licet cum melle etiam flore, vermibus, cera, apibus parvulis nondum volaticis, & retrimento.

Utut refecti lubricum imbre cadente, vel qui ceciderat, vel perpetuo ut intra densa nemora rore madidi, sequuntur iter invium. Ventumque est post tres dies ad amnem a Vallicella, seu *Vallecito* nominatum, qua Castañares ad Buraim occidendus se contulit, & ubi Pons octo menses precariam inter barbaros vitam egit. Pluviarum copia longe superaverat alveum, & nando trajiciendus erat a Jolis natare nescio. Igitur medius in-

ter Indos natates, brachiis ſublatus & ſiccus evaſit.

Poſt hoc flumen Chiriguani comitatum primo tarde ſequi; deinde diſparuerunt, forte ſibi timentes a Mataguariis infidelibus, quorum hoſtes erant. Infideles vero in campeſtria trans flumen, ut aquoſis tempeſtatibus ſolent, cuncti commigraverant. Septa quædam deſerta reperta ſunt, contra tigrides extructa, quæ mapalibus Indorum aſſuetæ, pueros etiam de ſinu matrum nocte præſertim abripiunt.

Ingruit in Jolium tertiana febris, quæ poſt periodos non ſane multas, ultro ceſſavit, ut alia ſuccederent incommoda, quorum maximum erat ex inedia imbecillitas. Ad inquirendos amnium trajectus opus erat nunc æſtuaria, nunc dumeta ſuperare: & ſæpe trajectus erat, qualis ſequitur. Propter flumen rapidum & profundum ligneorum crates compacta ſunt, veſtimentaque ſuperpoſita. Jolius cum ſolis femoralibus, & Indus natandi imperitus cratem manu arripientes velut remulco trahendi erant. Manco impoſito machinam altera manu librandi datus eſt labor. Duo reliqui præibant, cratem motibus temperatis gubernaturi, ſimul & nando in adverſam trajecturi ripam. His in ſicco deliberatis, ut primum pedes defecit terra, tota ſubverſa eſt moles; & retrogreſſi, qua data cuique via fuit, rationem alia evadendi meditati ſunt.

Secundo flumine ex adverſa ripa tranſverſum vident ſalicis truncum, quem medium fluentum pertingere judicarunt. Alium applicant e citeriore ripa, ut primo conjunctus pontis loco ſit. Biduum tenuis opera, nam Indi confecti erant fame, & ulceribus pleni, quibus deinde etiam Miſſionarii caro ſcatere cœpit. Illud incommodiſſimum accidit, quod truncus oblique cecidit, eratque nimium brevis. Haſtilibus utrunque conjungunt, vimine conſtrictis. Haſtilia ſuperabat aqua, ejuſque gracilitatis erant, ut iis tantum inequitando, ſerpendoque tranſiri poſſet. Imo & opus erat ſic tranſeuntem nervos omnes contendere, ne fluento quod pectus æquabat abriperetur. Jolius prælongis viminibus (*Vexucos* appellant) circa lumbos obligatur, quibus ſi aquarum vi raperetur, in oram trahi poſſet. Evaſit tandem, nervis quidem qua parte delicatiſſimi ſunt haud illæſus.

In alterum deinde torrentem ventum eſt, cui pro ponte ſtipes erat, caſu a ripa dejectus. Ad firmandum gradum lanceam adhibet, qua fundo innitatur. Eam nondum fixam abripuit torrens, Joliuſque lapſus decuſſatis pependit ſupra ſtipitem manibus, aqua renes æquante: neque ipſe noverat qua ratione in eum corporis habitum ſe conformaſſet. Accurrit Indus quam potuit propere; ſingulas ſingulis manibus ex alterutra ſtipitis parte apprehendit, & corpore ſuſpenſo ſeſe librans, pedetentim ad litus appellit, donec gradus firmari potuit. Corporis ex caſu & animi commotione, frigidi torrentis illiſu, violento corporis habitu, Jolium ſpiritus deſerere cœpit. Forte potuit ignis adesendi, & aquæ calidæ potu reparatus eſt. Ire pergunt, ſed quorſum incerti nebula cœlum & terram offuſcante. Dum tempus ſinebat, ex ſummis arboribus explorabant, numquod appareret jugum: idque ob virium imbecillitatem & ulcera, quæ in dies augebantur, difficillimum erat, & quia rara in his regionibus eſt arbor non ſpinoſa.

Ad hæc minimi erat uſus, quod juga viderentur, quando ad ſuperandum nemus, cannetum, præcipitiumve, multis brevi ſpatio erroribus circumagi erat opus: & poſt diurnum laborem eo tandem ventum erat, unde exiveras primo mane. Viſis aliquando recentibus hominum veſtigiis expaverunt, verebanturque infidelium Mataguajûm inſidias; ſed maturius ſpectata norunt, fuamet eſſe pridie relicta. Kurſus poſt dierum quatuor errores eo ſe veniſſe animadvertunt, unde profecti erant.

His mœſti, ſpe cadebant tot difficultatibus emergendi: & quod prius verebantur, jam optabant, infidelium occurſum, qui vel ſarmenticos cibarent, vel errantes in viam deducerent; vel vitæ gravi onere levarent. Trans amnem apparebant fumi; ſed trajectus antea difficilis, poſt tot aquarum incrementa impoſſibilis jam erat. Revelato quandoque ſole, areſcentibus dumis ignem admoverunt; ſed incaſſum.

Incommodiſſimus primis menſibus fuit imber. Per noctem interdum ex paliis, paleiſque tugurium excitabant, quod tegebant cujuſdam urticæ foliis, quæ niſi ventus ingruat, pluviam arcent. Nec eo tantum uſu planta profuit. Eſcam ſuffecit acinorum racemis, qui minores uvæ ſunt, molles & ſapidi. Paxillo excuſſi ſuppoſito excipiebantur galero; nam id genus præ ſpinis nudam manum admoveri non patitur. Fibris abundat caulis, ad reſarciendas veſtes idoneis; calceoſque Miſſionarii ſingulis ſæpe diebus reſuens Indus, fecit ut totum iter perderuerint, quanquam filamento potius, quam pelle conſtabant.

Dum pluviæ poſtremis menſibus ceſſaverant, & procul a flumine gradiebantur, nec erat quo aquam portandam ſervarent, ejus fructicis caule uſi ſunt ad ſugendam, quæ in cavis arborum truncis perennat. Qua deficiente, e maceratis urticæ radicibus liquorem ſat uberem exprimebant, rubrum quidem & inſipidum; ſed quem experti ſunt haud inſalubrem. Ad forte inventum aquarium conſiſtebant, quaſi ad præſentem, præteritam, atque futuram levandam ſitim. Sclopus ad venationem ferrugine & pyrii pulveris inopia inutilis, obſtructis cera luminibus aquæ vehiculo fuit ad extrema reſervatæ, haud aliter atque pulveris vas.

Tot caſuum impatientes Indi Miſſionarium tantum non deſeruerunt, e comitatu ſæpe dilapſi. Die vero S. Joannis pene ad internecionem inter ſe rixati ſunt omnes, etſi la-

cry-

crymas Jolii conſpicati ceſſarunt, iterque diſcordes proſecuti ſunt. Imbribus ſucceſſit denſa cyniphum colluvio, inter humida præſertim ſtagnans dumeta: irritaturque maxime cum dumos removeris. Hi tamen removendi erant, ſcalpendaque terra ſæpe, ad evellendas radices eſculentas.

Miſſionarius, viam per virgulta aperiendi neceſſitate, a pedibus ad media femora nudus erat idque tantum ſupererat de toga, ac de reliqua veſte, quod ſuper induto ſcorteo tegebatur. Hinc papulæ primum & tubera in cruribus, manibus, & ore; deinde ulcera ſanie manantia. Indi quidem minus delicati ſunt; ſed horum aculeus inſectorum in equorum taurorumque pellem etiam penetrat. Evellendi radices difficultas penuriam fecit: itaque fames invaluit, ut forte inventum feræ cadaver, quod pilis & cruribus careret ignotæ, ignota etiam mortis cauſa, ſimul Miſſionarius & Indi abſumpſerint, nec corio temperatum ſit.

Summa tenuit egeſtas uſque ad fluvium anonymum, qui ante Coloratum occurrit, ubi ſatis piſcium obvenit, eorum maxime quos Hiſpani vocant *viexa*, cum crocodilo, qui diebus octo quotquot ibi morati ſunt, cibum ſuffecit. Squamis igne detractis, corium in ſitula elixum ad reliquum iter ſervarunt. Edulium conditaneum ajunt eſſe, egregie ſucculentum, ſed viſco tam tenaci, ut ægre glutiveris. Hac ope alacritas Indorum animis reſtituta eſt, quorum unus medium crocodili caput ſuo ſuppoſuit ad ſomnum, dormientique ſupervenit vulpes, nec expergefacto pulvinum abſtulit. Hunc prima luce quærenti Miſſionarius qui non procul vigilaverat, factum narravit, & ubi oſſa reliqua eſſent. Tunc Indus ajt: Crocodilum heri comedimus; vulpem audacem comedemus cras. Oſſa colligit, & ex lignea crate, ſaxiſque decipula compacta, ſomitem apponit, & vulpem decipit nocte proxima.

Cubantes ad oram alterius amnis lupos aquaticos, ut intercipiant Indi, aquam ſubeunt; torpent enim in ſicco, & faciles captu ſunt. Sed receſſu inſidias præverterunt. Bergit oram perambulare Jolius ſentitque animal inter virgulta ſe removens, quod lupum ſegregatum eſſe ratus, vocat Indos. At erat ferociſſima tigris, quæ vocantem adoritur. Interjacentes dumos uno ſaltu ſuperare non potuit. In fugam ille vertitur. Indi ſtrepunt & clamant: quo & fera diffugit.

Aliquot ante Tucumaniæ fines itineribus Miſſionarius cum duobus Indis præivit duos reliquos, qui adverſa valetudine gradum accelerare non poterant; & tarditate in diſcrimen cunctorum vertebatur ſalus. Spem fecit quamprimum mittendi vecturam & commeatum. Decimanona Julii Ledeſmam arcem ingreditur eo habitu, quo nemo Jeſuitam noverit. De toga id erat reliquum, quod ſuberat ſcorteo: cætera nudum plagæ & cicatrices deformabant. Forte aderat D. Joſephus de Zamalloa Xuxui civis Jeſuitis benevolus, & humanus, qui Jolio ſuas ipſius veſtes accommodavit, toga petita a vicina Tobarum Reductione. Præfectus arcis reſidibus ægrotis opportunam expedivit opem, qui mox in ſanitatem reſtituti, commeatuque a Regio Prætore, & a Jeſuitarum moderatore donati, nota Punarum via ad ſuos remearunt. Huc exiit ſuſceptum primo ad conjungendam montanam Chacoenſemque Miſſionem iter, cujus ulteriorem ſucceſſum, quippe ſcriptum in libro characteris ignoti prætermitto. Ad Pons regrediar.

Brevi itinere cum proſelytorum ſupplemento Chiquiaca Roſarium, in gravi trium & ſeptuaginta annorum ætate confecto, ita eſt afflictus, ut ſex ſeptemve reliquæ vitæ menſibus vix pedibus equove poſſet inſiſtere. Cum adhuc valeret, Tariqueam Socios mittere deliberatum erat, qui ſeorſum finitimos cultarent Indos. Et quanquam defore qui ingratiſſimo excolendo agro libenter addiceretur, ſuſpicio fuit; plures quam opus erat primo nutu operam exhibuerunt: conſtatque ſatis, nonnullum uno inductum deſiderio, vitæ apoſtolicæ documenta a ſene Miſſionario ſumendi. Ponſii obitus.

Quos hominum providentia deſtinaverat ad conſtituendam, ſi ferret uſus, novam ſedem, miſit Deus ad mox morituri ſolatium, extremumque ſpiritum ejus excipiendum. Febre, cujus malignitatem celabat crucis amor, extenuatus eſt adeo, ut pueri quidam quibus innotuit, monuerint, ſenem Patrem ſolito gravius ægrotare. Ægre ut lecto decumberet, perſuaſum fuit; ſed lectus erat crates & equuleus, quo integra valetudine cubabat. Medicamina ſunt adhibita; ſed in deſertis iis conſueta, & quæ in morbis Pons ſuis adhibere conſueverat, ad carnis macerationem utilia.

Sex dies decubuit, quorum primis quatuor dum ſe movere potuit, nullius ſervitium paſſus eſt, quanquam plures Vallis incolæ nuntio, Sanctumque morientem videndi deſiderio, convenerant. Non aliud quod eſſet ſolatio & levamini, quam Sacramenta poſtulavit: Poſtremo biduo non alios quam modicum brachiorum & capitis motus edidit: eo ſignificavit ſe afflictum: rogatuſque a Socio qui aderat, nunquid eſſet quo gravaretur, languida voce *Æternitas* reſpondit. Dum ſuggeruntur ea, quæ ſolatio eſſe poſſint, vivere deſiit 8. Martii 1761. annos natus ſeptuaginta tres, quorum quadraginta quatuor religioſum, & totidem Miſſionarium egit.

Qui morienti aderant, exuvias ut ſacras reliquias requirebant. Sed præter detritas veſtes duæ tantum Crucifixi icones, quas haud ita pridem acceperat, inventæ ſunt, quas jam forte donaſſet, niſi *tembé* Chiriguanorum ornatum ex eis confectum iri vereretur. Vivit perenni ſanctitatis fama inter fideles & infideles, quorum hi Bonum, illi Sanctum appellant. Invaluit fama ex quo viginti poſt obitum menſibus corpus integrum repertum

est, nullo odore tetro, & ne consumptis quidem vestibus, cum tamen jam una putresceret. Ut e vivis decessit, notabilis quædam mutatio in Chiriguanis apparuit.

Qui apud Miringam sedem posuerant, nec sacello unquam tres leucas distanti appropinquaverant, accesserunt ultro. Mapalia disponunt ordine, temploque extruendo quod plures familias capiat, operam conferunt. Eodem tempore cessavit de filiorum disciplina horror parentum, judicantium illos in Patrum servitutem tradi. Jam præter paucos nulli non placet, ut filii legere, & fidibus canere discant. Cessarunt item immedicabilia pridem scandala sine pudore, ut nemo non christiane vivat, aut se vivere simulet. Inconstantia quidem gentis ea est, ut timeas, mores aliquandiu mutare velle ad variandum. Viri apostolici meritis & precibus ante Dei faciem forte fit, ut ea sit mutatio dextetæ Excelsi, ac de miraculis unum, quibus post mortem servorum Dei sanctitudo probatur.

Ante obitum aliqua vulgata sunt, quorum nullum est certius Christianarum virtutum & morum cultu. Plura latent, tum quod vitam religiosam & apostolicam seorsum majorem partem egerit peregre incomitatus, aut in Reductione solus, aut inter barbaros, quibus minimo virtus est; tum quod elinguis in rebus & laudibus suis erat. Sunt nonnulla, quæ celare non potuit.

In se macerando crudelis erat. Venit ab Indis in collegium tertiana laborans, indictaque est potio ad sudorem. Decumbere jubet præfectus valetudinis. Decumbam, sed in lecto meo, simul ait atque in medio pavimento sternit ephippia: id lectus & cervical erat. Stragulum extendit: id lodix & sudones. Tunc præfectus, non hoc ajo, sed ut commodius jaceas quam soles, & parato strato nunc saltem uteris. Victus id etiam, inquit; sed ne me quæso cogas vestes exuere: quod dixit ne videret centones potius quam vestes intimas, in quibus deerat indusium. Atqui id etiam morbus postulat, ut corpus vestimentis exoneres. Calceos detraxit, sed cum ad tibialia ventum est, obstupuit socius. Erant ex pelle, quæ nunquam exquo primo erant induta deposuerat, jamque vetustate & humore contracto putruerant cum carne, quæ saniem per rimas ejectabat. Cum hærerent ulceribus, minutatim secanda fuerunt: unaque trahebantur marcidæ carnis frustula, multo doloris odio sensu.

Cibus domi, quod ex indico frumento suis manibus macerato pugnus caperet, insulsum ut plurimum & sine condimento. Lac erat aliquando procupediis. Quodsi apud alios hospiti carnes apponerentur, sumebat parcet si domum mitterentur, Indis tribuebat. Cum mulus, quo vehebatur, per prærupta præceps corruisset, ossa humeri luxata sunt. Ad Hispani, qui prope habitabat, domum invitatus, ut benefactum commutaretur petivit, dato ad collegium triginta distans leucis vix comite. Ut aptata fuerunt ossa, Reductionem repetit. Iterum luxatis Orozis usque contendit. Ossibus disparatis, aut male collocatis, hernia gravi cui nulla medicina fuit, ulceratis cruribus, capite in omnigena intemperie nudo, in summa etiam reliqui corporis interiori nuditate, per loca invia, inhospitalia, & infrequentia, mirum est tot vices & casus ad extremam usque ætatem potuisse pati.

In Dei cultu variis exercitiis distincte assiduus erat. Notavit sociorum quidam, sæpe jam surrexisse cubitu, cum ipse cubitum iret: & duas treisve orationis horas sacro præmittere consueviſſe, quod sub auroram peragebat. Celebranti socio & aliis, siqui erant, aderat præsens: postremisque vitæ mensibus, cum genu flectere non posset, humili sedebat scamno. Sacram ædem mane & vesperc frequentabat. Iter agere seorsum amabat, ad orandum: quod curioso speculatori ex silentio, modestia, reverentia, & crebro oculos ad cœlum levandi usu persuasum fuit. Quod galerum nunquam non sub brachio gestabat, equitans etiam capite nudo, ad reverentiam qua Deum ubique præsentem contemplabatur, referendum sit.

Commoditatem celebrandi de via nunquam prætermisit. Et ne pergendi necessitate prohiberetur, ut primum per privilegium Missionariis Indiarum concessum licebat, maturabat sacrificium, horam sæpe ex comitatu, aut ex sideribus scisciatus. Officii divini pensum explebat ad focum crebro lucerna carens: aliquando sub æstuante sole, etiam dum poterat in umbra recitare. Precatoriam coronam vix unam deponere videbatur: ac de libris quos paucos habebat, unus hoc argumento vertebatur, unde documenta petebat & exempla, quibus preces id genus fidelibus commendabat.

Libri reliqui erant *Rodericii Praxis*, *Parræ Lux veritatum æternarum*, & *Flos Sanctorum*, quos mane & vesperc versabat, iis commixti ratus quidquid doctrinæ ad sui & proximorum sanctificationem ex usu est. In primo videlicet solida religiosæ perfectionis documenta; in secundo veritates æternas ad illuminandos & convertendos animos; in tertio sibi & proximo profuturæ virtutum exempla. S. Josephum tenero affectu colebat, de cujus dignitate, eo loquebatur animi sensu, ut cultum ejus probaret audientibus.

Communicatione cum Deo serenitatem, alacritatemque in summis periculis & adversitatibus comparabat. Deum ubique sibi præsentem intuebatur: & mentis cordisque ad eum recursu, qui ex usu facilis evenerat, quiescebat imperturbatus. Vitæ imminentes insidias ut vitaret, nunquam quod sciam instituto iter obliquavit, aut concitavit gradum, aut statum sommum posthabuit. Sed Angelus viarum comes Dei consilio servavit incolumem. Cum cibaria distribueret Indis, quidam ei datum displicuit; Dei servo in os involavit. Monitus ab Indo Hispano, apud quem con-

se-

ſederat, accurrit, ut audacem caſtigaret; reperitque Pontium cœpta ſenſim proſequentem, atque ſi nihil adverſum intervenisset. Eadem alias cauſa afflictum ad terram a Caciquio quodam, raptatum, & ad arborem alligatum, atque ſubjectum ſcuticæ ſolvit Hiſpanus, agno manſuetudine ſimilem.


Pari tranquillitate ferebat injurias temporum; *Bene habet, amicus amicum*, dicere ſolitus, cum aſperrima fremeret tempeſtas. Quanquam iter agens tentorio carebat, oblatumque a ſæcularibus recuſabat quantumvis invitatus, aliquando cum Sociis eo utentibus ire contigit. Nocte quadam præ ſumma ventorum & pluviæ vi parari non potuit, dumque ſub nimboſo dio pernoctabant, ingemiscebat Pons: Gratias Deo, qui Miſſionariis noctem dat nobis.

Religioſæ profeſſionis obſervantiſſimus fuit, ac primum pauperiatis. Ut interiorem celaret nuditatem, veſtem extimam reſarciebat ipſe, calceos laſcentes clavis accommodabat. Toga utebatur ex goſſypio male texto, pejus tincto: & pro ſtragulo quod uſu & vetuſtate in fruſta dilaberetur, *poncho* quod vocant, pullum ad mortem uſque adhibuit: quod tantummodo ad celebrandum ſacra deponebat. Septuaginta jam annos nato volui præſes de lecto conſulere: quem ille ſupplex rogavit, ut pauperem ſe, qualis vixerat, mori ſineret: jam aſſuefactum, ne ſanitatis cauſa novitatem honeſtaret. Cubiculum diu fuit adeo incondita lignorum, quæ juncorum viminibus ſtringebantur ſepes, ut cancer præter oſtium libere permearet.

Narratione commiſi contra caſtitatem horrescebat. Rubicundi amans accolæ, ut illac iter habens Miſſam celebraret, verbum Dei & ſacramenta miniſtaret, ædiculam excitarunt, minime quidem ſumptuoſam, cui faces admovit, monitus eo divertiſſe conjugatorum par? denuntiavitque, ut qui ſacrorum ſe miniſtro participes eſſe vellent, aliam alibi ædem erigerent. Erigendæ illico manus conferunt, rerum divinarum puritatem veriti, & ſacerdotis ſanctitatem. Cum adverſantium, Indorumque moroſitatis tam patiens eſſet, fœminam domus atrium ingreſſam ferre non poterat.

Obedientiæ laus eo major fuit, quo longius a prælato vitam egit. Illius ſententiam & conſenſum ad minutias exquirebat per litteras, vagis facultatibus nunquam uſus, dum recurſus pateret, mandatis ad verbum obtemperans, & judicium quod rerum experientia ſuggerebat in dubiis, abſentis prælati dictamini poſthabens. In Reductione ſtatum collegiorum ſervabat ordinem, moto ſuis manibus tintinnabulo. Et focius fuit, qui teſtatur, nunquam viſum Inſtituti ſui regulam, vel minimam tranſgredi.

Divinæ gloriæ zelo potiſſimum ardebat: nec Dei timoris univerſis inculcandi occaſionem prætermiſit. In Reductione præter brevia quædam inconſtantis devotionis intervalla, parum diſtinebatur Indorum confeſſionibus. Sed a Vallium incolis crebro rogabatur, cum ſacerdotum penuria, tum ſingulari in Dei ſervum fiducia. Eratque in Reductionem Salinarum frequentiſſimus ruſticorum accurſus, qui locorum diſtantiam equo ſuperabant, de animorum ſalute ſoliciti. Sociorum nihilominus inutiliſſimum habebat ſe, ne in tanto meritorum theſauro humilitatis pretium requiras. Minimi videlicet apud eum erant quadraginta quatuor anni ſolicitudinis indefeſſæ, & operæ ad honorandum Dei nomen, cultumque promovendum in gentes barbaras fidei, & lucis inimicas.



HI-

HISTORIÆ PARAGUAJENSIS

LIBER VIGESIMUS SEXTUS.

ARGUMENTUM

Nova apud Chiquitos oppida. Caipotoradum, & Tapujum reductio. Missio P. Antonii Guasp. Gasparis Troncoso. Tunacborum reductio. Oppidi a Corde Jesu exordia. Missio P. Narcisi Patsi. Obitus P. Guasp. Capti Guaicurui tercentum. Mbajarum reductio. Oppidi Bethlehem fundatio. A. S. Joanne Nepomuceno.

1750.-67. Novæ apud Chiquitos sedes.



Elicius excolendæ & promovendæ Christianæ rei apud Chiquitos & Mbajaës ad Paraguariæ boream adlaboratum est. Ab anno 1750. condita sunt apud Chiquitos oppida quatuor præter id quod ad Paraguais oram occiduam destinatum erat. Excisо partium adversitate Zamucorum pago australi, cognominis alius octo ad boream S. Michaelis leucas substitutus est. Ad ejusdem orientem leucis novem posita sedes a S. Anna. A S. Jacobo pagus viginti & octo leucis ad orientem S. Joannis: duodecimque ad Jacobopolis ortum, qui a *Corde Jesu* nomen habet. Pristinarum sedium hæ coloniæ ex parte sunt; neophyti quippe quotannis excurrere consueverunt ad conquirendos infideles, qui prioribus oppidis aggregantur. Hæc vero numero gravata coloniam parturiunt, deducta simul aliqua proselytorum tribu. Atque reciproco usu venit, ut dum colonia numero crescit, matrici vel alteri pago tot novæ gentis capita restituat, quot cicures jam Indos acceperat.

Caipotoradum & Tapujum Reductio.

Hoc consilio anno 1755. condita est Reductio a S. Jacobo in Chaqui finibus, ubi contra barbaros infestos bellica virtute opus est. Colonis adjuncti sunt novi Caipotorades & Tapujes, quorum hi pacem amant, illi bellum. Igitur Caipotorades Jacobopoli ad tuendos Christianitatis fines relicti sunt; Tapujes ad S. Josephi translati, ubi securi vivant.

Missio P. Guasp.

Caipotoradum conversio diu optata fuit, sed incassum suscepta usque ad annum 1754. Cum Didacus Contreras esset S. Joannis oppidi curator, sociusque Antonius Guasp, gentem universam in suæ regionis confinia convenisse nuntiatum fuit, ut dum plueret, de aquatione certa, iter intenderet ad Missiones. Quanquam de nuntio dubitatum est, quod alias fefellerat, ne forte si ex vero esset, elaberetur occasio, Guaspius cum quatuor neophytis obviam procedere ad excipiendam constituit.

Duodecim Caipotorades ethnici, qui ad S. Joannis diverterant, viæ comites ultro se dedunt, cum familia redituri. Horum princeps *Boxojé* probatæ bonitatis senex, Missionario fidus, comis, & obsequiosus suis officio præibat. Christianis ad preces convenientibus, ethnicos ethnicus ille convocabat, & pronus supplexque aderat. Eos hortabatur, ut cum familiis ad ovile Christi venirent: apud suosque Patrem siquis offenderet, ipsi tuerentur. Hæc officia præstanti sperare se ait aliquando Guaspius, nec infidelem moriturum, nec inter infideles. Et mortuus quidem est aliquot post annos in S. Joannis, baptismo lotus.

Maxime commendatum fuit Guaspio, ut apostatam ejusdem gentis Joannem Quiriquiri reducere niteretur, quem Contreras in consuetis excursionibus conciliaverat. Adolevit in S. Joannis, Christianam doctrinam, & idioma Chiquitorum didicit. Baptismi, & matrimonii sacramenta inter Chiquitos accepit. Mox vero uxore derelicta fugit ad suos, apud quos annos viginti vixerat trigamus, & prole suscepta non una. Missionariis maledicebat, convertendisque popularibus erat scandalo.

His mandato & comitatu profectus est Guaspius Dominica Quinquagesimæ 24. Februarii 1754. Prima die Boxojé cum suis ad stativa convenit sero, sarcina donata cucurbitarum retardatus, qua tota expediti sunt ipsa nocte. Postridie tunicas singulis distributas, velut impedimentum ad iter, alius post alium in sarcinam deponunt, nec eas de cætero adhibendi subiit cogitatio Indico more nudis. Ad saxa quædam ventum est ferramentis acuendis inutilia, quibus dono datas securiculas tam impense refricarunt ut plane corruperint, causati apud suos non esse cotes, sicque dandam acuendis operam, ne in posterum esset iteranda.

Ursum formicarium procul conspicati, per medias densissimas vepres venatum accurrunt. Impacta capiti clava stupefactus primo; dein iteratis ictibus occisus est. Portando humeros supponunt tres. Missionarius vero experturus qua ratione se gerant, Christianis innuit, ne dent igniarium. Nec id illis in mentem venit, ut peterent. Dum ignem hi excutiunt palorum attritu, illi terram effodiunt, scrobem prunis ardentibus implent: ursum eo raptant, & adhuc cruore manantem, & modice torrefactum discerpunt, unaque sessione consumunt.

Animadvertit in secunda statione Boxojé, crucem pro baculo in his excursionibus adhiberi solitam, solo infigi a Missionario, crucifixumque a pectore detractum ex ea suspendi, atque sua sponte convocatis infidelibus author fuit, ut genuflexi crucifixum adorarent.

Digitized by Google

rent. Puduit Miſſionarium quod ethnici officio præiverant : cavitque in poſterum, ne prætermitteret debitum.

Poſt dies ſeptem obviam fit Caipotóradum familia quinque capitibus conſtans, ex quibus natum eſt, amiſſa, quod jam diu non pluerat, aquationis ſpe, gentiles ſuos ad interiora regionis ſeceſſiſſe. Ad S. Joannis ut ipſi concederent perſuaſum fuit, indicatis aquariis. Sed puntius de infidelium receſſu Chriſtianorum animos fregit Miſſionarii comitum. Jam de itineris ſucceſſu deſperabant, angoremque augebat tigridum copia, quæ de nocte rugitu conſternabant, per diem recentibus veſtigiis exterrita jumenta fugabant, unde caſus equitum & labor.

Conſtiterunt ubi olim P. Joannes Baptiſta Xandra, dum hos ipſos quæreret infideles. Locus erat haud ita pridem deſertus, ruderatus, ollarumque fragmentis, & fructuum eſculentorum oſſibus plenus. Cyniphum turbo locum citius mutare compulit, contra quorum aculeum nullum in veſte præſidium erat. Miſſionarius cum peſtem eam audiſſet diſſipari pali ſancti (a) fumo, rete ad quieſcendum inter aquationis ejus ligni, quo regio abundat, angos ſumentes collocari fecit, ſed incaſſum. Infideles de comitatu, quanquam principio neſonis ad abigendam in nudas carnes plauſibus haud immunes ſe eſſe ſignificarunt, ſenſim tamen rarius plaudebant, ac tandem ſopor tenuit immotos.

Rati, Caipotorades, quos quærebant, victus cauſa eſſe diſperſos trans nemus vicinum ad ſuperandum accingunt ſe. Arctam ingrediuntur ſemitam, virgultorum nexu, aqua & luto, atque ſoli inæqualitate obſtructam. Poſt mille paſſus equo deſcendit Miſſionarius in pedes, equod lutum æquaret ephippia ; ſed immerſo ad genua crevit labor. Tunc incepto deſiſtere ſuadent Chriſtiani & ethnici ; ad metam perveniri non poſſe ; progrediendum certe, quo longius eo difficilius. Qua vobis iter, ajebat ille, mihi non ſit. Verum replicabant illi diſcrimen, qui nudi, vel leviter induti gradiebantur. Hæc colloquentibus in conſpectum venit propter ſemitam planities quædam aperta, eodem circunclusa nemore. Ut ibi conſiliat ſuadent eum duobus Chriſtianis, reliquos cum Boxojanis apoſtatam deſideratum quæſituros. Operam ſpopondit Balthaſſar Pachuris S. Joannis organœdus cum altero ex quatuor ; & acquievit Miſſionarius tum quod laſſitudine fatiſceret ; tum quia multum credebat ituris. Poſt commendatum Deo itineris ſucceſſum, nuntii cum Boxojé digrediuntur, lacrymis Balthaſſari & Miſſionario obortis.

Planities erat paleis operta in clivum deſinens, de cujus radice parcus emanabat latex. Ingreſſos adoritur denſum beſtiolarum agmen (*garrapatas* vocant Hiſpani) importunum & acerbum. Ad abigendum, paleis ignem admovent, quo longius & opinione citius propagato circum obſeſſi ſunt. Sed evaſerunt tandem non impune. Nox ſupervenit multo fulgure & tonitru minax, præceps deinde nimbus, ſub arboris tegmine tolerandus. Nemoris, ultra quod infideles eſſe credebantur, latitudo trium quatuorve leucarum erat, perſuaſumque, miſſos brevi redituros.

Cum vero poſtera luce nondum adeſſent, duo reſides triſtia meditari cœperunt : nuntios fortaſſe ab infidelibus interfectos ; apoſtatam non reperiendum ; repertum nulla reducendum vi : ſtationem eſſe incommodam : regredi oportere. Guaſpius nunc audita diſſimulabat, nunc ſolabatur mœſtos, affirmabatque, vacuum ſe non rediturum. Deo fiderent, qui dum vult ex feris oves facere novit & poteſt. Nox ſequuta vices levi caſu mutavit, ut neophyti gaudio Miſſionarius novo mœrore mox deponendo afficeretur.

Inſomnem tenebat ſuſpenſum miſſorum tarditas, cum avis noctuæ magnitudine par ſummam arborem inſedit, qua rete pendebat, carmenque exorditur adeo lugubre, ut vigilantis animum angore compreſſerit. Quæ hæc avis, comites ſuos interrogat ? Qui reſponderunt, *Vazaquitis* nomen habet apud nos. Præficam triſtiſſimam rogat ut abigant. Et illi, te contriſtat, ajunt, quod nobis lætitiæ cauſa eſt. Majores noſtri infidelium venatores audito *Vazaquitis* exultabant, quod plangeret diabolus infidelium jacturam. Majores veſtri, replicat Miſſionarius, veſani ſint : vos auguriis ne credite. Quandoquidem Chriſtiani ſumus, ſpes noſtra in Deo ſit, qui charitas & miſericordia eſt, eumque per Chriſtum ejus filium deprecemur.

Poſt avis diſceſſum ſoporatus vidit per ſomnium ovium paucarum gregem detonſarum, & plane depilium ad ſe confugere, nec animum advertit, niſi cum poſtridie nuntii, Miſſioniſque ſucceſſus apparuit. Ut officii divini ſolverat penſum, de comitibus alter lignatum receſſit ad conſervandum ſtationis indicem fumum ; alter aquatum ad ſcaturiginem, quam ſupra dixi, binos teli jactus diſtantem. Interea Guaſpius, accepto *Contemptu Mundi*, caſu incidit in cap. 47. libri 3., cujus ſententiis angor omnis diſſipatus eſt, & cor dilatatum. Dum hæc mente verſabat, lignator e ſilva clamat *Mazauca*, *Mazauca* : *Ad arma*, *Ad arma* : qua voce aquali rejecto ſimul advolat aquator : & arcus intendunt.

Sed erat miſſus Balthaſſar, quem pone ſequebatur cum filiis Joannes Quiriquiri. Arma ſeponunt neophyti, genuflexique cum Miſſionario gratias Deo reddunt. Præit Balthaſſar ad conſuetum munus oſculum ; ſed lacrymarum teneritudo ſermonem intercepit. Venit cum apoſtata Aſoné amica cum filiis quinque, ancilla gente Tunacha viginti circiter annorum, altera vidua cum filio annorum viginti quatuor,

(a) Palum-ſanctum appellant *Guajacán* lignum ; forte propter virtutem lui venereæ adverſam.

tuor, egregio corporis habitu, & fœmina quædam ætatis mediæ, nupta in S. Joannis cum infante quem lactabat. Cuncti numero duodecim, nudi penitus ut venerant, circum Patrem conſederunt: quem ovium ſomniatarum memoria tunc ſubiit.

Commode ut facultas erat habitis, Boxojes mandata retulit Balthaſſar, ne expectaretur eo loco, ubi nec hominibus nec jumentis cibus erat, quod ex vero affirmavit. Ad S. Joannis repedarent; ſe uxores ſuas quæſitum ire, ad Reductionem cum Indis quam poſſent plures, deducendas. Reliquos viæ comites poſt ſuorum veſtigia in diverſum eſſe profectos. Tarditatis cauſam in tanta propinquitate fuiſſe Aſonées repugnantiam. Hæc vero per interpretem timorem ſeparationis ab amico cauſata eſt. Quiriquirius vero Chriſtianorum ultionem de iis quæ contra eos & Patres egerat verebatur. Sed Miſſionarius a Chriſtianis & a Patribus ſecutum eſſe juſſit: ac de ſeparatione nihil timendum, cum mortua jam uxore legitima, matrimonio jungi poſſent.

Ægre perſuaſum fuit, ut iter aggrederentur; ægrius, ut primis diebus ire pergerent, leviſſimis de cauſis tergiverſantes. Apoſtatam adortus eſt octo palmorum coluber, quem deinde occidit Balthaſſar: de filiis unus offendiculo læſus fuit: canis macerrimus & verminoſus eum ſequutus interiit. Ex quibus auguratus infauſta retrocedebat. Triduana poſt commeatum exhauſtum fame in regione ſterili angor invaluit. Ad reficiendas vires ſtativa poſita ſunt in tractu *Otutais*, quod genus palmarum eſt, ſilveſcente, cum diſtantia jam major defectionis amoverat periculum.

Tunc ait Guaſpio Quiriquirius, nuditatis inter Chriſtianos pudere ſe: induſium daret. Quod in præſens non habebat, cunctis in oppido daturum pollicetur. Interea quiddam quod oculos offenderat, monet ut corrigat. Primis itineribus ne imbecilles averterentur, diſſimulaverat, quod ultra ferre non potuit. Juvenis proſelytus, cui nomen *Pichate*, & Tunacha mancipium ſoli aquatum, lignatumque ibant, ſub eademque lodice cannabacea cum juvenis matre cubabant. Eum mancipii congreſſum ut prohiberet, monuit herum Miſſionarius: diſſimulatum ſatis: qua ratione vivendum inter Chriſtianos doceret. Monita confidentius reſpondit illa, quamvis ambo ſimul incederent, ſimul & cubarent, abſtinere de reliquo, neque paſſuram ſe quod nondum ex more gentis licebat. Et ex ingenuo reſpondentis habitu ſimile vero apparuit. Miſſionarius fidem ſimulavit: incertum quid res habeat. Certe Aſone, quæ ſe legitimam Quiriquiri uxorem eſſe credebat, curatori Contreras, eos deinde rite conjuganti affirmavit, non alium ſe unquam noviſſe virum: idque moris eſſe apud ſuos. Qua ratione id conſtet cum climate, cum tanta libertate atque barbarie, cum nuditate, cum indiviſa conſuetudine, ubi nulla politia, habitatio, pudor eſt, multos præterit, pauci credunt. Etſi non plures duodecim Caipotorades erant, lætus atque plauſibilis fuit Miſſionis exitus, quod remoto apoſtata obice minus impervia viſa fuit reliquorum converſio. Perfecta eſt tandem novem poſt annos Miſſione duplici P. Gaſparis Troncoſo.

Ineunte Martio anni 1762. a S. Jacobi profectus eſt cum ſeptuaginta neophytorum comitatu: ſeptemque diebus ad loca ventum eſt, quæ pridem gens frequentaverat; ſed novæ Reductionis vicinitate receſſerat inde quantum per aliarum gentium licebat fines. Biduum ſiſtitur ad explorandum ex ſummis arboribus focos, quorum conſpecti ſunt quinque. Innotuitque deinde, gentem annonæ penuria, quam crebro patitur, in totidem partes eſſe diviſam, ſiliquarum vero tempeſtate convenire tantummodo, vel cum aquis decreſcentibus piſcatus uber eſt.

Miſſio prima P. Gaſparis Troncoſo.

Ad propinquiorem inter auſtrum & occidentem focum, nemus erat ſuperandum virgultis & tribulis intricatum, maxime *haqatis*, quod certum eſt carduorum genus. Altero die poſſe ſuperari crediderant; ſed vix dierum ſex labor ſuffecit. Ad nemoris oram relictis cum cuſtodia impedimentis, Miſſionarius cum aliquot Indis medium penetrat. Tertia luce in arctam ventum eſt ſemitam, aqua redundantem, quæ per intervalla genua æquaret, ut ad pernoctandum ægre ſtatio reperta ſit, nulla non tinnulis culicibus infeſtiſſima.

Quinta luce, dum animi cadere cœperant, apparuerunt recentia barbarorum veſtigia, qui poſtridie conſpecti ſunt. Antevertit cum paucis Miſſionarius, quem ut vident, cuncta fœminarum puerorumque turba diſparuit, quatuor tantummodo viris reliquis. A Guaicurus, qui confines ſunt, & numero plures, multa paſſi erant: nec ita pridem interfecti alii, alii ex imbellibus capti. Certi vero adventum eſſe amicorum, cantu, & notis clamoribus dilapſos revocant. Illico adſunt nonnulli, qui e proximo rei eventum explorabant. Alii qui prius abierant victus quærendi cauſa, tardius acceduht, nullo tamen diffidentiæ ſigno.

Cunctis dono diſtribuit Troncoſus mel, quod eo conſilio ſervaverat: adituſque exponit cauſam. Libenter ceſſuros reſpondent, ſi omnes populares adeſſent: prope abeſſe, vocatum ituros ſe. Inſtat Miſſionarius, ut ipſi ſequantur, ad reliquos deinde rediturus. Idque contendit, quia ex viſis focis falſum noverat, gentiles reliquos abeſſe prope, & ne ſi adforent univerſi, quidquam adverſus Chriſtianos auderent.

Mos gentis eſt, cum eo venit ubi eſcas ad dies aliquot fore ſperat, locum purgare, & mapalia quæ ſuſpenſa, aut ad arborem alligata binis conſtant ſtoreis, circum diſponere. Purgant vero locum, non quod de munditiæ cura ſit; ſed ne ſpinis offendantur diu noctuque ſaltantes, & quia terra cubant ſtrata ſummi ponderis, nullius fomenti lodice, qua tota ſimul familia per hiemem tegitur.

Non

Non procul ab hac ſtatione ſuam collocarunt Chriſtiani, moniti a Miſſionario, ut infideles viſitarent, & conſilia ſua ſecundarent. Poſtridie mane aſſenſum præſtiterunt; & ne cunctatione tepeſceret, iter maturatur. Commeatus aberat retro cum impedimentis; ſed erat apud ethnicos cujuſdam generis ſilveſtrium fabarum copia, quæ bina, vel trina coctione amarorem deponunt. Harum ſaccos humeris imponunt neophyti, ut ſuas ethnici ollas, lodices, ſtoreaſque portare poſſint.

De via novit Miſſionarius reſtare ſenem cæcum cum puerulo, quo utebatur duce. Regreſſus invenit hominem caducum & decrepitum, quem portare impoſſibile, deſerere inhumanum viſum eſt, maxime cum puer dux gradus etiam ſuos regere nondum noſſet. Deferendus fuit per dumoſum & paluſtre nemus, nunc aliis ſuccolantibus, nunc pedibus ſuis paſſim offenſatis & labantibus, donec ad ſarcinas ventum eſt. Incommoditas minor ex eo fuit; ſenem tamen Chriſtiani portare pergunt ſandapila; animo quippe linquebatur, ut ante terminum ad baptiſmum diſponendus fuerit & abluendus. Quinquaginta capita Reductioni addita ſunt, elapſis aliquot in ſilvæ trajectu, exactiſque itu & reditu diebus triginta & octo.

Miſſio altera. Tribus poſt menſibus exeunte Junio Troncoſus idem cum Jacobæis & Joannitis, ac tribus Caipotoradum proſelytis, ad colligendum poſtremas gentis reliquias proficiſcitur. Julii 21. ad dumoſam quandam planitiem ventum eſt: unde miſſi exploratores de recentibus veſtigiis, ac de latratu canis audito referunt. Sarcinis ibi depoſitis, & jumentis cuſtodiæ traditis, cum hamachis ſeu penſilibus lectis, atque Indicæ farinæ commeatu, ſi forte longius abceſſiſſent ethnici, pedites viam aggrediuntur & neophyti ſub armis.

Noctem totam iter cemit, auditique ante lucem infidelium cantus. Trans amnem conſederant, cujus aqua remos pertingebat. Erat hiems, & Chriſtianorum cohors frigore noctis, vigilia, & itinere fatigata; ſed ante diem barbaros aggredi oportebat. Suos Miſſionarius in utramque ſtationis partem turmatim divi dit, cum mandato ſe clam continendi donec tubæ ſonitum audirent. Ipſe cum paucis, & tribus ejuſdem gentis ac linguæ proſelytis cunctatus, donec miſſi barbarorum manalia circumvallent. Nihil ſenſerant obſeſſi, dum Miſſionarium audiunt per interpretem loquentem. Tunc rati, quod poſtea faſſi ſunt, impetum eſſe hoſtilem, in fugam ſe convertunt conſternati; ſed ad tubæ paratæ ſonitum latentes palam excubant. Obſidentium paucitate circumvallatio perfici non potuit, & qua data via nonnulli dilapſi ſunt. De reliquo, velut cum primum intra plagas continetur ferarum aut avium grex, tumultus erat, ſed minime eruentus. Infidelium huc illuc motus erat ad elabendum; & Chriſtiani arma oſtentabant ad ſalutem. Ut norunt barbari, officioſum eſſe amicorum aditum, quievit turbatio, & alloquium paſſi ſunt.

Fateor Miſſionis hujus ſpeciem eſſe martialem. Sed frange nucem: ſucceſſum & finem reſpice. Multi ſedentes in tenebris, oppugnationibus his illuminati ſunt, ut pacis veræ ſemitam ingrederentur. In ſe receptis cibaria diſtribuit Miſſionarius, quæ licet una Indici frumenti farina conſtarent, magni habita ſunt inopia preſſis. Biſcentum & quinque capita recenſita ſunt præter elapſos, quorum dum expectatur reditus, pars commeatus ad ſarcinas relicti defertur. Miſſi ſunt, qui fugitivos revocarent, ſed pauci eo die recepti ſunt, pauci etiam poſtridie, quanquam latus clamor aſſas carnes tota nocte comeſſantium longe potuit exaudiri.

Cum non plures redirent, præſenteſque vellent Miſſionarium ſequi, duobus principum perſuaſum eſt, ut cum Chriſtianis aliquot ad conquirendos irent; paucis enim certa pernicies a vicinis hoſtibus imminebat. His expeditis reditum cum reliquis maturat modicis itineribus. Tertia die qui deſiderabantur, adjuncti ſunt nonaginta tres numero, exultantibus præ gaudio univerſis. Poſt ſacrum gratulatorium eo deſerto celebratum; trecenti & duo numerantur proſelyti, pago S. Jacobi addendi. Hujus oppidi Chriſtiani goſſypinarum copiam togarum obviam mittunt, quibus omnes induti ſunt, ut dum in primo aditu ſe ſiſtunt tanquam fidei candidatos, longius emicaret in triumpho pietas. Illico frequentari cœpit quotidiana catecheſis: rogatique poſt tempus aliquod probationis gratia, num vellent ad natalia redire loca, negaverunt, quod melius in oppido res cederet, nec conſanguineis jam reductis alibi erat quod amarent.

Tunachorum Reductio. Eodem tempore reducendis Tunachis adlaboratum eſt, qui tandem in pagum *a Corde Jeſu*, non procul a locis quæ prius incolebant erectum, convenerunt. Propius ortum quam auſtrum S. Jacobi vagabantur: & quia ſpes illac erat aditum ad Paraguaim ſternendi, eos aggreſſi ſunt Jacobæi cum P. Narciſo Patſi Octobri labente anni 1757. In infidelium conſpectum ventum eſt poſt dies quindecim, quibus manu aperienda via fuit per nemora, vel dumos alioquin impenetrabiles. Equites duo Chriſtianos primo conſpicati, cornu ſimul inflant, atque nuntium effuſo curſu retro deferunt.

Mox apparuerunt pedites armati, totoque fucati corpore, inconditis clamoribus & ſaltibus, quales ante prælium edere conſueverunt. His animos ad pugnandum acuere, eſt qui putet; ſed ſaltare potius crediderim ad hoſtium tela declinanda. Certe cum regius dimenſor Paraguaim ſubiret ad Xauruum, ad oram occidentalem qua Tunachi vagantur, viſus eſt qui ſaltus ſimiles irrequietus ederet: neque tunc pugnam ciebat, ſed navigium curioſius contemplabatur.

Monuit ſuos Patſius, ut pacatos ſe exhiberent, rem Deo commendarent; ſed caute incederent, ſiquid forte adverſum barbari molirentur. Appropinquabant pedetentim neophyti:

ti: utque clamores & saltus exaggerabant ethnici, nova ipsi signis & gesticulationibus comminiscebantur pacis & benevolentiæ documenta, donec eo ventum est ut audiri possent: Salutem dicere se velle, tunc vociferarentur; non prælium movere: se fratrum haberent loco, qui res suas communes esse vellent. Infideles autem aut loquentes non intelligebant, aut amicos nolebant. Jubet neophytos Missionarius munuscula jacere, cultros, secures, & reculas id genus. Tunc quievit clamor, nondum tamen se credebant. Quæ conjecta erant, accipiebant quidem: & nonnulli Christianis invicem conjecerunt serta florea, & alia quædam. Hos vero dum manu altera munera jactabant, altera telum arctius premere animadversum est. Cultrum erecta manu ostendit Missionarius cuidam. Sed donum illiberaliter aspernatus ait elata voce: Dum te occidero, cultros habebo tuos: nec erit quod tibi acceptum referam. Addidit: Id tibi male non cadet, qui ad cœlum ibis: & ego dives ero. Hunc porro domestica barbaries non totum infuscaverat.

Tranquillatis de animarum immortalitate sermonem habuit Missionarius, de vita & morte æterna, de bonis quæ Christianos manent, de pœnis infidelium. Responderunt quædam non penitus absona, & quæ in posterum spem facerent. Non procul inde vagari Guaicuticas, gentem ferocem audacemque: qui si de adventu vestro (ajunt) certiores sint, vos rebus vestris spoliabunt, nos & vos de medio tollent. Cum nihil consilio proficeret Missionarius, nec vi ob neophytorum paucitatem proficere posset, ignarus etiam locorum, & infidelium quos nominaverant, ut conciliatos & amicos haberet in posterum, retrocedere constituit, proditorium facinus machinantibus ethnicis.

Christianos eminus sequuntur usque ad noctem: excubiasque speculati delitescunt. Dum prima luce per semitam utrinque dumosam incauti gradiuntur, impetum tigridum instar, nulla de tribulis cura faciunt. Consternati neophyti, nec potentes fugere, inter virgulta quærunt latebras. Ab hoste investigati, alii se tuebantur, alii clam se continebant. Patsius in media constitit semita, caput Deo devovens. Christianorum unus oppidi Conrector, ut eum videt impeti a quatuor barbaris, e latebris in medium exilit, arcum intendit, aggredientes continet & fugat. Tres neophyti desiderati sunt, & ea causa mœsti cæteri remeant, cœptis tamen non desituri.

Patsii missio altera.

Mense Julio anni sequentis 1758. secundo profectus est Patsius cum armatis tercentum: nec tanti ut pridem stetit, quod in barbarorum conspectum venerit Augusti decimatertia. Timuisse videntur cædium patratarum ultionem, nam primo occursu in fugam præcipitem conversi sunt. Soli quatuor equites restiterunt, quorum unus ejus audaciæ fuit, ut Christianis quotquot erant, cædem minaretur. Sed ut eos vidit simul atque benevolentiam præ se ferebant, nimium appropinquare, terga vertit, demonstravitque universos cursu superare. Bidui spatio vestigia secuti, triginta & unum assecuti sunt, Reductioni addendos. P. Franciscus Lardin, qui Missionibus his Præfectus erat, expertus paucos in silvis reliquos sat esse ad perturbandum, avertendumque reductos, Missionariis ne cessarent, author fuit, dum restaret vel unus. Ad conquirendos ipse profectus est: quos cum non invenisset, situm oppido a *Corde Jesu*, ubi constituendi erant, elegit.

Cœpta prosequitur Tronsosus cum aliquot neophytis, octoque illius gentis fœminis: quarum aliæ oculorum valetudine affectæ, aliæ lassitudinem causatæ, a Reductione defecerunt, reditum pollicitæ post integratam sanitatem & vires, traditis velut obsidibus Missionario pueris quatuor. Nondum cessaverat aquarum tempestas, cum anno sequente iter repetit Patsius. Sed palmetum quod frequentare solent, plurium leucarum spatio aquæ inundaverant. Mense Julio, quo alias aquæ subsidisse solent, reditum est; nondum tamen aruerat palmetum. Ad transmeandum accingitur nihilominus, humeris imposito commeatu, aquarenes attingente, usque ad clivum, in quem æstuarium desinere videbatur; sed præcenindum fuit aliud post clivum alius, duriusque quos tegebat aqua magis intricatum.

Triduanum fuit iter id genus: quod tamen Deo dante nullius valetudinem affecit, cum contractus ea locorum humor nimium perniciosus vulgo sit. Aqua emergentes excepit solum cretosum adeo tenax, ut ægre pes evelli posset. Ad hæc post alias confectum iter, infideles non comparebant, prope exhausto commeatu. In communi omnium mœstitia ex summis arboribus funus apparuit quasi tribus passuum millibus distans. Ejus diei reliquum quieti datum est, & postridie mes Tunachi, qui Missionarium comitabantur, ad gentilium suorum alloquium præcedunt. Quibus dum commodum lautumque habitum silvicolæ gratulantur, Missionarius supervenit, ad votum paratos invenit. Suam ipsorum obiit miseriam, nuditatem, inopiam, & ab hoste metum: quid vivi, quid mortui, si Christiani sint, sperare possint: quid si pagani meminere debeant. Unde quinquaginta mori suos, quorum aliquos indutos, & liberaliter in oppidum acceptos cum Christianis pluribus remisit Tronsosus, ut reliquos suæ gentis ad sortis suæ communionem invitarent. Convenerunt omnes tandem bis centum numero, qui deinde ad oppidum divini Cordis cum colonis e S. Michaelis pago deductis transmigrarunt.

Reductionis a Corde Jesu primordia.

Oppidum hoc condidit anno 1761. P. Antonius Guasp supra memoratus, quem cum S. Michaelis pago leucarum centum dilato spatio, plus mille repetitis itineribus conficere oportuit, ut consummaret opus. Victus anno primo fuit oryzæ parum, habitationque undique apertum quinque ulnarum magale.

Illud incommodi accessit, quod prima interierint sata: fuitque acerbissimum Antonio, quod suorum famem, & ex fame dispersionem præcavere non potuit.

Conditoris obitus.

Ad promovendum hac parte apostolicas excursiones, altero a novi oppidi fundatione anno, prodiit P. Josephus Chueca ad orientem versus. In amplissimum venit lacum, fortasse Paraguais amnis late spatiati sinum. Ut loca penitius lustraret, novamque sedem poneret, si ferret usus, eodem profectus est Guaispius cum Chiquitis quadringentis anno 1763. Quinta Junii, cum ad lacus oram stativa locasset, salutatum accedunt septuaginta fere Guaicurui seu Mbajae, si hæc sunt ejusdem gentis nomina, ut putat horum curator Josephus Sanchez Labrador. Guaicuruos comitabatur Inda Christiana gente Parisis, quæ lusitanice loquens, Lusitanis Mbajaarum boream occupantibus serviviſſe creditur. Per eam Guaispius de locorum situ & natura lumen accepit: Guaicuruisque manifestavit consilium sedem ibi ponendi: quod illi gratum fore simularunt. Munusculis donatos invitat ad oppidum. Concedunt triginta sex, qui mensem Missionarii largitatem, neophytorumque experti sunt. Grati animi documenta præstabant illi specie sincera: ægre ferebantque siquid adversæ suspicionis intercederet.

Conciliatos plane credidit Guaispius, utque cœlum converrendis propitiaret, tot diebus quot in oppido morati sunt, frequente populo coram Venerabili Sacramento litanias recitabat. Post mensem barbari hospites de officio rependendo, visitandisque suis locis Missionarios interpellant. Annuit Guaispius, adscitis septem tantummodo neophytis, qui commodata Guaicuruis jumenta custodirent. Ut se illis fidentem probaret; errore duplici, nec plures ire voluit, & hos voluit exarmatos. Neque tam dolendum, quod semet in vitæ discrimen conjecerit, quam quod nova ea ecclesia patratis cædibus cruentata sit, interceptusque illac conversionum cursus. Quatuorcentum armatos in primo adhibitos itinere, & in secundo adhibere oportuit: notamque diffidentiæ purgare necessitate se ipsosque Guaicuruos a barbaris nationibus tuendi. Sed incautum hac via manebat laborum corona.

Augusti 19. quo die progressurum erat agmen *a Cruce* prædio septem a Reductione leucas distante, perfidum consilium explosum est. Chiquitos viderant Guaicurui exarmatos; veriti nihilominus, ne in prædio cepissent arma, exploratores accedunt, specie securim postulandi ad cædenda ligna. His natam occasionem referentibus, gladiis, lanceis, & clavis, in Missionarium simul & comites, atque in villæ custodes fit impetus, dum perfidorum aliqui fœminas & pueros manu capiunt. Missionario guttur abscindunt, binos ictus acinace capiti impingunt, & frontem clava ea percutiunt vi, ut oculi exilierint. Cum septem viæ comitibus villici duo desiderati sunt. Capras abducunt fœminas majori ætate sex, novem adolescentulas, & sex pueros. Fœminarum par de via tergiversantium obiter interficiunt.

Ad capiendum equos secesserat villicorum quidam, qui ex auditis clamoribus veritus id quod erat, arcum intendit: quatuorque Guaicuros se adoriente dum solus arcet, palam fecit quid paulo plures possent non imparati. Ex armento & re familiari quod quisque grassatorum potuit, abripuit. Villicus sua virtute incolumis, postquam abierant, quo audierat clamantes accedit. Missionarii Breviarium discerptum, & sacras aliquot icones offendit, cadavera nuda, & Missionarium, cui cor adhuc palpitabat. Lugens P. Antonium inclamat, qui dum languentes manus in Cœlum elevat, & in pectus iterum deponit, vivere desiit. Cadaver nocte proxima oppido *a Corde Jesu* restitutum est.

Patria Majoricensis erat. Factus sacerdos anno 1745. cum esset annorum triginta, Missioni Chiquitorum addictus est, quibus curandis reliquum vitæ devovit. Nondum eo pervenerat, cum humero imposita est crux, nunquam vivo deposita. Cum enim Samaipatæ montium juga peretransiret, mulo decidit, fregitque os humeri, curationis inscitia nunquam solidatum. Reductionum fines ingressus obviam singulas lustrantem præfectum habuit, a quo incommodissimam stationem, ubi major esset gentium conversionis spes, petiit & impetravit; missus ad Zamucorum pagum septuaginta leucas distantem a reliquis; quo antequam eo veniret, incolarum dissidiis excito, magnam laborum partem fortius est ad reliquias conservandas.

Michaelitarum curio totus fuit in excolendo grege. In Quadragesima præsertim mira erat ex sacris concionibus commotio, quas sæpe auditorum & oratoris fletus intercepit. Post concionem Indi flagris cædebant se, & misericordiam summis clamoribus implorabant. Adolescentem quendam male habuit, quod occasionem peccandi removisset curio: illapsusque nocte media dormientis caput securi, abscindere adortus est. Ternos iteravit ictus, quibus levi sauciatum vulnere reliquit. Alius, cujus castigaverat mores, media item nocte cultrum arripuit, & prioris consilium perficere voluit, seram tamen non valuit excutere.

Ad Caipotoradum, Tunachorumque Reductionem non mediocrem operam contulit: novamque sedem ipse cum suis Michaelitis condendam suscepit, ea tantummodo lege, ut a *Corde Jesu* nominaretur: id enim cordi erat, ut alte imbibiti divini amoris documenta quoquo modo vulgaret. Postrema calamitas, si nomen hoc cadit in cædem ea causa per Guaicuruos illatam, non inopinato venit. Nam licet ab iis, quos tam liberaliter habuerat, quique fidem inconcussam profitebantur, interficiendum se non crediderit, ejus tamen gentis furori occubiturum aliquando, jam diu

ſibi perſuaſerat, crebroque affirmabat.

Septem comitibus author fuit, ut confeſſionis & communionis ſacramentis ante diſceſſum animos expiarent. Eumque inſpiratis non vulgaris mortificationis & patientiæ exercitiis diu ante præparaverat Deus ad ſacrificium, quo tandem ſublatus eſt. Obiit die Veneris, quem cultui divini Cordis nominatim dicaverat; & quo a menſe Majo, dum primum ad Guaicuruos iter aggreſſus eſt, totius diei jejunabat inedia, uno tantum aquæ calidæ potu.

P. Joſephus Sanchez Labrador ad Mbajaas miſſus, Guaicuruos ſanguinem Guaſpii tunc lambire neſciebat, cum literis 22. Auguſti anni 1763. triduo videlicet poſt patratam cædem datis ad provinciæ præpoſitum ſcripſit: „Gratias Deo, qui ex feris oves ſui gregis facere novit. Jam fera Mbajaarum gens contra Chriſtianos rabire deſiit: amatque ut plurimum pacem, quæ miſſorum adventum ſecuta eſt. Procul ſubinde venit ad experiendum, num vera ſint, quæ a gentilibus ſuis peregre narrantur, nec ſenſa niſi admirationibus explicat.“

Eiſdem literis ait: „Guaicurua gens eadem eſt atque Mbajaarum. Per leucas pluries centum, utramque Paraguais oram occupat. Hodiedum amnem accolunt ab occidente quinque ſexve dynaſtæ, orientalibus his ſanguine junCti, quorum duo ſedem hanc haud ita pridem viſitarunt officioſe, & quinque dierum hoſpitio conciliati receſſerunt. Officium rependere me velle denuntianti reſponderunt, gratiſſimum fore cunctis adventum meum. Ita credo ſubjunxi, neque adire metuo. Ad quæ dynaſtæ: Ecquid eſt quod a filiis pater metuat? Filii tui ſumus Mbajaæ univerſi: & quemadmodum illos inter ſe, & te decet apud nos libere vagari. Hac utimur fiducia.“

Si Guaicurui Paraguais ad occaſum accolæ Guaſpium adorti, ejuſdem generis ſunt atque Mbajaæ reducti reducendive. Adde, ſi forte ſunt iidem qui Sanctium officioſi viſitarunt, egregia ſane confidendi cauſa eſt. Officiis ne crede gentis infidæ: nec feras ovibus adnumera. Timenda eſſe nego aut vitanda vitæ pericula; ſed cognoſcenda, aggrediendaque impigre dum majoris Dei gloriæ ſit; neque enim in moriendi diſcrimine, neque in morte quidquam eſt quod virum apoſtolicum abſterrere debeat, cum Dei cauſa vertitur. Bonorumque cœleſtium copia fœcundabitur ager ingratiſſimus, quem rigaveris ſudore & ſanguine.

Capti Guaicurui 300.

Ineſcatis Guaicuruis cœptorum ſucceſſu, ad majora erecti ſunt animi. Menſe Decembri anni ſequentis Imonoös adorti ſunt gentem pacificam, capitum numero tercentum, jam jam Reductionibus aggregandam. Majoribus ætate viris interfectis, ac fœminis, parvulos in ſervitutem redegerunt. Dynaſta Golanigi, aſcitis Pajaguais aliquot, Tobis, & Tevenis numero tercentum, pagum a *Corde Jeſu* vaſtare conſtituit, poſt villam occupatam, in quæ dynaſta idem Guaſpium occiderat: deſtinatuſque fuit, cujus manu caderet Joſephus Chueca Guaſpii ſocius & ſucceſſor. Explorantores miſit, qui per excubias jam cautiones neophytorum capti, præſto adfore turmam reliquam confeſſi ſunt.

Hoc nuntio Chueca centum oppidanos ad villam deduxit, ſimul atque convenerant eodem alii centum e conſuetis excurſionibus. Guaicurui priuſquam ad villam pervenirent, arma depoſuerunt; quod in amicitiæ documentum vertere. Hunc placuit, cum villam opinione magis munitam viderant. Accepti ſunt perinde ac ſi fides haberetur. Chueca vero cum Guaicurui Chriſtianos pedites, mediamque partem ab excurſione defeſſos, equitatu & numero antecellerent, illos ad oppidum invitavit. Annuunt, frequentes ad villam accurſu vacuum immunitumque fore tati. Nocte proxima utrinque vigilatum eſt; & poſtridie 24. Januarii 1765. iter equeſtre Chueca & Guaicurui, pedeſtre lentius neophyti ſuſcipiunt.

Hora decima ante meridiem lxatis habenis perveniunt equites ad oppidum, ubi armatorum tres centuriæ reliquæ erant, quarum conſpectus infidelium conſilia ſubvertit. Equorum curam in ſe recepit Chueca, qui ne fœminæ & pueri expaveſcerent, arma penes ſe ut relinquant orat. Ægre, quod male diſſimularunt, depoſitis lanceis, clavas retinent, cultros, & acinaces. Et fuit qui ſeorſum, vel ſe loquentem non audiri, vel non intelligi ratus ait: His ad Chiquitos opprimendos ſatis eſt: quod neophyti ſui compotes diſſimularunt.

Ut cibarentur, in domos diſtributi ſunt. Duces vero monuit curator, ut dum ære campano ſignum meridiei fieret, omnes in vincula conjicerent: quod illi ante executi ſunt, quam erat mandatum, vinctis ſimulatque diſjunctos viderant. Illico denuntiatur, ut e Reductionibus reſtituerent captos: quam ob rem fœminam ſuæ gentis olim his oppidis aggregatam mittunt cum Chriſtianorum præſidio. Redemptores ut vident captivæ, in lacrymas effuſæ ſolicitæ rogant, num Pater vivat, num ſui fratres interfecti ſint. Ex eoque fletus erat, quod de infidelium conſilio noverant, dum parabant iter. Quatuordecim capita recepta ſunt, jurantibus qui pauci domi remanſerant barbaris, perdituros univerſa Reductionum oppida, niſi vincti abſolverentur. Quo devenerint hæ minæ latet; tunc vero ad faciliorem cuſtodiam in remotiora Miſſionum loca diſtributi ſunt capti.

Mbajaarum Reductio.

Diu antequam pagus a *Corde Jeſu* ad occaſum Paraguais inſtitueretur, inita fuit ad orientem Guaicuruorum, ſeu Mbajaarum reductio, cujus incœpti narratione id hiſtoriarum abſolvam. Mbajaas appellarunt Hiſpani Paraguajenſes Indos, qui ad ejus præfecturæ boream per utramque fluminis vagantur oram, a Xexui amne prope tropicum uſque ad ſedes Luſitanorum. Guaicurui quoque dicuntur nomine in alias gentes derivato, inſtar Mbajaarum infeſtas. Illi vero ſe dicunt *Eyigua. Eyiguis, ſeu Palmeti incolas ab Eyigua*, quod pal-

palmarum genus eſt in locis, quæ maxime frequentant, vulgare.

Veſcuntur cervis, damis, ſtruthionibus, tigridibus, urſis formicariis, & ſilvaticis aliis. Paraguais, quem illi vocant *Aguidi*, aliique amnes per illorum rura Paraguaim influentes, piſces ſufficiunt, interdum ratos. Si vero adeo providi, & œconomiæ ſtudioſi forent, ut principio vulgatum eſt, ſiccatis poſſent diutius abundare. Edunt etiam colubros immanes, & crocodilos in æſtuariis, & paludibus innatos, diverſarumque medullam palmarum, quam nunc mandunt, nunc molunt mortariis: & ex ea quandam conficiunt farinam, dulcem quidem, ſed aſperam.

Principes dedecet famis impatientia, dum cibo carent; non tamen aſſiduis indulgere comeſtationibus, dum copia ciborum eſt. Greges equorum curant ad equitandum, quos etiam vendunt Paraguajenſibus, & cum gladiis, mercibuſque aliis commutant. Vaccas alunt, ſed raras: ut ſub Reductionis initium vix quindecim penes cunctos inventæ ſint, cum ovibus biſcentum. Harum carnibus abſtinent Mbajaæ, non tamen Guanæ illorum mancipia. Mirum, ſed ita proditum eſt, quod qui nec colubris parcunt, nec buſonibus, vervecinas faſtidiant carnes. Ad mancipia ſpectat quantulus eſt agrorum cultus, ad quem hortanti Mbajaæ reſpondent: An ſumus Guanæ? Hi vero ſementem faciunt ſedendo. In foroboculum ſcilicet vulgari palo factum a ſedente granum immittitur; quo terra cooperto, clunibus reptabundi procedunt.

Eſcarum inopiam paſſi locum ſæpius quotannis mutant, humeris impoſita ſe tota familiari, & domo ipſa, quæ portatilis etiam eſt. Ea conſtat ſtoreis juncorum qui in æſtuariis tres ulnas alti ſunt. Pilæ ſunt pali canni cacuminati. Minimo flatu corruit, ſtanſque aquis undique imbrium pervia eſt. In ollis eſt ſupellex tota, & lancibus quas fœminæ conficiunt, atque furcula ex qua centones ſuſpendunt. Mares Indico more nudi ſunt, niſi cum frigoris cauſa lodice convolvuntur. Nigro & rubro toti colorantur; ſed rubro abſtinent ominis cauſa, dum bella gerunt. In feſtis, quæ bacchationes ſunt, cingulo utuntur crepitaculis æneis, aut pro facultate argenteis clavis diſtincto, plumeis brachialibus, capillari vitreis lapillis ſplendente, immanibuſque anulorum nexibus ad aures, quos ex conchyliis & dactylorum oſſibus elaborant. Omnes fœminæ goſſypinis operiuntur ſtragulis, ipſarum vel ancillarum opera textis. Nec mares, nec fœminæ comam promittunt; hæ tamen quandam e capillis criſtam relinquunt in vertice.

Bellica laude Mbajaæ decorantur, quæ tota nititur hoſtium negligentia. Arma ſunt arcus, lanceæ, & clava quatuor palmis longior, quam *nebó* appellant. Aliquando Cujabaenſes colonos, ſæpius & infeſtius Paraguai agros adorti ſunt, nunquam non clancularia fraude. Prima luce ut plurimum irruunt, dum ſclopos dormire arbitrantur: ſat etiam lucis ac diei ad abigendam armentorum prædam poſt interceptam paſtorum habituri. Moribus ſunt brutis, ut omnes fere Americani ſilvarum. Monogami; ſed uxores equo facilius mutant. Rara mater binos habet filios; reliquos in utero vel in infantia perimunt.

Niguenigis, quos & prophetarum & medicorum loco habent, totos ſe credunt; quorum ars medica in excitandis clamoribus animis, corporibuſque fugendis verſatur. Id maxime cavent circulatores hi, ut dum curatio peragitur, procul a tugurio ſint ſani, alioquin vita, aut oculorum viſu privandi. Omnium morborum cauſam inde repetunt, quod animus abſit a corpore. Hoc ſuctibus iteratis emundant, illum clamore vocant abſentem, ut ad habitaculum jam mundum ſe recipiat. Ad nubes ſe ſpiritu corripi ſimulant, unde futuras tempeſtates, peſtilentias, & calamitates ſpeculantur. Animorum & *Latenigi* genii, neſcio cujus aut qualis, viſa fingunt. Salute deſperata, animum abire ſignificant, non rediturum.

Tunc propinqui jacentis vultum pigmentis infucant, & equos interficiunt, ut mortuis mortuus inequitet. Humantur communi ſepulcreto, quod *napigo* appellant, & ornant ſtoreis, ollis, & pilis, quæ vivorum ſupellex eſt. Tempore luctus, quod mortuorum conditio determinat, certis abſtinent eſcis & fuco, capillos non tondent, domi ſe continent, donec dynaſta lætos eſſe jubeat. Alia ſenſibus impervia de pœnis, præmiiſve poſt mortem non norunt, vel nota non explicant.

De ſui origine interrogati reſpondent, ſe natos ex ovis, a neſcio quo volatili excluſis. Alii ſubtus terram a cane indagatos, & in lucem editos. Canem eſſe oportet ex iis quos Guaranii appellant *ae*, nam vulgares non ejus antiquitatis ſunt apud Mbajaas: etſi alicubi in primo ad Americam adventu inventos fuiſſe, eſt qui narraverit. Sed nec eſt cur verſimilitudinem requiras in depilati cerebri commento. Rogati, a quo ante ſepulti, quam nati ſint, hærent. Illud negant, creatos ſe a Chriſtianorum Deo, qui ſuis dedit vaccas, oves, & calceos, non ſibi; quidquid enim ex iis habent, non Dei dono, ſed rapto acceptum referunt.

Frequens Mbajaarum Aſſumptionem adventus obeundæ Miſſionis occaſionem fecit. Cum aliquot Jeſuitæ in ſuburbano prædio ruſticarentur, acceſſit Mbajaarum manus, quorum duæ loci procuratorem officioſe rogat, ut ibi res ſuas liceat deponere. Quærentibus Jeſuitis, vellet-ne ſe in regione ſua legis Dei nuntios, reſpondit, Miſſionem ſibi, ſuiſque fore gratiſſimam, excluſo per jocum uno illorum pinguiſſimo, quod tantum pondus, ajebat, equi non paterentur.

Iterum profectos ad urbem Prætor D. Jacobus a Sancto Juſto liberali apud ſe recepit hoſpitio. Dum epularentur, animadvertit adſtantium quiſpiam, Indas duas fœminæ principis intentas obſequio ſpectatrices tantum eſſe. Eas jubet comedere. Quod cum domina intel-

tellexiſſet, ad gravitatem compoſita ait: Me coram non auſint. Hinc apud Mbajaas incognita non eſſe perſuaſum fuit honoris ſenſa; ſubordinationis, imperii, & œconomiæ gnaros eſſe, in vitiis etiam gentibus aliis ſolertiores. Quare & ſpes facta, cultura & Miſſione proficiendi, quam multi expetiverunt.

Plurimus de his erat ſermo, cum provinciæ præpoſitus Alphonſus Fernandez exeunte anno 1759. collegium viſitaret. Quia vero Mbajaæ redituros ſe promiſerant, conſtituit, ne prætermitteretur occaſio dum ſpes ſibi conſtaret: monitum ſe Miſſionarios ſuffecturum. Mbajais ex condicto regreſſis idem erat votum. Uxor maxime dynaſtæ negavit, pedem inde moturam ſine Patribus, nec alios velle ſe præter quam nigros. Tunc Prætor ad Provincialem dedit litteras in hæc verba: „ Sæpe Mbajaæ, qui trans Xexuim habitant, converſionis ſtudio Societatis ſacerdotes poſtularunt. Nunc vero votum inſtaurant, maxime de principibus una. Duos treſve Socios ut mittas rogo, qui ſaltem voti nucleum explorent, & coram videant, an ſit Reductioni locus. De Guanarum converſione hac via ſpes eluceſcit. "

Deſignatus eſt Joſephus Sanchez Labrador Theologiæ profeſſor, & Joſephus Martinus Matilla Guaraniorum curator. Sed nondum accepto mandato, ut Mbajais reditum maturantibus fieret ſatis, dati ſunt ejus Collegii Socii duo. Egregium tunc Prætor pietatis & religionis exemplum Paraguariæ præbuit, ſtipe oſtiatim corrogata, ut quod de ſuo large donaverat, amplius fundo novæ Reductionis accreſceret.

Inſtructi pro facultate Miſſionarii cum infidelibus profecti ſunt. Brevi tamen ſeorſum incedere oportuit, negantibus Mbajais ſat cunctis jumentorum eſſe. Quodſi medio itinere neceſſitate diſcedendum erat, præſtare, ut illico Patres iter aqua ſuſciperent. Habita fide, ſcapharum par juſſu Prætoris expeditur, quo Manduviraam ultimam ad boream præfecturæ arcem ventum eſt.

Hinc ſeptima Aprilis 1760. progreſſi e navigio per orientalem Paraguais oram exquirunt ſigna cum Mbajais pacta, quæ cum non reperiſſent, Socii Aſſumptionem repetunt. Judicatum ibi eſt, minus accuratam fuiſſe indaginem, quod non pervenerint miſſi ad Ipaneguazui oſtium, cum Mbajaarum loca ulteriora ſint. Sed gens citra Ipaneem æque habitat atque ultra, cum Xexuis pro confinio ſit. Pronum eſt ad fidem, & barbaros poſt diſceſſum minime fuiſſe de Miſſionariis ac de Miſſione ſolicitos, quos illorum unus acerbaverat.

Quo die ſimul iverant, miſſorum alter barbaris ſignificabat, ut ora pigmentata lavarent. Eos male habuit admonitio, quibus non alia ſunt corporis ornamenta; perinde ac ſi ingenuus veſte, quam oſtentare amat, denudari juberetur. Eſſet forte qui principio ad conciliandos animos vultum etiam ſuum inficeret, ut barbaros in eo quod peccatum non eſt imitatus, obſequentes haberet tempore & loco.

Dum iter inutile fit, mandatum de Reductionis conditoribus Aſſumptionem pervenit. Condita fuit nomine *Bethlehem* a Xexuis oſtio ad boream trium dierum itinere. Nomen deſtinatum erat *S. Maria a Bono Conſilio*, ut voto ab ejus provinciæ procuratore Matriti nuncupato fieret ſatis. Sed Prætoris Paraguajenſis devotione prævaluit *Bethlehem*: primo illo Reductioni reſervato, quæ a Chiquitorum & Sanctæ Crucis partibus ad Paraguais oram occiduam oblineata erat: qua circulus illae, & tamdiu optatus Miſſionum earum nexus claudebatur. Bethlehem Reductio.

Ad condictum locum venerunt Socii tempore ad ſationem opportuniſſimo, quod ibi in Majum incidit aut Junium. Sed præter ſpem ſit, id genus hominum laborem etiam ſibi commodum protinus ſuccolare. Et Mbajaæ, qui Aſſumptione viſi ſunt haud impigri rei familiaris & publicæ cultores, inventi ſunt apud ſe barbari, ingrati, vecordes, cupidi, ſuperbi, fures, otioſi. Ad laborem hortantem Miſſionarium dedignati remittebant ad famulos. Sed erat December jam ad ſementem intempeſtivus: neque frumenti granum terræ crediderant, tam famuli quam heri. Serviſſe vix uti videntur, præterquam ad curandos equorum greges, quibus utinam careret.

Miſſionarios ſecutæ ſunt aliquot Guaraniorum familiæ, novæ Reductionis ſupplementum, quorum & Patrum, qui & ipſi terram exercebant, exemplum nonnihil paganos movit; anno quippe proximo illorum octo qualem qualem ſementem fecerant. Anno 1762. copioſa provenit Patribus Indici frumenti meſſis, fabarum, mandiochæ, bataratum, & cannæ melliferæ, ex quibus diſtributis Mbajaæ plures anno ſequente menſe Auguſto lætiora ſata paraverant. Miſſionem eſculentam barbari appetunt: & eſcas ut habeant, neceſſe eſt ad Miſſionis profectum.

Boum etiam armenta corrogata ſunt, ut carnium amore contineantur pagani, ſimul vivant, & facilius erudiri poſſint. Singulis diebus ſingula capita cadebant. Pars familiis Chriſtianis viginti, ducibus Mbajaarum tredecim, ſanguine pueris Guaraniis viginti tribus ſervato reliquo veſcebantur Patres, & Mbajaarum pueri. Ante prandium Labrador ſe cruce ſignabat genuflexus, Mbajaarum ſermone, catechiſmum proferebat guaranice verbatim reſpondentibus pueris, donec gentis idioma ſatis calluit.

Ante annum catechiſmum verterat, dictionariumque produxerat ad litteram P., præceptis grammaticalibus adnotatum. Ad culmen properabat ædes ſacra: qua perfecta, inſtituenda erat ſchola. Jam baptiſmum ſuſcepeverat dynaſtæ unius hæres, aliique plures erant baptiſmi candidati. Longe tamen abeſt, ut his Reductio ſolidata ſit. Hi repente rumorum inter Indos & ſuſpicionum turbines excitantur, ut tota rei ſumma labet: repente turbo quieſcit. Nunc Miſſionarios diris devovent; men-

mendaces appellant, & pejora calumniati sunt, Christiani alicujus instinctu: nunc cessantes piget, quod solum illi mutare possint. Gentis pars major Missionarios desiderat: fœminæ puerique fidei mysteria nosse appetunt. Id negligunt majores ætate viri; sed non contemnendum operæ pretium est, quod tranquille vivant, & vivere desinant, dum filii sensim a patriis degenerant moribus.

Guanarum reductio.

Guanas per Mbajaarum mancipia notum fuit septem frequentare pagos ad occiduam Paraguais oram, quinquaginta fere a Bethlehem leucis. Eos convenit Labrador anno 1761.: quos cum reperisset missionis cupidos, crux in loco maxime conspicuo erecta fuit, plaudentibus universis. Sed missio non ante annum 1766. instituta fuit a P. Emmanuele Duran. In eadem ora occidentali situm habuit primum a *S. Joanne Nepomuceno* dicta. Agri vero ad orientalem oram attributi propter fluvium Aabam, alias Tepotim. Coli jam cœperant; sed anno 1767. cessatum est.

A Guanais-Etelenis proditum fuit, anno 1761. impetitos se ab hostium globo, ut indicia ferunt, Paulitanorum. In silvam confugisse cum imbelli turba, in se tamen receptos vindictam meditatos fuisse. Vestigia sequuntur, donec fumum inter boream & occasum conspicati, eo iter intendunt. Per silvam penetrandum fuit in campestria desinentem, ubi tuguria quædam, vaccæ, & equi conspecti sunt. Pastores fuga dilapsos Christianos esse certum fuit Etelenis, incertum essentne Xaurani, an Chiquiti. Id indagare adortus est Labrador anno 1767.: ac dum eodem conversus ire pergit, optatam inter Missiones viam aperuit stravitque. A Chiquitis ad Paraguariam regressus, dum mente recogitat religionis commoda ex invento provenire nata, captus ipse cum Sociis Hispanis est, & exterminatus. In Paraguaria Regnum partis adjunctum cujus naturæ sit, in tranquilla ubique, tam in Missionibus, quam in Civitatibus, singulorum deditione palam est.

FINIS.

DO-

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCUMENTA,

QUIBUS

HISTORIA PARAGUAJENSIS

COMPROBATUR, AUT ELUCIDATUR.

Digitized by Google

DOCUMENTA
QUAERUS
HISTORIA PARTICIPATIONIS
COMPLICATIONIS AUT RELIGIONIS

Digitized by Google

DOCUMENTA,

QUIBUS

HISTORIA PARAGUAJENSIS

COMPROBATUR, AUT ELUCIDATUR.

I.

Relatio Ferdinandi de Ribera.

1545. EN la Ciudad de la Aſcenſion (*a*), que es en el Rio del Paraguai de la provincia del Rio de la Plata, à tres dias del mes de Marzo año del Naſcimento de N. S. J. C. de mil quinientos y quarenta y cinco años, en preſencia de mi el Eſcribano publico, y teſtigos de iuſo eſcritos, eſtando dentro de la Igleſia y Monaſterio de Nueſtra Señora de la Merced Redencion de cautivos, parecio preſente el Capitan Hernando de Ribera, Conquiſtador en eſta provincia y dixo, que por quanto al tiempo que el Señor D. Alvar Nuñez Cabeza-de-Vaca, Governador, Adelantado, y Capitan General de eſta provincia del Rio de la Plata por Su Mageſtad, eſtando en el puerto de los Reies, por donde entro à deſcubrir en el año paſſado de mil quinientos y quarenta y tres, le embio y fue mandado con un vergantin y cierta gente à deſcubrir por un rio arriba, que llaman *Igatu*, que es un brazo de dos rios mui grandes, el uno de los quales ſe llama Icareati, y el otro Iaiba, que ſegun la relacion de los Indios naturales vienen por entre las poblaciones de tierra adentro, y que haviendo llegado à los Pueblos de los Indios llamados Xarajes, por la relacion que de ellos huvo, dexando en el puerto el vergantin à buen recado, ſe entro con quaranta hombres por la tierra dentro à la ver y deſcubrir por viſta de ojos: Jendo caminando por muchos pueblos de Indios, huvo y tomo de los dichos Indios naturales de los dichos pueblos y de otros, que de mas lexos le vinieron à ver y hablar, larga y copioſa relacion, la qual el examino y procuró examinar y particularizar, para ſaber de ellos la verdad, como hombre que ſabe la lengua *Cario*, por cuia interpretacion y declaracion comunico y platico con las dichas generaciones y ſe informó de la dicha tierra.

Y porque al dicho tiempo el llevo en ſu compañia à Juan de Valderas Eſcribano de Su Mageſtad, el qual eſcribio y aſentó algunas coſas del dicho deſcubrimiento; pero que la verdad de las coſas, riquezas, poblaciones, y diverſidades de gentes de la dicha tierra, no las quiſo decir al dicho Juan Valderas, para que las aſentaſe por ſu mano en dicha relacion, ni clara y abiertamente las ſupo ni entendio, ni el las ha dicho ni declarando, porque al dicho tiempo fue y ha ſido ſu intencion de las comunicar al dicho Señor Governador, paraque luego entraſe perſonalmente à conquiſtar la tierra, porque aſi convenia al ſervicio de Dios y de Su Mageſtad: y que haviendo entrado por la tierra ciertas jornadas, por carta y mandamiento del Señor Governador, ſe volvio al puerto de los Reies, y à cauſa de hallarle enfermo à el y à toda la gente, no tuvo lugar de le poder informar del deſcubrimiento; y darle la relacion que de los naturales havia havido: y dende à pocos dias conſtreñido de la enfermedad, porque la gente no ſe le murieſe, ſe vino à eſta ciudad y puerto de la Aſcenſion, en la qual eſtando enfermo, dende à pocos dias que fue llegado, los Oficiales de S. M. le prendieron, como es à todos notorio, por manera que no le pudo manifeſtar la relacion: y porque ahora al preſente los Oficiales de S. M. van con el Señor Governador à los reinos de Eſpaña: y porque podria ſer en el entretanto, que à el le ſucedieſe algun caſo de muerte, ò auſencia, ò ir à otras partes, donde no pudieſe ſer aviſado, por donde ſe perdieſe la relacion, y aviſos de la entrada y deſcubrimiento, de que S. M. ſeria deſervido, y al Señor Governador le vendria daño y perdida, todo lo qual ſeria à ſu culpa y cargo; por tanto y por el deſcargo de ſu conciencia, y por cumplir con el ſervicio de Dios y de S. M. y del Señor Governador en ſu nombre, ahora ante mi el Eſcribano queria hacer y hacia relacion del dicho deſcubrimiento, para dar aviſo à S. M. de el, y de la informacion y relacion que huvo de los dichos naturales, y que pedia y requeria à mi el dicho Eſcribano la tomaſe y la recibieſe. La qual dicha relacion hizo en la forma ſiguiente.

Dixo y declaro el dicho Hernando de Ribera, que à veinte dias del mes de Diciembre

(a) Hic unus eſt, qui Aſſumptionem Paraguai Caput ab Aſcenſione nominet: & ubique nominat, *Charl.*

Digitized by Google

bre del año passado del 1543. años partio del puerto de los Reies en el vergantin llamado el Golondrino con cincuenta y dos hombres por mandado del Señor Governador, y fue navegando por el rio de Igatu, que es brazo de los dichos dos rios Iacareati, y Iaiva. Este brazo es mui grande y caudaloso, y à las seis jornadas entró en la madre de estos dos rios segun la relacion de los Indios naturales, por do fue tocando. Estos dos rios señalaron que vienen por la tierra adentro, y que este rio que se dice Iaiva debe de proceder de las sierras de Santa Marta, y es rio mui grande y poderoso, maior que el rio Jacareati, el qual segun las señales que los Indios dan, viene de las sierras del Perú. Y entre el un rio y el otro hai mui grande distantia de tierras, y pueblos de infinitas gentes, segun los naturales dixeron: y vienen à juntarse estos dos rios Iaiva y Iacareati en tierras de los Indios Perobazaes: y alli se tornan à dividir, y à sesenta leguas el rio abaxo se tornan à juntar: y haviendo navegado diez y siete jornadas por el dicho rio, pasó por tierra de los Indios Perobazaes, y llegó à otra tierra de los Indios Xaraies, gentes labradoras de grandes mantenimientos, y criadores de patos, y gallinas, y otras aves, pesquerias y cazas, gente de razon, y obedece à su principal. E llegado à esta generacion de los Indios Xaraies estuvo en un pueblo de ellos de hasta mil casas, à donde su principal se llama *Camiré*, el qual le hizo buen recibimiento, del qual se informo de las poblaciones de tierra dentro, y por la relacion que aqui le dieron dexando el vergantin con doce hombres de guarda, y con una guia que llevo de los dichos Xaraies, pasó adelante, y camino tres jornadas hasta llegar à los pueblos y tierras de una generacion de Indios, que se dicen Utrueses, la qual es buena gente, y labradores à la manera de los Xaraies, y de aqui fue caminando por tierra toda poblada hasta ponerse en quince grados menos dos tercios iendo la via del ueste.

Estando en estos pueblos de los Urtueses y Aburuñes, vinieron alli muchos Indios principales de otros pueblos mas adentro comarcanos, à hablar con el, y traelle plumas à manera de las del Perú y planchas de metal chafalonia, de los quales se informó y tuvo platica y aviso de cada uno particularmente de las poblaciones y gentes de adelante: y los dichos Indios en conformidad sin discrepar le dixeron, que à diez jornadas de alli à la vanda del üest-nord-üest, habitaban y tenian mui grandes pueblos unas mugeres, que teniam mucho metal blanco y amarillo, y que los asientos y servicio de sus casas eran todos de dicho metal, y tenian por su principal una muger de la misma generacion, y que es gente de guerra y temida de los Indios, y que antes de llegar à la generacion de las dichas mugeres, estaba una generacion de Indios, que es gente mui pequeña, con los quales y con la generacion de estos que informaron, pelean las dichas mugeres y les hacen guerra: y que en cierto tiempo del año se juntan con estos Indios comarcanos, y tienen con ellos su comunicacion carnal, y si las que quedan preñadas paren hijas, tienense las con sigo, y los hijos los crian hasta que dexan de mamar, y los embian à sus padres; y que de aquella parte de los pueblos de dichas mugeres havia mui grandes poblaciones, y gentes de Indios que confinan con las dichas mugeres: y que la relacion que toca à las dichas mugeres, lo havian dicho sin preguntareselo. Lo que le señalaron está por de un lago de agua mui grande que los Indios nombraron la casa del sol. Dicen que alli se encierra el sol. Por manera que entre las espaldas de Santa Marta y el dicho lago habitan las dichas mugeres à la vanda del uest-nor-ueste: y que adelante de las poblaciones que estan pasados los pueblos de las mugeres, hai otras poblaciones mui grandes de gentes, los quales son negros, y à lo que señalaron tienen barbas como aguileñas à manera de moros.

Fueron preguntados, como sabian que eran negros, y dixeron que porque los habian visto sus padres, y se lo decian otras generaciones comarcanas à dicha tierra: y que eran grandes y andaban vestidos, y las casas y pueblos los tienen de piedra y tierra, y son mui grandes, y es gente que posée mucho metal blanco y amarillo en tanta cantidad, que no se sirven de otras cosas en sus casas, de vasixas, y ollas, y sinaxas mui grandes, y todo lo demas. Y preguntó à los dichos Indios à que parte dimoraban los pueblos y habitacion de la dicha gente negra, y señalaron que dimoraban al nor-ueste, y que si querian ir alla, en quince jornadas llegarian à las poblaciones vecinas y comarcanas à los pueblos de dichos negros: y à lo que le parece segun y la parte donde se señaló, los dichos pueblos estan en doce grados à la vanda del nor-ueste entre las sierras de S. Marta y las del Marañon, y que es gente guerrera, y pelean con arcos y flechas. Asimismo señalaron los dichos Indios, que des oest-nor ueste quarta hasta el nor-ueste quarta al norte hai ortas muchas poblaciones, y mui grandes de Indios, y pueblos tan grandes, que en un dia no pueden atravesarse de un cabo al otro, y que toda es gente que posée mucho metal blanco y amarillo, y con ello se sirven en sus casas, y que toda es gente vestida: y para ir allá podrian ir mui presto, y todo por tierra mui poblada: y que asimismo por la vanda del ueste havia un lago de agua mui grande, y que no se parecia tierra de una vanda à la otra, y à la ribera de dicho lago havia mui grandes poblaciones de gentes vestidas, y que poseian mucho metal, y que tenian piedras de que traian bordadas las

ro-

Digitized by Google

ropas, y relumbraban mucho, las quales ſacaban los Indios de dicho lago, y que tenian mui grandes pueblos, y toda era gente los de las dichas poblaciones, labradores y que tenian mui grandes mantenimientos, y criaban muchos patos y otras aves, y que dende aqui donde ſe hallo, podia ir al dicho lago y poblaciones de el, à lo que le ſeñalaron en quince jornadas todo por tierra poblada, à donde havia mucho metal y buenos caminos en abaxando las aguas que à la ſazon eſtaban crecidas, que ellos les llevarian, pero que eran pocos Chriſtianos, y los pueblos por donde havian de paſar; eran grandes y de muchas gentes.

Aſi miſmo dixo y declaro, que le dixeron, informaron, y ſeñalaron, que à la vanda del ueſte quarta al ſudueſte havia mui grandes poblaciones, que tenian las caſas de tierra, y que era buena gente veſtida y mui rica, y que tenian mucho metal y criaban mucho ganado de ovexas mui grandes, de las quales ſe ſervian en ſus rozas, labranzas, y cargas. Y les preguntó, ſi las poblaciones de dichos Indios eſtaban mui lexos, y que le reſpondieron que haſta ir à ellos era toda tierra poblada de muchas gentes, y que en poco tiempo podia llegar à ellas, y que entre las dichas poblaciones hai otra gente de Chriſtianos, y havia grandes deſiertos de arenales, y no havia agua. Fueron preguntados, como ſabian que havia Chriſtianos de aquella vanda de las dichas poblaciones. Y dixeron que en los tiempos paſados los Indios comarcanos de las dichas poblaciones havian odio decir à los naturales de dichos pueblos, que iendos los de ſu generacion por los dichos deſiertos, havian viſto venir mucha gente veſtida, blanca, con barbas, y traian unos animales (ſegun ſeñalaron, eran cavallos), diciendo que venian en ellos cavalleros, y que à cauſa de no haver agua, les havian viſto volver, y que ſe havian muerto muchos de ellos y que los Indios de las dichas poblaciones creian que venia la dicha gente de aquella vanda de los deſiertos: y que aſi miſmo le ſeñalaron que à la vanda del ueſte quarta al ſudueſt havia mui grandes montañas y deſpoblado, y que los Indios lo havian probado à paſar por la noticia que tenian de que havia gentes de aquella vanda, y que no havian podido, porque ſe morian de hambre y ſed.

Fueron preguntados, como lo ſabian los de ſuſo dichos; dixeron que entre todos los Indios de toda eſa tierra ſe comunican, y ſabian que era mui cierto, porque havian viſto los dichos Chriſtianos, y cavallos, que venian por los dichos deſiertos, y que à la caida de dichas ſierras à la parte del ſudueſte havia mui grandes poblaciones, y gente rica de mucho metal, y que los Indios que decian lo ſuſo dicho, decian que tenian aſi miſmo noticia, que en la otra vanda en el agua ſalada andaban mui grandes navios. Fue preguntado, ſi en las dichas poblaciones hai entre las gentes de ellas principales hombres que les mandan. Dixeron, que cada poblacion y generacion tiene ſolamente uno de la miſma generacion, à quien todos obedecen. Declaró, que para ſaber la verdad de dichos Indios, y ſaber ſi diſcrepaban en ſu declaracion, en todo un dia y una noche, de cada uno de por ſi, les preguntó por diverſas vias la dicha declaracion, en lo qual tornandola à decir y declarar, ſin variar ni diſcrepar ſe conformaron.

La qual relacion de ſuſo contenida el Capitan Hernando de Ribera dixo y declaro haverla tomado y recibido con toda claridad, y ſin fraude, ni cautela. Y porque à la dicha ſu relacion ſe pueda dar y dé toda fé y credito, y no ſe pueda poner ni ponga duda en ello ni en parte de eſto, dixo que juraba y juró por Dios, y por Santa Maria, y por las palabras de los ſantos quatro Evangelios, donde corporalmente puſo ſu mano derecha en un libro miſal, que al preſente en ſus manos tenia el R. P. Francisco Gonzalez Paniagua abierto por parte donde eſtaban eſcritos los ſantos Evangelios, y por la ſeñal de la cruz à tal como eſta ✠, donde aſimiſmo puſo ſu mano derecha, que la relacion ſegun y de la forma y manera que la tiene dicha y declarada, y de ſuſo ſe contiene, le fue dada, dicha, y declarada por los dichos Indios principales de la dicha tierra, y de otros hombres ancianos à los quales con toda diligencia examino, y interrogo, para ſaber de ellos verdad y claridad de las coſas de tierra adentro, y que havida la dicha relacion, aſi miſmo le vinieron à ver otros Indios de otros pueblos eſpecialmente de un pueblo que ſe dice Urutubere, y de una jornada de el ſe volvio: que de todos los Indios aſimiſmo tomo aviſo, y que todos ſe conformaron con la dicha relacion, clara y abiertamente. Y sò cargo del dicho juramento declaró, que en ello ni en parte de ello no hovo ni hai coſa accreſcentada ni fingida ſalvo ſolamente la verdad de todo que le fue dicho è informado ſin fraude ni cautela alguna.

Otroſi dixo y declaro, que le informaron los dichos Indios, que el Rio Iacareati tiene un ſalto que hacen unas grandes ſierras: y que lo que dicho tiene es la verdad, y que ſi aſi es Dios le ayude, y ſi es al contrario Dios ſe lo demande mal y caramente en eſte mundo al cuerpo, y en el otro al anima donde mas ha de durar. A la confeſion del dicho juramento dixo: Si juro. Amen. Y pidio y requirio à mi el dicho Eſcribano, ſe lo dieſe aſi por ſe y teſtimonio al dicho Señor Governador para en guarda de ſu derecho, ſiendo preſentes por teſtigos el dicho R. P. Paniagua, y Sebaſtian Valdivieſo, Camarero del dicho Señor Governador, y Gaſpar de Hortigoſa, y Juan de Hozes vecinos de la ciudad de Cordoba, los quales todos lo

firma-

Digitized by Google

firmaron asi de sus nombres. -- Francisco Gaspar de Hortigosa. -- Ante mi: -- Pero Gonzalez Paniagua. -- Sebastian Valdivieso. -- Fernandez Escribano. -- Juan de Hozes. -- Hernando de Ribera. --

II.

Scheda Philippi IV. ad Comitem de Chinchon Peruvii pro Rege moderatorem, ex originali descripta in Opusculo P. Antonii Ruiz de Montoja S. J. inscripto *Conquista Espiritual*, edito Matriti anno 1633. cum privilegio.

1633. EL Rei: -- Conde de Chinchon, pariente, de mi Consexo de Estado y Guerra, mi Virrei, Governador y Capitan General de las provincias del Perú; a la persona, ò personas, à cujo cargo fuere su govierno. Bien sabeis, que por muchas cedulas y ordenanzas mias, y de los Señores Reies mis progenitores, se ha mandado que los Indios naturales de esas provincias tengan y gozen entera libertad, y me sirvan como los demas vasallos libres de estos mis reinos. Y asi mismo sabies, que por repugnar à esto el servicio personal, en que en algunas partes los han tasado en vez de tributo, que pagan y deben pagar à sus encomenderos, está ordenado apretada y repetidamente, que cese y se quite del todo el dicho servicio personal, y se hagan tasas de los dichos tributos, reduciendolos à dinero, trigo, maiz, iuca, gallinas, pescado, ropa, algodon, grana, miel, ù otros frutos, legumbres, y especies que huviere, y comodamente se cogieren, y pudieren pagar por los dichos Indios, segun el temple, calidad, y naturaleza de las tierras y lugares en que habitan, pues ninguna dexa de llevarlos tales, que pueden ser estimables, y de algun provecho para el uso, comercio, y necesidades humanas. Y porque sin embargo de esto hê sido informado, que en esas provincias y en otras duran toda via los dichos servicios personales con graves daños y vexaciones de los Indios, pues los Encomenderos con este titulo los tienen y tratan como esclavos y aun peor, y no los dexan gozar de su libertad, ni acudir à sus sementeras, labranzas, y grangerias, traiendoles siempre occupados en las suias con codicia desordenada, por cuia causa los dichos Indios se huien, enferman, y mueren, y han venido en gran diminucion, y se acabarán del todo muy presto, si en ello no se provee de breve y efficaz remedio. Haviendose visto en mi Consexo Real de las Indias muchas cartas, relaciones, y memoriales, que sobre esto se han escrito, y presentado por personas zelosas del servicio de Dios y mio, y del bien y conservacion de los dichos Indios, y lo que los Fiscales del dicho mi Consexo han pedido en diferentes tiempos en esta razon, y consultandoseme lo que ha parecido convenir, he tenido por bien ordenar y mandar, como por la presente ordeno y mando, que luego que esta recibais, trateis de alzar y quitar precisa è inviolablemente el dicho servicio personal, en qualquiera parte, y en qualquiera forma que estuviere, y se hallare entablado en esa provincia, persuadiendo y dando à entender à los dichos Indios y Encomenderos, que esto es lo que les esta bien, y lo que mas les conviene: y disponiendolo con la maior suavidad que sea posible, os juntareis con el Arzobispo, Officiales Reales, Prelados de las Religiones, y otras personas entendidas y desinteresadas de esa provincia, y platicareis y conferireis en que frutos, cosas, y especies se pueden tasar y estimar comodamente los tributos de dichos Indios, que correspondan y equivalgan al interes, que justa y legitimamente les pudiere importar el dicho servicio personal, sino excedieren del uso, exaccion y cobranza del. Y hecha esta comutacion hareis, que se reparta à cada Indio lo que asi ha de dar y pagar en los dichos frutos, dinero, y otras especies, haciendo nuevo padron de ellos y de la dicha tasa en la forma que se ha referido, y que tengan entendido los Encomenderos, que lo que esto montare y no mas, han de poder cobrar y llevar de los dichos Indios, como se hace en el Perú y en la Nueva España. Y esta tasa la haveis de hacer dentro de seis meses de como esta Cedula recibiereis, y ponerla luego en execucion, salvo si hallareis y se os offrecieren tan grandes è inexcusables inconvenientes particulares, que acà no se tenga noticia y convenga darnela primero que lo comenceis à executar y platicar, porque solo en este caso lo podreis suspender y sobreseer, avisandome luego de ello, y de los motivos que à ello os huvieren obligado. Y si sucediere el caso de vacar alguna de las encomiendas tasadas en el servicio personal, suspendereis el proveerla hasta que con effecto esté hecha la tasa: y el que la entrara à gozar de nuevo, la reciba con ese cargo, y sepa que se ha de contentar con los frutos y especies de ella. Y de haverlo asi hecho y executado me avisareis en la primiera ocasion, y me embiareis la relacion y padron de los dichos Indios y nuevas tasas con apercibimiento, que de qualquier tardanza, omision,

Digitized by Google

sion, ò disimulacion que en esto huviere, me tendre por desservido, y demas de que se os/ gara cargo grave de ello en la residencia que se os tomare, correran por el de vuestra conciencia los daños, agravios, y menoscabos, que por esta causa recibieren los Indios, y se cobrara la satisfaccion de ellos de vuestros bienes y hacienda. Fecha en Madrid à catorce de Abril de mil seiscientos y treinta y tres años. = Yo el Rei. = Por mandado del Rei N. S. = D. Fernando Ruiz de Contreras:

LVI.

Declaratio S. C. Concilii de Consecratione & adita possessione D. B. de C. Episcopi Paraguai: descripta ex exemplari cyphe edito & ex lege signato.

1658. Episcopus Civitatis, et dicunt de la Assumption, Provinciæ Paraguariensis in Indiis occidentalibus, possessionem Episcopatus apprehendit, & se consecrari ab Episcopo Tucumanensi curavit, non præsentatis literis apostolicis, quas tamen revera concessas prius & expeditas fuerant, deque ipsa concessione & expeditione, pravis quibusdam informationibus, aliqualiter constabat. Consecratio autem ipsa ab uno pusillo Episcopo Tucumanensi, assistentibus duobus Canonicis peracta fuit, non adhibito apostolico dispensationis indulto, quod tamen prius concessum fuerat, & sub aliquali hujus concessionis notitia, aut saltem præsumptione (quia videlicet Summus Pontifex solitus sit circa numerum Episcoporum dispensare cum Episcopis consecrandis per partes) præmissa consecratio habita est. Qua suppositi facti serie, quæritum fuit. Primo, an prædicta possessio non præsentatis literis apostolicis apprehensa fuerit legitima? Secundo, an præmissa consecratio ut supra peracta fuerit valida? Sacra Congregatio EE. CC. Concilio Tridentino interpretando & Sede Apostolica præposituram die prima Septembris millesimi sexcentesimi quinquagesimi sexti respondit ad primum, esse legitimam.

Eadem S. C. die 19. Dec. 1657. re iterum discussa secundum ea quæ proponuntur, respondit ad secundum, supradictam consecrationem Episcopi Paraguariensis, quantum spectat ad sacramentum & impressionem characteris fuisse validam, quantum vero spectat ad licitam executionem ordinis, fuisse iritam & inanem, & Episcopum de consecrandum, & respective consecratum indigere absolutione & dispensatione, quas illis esse concedendas S. C. censuit, si SS. D. N. placuerit.

Qui die 6. Febr. 1658. audita relatione cum rationibus, paterna benignitate justis, absolutionem prædictis Episcopis concedi per literas apostolicas in forma Brevis. = Ex Card. Pamphilius Præfectus. = Loco sigilli in impressa armorum Sue Eminentiæ de Cenis. = Etiam quoad scripturam. = C. de Vecchiis, Ex Clus. SS. EE. Secretarius.

Fidem facio per præsentes ego Notarius publicus infrascriptus, qualiter præsens copia fuit bene & fideliter extracta, & concordat cum suo vero originali non vitiato, non cancellato, nec in aliqua sui parte suspecto, sed omni prorsus vitio & suspitione carente, cum quo fuit comprobata, ac de verbo adverbum collationata: ideoque & ut præsentis copiæ in judicio & extra, plena & indubitata fides adhibeatur, hic me subscripsi, & signum meum quo utor in publicandis instrumentis signavi. Datum Romæ hac die 17. Jul. 1660. = Ita est Joannes Cavaliero Vicedirectus, authoritate Notarius publicus in hoc quo scribitur Romanæ Curiæ descriptus. = Conservatores Cameræ almæ urbis, universis, & singulis præsentes visuris, lecturis, pariterque audituris, salutem in Domino sempiternam. Fidem facimus, & superabundanter Dominus Joannes Cavaliero de præmissis rogatus fuisse, & esse fuisse ac Notarium publicum, qualem se facit authenticum, legalem, & fide dignum, fuisseque scripturis & instrumentis semper in judicio & extra adhibitam fuisse, & adhiberi indubiam fidem. In quorum fidem &c. Datum Romæ in palatio nostrum Curiæ Capitolinæ, die 14. Jul. 1660. = Rob. Natalis Albertus, Secretarius.

IV.

Gregorii XIII. facultas Conservatores Judices assumendi in quibuscumque causis. Anno 1573.

Ignum reperimus

V.

Declaratio satisfactoria D. B. de C. Ep. Par. pro iis qui arma contra Praetorem D. Sebastianum de Leon moverunt: ex authentico exemplari descripta.

Etiam permittentis, ut clerici ſubrogentur, decretum Regis non prius exequerer, quam Auditorii Regii ſententiam exquirerem, exponeremque, quid a populo recens ſubmiſſo ſit timendum. Certe cum Prætor D. Hiacynthus Lariz Paraguajenſium turbarum cauſa Reductiones adiit, de ſufficiendis loco Sociorum clericis, & de relinquendo ibi ſacerdote, qui Hiacyntho a ſacris erat, rumore adeo commoti ſunt Indi, ut Prætor ſacerdotem removere, & ſacris interdicere coactus ſit. Quodſi levis ea ſuſpicio priſtinam gentis barbariem concitavit coram Patribus; qua ratione pacabitur, cum ii removeantur, per quos in fide genita eſt? Quæ ſecuritas ſubrogandorum vitæ ſit? Quis in ſilva diſperſos reduxerit? Hæc in memoriam revocaverim, ut Tuæ Dominationi perſuaſum ſit, Epiſcopum non pacem meditari. Idem ipſe Lariz, dum Indos poſt trinam victoriam ex Braſilianis graſſatoribus reportatam, arma exercitii cauſa ciere vidit, teſtatus eſt, viginti mille armatorum aciem coercendis, ſi rebellarent, imparem fore. Nunc vero quando ſubmiſſi fidem Chriſtianam colunt, atque regiam; piget, quod ab Epiſcopo pietatis ſtimulos addituro, in apoſtaſiæ diſcrimen conjiciantur. Sed & pejora timenda ſint, ſi quorum amore & reverentia continentur in officio, amoveantur. Id litteris his quod eſt mei muneris, egiſſe credo, Tuum, & conſultiſſimi Senatus iſtius eſt ſignificare, quid mihi ſit agendum, in cujus ſententiam ultro concedam.

Alia mitto intemperantis Epiſcopi acta, quibus & urbem turbat, & regulares Societatis infamat. Legit, ſpargitque libellos converſi cujuſdam .... Gaſparis de Artiaga, turbulenti & pernicioſi, qui venenum expuere non ceſſat contra Societatem Jeſu, modeſtia reſpondentem, ſumma regularitate, & ſtudio ſalutis animarum, virtutibus, & exemplis, quæ movent eorum ſtomachum & livorem, a quibus erant imitanda. Ad tranquillitatem urbis, tum hujus, tum Sanctæfidei refert maxime, ſi dyſcolus profeſſionis immunitate, & ſuperiorum conniventia incorrigibilis, ac pudoris expers, Tuæ Dominationis mandato pellatur ex hac provincia. Mihi amoliendi licet ſcandali cupido impoſſibile id eſt, dum Epiſcopus exemplo & Sociorum odio fomitem incendio adhibere pergit. Enormia contra hos ego ipſe proferentem audivi, quorum falſitas nota mihi erat.

Invaleſcentis in dies odii documenta præſtare non ceſſat: & quia ad animæ meæ ſalutem, & conſcientiæ tranquillitatem confeſſarium elegi P. Joannem de Guardia, collegii hujus urbis rectorem, in quo optatam ſcientiam, virtutem, & religionem inveni; eum eſſe putat Epiſcopus, qui me ab ejus uſu & familiari conſuetudine avertat. Sed errat vehementer; nam potius contendit ille ſæpe, & præter modum, ut concederem. Experientia tamen actorum ſermonumque Prælati compertum mihi eſt, eam familiaritatem honori meo nocituram, conſcientiæ periculoſam eſſe, nec rei publicæ proficuam.

Alias ad te ſcripſi, excommunicationem a Prælato mihi intentatam, obedientiæ regiis mandatis præſtandæ vel denegandæ cauſa. Illud tantum hic addiderim, mortuo Cruciatæ Commiſſario, Prælatum tribunal totum vendicaſſe ſibi, & excommunicatione mandaſſe Thomæ de Rivas Cruciatæ Theſaurario, ut ſcutorum tria millia cuidam traderet Potoſium deferenda. Id quidem minime fiet; ſed acerbum eſt, quod excommunicationum vi tribunalia cuncta cum eccleſiaſtica, tum ſæcularia ſubjugare velit. Erit quando excommunicationem interminetur, ni ſe Prætorem renuntient urbana comitia. Vereor ne me aliquando patientia deficiat, & procul a provinciæ finibus hominem deduci jubeam. Amplitudinis Tuæ eſt eum in officio continere: prudentiam militis ſuperat rei difficultas. Epiſcopo individui ſunt Balthaſar de Aillon Reſidentiæ Secretarius, quem ſuo merito procul amovi, & Judex Joannes Emmanuel de Texada, quos ſcio voce & ſcripto furere contra Patres Societatis, nominatim contra Joannem de Guardia rectorem. Epiſcopo concinunt, cujus imbuti ſenſibus veritati inacceſſi ſunt. Eam per circumjectas ab ini-

(a) Synodum cogendi indubitatum Epiſcopo jus eſt, non tamen ſtatum innovandi Doctrinarum, quæ Regem habent Patronum, niſi ex ejus ſententia.

Digitized by Google

inimicis nubes penetrantem facile dignoſcet Amplitudo Tua, quæ Deo dante diu vivat incolumis, & pro merito felix. -- Bonis Auris. 28. Jan. 1655. -- D. Petrus Baigorri.

XII.

De Catechiſmo Guaranico habita Quæſtio.

Litteræ Archiepiſcopi Platenſis ad D. Joannem Blazquez de Valverde Prætorem & Viſitatorem Paraguai.

1656. NOs Doctor D. Alphonſus Ocon, Dei gratia & S. S. Apoſtolicæ Archiepiſcopus Platenſis, Regi a conſiliis, Tribunalium Sanctæ Cruciatæ in his Regnis Viſitator, &c. Ad D. D. Joannem Blazquez de Valverde, Regi a conſiliis, & Curiæ Platenſis Auditorem, Prætorem & Generalem Præfectum Provinciarum Paraguai (*a*). -- Salutem & benedictionem in Chriſto Jeſu D. N. Per Regiam Schedam datam in *Buen-Retiro* 1. Junii 1654., commiſſa nobis eſt cenſura quarundam vocum catechiſmi linguæ guaranicæ ſupradictarum provinciarum propriæ: quo catechiſmo utuntur regulares S. J. ad erudiendos indigenas. Ill. D. D. Bernardinus de Cardenas harum provinciarum Epiſcopus hæreticas voces eſſe contendit, quanquam objectum eſt, catechiſmum opus eſſe P. Ludovici de Bolaños Ordinis S. Franciſci, a quo & guaranice redditus eſt. Scheda Regia ſic habet: Adm. R. P. Archiepiſcopo Eccleſiæ Metropolitanæ Platenſis. Litteris D. Bernardini de Cardenas Epiſcopi Paraguajenſis ſignificata eſt ſibi facta difficultas de nonnullis vocibus catechiſmi guaranici, quo religioſi S. J. utuntur ad erudiendos Indos ſuæ curæ commiſſos. Epiſcopus ait, voces eſſe perperam adhibitas, & præter originalis textus ſententiam. Religioſi reſpondent, catechiſmi interpretem fuiſſe P. Ludovicum de Bolaños Franciſcanum, acceptumque in ea provincia: quo Epiſcopus non deſiſtit. Tibi ex Indici Senatus conſulto rei judicium committendum cenſui, ut conſultis Theologis, atque ſermonis indici gnaris ſententiam de catechiſmo feras, Senatui ſignificandam. *Buen-Retiro*. Junii 1. 1654. -- Rex. -- Regis mandato, J. B. Saenz Navarrete.

Sequitur Archiepiſcopi epiſtola: -- Ad definiendam pro rei merito cauſam, Regique obtemperandum, Epiſcopum rite interpellavimus, ut quid de ſumma rei ſentiat, ediſſerat intra dies viginti. Interpellatio ſignificata eſt in urbe Pace 9. Maii 1655., & in reſponſione data 14. ejuſdem menſis voces recenſet quatuor, videlicet *Membig* in catechiſmo adhibitam ad ſignificandum filium B. Mariæ Virginis, *Taigra* (*b*) pro Deo-Filio, *Tupe* qua Deus ſignificatur; & *Tuba*, qua Deus-Pater. Contendit ille, *Membig* ſignificare filium ex fornicatione. *Taigra* pollutionem & virile ſemen. *Tupà* & *Tubá* eſſe ait dæmoniorum nomina. Quare juſſit, e catechiſmo radi, aliaſque ſubſtitui, ut ex ſequentibus ejus litteris apparet: --

(*a*) Valverde Paraguariæ tantum Prætor erat, & Præfectus Generalis, *Governador y Capitan General*; ſed erat & Viſitator Tucumaniæ, Paraguariæ, & Fluminis Argentei, quæ Paraguariæ provinciæ dicuntur.

(*b*) Cenſores ſemper pronuntiant *Membyra* & *Tayra*: & catechiſmum quidam habebant præ oculis. *Charlev.* * Memby, & Tay contractiones ſunt linguæ Guaraniorum familiares; contractiones, inquam vocum *Membyra*, *Tayra*. Sed quia y gutturale eſt, ſeu miſtum e gutturali, additur g, *Membyg*, *Tayg*: quia gutturalis accentus ſcripto ex primitur addito g. Sicut addito *n*, vel *m* in *Tupà*, Tumpà, ſignificari ſolet ſcripto accentus, quem narigalem vocant.

Litteræ D. Bernardini de Cardenas ad Archiepiſcopum Platenſem.

ILl. ac R. D. -- De poſtremo articulo, qui ſummi eſt momenti, quem Rex examinari jubet... per Limanam Inquiſitionem miſi ad Supremam ſcripta gravia & veridica, ad quæ volentem remitto, nam vagus & exul plus facere nequeo, nec eſt qui ex voto meæ cauſæ patronum agat. Sanguinem profundere, atque mori paratus ſum, ut prolata veritas innoteſcat, cujus en ſummam:

Dum *Ave Maria* recitatur, ad ſignificandum divinum Mariæ filium, adhibetur vox *Membig*, quæ propie, utque ab Indis accipitur, quemadmodum a peritiſſimis pleriſque comperi, e fornicatione ortum ſonat. Ne dæmon quidem hæreſes plus adominandas in vocem unam contraxerit, qua Chriſtus I. D. N. Dei filiatione ſpoliatur, & filius hominis naturalis conſtituitur: quæ immaculatæ virginitati B. Mariæ & S. Joſephi repugnat, quos teſtes appello, & patronos ad exterminandas

ex hac regione hæreſes uſque adeo execrandas.

Aliæ ſunt in voce *Taigra*, quæ cum ad exprimendum Deum-filium adhibeatur, pollutionem & virile ſemen ſignificat, ut teſtantur linguæ peritiſſimi, & ex typis edito vocabulario conſtabit verbo *Taygra*. Dictionarium hoc penes me erat, ſed cum reliquis libris ablatum, nec aliud reperire potui, ex quo enim voces has ſuggillare cœpi, earumque latens venenum manifeſtare, cuncta diſparuerunt. Fertur tamen Dominus Præſes Franciſcus Neſtarez Marin exemplar quoddam penes ſe habere, ad Regem mittendum, & ad Supremam Inquiſitionem. Sed plurimi eſſet, ſi poſſem ego folia & lineas adnotare, quibus hæreticæ continentur voces.

En ex horribilioribus alteram: *Tupá* nomini Dei ſubſtitutum, & *Tubá* pro Deo Patre poſitum, nomina ſunt abominanda dæmoniorum. Definitum id eſt in Concilio Romano a Zacharia Papa, qui ait, examinatam a ſe orationem Adalberti hæretici, qua octo nomina proferebat, angelorum ut ajebat ipſe; ſed quæ præter *Michael* ſubleſta fide adjunctum, dæmoniorum erant. Id a Concilio declaratum ſic eſt: *Octo nomina, quæ invocabat Adalbertus, non nomina angelorum ſunt, excepto Michaelis, ſed dæmoniorum.* Ex his ſunt *Tupá* & *Tubá*, ut conſtat ex Concilii catalogo. Compertum eſt itaque, & definitum, *Tupá* & *Tubá* eſſe nomina cacodæmonum, qui in catechiſmo invocabantur: & quod in eos credebatur, eiſque divinæ perfectiones tribuebantur; ita ut, cum dicendum eſſet, *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ;* diceretur, *Credo in Tubá omnipotentem Creatorem cœli & terræ:* ſic de reliquis Dei attributis & operibus, quibus dæmones honorabantur. Hiſque proſcriptis, eorumque damnatis nominibus, & authoritate ſynodi ſuppreſſis, cum pravorum ſpirituum ſit proprium, ut a cœptis non deſiſtant, in regiones has procul a Roma veritatis ſede, ut trajicerent ſubvenit: & ſua nomina ejus impoſuerunt throno, cujus nomen invocari ut execrandum non patiuntur. Id quod olim hi mali genii hæreticorum ore exprimebant, dicentium ut refert Salomon (*a*), *Nomen ejus non memoretur amplius*, & apud S. Paulum, *Extollitum ſupra omne quod dicitur Deus* (*b*), *aut colitur ut Deus.*

Id revera contigit ubicunque ſermo guaranicus obtinuit a Braſilia ad Paraguariam. Non Dei nomen, ſed *Tupà* & *Tubá* invocabantur nomina, dum a paupere hoc Epiſcopo exterminata ſunt. Propterea oderunt me, & perſecutionem ſine exemplo moverunt contra me. Gloria, quam uſurpaverant ſpoliati, id egerunt, ut mea ſpoliarent me, apud Regem dominum ea calumniantes, quibus me honore epiſcopali privaret, cujus authoritate opitulante Deo viſi inops de reliquo. Sed nomen *Tubá* e Paraguaria urbe & finibus exterminatum eſt tandem, ubi meis de abolenda abominatione, ac de hæreſibus extirpandis mandatis, obtemperatum eſt.

Millies per Deum juro unum & trinum, per Verbum incarnatum, per adorabile crucis ſignum, & per meam conſecrationem, ne Suprema Regis Catholici, qui Fidei patronus eſt, Conſilia veritas lateat, nec Te; millies juro denuntioque, certos eſſe errores hos, ut corrigantur nulla mora, nam res tanta moram non patitur. Mille vitarum jacturam facerem, ne ſemel nomina Supremo Enti, Incarnationi Verbi, atque Dei Genitricis virginitati adeo injurioſa pronuntientur. Vale. Pace. Maii 14. 1656.

P. S. His litteris, Ill. Dne, & quinque aliis adjunctis reſpondi ad tuas, & ad Regis ſchedas. Eas mitte precor ad Regium Senatum. Intercideret, ſi per alium mitterentur. Offero denique Tuæ Dom. Ill. & Rev. Indorum animas ad ſex millia, poſtquam Patoſio exceſſi ſacramentis confeſſionis & communionis intra tuam diœceſim expiatas, quas ingreſſas credo viam ſalutis & gratiæ. Tua tantummodo gratia remunerari peto. Ad Ill. Bonaurenſem Epiſcopum Paraguariæ proximum litteras dabo, ut ibi pontificalia obire velit, quod non illibenter conceſſurum ſpero. -- Ill. ac Rev. Dom. Tuæ ſervorum minimus. -- Fr. Bern. Ep Parag.

Proſequitur Archiepiſcopus, delegaturque Paraguai Prætor: -- Sed cum hic Platæ pauci ſint guaranici ſermonis periti, obtinentis non propius quingentis hinc leucis, pauci qui ſcite poſſint proprium vocum ſuggillatarum ſenſum & etymologiam explicare, nec eſt catechiſmi copia, in quo adhibentur, & quo Patres S. J. ad Paraguajenſium doctrinam utuntur, ut veritas elucidetur, non alteri potius rem credendam cenſuimus quam Tibi, cujus zelus & omnigena eruditio nota nobis eſt, quo proinde nemo ad comperiendam prædictarum vocum ſignificationem ſit aptior. Det itaque operam Dominatio Tua, ut quam primum in provinciam venerit, ſex minimum viros eligat partium ſtudio liberos, qui nec Epiſcopo, nec Societati ſint obnoxii, guaranici ſermonis peritos, quibus catechiſmum originalem exhibeat, injungatque ut de quatuor his vocibus *Taygra*, *Tubá*, *Tupá*, *Membig*, ſententiam ferant, propriam ſignificationem, & etymologiam explicent, ediſſerantque, utrum ſenſum habere poſſint in catechiſmo doctrinæ Chriſtianæ puritati contrarium, qui errorem aut hæreſim ſapiat, aut id, cujus cauſa ſint in catechiſmo radendæ.

Dum hæc ex lege confecta ſint; Societatis Provincialem interpellet, vel eo abſente rectorem collegii Aſſumptionis, ut ſiquid objiciendum habeat pro vocibus notatis, id ſcripto

(*a*) Verba ſunt apud Jeremiam 11. 19.; non apud Salomonem.

(*b*) Extollitur, non extollitum. 2. Theſalonic. 2. 4.

Digitized by Google

pto captinat per Te ſignato, ad nos mittendo originali, ut quod interſit ad Dei obſequium, & religionis decus, pronuntiare poſſimus, doctrinam non ſanam proſcribere, & Regis præſcripto obſecundare. Dominatio Tua penes ſe retineat authenticum totius rei exemplar, ſique forte intercideriſ caſu originale. Ad hæc omnia, iiſque adnexa delegamus Te, plenaque pro nobis agendi facultate inſtruimus. Datum Platæ, noſtra manu ſubſcriptum, ſigillo munitum & ſubſignatum a Notario noſtro Majore, & publico 12. Julii 1655. (a). -- Archiepiſcopus Platenſis. -- Arch. mandato -- Joſephus Gomez de Muro, Secretarius, Notarius Major & publicus.

SUBROGATIO.

Nos Dr. D. Joannes Alphonſus Ocon.... Cum ea D. Joanni Blazquez de Valverde.... occurrere poſſint, quibus exequendis qua oportet celeritate commiſſis prohibeatur, ſexcentæque Paraguariam eunti, totidem redeunti conficiendæ ſint leucæ, ne quod maturandum eſt retardetur, eandem nulla reſtrictione proviciam commiſſam tunc volumus Doctori D. Adriano Cornexo Gubernatori Eccleſiaſtico Epiſcopatus Paraguai, perinde ac ſi ad eum directa primo eſſet, ut eam ſecundum præſcriptum exequatur. Platæ. Auguſti 7. 1655. -- Archiep. Plat. -- Ejus mandato -- Joſephus Gomez de Muro, Notar. Maj. & publ.

Prætoris edictum Provinciali Jeſuitarum denuntiatum.

In urbe Aſſumptionis die 23. Octobris 1656. Dr. D. Joannes Blazquez de Valverde, Auditor Regiæ Curiæ Platenſis, Prætor & Generalis Præfectus provinciarum Paraguai, ait ex accepta commiſſione Ill. ac Rev. D. D. Joannis Alphonſi de Ocon Archiepiſcopi Platenſis, ad examinandum ſenſum quarundam vocum, quas D. B. de C. in catechiſmo guaranico ſuggillavit, habenda eſſe ſapientum ſacerdotum, & unius alteriuſve ſæcularis, antiquiorum hujus urbis incolarum, & guaranici ſermonis peritiorum comitia. Et me publicum Tabellionem juſſit prædictam commiſſionem notam facere ad verbum R. P. Provinciali Societatis, ut de vocibus hæreſeos inſimulatis certior factus comitiis interſit cum uno vel altero Sociorum linguæ peritiorum, neceſſariis quæſitæ veritatis inſtructus documentis, ut libratis omnibus, & comitiorum judicio, acta originalia mittere poſſit ad Ill. Archiepiſcopum, & Regem edocere de rei ſumma. Subſcripſit Dr. D. Joannes de Valverde, coram me Regio Scriba Balthaſare de los Rejes Aillon. Aſſumptione. 24. Octobris. 1656. -- Ego Regius Scriba P. Franciſco Vazquez de la Mota Societatis Provinciali legi edictum, notumque feci mandatum Ill. ac Rev. Archiepiſcopi. Et dixit, ſcripto ſe reſponſum ire. -- Balthaſar de los Rejes Aillon.

Prætoris Edictum.

Aſſumptione Octobris trigeſima 1656. Dr. D. Joannes Blazquez... accepta commiſſione Ill. ac Rev. D. D. I. A. Ocon, Archiepiſcopi Platenſis, quæ actorum principio deſcribitur, de comitiis doctorum habendis ad examinandum ſenſum vocum ſuggillatarum, ut mandato ſatisfiat, me Scribam juſſit infra ſcriptos monere, electos ſe doctrinæ cauſa, religionis, & guaranici ſermonis peritiæ, ad comitia apud Prætorem cogenda cras poſt duas ad ortu ſolis horas, ut viſis litteris, obſervationibuſque P. Franciſci Vazquez, catechiſmo originali a P. Ludovico de Bolaños Ordinis S. Franciſci confecto, & Synodalibus quibus approbatur, & quibus interdicitur alterius catechiſmi uſus, inquiratur ſtrictus vocum ſenſus & vis, ut conſtet de ſententia comitiorum. -- Monebitur primo Dr. D. Adrianus Cornexo Gubernator & Judex Eccleſiaſticus Epiſcopatus, ut comitiis præſideat: Lic. D. Gabriel de Peralta, Capituli Decanus: Lic. Petrus de Mendoza Jaguaronis parochus, & vicarius, olim Diœceſis Gubernator & Viſitator, ab Ill. Cardenas conſtitutus, qui natus in hac regione linguam callet: Lic. Petrus de la Cabex, qui & Epiſcopatus Gubernator fuit ab Ill. Cardenas conſtitutus: P. Petrus de Villaſanti, antiquus definitor, modernus autem cœnobii Franciſcani Guardianus, in hac ortus regione: Lic. Franciſcus Cavallero Bazan Incarnationis parochus, Proviſor & Judex Eccleſiaſticus pro Ill. Cardena, guaranice peritiſſimus & indigena: Lic. Stephanus de Ibarrola Cathedralis parochus, ortu etiam Paraguajenſis: Ex ſæcularibus Garcia Moreno, & Franciſcus Spinola de Santacruz. Moneatur quoque P. Mota Provincialis cum Sociis. -- Dr D. I. Blazquez de Valverde. -- Coram me -- Balthas. de los Rejes Aillon. -- Notificatio. --

Reſponſio Jeſuitarum Provincialis.

Franciſcus Vazquez de la Mota Provincialis S. J. in Tucumania, Paraguaria, & Flumine Argenteo, intellectis edicto D. Joannis Blazquez... & mandato Ill. Archiepiſcopi Platenſis, de catechiſmo & precibus, ac de nota hæreſeos a D. Epiſcopo D. B. de C. attributa: quod mandatum per Scribam legentem ad verbum accepit, ait, quod nec Provincia, cui præpoſitus eſt, nec ullus ex ea Socius, vel minimam operam verſioni contulerit catechiſmi, aut precum, aut doctrinæ quam continet, quando quidem author & interpres fuit Venerabilis P. Ludovicus Bolaños Ordinis Franci-

(a) 1656. niſi error ſit in præcedente data Ill. Cardenas. Idque notatum in anteceſſum habe de ſequentis ſubrogationis data.

Digitized by Google

ciſcani, adſtipulantibus aliis ejuſdem inſtituti Dei ſervis, doctis, & linguæ peritis, qui primi catechiſmo uſi ſunt ad informandos indigenas, & proſecuti uſque ad annum 1603., quo Ill. D. Martinus Ignacius de Lojola, ejuſdem Ordinis Seraphici, Epiſcopus hujus provinciæ, ſynodum convocavit, in quam docti Theologi & guaranice periti convenerunt, a quibus catechiſmus examinatus, & approbatus eſt, indictuſque authoritate ſynodi illius uſus. Prædictum Ven. Bolaños, antequam ſynodi ſtatutum executioni mandaretur, catechiſmum de integro Sedi vacanti exhibuiſſe, binis ſeſſionibus examinatum a viris doctis, & linguæ gnaris, approbatum denuo, & gravibus pœnis interdictum alterius cujuslibet uſum: *In virtute* ſanctæ obedientiæ (ait Synodus), *& ſub pœna excommunicationis majoris, omnibus ſacerdotibus, quibus de informandis Indis cura eſt, mandamus & ordinamus, ne in hujus præfecturæ doctrinis, compendio altero, ſeu catechiſmo utantur*. Conſtat vero eundem originalem catechiſmum & exhibitum a Bolaño, & a Provinciali ea ratione reproductum, quæ ad faciendam fidem ex jure requiritur. Deinde ab Ill. D. Chriſtophoro de Areſti Ordinis S. Benedicti, ejuſdem provinciæ Epiſcopo, approbatus iterum eſt, & indictus uſus in ſynodo anni 1631., in quam Theologi conſpicui, & ſermonis indigenæ docti convenerant. Itaque religioſi S. J. nec ſunt, nec eſſe poſſunt in hac cauſa rei, nec eos afficit cenſura D. Epiſcopi D. B. de Cardenas, quando utentes catechiſmo non aliud quam obediunt ſtatutis ſynodorum conſultiſſimis, exemplum ſecuti parochorum omnium, qui eccleſiaſtici, regulareſve alterius Ordinis, non alio ſunt uſi: quod authenticis documentis confecit Provincialis.

Secundo ait, quanquam ſuorum nemo catechiſmi author ſit vel compars, dicturum ſe quid ſentiat ex principiis Theologiæ, & Theologorum atque linguæ pertitorum ſententia, quos conſuluit; catechiſmum, preces, & doctrinam eo contentam, immunem eſſe hæreſeos labe ab Epiſcopo afficta, maxime cum examinata binis conciliis ſit, quorum tanta eſt authoritas in Eccleſia, approbataque a viris idoneis, quibus addere oportet authoritatem ipſius Bolaños, qui catechiſmum interpretatus eſt, & confratrum, qui operam contulerunt, ſuntque omnes notæ virtutis & ſanctitatis. Quæ ſingula in memoratis documentis & actis comprobantur.

Accedit ex certo, Epiſcopum D. Bernardinum guaranice ignarum eſſe, adeoque pronum ut in errorem a ſuppeditantibus inſtrumenta ductus ſit, nec habilem ad cognoſcendum pro merito genuinum ſenſum, & vim propriam vocum, quas ſuccenſet. Nec melius comperit quod ex Zacharia Papa refert, cum affirmet in oratione & adjuratione hæretici Adalberti nomina *Tubá* & *Tupá* eſſe a Pontifice declarata nomina dæmoniorum. Sed non ea nomina ibi ſunt, ſed *Tubuel* & *Tubuas*, ut ex Concilio patet, quod cum oratione refert Nieremberg *Tract. De Orig. Scr. Sacr. lib. 5. cap. 8. p. 155.* in hæc verba: *Precor vos & conjuro vos, & ſupplico nihil niſi ad vos Angelus Uriel, Angelus Raguel, Angelus Tubuel, Angelus Michael, Angelus Adimis, Angelus Tubuas, Angelus Sabaoth, Angelus Simiel*. Et continuo ſubditur concilii deciſio: *Cum vero hæc oratio ſacrilega uſque ad finem perlecta fuiſſet, Sanctus Zacharias Papa dixit: Quid ad hæc ſancti fratres reſpondetis? Sancti Epiſcopi, & venerabiles preſbyteri reſponderunt, quid aliud agendum eſt, niſi ut omnia quæ coram nobis lecta ſunt, igne concrementur, authores vero eorum anathemate percellantur? Octo enim nomina, præter Michaelis, quæ in ſua oratione Adalbertus invocavit, non angelorum, ſed dæmoniorum nomina ſunt, quæ ad præſtandum ſibi auxilium invocavit*. En quidquid Concilium habet. Epiſcopus vero, qui poſtrema refert, priora ſupprimit, atque *Tubá* & *Tupá* de damnatis dæmonum nominibus eſſe, & ſi Concilium hæc nomina, nec damnat, nec exprimit.

De reliquis duobus *Tayra* & *Membira*, quæ velut hæretica incuſantur, non potior eſt ratio: alius eſt enim ab affecto illorum ſenſus, ut exhibito documento demonſtratur. Et quanvis nullo addito ſignificarent ſemen, quod Epiſcopus cenſet, procul eſt hic ſenſus ab Indorum uſu. Adde quod nota appoſita male cadit in eam vocem, quam proprio acceptam ſenſu adhibet Apoſtolus de Chriſto Domino locutus (Hebr. 2. 16.): *Nunquam enim Angelos apprehendit; ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. Et 2. ad Tim. 2. 7.: *Ex ſemine David*. Diverſi hujus vocis ſenſus videri poſſunt apud interpretes ſacros, dum hæc exponunt Apoſtoli loca. Immunem cenſura eſſe tradunt, cum plura ſignificet, nempe humanam naturam, carnem, ſanguinem, ſtirpem, originem, prolem, & ſucceſſores: qui eſt Apoſtoli ſenſus ſecundum Sanctorum, & Expoſitorum mentem, ut videre licet apud Benedictum Juſtiniani, apud Angelicum Doctorem in eundem locum lect. 3., apud Liranum, & in Gloſſa ordinaria. Etſi vox eadem ſperma etiam ſignificat apud Septuaginta ibi: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit filium &c.*, ubi eum eſſe proprium ſenſum patet ex adjunctis, pariter atque dum Scriptura de arboribus & plantis ait: *producat terra herbam virentem & facientem ſemen*. Quæ apprime cadunt in voces ab Epiſcopo notatas.

Tandem putat, voces eſſe cenſura liberas, quia venerandus P. Ludovicus de Bolaños, quem catalogo Sanctorum inſerendum ſperat Ordo Setaphicus, ſanctus minime foret, ſi traditis hæreſibus iis, non reſipuiſſet .... Datum in Collegio S. J. Aſſumptionis 25. Oct. 1656. — Franciſcus Vazquez de la Mota.

De-

Digitized by Google

Deſignatorum conventus.

In urbe Aſſumptionis 31. Octobris 1656., convenientibus ex condicto qui erant vocati, D. D. Joannes Blazquez de Valverde, exhibita commiſſione, expoſitaque rei gravitate, eos hortatur, ut ſententiam libere proferant de tribus, quibus tota vertitur rei ſumma. Ac primo juſſit catechiſmum originalem P. Bolaños convocatis oſtendi, ut judicent, ſit-ne idem ipſe quem ille confecit, quem Decanus & Capitulum ſede vacante approbavit anno 1611.. qui quatuor contineat ſuggillatas voces. -- Secundo, utrum eo catechiſmo uſi ſemper ſint ſacerdotes & parochi ad indigenas guaranice informandos: -- Tertio, ſtricta ſingularum vocum ſignificatio exponatur, dicaturque an ea ratione qua in catechiſmo adhibentur, ſignificationem habeant maleſonantem, aut quæ puritatem dedeceat, qua doctrina Chriſtiana debet exponi; aut hæreſim contineat, erroremve correctione dignum.

Poſt multam de propria vocum ſignificatione conſultationem cenſuit Auditor, cujuſque ſententiam ſcripto ferendam, vel Regio Scribæ dictandam. Mox Lic. D. Gabriel de Peralta Decanus Aſſumptione natus orſus eſt:

Sententia Decani.

Ad primum: exhibitum catechiſmum eſſe originalem; quem Ven. Bolañus guaranice vertit ad erudiendos indigenas, quem binæ ſynodi diœceſanæ probarunt; quem deintegro examinavit approbavitque Decanus & Capitulum ſede vacante, cum mandato primæ ſynodi obediendi mandato. Originalem eſſe ſcire ſe, quia ut talis ſervatus erat in urbano Cathedralis tabulario, ad exemplaria deſcribenda per Indorum curatores. Id ipſum præterea conſtare, quia petitio Capitulo exhibita eſt manu propria ipſius Bolagni vulgo nota; catechiſmum vero ſcriptum eſſe manu P. Gregorii de Oſuna, quem Bolañus habuit ſocium ejuſdem Ordinis. Approbationem eſſe munitam ſubſcriptionibus Capitularium, ſubſignatamque per Notarium Eccleſiaſticum Joannem Lopez de Gamarra. Notiſſimas eſſe has ſubſcriptiones, eam maxime qua Bolañus ſignatur, quod eſſet apud omnes venerandus. Dubitandum igitur non eſſe de catechiſmi autographia, nec eo contineri voces ab Ill. Cardenas objectas. Sunt illæ in formula ſigni crucis, in *Pater Noſter*, in *Ave*, & in *Credo*; occurruntque paſſim legenti catechiſmi preces.

Ad ſecundum reſpondit, nullum præſentium negare aut dubitare poſſe, quin hic catechiſmus in Paraguaria, & in Flumine Argenteo vulgaris ſit, ubi-ubi obtinet ſermo guaranicus, quem omnes Indi intelligunt, ſuum etiam habentes proprium. Id ſibi probe notum eſſe, ex quo ab Ill. D. Petro Carranza Epiſcopo Bonaurenſi anno 1632. renuntiatus fuit Diœceſis illius Viſitator; Indicarum enim doctrinarum curatores omnes, eccleſiaſticos, regulareſque, eo catechiſmo nemine refragante uſos invenerat. In doctrinis S. Jacobi *del Varedero*, & S. Bartholomæi *de Chanáes*, quibus præerant P. Bernardinus de Villarroel, & P. Joannes Alvarez, Franciſcani, utrumque vidiſſe Indos ex eo catechiſmo chriſtiana docere dogmata; in finibus Sanctæfidei id ipſum obſervaſſe; renuntiatum ſe anno 1638. ab Ill. D. Chriſtophoro de Areſti Diœceſis Gubernatorem, a Sede vacante Proviſorem & Vicarium Generalem, doctrinas iterum viſitaſſe, quæ nulla catechiſmi mutatione regebantur, nullo offendiculo, cum parochi omnes linguam perfecte callerent. In Paraguaria præfectura, ubi natus erat, & ab infantia guaranicum idioma uſque ad ætatem qua erat annorum duorum ſupra quinquaginta accurate coluerat, non aliunde, ut per ſynodos excommunicatione mandatum erat, fidei rudimenta hauriri vidiſſe. Dein Paraguajenſis Epiſcopatus Adminiſtrum Paranaenſes doctrinas Societatis luſtraſſe, ubi uſus idem inoleverat. Ibi confecta fuiſſe coram ſe acta in comitiis exhibita; nec uſquam vidiſſe, accepiſſeve, quidquam in catechiſmo eſſe mutatum, aut notatum in ulla vocum quas continet, ut ad poſtremum reſpondebit.

Ad tertium de proprio genuinoque ſenſu vocum *Tayrá*, *Membirá*, *Tupá*, *Tubá*, illud quæritur, utrum in catechiſmo quidquam ſonent doctrinæ Chriſtianæ puritati adverſum: utrum hæreſin contineant, erroremve dignum corrigi, & de catechiſmo radi? De quo reſpondit, ex quo natus erat, nunquam audiiſſe voces eas perperam ſonare, aut ſignificare, nec hæreſin, aut errorem continere; e regione ſemper exiſtimaſſe, & uſque judicare ſanas & puras eſſe, eaque proprie ſignificare, ad quæ in catechiſmo referuntur: quæ per eas voces proprie intelligunt Indi. Ab adventu tantummodo Ill. Cardenæ eas male ſonare audiviſſe, ſed temere: quod in ſingulis patebit.

Tayrá proprie & ſtricte non aliud ſignificat, quam latine *filius*, hiſpanice *hijo*. Guaraniorum lingua non alia voce appellatur qui filius eſt, legitimus, illegitimus, ſpuriuſve. Ea vocat filios qui in Chriſto ſint, pater ſpiritualis; ſenex juniores; dominus ſubditos; parochus & Epiſcopus oves ſuas: applicaturque arborum & plantarum ſurculis. Eundem habet ſenſum Indorum uſu, qui *Tayrá* vocant natos legitime, & illegitime; adoptivos quoque, & nepotes ex filio, vel ex fratre, ſororeve, & poſteros omnes. Senex juniores appellat *Cherayrá* (*a*), dynaſta ſubditos; dux

(a) Che-rayrà eſt quod *Mi fili*, aut Filius-meus. Che-tayrà dicendum erat; ſed eſt proprium hujus linguæ, ut *t* ſimplicis in *r* mutetur, dum in compoſitione intervenit *h*.

Digitized by Google

dux milites; ſacerdos plebem. *Tayretá* (*a*) de arboribus, plantis, leguminibus, cum ſurculi plures ſunt. Eundem retinet ſenſum in catechiſmo, ubi non aliud ſonat atque filius. " Dum Chriſtus dicitur Dei filius *Tupa Tayrá* dici, nec id abſonum ſignificat, quod ab Epiſcopo exprobratur.

Addit linguæ peritus, ſi *Tayrá* certis particulis adjungatur, ſignificare aliquando ſperma humanum & belluinum, ut Epiſcopus ait, ut ſi ex *pu*, *ñemo*, aut *ro* fiat *Taypú*, *ñemaypu tayro*. Has tamen compoſitiones catechiſmus non adhibet. *Tayrá* ubique dicitur, quod minus incommodum eſt voce *ſemen*, qua Scriptura utitur, dum de Chriſto Domino ait, *Semen Abrahæ apprehendit*, *Ex ſemine David*, quibus tantum ſignificatur, eſſe de ſtirpe Davidis & Abrahæ; licet vox eadem aliis contexta id ſignificet quod Provincialis advertit, cujus ſententiam & fundamenta Decanus approbat.

Membyrá vox, qua fœminæ filios & filias appellant (in hac quippe lingua non eadem voce utuntur fœminæ atque viri), proprie & ſtricte ſignificat quod *filius* a matre prolatum. Ita appellant filios legitimos, ſpurios, & adoptivos, orphanos ſiquos nutriunt, mariti prolem ex aliena, nepotes ex fratre, ſorore, aut filio. Hos omnes appellant *Che-membyrá*. Anus etiam ſic vocat puellas, dynaſtria ſubditas; imo & innupta ſic vocat neptes ex fratre vel ſorore. *Chemembyra* dicunt fœminæ ſuarum arborum ſurculos, nec quid impurum ſignificat, niſi vocibus quæ procul ſunt a catechiſmo adjungatur. Nec aliud his nominibus *Tayrá*, & *Membyra* intelligunt Indi.

De *Tupá* voce minor eſt difficultas; ſignificant enim proprie Deum, rerum omnium Creatorem, principium & patrem univerſorum, ut actis exhibitis & a Decano laudatis demonſtratur. Quod eo ſignificetur dæmon, ſicque a Zacharia Papa definitum ſit, coram lecta Provincialis reſponſione ſolide refutatum eſſe. Et licet ſortilegi ſe Deos appellent ſeu *Tupá*, nihil ex eo contra propriam vocis ſignificationem confeceris. Neque enim *Deus* nomen improprie Deum ſignificat, quod Jupiter, Saturnus, aut Mars Dii appellentur. Et quemadmodum in ſymbolo ad melius explicandam Patris & Filii divinitatem, dicitur *Deum verum de Deo vero*, haud aliter guaranice adhibetur particula *eté*, quæ verum ſonat: cum de falſis numinibus *aubae* ſeu *angubae* dicatur.

Tubá tandem ſonat *Pater*, eoque utuntur nomine filii legitimi, ſpurii, & adoptivi; juniores etiam, quoſcunque ſenes loco parentum habent, *Che-ruba* appellant *Ore-ruba*, vel *ñande-ruba*. Epiſcopus vero nomen eſſe dæmonis gratis arbitratus eſt; idque a Concilio definitum, cum in Concilii textu nomina ſint *Tubael*, *Tubuas*. Ex quibus liquet, voces ut in catechiſmo guaranico ſunt, nihil ſonare pravum, nihil puritati ſermonis, quæ fidei myſteria decet, adverſum: imo proprie ac dilucide ea ſignificare, nec alias in eo idiomate eſſe, quibus ſignificentur proprius. Indos, ſi adhibeantur aliæ, quod de myſteriis traditur, capere non poſſe, ut experientia conſtat. Non eſſe cur e catechiſmo radantur; quinetiam eſſe cur conſervari debeant. Indos Epiſcopi opinione imbutos facile poſſe in viam revocari, ſi dicatur Prælatus linguam ignoraſſe, nec audita recte percepiſſe.

Hæreſeos nota gratis affingitur, tum quia voces catechiſmi diſcuſſæ, & approbatæ ſunt, non modo in his provinciis, ſed in Braſilia, ut fides ſit in catechiſmo typis edito, & in comitiis producto; tum quia unanimi ſententia comprobatæ ſunt, in una & altera diœceſana ſynodo, a tot viris doctis & linguæ peritis, præſidentibus ſanctiſſimis prælatis, quorum authoritas, ſi minus infallibilis, eſt certe tanta, ut eorum ſententia neque damnari, neque cenſura theologica hæreſeos, erroris, aut ſimili notari poſſit, niſi a Romano Pontifice, ut bene tradit Doctor Antonius de Saura in *Voto Platonis*, De Examine Propoſitionum cap. 12. Suarem, Toletum, Turrianum, Vazquium, & alios ſecutus, allegatiſque in eandem ſententiam bullis pluribus, decretis, & deciſionibus. Tandem profeſſus eſt Decanus, non aliam unquam fuiſſe ſuam de propoſito argumento ſententiam.

Sententia R. P. Præfecti Minorum S. Franciſci (b).

El P. Frai Pedro de Villaſanti del Orden Seraphico de S. Franciſco, Definidor preterito, y Guardian actual del Convento, y gran lenguaraz, como nacido y criado en eſta tierra, dixo que con haver ſido grandiſimo el deſvelo y cuidado de los primeros Padres fundadores y pobladores de eſta provincia del Paraguai, en averiguar lo candido y puro de las razones y palabras de la lengua guaranî, para dar noticia à los primeros gentiles en la conquiſta eſpiritual, de los myſterios de nueſtra ſanta fê catolica, para bautizarlos bien inſtruidos, lo tomò à ſu cuidado el R. P. Fr. Luis de Bolaños de ſu ſagrada religion, y varon à todas luces apoſtolico, y zeloſo de la ſalvacion de las almas, obrando por el Su Divina Mageſtad muchos milagros, conque facilitó la converſion de los barbaros Guaranies habitadores de eſta provincia del Paraguai, y coſtandole mucho trabaxo, oracion, y meditacion, traduxo en lengua de los dichos Guaranis el cateciſmo que ſe ha moſtrado, que

es

(a) Tayrá utrique numero ſingulari, atque plurali ſervit. Sed addi ſolet *reta*, dum numerum diſcernere oportet, quia *reta* multitudinem ſonat. Dicendum erat Tayra-reta; ſed contractiones in hoc idiomate; ut in aliis vulgares ſunt.

(b) Opus non eſſe credidi judicium hoc interpretari, quod Provincialis atque Decani ſcriptis conforme eſt. *Charlev.*

Digitized by Google

es el original (a), donde estan las oraciones del *Paternoster* y *Ave Maria*, *Credo*, los diez mandamientos, los cinco de la Iglesia, y confesonario, la inteligencia, y explicacion de los mysterios de la SS. Trinidad, y Encarnacion del Verbo Eterno, sin cujo conocimiento no es posible salvarse ninguno, pues ante todas cosas es obligado à ser fiel y catolico: *Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.* Y no obstante lo limpio y catolico de dicho catecismo, y dicha traduccion mirada y remirada, y expurgada por hombres doctos en lengua de Indios, y grandes Theologos que la aprobaron, y en el Synodo que celebro el Ill. D. Fr. Martin Ignacio de Lojola, hijo de la Seraphica Religion, se mando que dichas oraciones y dicho catecismo corriesen en toda esta provincia, y con ellas y por el se enseñase à los recien convertidos, conque se facilitó la conversion de los dichos naturales, y de tiernos en la fê se hicieron en breve mui maduros en ella (que de otra manera fuera imposible que llegaran en breve al conocimiento de mysterios tan altos). Lo mismo se mandó en el Synodo que celebró el Ill. D. Fr. Christoval de Aresti con palabras gravisimas en una sesion de dicho Synodo à que se remite, pues ambos se han presentado: y asi los curas, predicadores, y Misioneros apostolicos han instruido y enseñado por el dicho catecismo à los dichos naturales con mucho aprovechamiento de ellos.

Pero no han faltado mordedores y ladrides de furiosos canes contra algunas palabras de las dichas oraciones y catecismo, diciendo que son hereticales, que sin ser lenguaraces se atrevieron temerariamente à calificar lo que no entendian, informados de interpretes simples è ignorantes, deseosos mas de dar gusto que de acertar. Y por haver sido llamado como natural de esta ciudad de la Asuncion, à la Junta que se ha formado por orden del Señor Doctor D. Juan Blazquez de Valverde, Oidor de la Real Audiencia de la Plata, Governador y Capitan General de esta provincia del Paraguai, por comision particular del Ill. y Rev. Señor D. Alonso Ocon Arzobispo de la Plata, para averiguar y Examinar si las quatro palabras *Tupá*, *Tayrá*, *Membyrá*, y *Tubá*, que estan en dichas oraciones y catecismo sean hereticales, dixo que por lo que le tocaba, como lenguaraz que es, y haver mamado esta lengua, y conferido no una sino muchas veces en las reducciones y Doctrinas de su religion la significacion de dichas palabras; siempre las ha hallado puras, sinceras, limpias, y sin ningun dolo, doblez, ò mal sentido, como se verá en la palabra *Tupá*, que quiere decir *Dios*, y no demonio, idolo, ni hechicero; porque en la dicha lengua guaranî el demonio tiene su nombre, y los Indios le llaman *Aña*: le llaman asi hasta ahora y le llamaron siempre. Al hechicero llaman *Payé*. Pues como se atreven à interpretar mal? Vuelve à decir, que *Aña* es demonio, *Payé* hechicero, y *Tupá* Dios: que bien entendido, esta palabra *Tupá* en su propria y riguroſa significacion quiere decir *Padre universal*, y fin de todas las cosas; porque *Tubá* quiere decir Padre, y *Pa* quiere decir universal, ò *acobó*: y Dios N. S. se nombra *principium & finis*. De modo que por ningun camino ni significacion esta palabra, puesta en el dicho catecismo, es ni puede ser escrupulosa, ni mal sonante, sino santa, buena, significativa del Dios verdadero, que con esta palabra han dado à conocer los predicadores à los Indios de esta tierra.

Demas de esto, como podran los predicadores y Misioneros apostolicos enseñar à estos Indios recien convertidos los mysterios de nuestra santa fê? En lengua espanola ò latina? Es necesario, que sean enseñados è instruidos en su proprio idioma guaranî. Y si dichos mordedores hallan por no limpias las palabras *Tayrá* y *Membyra*, como supieron calumniar, y desearon enmendar, como lenguarazes guaranîs, porque adicionando por hereticales las dichas palabras, no pusieron otras en el dicho catecismo catolicas y limpias? No vale diran, por cortedad de la lengua. Tampoco vale, porque vemos, que en la lengua latina, como en nuestra espanola, el Eterno Padre llama Hijo al Verbo: *Filius meus es tu*. Y en el catecismo espanol decimos *Padre*, *Hijo*, y *Espiritu Santo*. El casado llama à sus hijos con la misma palabra, siendo engendrados por obra de varon. Los confesores llaman Hijos à los que confiesan. Conque una palabra misma significa varias generaciones, y la eterna del Verbo, y la temporal. La Virgen SS. Nuestra Señora llamó hijo à Nuestro Señor Jesu Christo, quando le halló entre los doctores: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Y no le engendro por obra de varon, sino por obra del Espiritu Santo. Asi en la lengua guaranî *Tayrá* quiere decir *hijo*, lo mismo que en latin *filius*, sinque haja diferencia alguna. Esto es evidente, porque el padre llama al hijo que engendró con virtud seminal *Che rayrá*, los predicadores en los pulpitos dicen lo mismo, *Che-rayrá*, y no los han engendrado por copula fornicaria. El viejo llama al mozo *Cherayrá*. En ahijando mucho la caña del maiz, dicen *Abati-ray*. Conque es visto, que esta palabra *Tayrá* comprende muchas especies de hijos, de la misma suerte que la palabra *filius* en latin, y en romance *hijo*. Y de la misma suerte que en estas dos lenguas no se hal-

(a) Originalis utique est, & authographa versio; nam catechismus idem est atque pridem approbatus in Concilio Limano, in linguasque subjectarum provinciarum, in quibus erat Paraguaria converti jussus.

Digitized by Google

halla inconveniente, ni le hai en que llamemos à Chriſto N. Señor *hijo* de la Virgen, ò en latin *filius Mariæ*, tampoco lo ha de haver en la guaranî en eſta palabra *Tayrá* que ſignifica lo miſmo.

En lo que mas aprietan los adicionadores, y en lo que mas mueſtran ſu dañada intencion, en la palabra *Membyrá*, que con intencion perverſa, y como malos interpretes, parten la palabra, ſeparando el *Mem* del *byrá*, conque conſtruien diabolicamente, diciendo quiere decir *hijo de polucion*, habido entre hombre y muger, porque explican que aquel *me* es marido, y junto todo *memby* quiere decir hijo de tal marido. Mal entretenimiento de partidores. Pregúnto: la muger, que nunca fue caſada, ni jamas tuvo marido, y llegó à tener un hijo ilegitimo, como le llamará? Es fuerza que diga *Chememby*, porque aſi llama la muger à todo lo que es hijo, aunque non haja tenido marido. Luego es perverſa la ſignificacion que le dan.

Pruebaſe con el lenguage de los Indios del Perù, que el varon llama à ſu hijo *Churi*, y la muger no uſa de eſte nombre, y llama à ſu hijo *Guagua*. Y en el cateciſmo dicen *Dios Yaya*, *Dios Churi*: y ordinariamente el Eſpañol llama por el Perù à qual quiera Indio que topa *Yaya*. Y no obſtante llaman al Eterno Padre *Dios Yaya*. En lengua guaranî el varon llama al hijo *Tayra*, y la muger dice al hijo *Che-memby*, la tia al ſobrino *Che-membi*, y lo miſmo la vieja al de menor edad. Con lo qual vera qualquiera de mediano entendimiento, que eſtas dos palabras *Tayra* y *Che-membyra* ſon generales, conque ſe ſignifica y declara mui bien la filiacion no ſolo natural, ſino del eſpiritu, pues engendramos para Dios à los que convertimos y enſeñamos. Y no fuera razon, que oiendo los Indios de eſta provincia explicar à un predicador el gozo que tuvo la virgen Nueſtra Señora quando hallo à Chriſto N. S. entre los doctores, y gozoſa le dixo: *Fili quid feciſti nobis ſic?* (Palabras ſon de la Virgen)... Predicandolas y explicandolas à eſtos Indios en ſu lengua guaranî, es fuerza uſar de la palabra *Che-memby*, que correſponde *à Fili*. Sino hablaſe con eſta propriedad, ſeria irriſion de los miſmos Indios, y no haria fruto.

Ya me parece, que todos los que conſideraren lo dicho, echaran de ver ſi eſtan deſnudos de paſion, y ven la propriedad de las palabras, que no ſon hereticales. Sino: buſquen otras para dar à entender al recien convertido, quien es el Padre, el Hijo, y el Eſpiritu Santo. Es forzoſo enſeñar les à perſignar en ſu lengua. En eſta provincia del Paraguai ſe ha de decir forzoſamente, paraque ſe entienda, *Tuba*, *Tayra*, *Spiritu Santo rera pipe*. Y à los Negros conforme à ſu cateciſmo les preguntamos, *Zambai Sai?* Quien es Dios? *Zambi Tata*, *Zambi Mona*, *Zambi Spiritu Santo*, *perſona citato*, *Zambi mori quiabo*. Y vemos, que en eſta lengua no es indecente llamar à Dios *Zambi*, *Tata* al Padre, y al Hijo *Zambi Mona*. Conque con eſto lo entenderan, y de otra manera ſe quedaran en aiunas de los myſterios de nueſtra ſanta fê, y religion Chriſtiana. Conque ſe echaara de ver, que aſiſtio Dios al V. P. Fr. Luis de Bolaños con particulares auxilios, y le dio aqueſte don paraque no erraſe en materia tan importante, como es la ſalvacion de las almas. Y ſi ſintiera lo contrario, como varon perfecto que el era, à la hora de la muerte ſe retratára. Antes à eſa hora hizo Dios maravillas por ſu ſiervo. Vilo por mis ojos, halléme à ſu muerte.

Conque pueden los doctos atender à eſtas explicaciones, que en eſte papel van, ſin partir los vocablos, y ſin ſeparar las razones; porque ſi en todas las lenguas que uſamos, queremos partir palabras, y troncar razones, las hablaremos poco honeſtos, y nada modeſtos. Si el Eſpañol divide la palabra *tabernaculo*, no hablara limpio, ſino eſpeſiſimo. Partida, ſera mal dicho, que un ſanto eſta en lo partido y ſeparado del tabernaculo. Y en latin decimos *Summus Pontifex*. Dirà Sum mus? Soi raton? Y aſi ſuplico que atiendan los doctos à eſto: conque las ſignificaciones de las palabras ſon mui puras y limpias en las oraciones de la lengua del Paraguai; que es aſi que el ſanto P. Fr. Luis de Bolaños, mas de treinta años antes que los Religioſos de la Compañia de Jeſus entraran en eſtas provincias, enſeño con expreſa orden del Synodo que celebró el Ill. D. Fr. Martin Ignacio de Lojola, y deſpues con particular orden del Venerable Dean y Cabildo *ſede vacante* de eſte Obiſpado del Paraguai. Y lo miſmo proſiguieron los religioſos de la Compañia de Jeſus por las miſmas palabras, como quienes tenian un miſmo eſpiritu de la ſalvacion de las almas, y aſi no añadieron ni quitaron à las dichas oraciones y cateciſmo nada, ſinoque como hombres ductos obſervaron y guardaron, y haſta ahora obſervamos todos los que tenemos doctrinas, lo que ordenaron y diſpuſieron dos Synodos de eſte obiſpado. Que es coſa recia dar à entender, que en ellos no aſiſtio el Eſpiritu Santo, y que aquellos no fueron Obiſpos legitimos, y que todos erraron. Pero yo creo fiel y verdaderamente, que aſiſtio el Eſpiritu Santo: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum*. No fuera bien, Señor, para coſa de tanta importancia hacer otra Junta y Synodo, y no oponerſe de cabeza, y ſin autoridad alguna à los dichos Synodos, y cateciſmo aprobado en ellos con parecer ſolo de hombres ignorantes en la lengua, en lo poſitivo, y eſcolaſtico?

Y porque ſe vea quan ſin modo ſe han adicionado y hereticado las palabras dichas, noten los entendidos y deſapaſionados la adicion que ſe da à la palabra *Tubá* que quiere decir en ſu propria ſignificacion *Padre*: y aunque la quieran partir y eſtruxar, no

le

le han de hallar otra significacion que la de *Padre*. Y querer condenar esta palabra *Tubá*, porque condenó el Pontifice Zaccarias unos nombres de angeles por demonios, y que en ellos y entre ellos estuvo la palabra *Tubá*, es sin ningun fundamento, porque uno de los angeles condenados por dicho concilio, se llamaba *Angelus Tubuel*, y el otro *Angelus Tubuas*. Que tiene que ver Judas con Juan Lopez? Es lo mismo Tubuel, y Tubuas, que en el Paraguai *Tubá*? Ne por cierto porque son diferentes los nombres y silabas de que se componen, y diferente la significacion de los nombres. Y es posible, que quepa esto entre Christianos, hombres religiosos y doctos?

Haviendo tantos por conquistar en estas Indias occidentales, que no han visto Españoles, aunque han tenido noticia de ellos, en que lengua los hemos de enseñar? Que aun Dios N. S. nos habla en nuestra lengua paraque le entendamos. Y paraque sepamos que tiene hijo, dixo por su Profeta (Isaias) en el cap. 66. n. 9.: *Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus. Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero? ait Dominus Deus tuus.* Y de la Virgen SS. dixo S. Lucas: *Peperit filium suum primogenitum*. Conque se accomoda Dios à nuestro lenguage para darse à conocer. Y echará de ver el docto, que este verbo *Pario* significa parir la muger de su marido, y significa parir sin muger, y significa parir la muger sin ajuntamiento de varon, como la Virgen SS. Nuestra Señora, que pario por obra del Espiritu Santo; y significa parir los montes. No ha servido de otra cosa en este Obispado el reparo de las dichas palabras, que de escandalo.

Tupá es Dios. El Indio asi lo entiende como cosa superior, y sobre todas las cosas. Que al demonio llama el Indio *Añá*, y al hechicero *Payé*. Y pues que tanto desean adicionadores de estas palabras, dennos otras para explicar à los Indios recien convertidos los articulos de la fé, y à los antiguos Indios Christianos, que no saben otra que su lengua, por estar apartados del comercio de los Españoles. Y sino saben bien la lengua, sugetense à los que la saben, y tanto la especularon como el Santo P. Fr. Luis de Bolaños, para sacar à luz el dicho catecismo. *Docti sciant, indocti credant*. Y asi concluio conque el dicho catecismo, que se ha presentado, es el que despues de muchos ajunos, oraciones, y disciplinas hizo y traduxo en guaranî el dicho mui R. P., haviendo consultado y conferido con los mexores lenguarazes de esta tierra, que es el que siempre se ha usado en la doctrina y enseñanza de los Indios en execucion de los Synodos de este Obispado, que han mandado, que por este catecismo y no por otro sean los Indios enseñados è instruidos en nuestra santa fé catolica, y que no hai inconveniente en que se prosiga, y lo huviera mui grande en qualquiera mudanza en la fragil naturaleza y condicion de estos Indios, si sehiciese qualquiera novedad en los terminos y vocablos, conque han venido en conocimiento del verdadero Dios, y que no entienden en dichas palabras cosa que sea malsonante, ni contraria à nuestra santa fé catolica, ni que merezca censura alguna. Esto dixo ser su parecer en lo que se ha consultado en la Junta.

Judicium reliquorum.

Congregati reliqui, videlicet Petrus de la Cabex, Judex olim Ecclesiasticus, Stephanus de Ibarrola, Rector Cathedralis, Franciscus Cavallero Bazan, parochus Incarnationis, Petrus de Mendoza Jaguaronis curator, Garcia Moreno, & Franciscus Espinola de Santacruz, in sententiam Decani, & Guardiani se convenire professi sunt, additis aliquot ad comprobandam.

Petrus de la Cabex dixit, cum Ill. Arestio a secretis, comes, ac deinde Visitator diœcesim lustrasset, non alium ullibi apud Indos catechismum inveniſſe; ab Ill. Cardenas constitutum se diœcesis Gubernatorem, Provisorem, & Vicarium Generalem, mœstissimos ubique Indos expertum esse interdicto quatuor prædictarum vocum usu.

1725. DE Diuturni temporis experientia, quo Paraguariæ & Flumini Argenteo provinciis præfui, nunc maxime cum huic pro Prætore D. Brunone de Zavala abſente præſum, me cogit ut T. M. de ſtudio certiorem faciam, quo Tapenſes Indi regiis obſequiis incumbunt, & quo adnituntur Jeſuitæ Doctrinarii, ut hujus prætorii mandatis obtemperent. Studium hoc a prima Reductionum origine non intepuiſſe palam ex eo fit, quod ab anno 1719. non intermiſſam reficiendo hujus urbis munimento contulerint operam, ſuffecta per ſingulas annorum vices centum & ſexaginta opificum manu, ſicque ordinato adventu, ut nunquam ceſſaverit opus. Sunt de reliquo probatiſſimis moribus, & ad ea quæ præſcribuntur impigri. Anno 1722. armati quingenti Prætoris mandato prodierunt in aciem ad colonos Luſitanos e ſede in Tuæ Majeſtatis ditione poſita, & armentorum vivariis inſtructa pellendos: compuleruntque ut intra ſuos ſe continerent fines. Cujus aciei ſumma ne obolo quidem Regi ſtetit; ſed ſuis illi equis, comeatum, arma, & belli omnigenum apparatum ſuffecerunt. Anno 1724. ejuſdem Prætoris mandato ad tria (*a*) millia profecti ſunt ad Luſitanum occupato Montevideo abigendum. Bonam viæ partem confecerant, cum duo millia regredi juſſa ſunt, ut reliqui ad conſtruendam arcem ire pergerent: quam illi perficere ardent. Eo majus eſt operæ pretium, quod mercedem conſignatam non acceperint, cum octo leucarum ſpatio materies equis ſuis vehenda ſit. Mox duo mille ſuis ſumptibus & ſtipendiis armati ad Paraguariam profecti ſunt: quo & ego contendi ad reſtituendam illius provinciæ pacem & fidem. Hujus expeditionis curſu ad officia paratos ſemper eos inveni; ſed cum rebelles victoriam reportaſſent, ut alias ad T. M. retuli, huc redii ad interpellandum Prætorem de neceſſitate novum copiarum delectum habendi, pacandæ provinciæ parem. Interea Prætor novi Proregis Caſtelfortii mandata de tranſeundo in Paraguariam accepit, & continuo collatis hinc inde copiis apparavit iter. Rem promovet imperatis Reductionum Indis ad ſex millia, qui quadraginta Aſſumptione leucis caſtra jam metati ſunt, ubi prætoriales expectant, unam ſimul cum his aciem commiſſuri. Uno Regi ſuo ſerviendi moventur ſtudio: dignique ſunt, ut T. M. gratam habeat obſequii ſinceritatem, a Doctrinariis inditam exemplo & educatione, innixamque mo-

(*a*) Quatuor alibi lego.

Digitized by Google

morum caſtitate, virtutum uſu, atque divinarum legum obſervantia. Ineſt profecto in Regularibus his ſingulare quid & efficax ad Chriſtianorum in reductionibus augmentum. Tuæ Majeſtati certum ſit, ſubditos eſſe fideles, defecturos ſi mutatio regiminis induca-tur. Id cœlum & terra teſtantur: ac præter ea quæ dixi, uſu parta notitia me cogit, ne Tuæ Majeſtati celetur, quod æquius ſit imperaturæ. Quam Deus valere jubeat ad rei Chriſtianæ proſperitatem. -- Boniſauris. 15. Januar. 1725. -- D. Balthaſar Garcia Ros.

XXXII.

Literæ Ill. D. Petri Faxardo Ord. SS. Trinitatis Red. Captiv. Epiſcopi Bonaurenſis, ad Regem Catholicum.

1725. D. -- Cum procuratores S. J. hujus provinciæ hinc ſolvant, operarum delectum habituri, meum eſſe duxi T. M. certiorem de neceſſitate rei facere. Meſſis abundat in hac provincia, per fines quinque diœceſeon lata, Bonaurenſis, Paraguajenſis, Tucumanenſis, Sanctacrucenſis, & Platenſis: ubi pro tot collegiis haud modico ſupplemento opus eſt. Sunt præterea in hac mea, & in Paraguajenſi contermina triginta Doctrinæ, Indis frequentiſſimæ, ubi ſexaginta Miſſionarii vix ſufficiunt. Quadringentos Tobatinos recens conciliarunt, pluresque brevi conciliandos ſpes eſt. Sunt & oppida in ditionibus aliis denuo condita: & in Sanctacrucenſi plus undecim forte ſint e Chiquitorum gente. Penuriam auget peſtilentia per Miſſiones pervagata, qua curatores deſiderati ſunt, alii per barbaros interfecti: jamque diu eſt, a quo nova requiritur Miſſio. Ex ſententia ceſſurum ſpero procuratoribus inceptum, uſque adeo Deo gratum, quem pro T. M. diuturna incolumitate precor. Boniſauris. 18. Jan. 1725. -- Fr. Petrus Ep. Bonaur.

XXXIII.

Regii Platenſis Senatus Conſultum. 1. Martii 1725. Ex authentico deſcriptum.

1725. D. Ludovicus Dei gratia Rex Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, utriuſque Siciliæ, Hieroſolymorum, Navarræ, Granatæ, &c. -- Doctori D. Joſepho de Antequera & Caſtro, Equiti Alcantarenſi, Regii Fiſci Patrono, & Reverendo Epiſcopo, cui injungimus executionem mandati mox declarandi: Urbano Magiſtratui, Conſulibus, & Senatoribus, copiarum ducibus, cæteriſque Paraguariæ colonis, ut ad quenque ſpectaverit, ſalutem & gratiam. -- Notum vobis ſit, ad Præſidem & Senatores Curiæ noſtræ Platenſis ſcriptas eſſe literas tenoris qui ſequitur -- Literæ Epiſcopi Paraguai ad Regiam Charcarum Curiam. -- Pot. Domine -- Altitudinem Veſtram certiorem facere oportet de geſtis ad Tebiquarim inter D. Balthaſarem Garciam Ros pro Rege miſſum cum imperio, & D. Joſephum de Antequera & Caſtro Prætorem (quibus ego intereſſe excuſavi rationibus de quibus conſtat literis P. Prioris Ord. Præd. ad me ſcriptis, atque reſponſo: quæ autographa A. V. mitto). Tunc morabar in oppido a Jeſu octoginta leucas a Tebiquari diſtante, unde Juſtiim veni, primam Franciſcanorum Reductionem, quam adire conſtitui, etſi comite uno qui a ſecretis erat, cum famulo, & pontificalibus ornamentis, mons mihi ſuperandus erat impervius valde. Ab hac urbe diſtat ſeptuaginta leucas Juti, quo veni poſt dies octo. Hinc Secretarium præmiſi, qui Prætori, ſuo Capitulo, & Eccleſiaſtico nuntiaret, adventare me, pagoſque propter viam ſitos luſtrare, in eiſque Sacramentum confirmationis adminiſtrare decreviſſe: quod & feci. Juſti, Caäzapæ, Jaguarone, in pago a Sancto Spiritu, Itapæ, & Capiatæ. Hic nuntium accepi, a Prætore cum Magiſtratu expectari me in loco binis leucis ab urbe procul: ubi a Prætore ea comitate & officiis exceptus ſum, quæ virum decent ſua natum ſtirpe. Poſt bidui moram cum univerſo comitatu profectus Eccleſiam meam modico, qualis in me cadit apparatu ingreſſus ſum.

Poſtridie eodem redii, quo etiam Capitulum Eccleſiaſticum, cum Prælatis Regularium, & frequente Nobilitate prævenerat. Fidem profeſſus rite ſum, & jusjurandum leges de regio Patronatu, & Eccleſiæ Conſtitutiones obſervandi, jam in Curia præſtitum, repetivi. Cunctos deinde ad pacem hortatus ſum: quam ut firmarem Scripturæ locis oſtendi de procuranda omnino debitum primis paſtoribus incumbens. Addidi Epiſcopum pacis amore impartialem eſſe oportere, memoremque pauperum ex æquo atque divitum, parvulorum & grandium eſſe paſtorem. Apud me receptus id agere ſtudui, quod prudentia, cari-

Digitized by Google

tas, & comitas dictaret: nequid diſſidii emergeret cum Prætore, iiſque omnibus quorum corda ſermonibus conſentiant. Et hæc quidem pacate tranſacta ſunt.

Sed non diu fuit quin noſſem, vitium in hac miſera diœceſi inoleviſſe, inconſutilemque libertatis, & immunitatis eccleſiaſticæ tunicam diſcerpi, nedum contemni; leges Eccleſiæ conculcari; palamque diffamatum Altitudinis Tuæ eſſe mandatum, ut Judices ſæculares ex jure procedant contra eccleſiaſticos. Allegaturque Senatus conſultum neſcio quod, temere quidem ut ego credo, Altitudini Tuæ, cujus eſt pietatis & religionis, attributum. Prætor in jus vocavit D. Joſephum Cavallero Bazan, Jaguaronis parochum, quem ſacris functionibus interdixit, bona occupavit, & uſque retinet occupata. Cum vero Proviſor D. Joannes Gonzalez ceſſiſſet officio ob impotentiam tuendæ immunitatis (quod actis apud me ſervatis, & ſæpe lectis liquidum eſt); a ſubrogato Lic. D. Alphonſo Delgadillo, connitente Prætore, parochia privatus eſt Bazan. Hac lege nullus non officio dejici poſſit, quanquam iteratis A. T. decretis, & juris præſcripto interdictum ſit, ut late exponit Archiepiſcopus Charcarum D. Gaſpar de Villarroel, & Indici Senatus miniſter J. C. D. Joannes de Solorzano; quod A. T. non latet.

Fiſco addixit patrimonium Prætor, quod pro ordinationis titulo fuit Auguſtino de los Rejes diacono. Qui, & religioſus quidam Dominicanus, quinque ab hac urbe leucis capti ſunt per Alcaldium Raimundum de las Llanas, cujus ſatellites contra Dominicanum capite percuſſum blaterarunt, facultatem Eccleſiaſticos capiendi Alcaldium habere ab omnipotente.

Expulſi collegio etiam ſunt Patres Societatis mandato mutandi ſolum infra trium horarum ſpatium, precibus ad prætorium accurrentium refutatis, negataque de mandato fide: atque denuntiato ſecundum exitu ante condictum, niſi vellent collegium appoſitis tormentorum machinis dejici: erantque jam inſtructæ machinæ, & milites quatuorcentum ad executionem procincti. Id ex lege teſtatur Dr. D. Antonius Gonzalez Guzman, meus Proviſor & Vicarius Generalis, Doctorque D. Joannes Gonzalez de Melgarexo, Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, qui præſentes aderant, viderunteque Patres hora poſt meridiem quinta pedibus egreſſos, proſequente fœminarum & puerorum turba, atque jacturam obitam deplorante. Novit A. T. jacturæ magnitudinem, exempli & ſermonum ope deſtituta civitate, cujus mores minus correcti ſunt, ne dicam plane depravati: maxime quod eſſent ſoli qui miſſionibus, & ſacro miniſterio, bellum vitiis & orco indicerent. Acerbiſſimum mihi fuit, quod urbe pulſi rure non conſtiterint. Sed Prætor ante meum adventum eis viam ad Doctrinas ſtravit: nec potui, ut erat votum, hinc precibus, illinc dignitatis meæ periculo abitionem impedire. Patres præterea mihi per literas ſignificarunt, regredi ſe non poſſe niſi Curiæ iſtius mandato: cui dum expediatur, neſcio obtemperandumne ſit. Imo neſcio, an rei publicæ reſtituendus ſit Ordo, niſi legatus aliquis cum poteſtate veniat. Dubitandi cauſam ſilere juvat, quam exponere meum eſt quidem, ſed Altitudinem Tuam latere nequit.

Miſſi etiam ſunt in hanc urbem PP. Polycarpus Duſo, & Antonius Ribera S. J. capti, cum a Tebiquari ad S. Mariæ recederent poſt exercitus regii cladem, in quo ſacrorum curatores egerant. A cuſtodibus immitius habiti ſunt: Prætor vero ad Proviſorem ſcripſit, ut an revera ſacerdotes eſſent inquireret, in publicam alioquin cuſtodiam conjiciendi. Eos juſſit in libertatem reſtitui, cum regreſſus in urbem me appropinquare novit.

Juriſconſulti quidem Salgadus, & Fraſſus regiam contra Eccleſiaſticos juriſdictionem prorogant; ſed notum eſt, Regem Catholicum pro ſua pietate miniſtros velle canonibus obtemperantes. Hinc cum Prorex Dux de la Palata edicto poteſtatem fecit Conrectoribus contra parochos, alioſque eccleſiaſticos ſummariam informationem conficiendi, id eſſe contra immunitatem Eccleſiaſticam cunctis Epiſcopis voce, Archiepiſcopo veſtro etiam ſcripto reclamantibus, Indici Senatus conſulto ſententia Proregis damnata fuit. Jam vero ſi ſummaria ſimplex informatio immunitati contraria eſt; quid de tot actis judicandum ſupra recenſitis? Muneri mihi a Deo, & ab Altitudine Tua injuncto debeo, etiam ſanguine ſi ſors tulerit, immunitatem tueri: ſponteque devoviſſem me præſens. Id non ex vano affirmaverim, miſer de reliquo, nec Ambroſio compar. Sed præ oculis eſt temporum diverſitas, timenda incommoda, imperii difficultas, & pernicioſi veſtri mandati effectus. Quia Epiſcopo non licet his immiſcere ſe, quantum licet diſſimulandum fuit; cunctos officioſe habui, a rebus politicis abſtinui: Prætoris, Magiſtratus, civiumque conſuetudine comiter uſus ſum, ut cunctis acceptus, cum iis qui partium ſtudio liberi ſunt, animorum conſenſionem promovere poſſem, ut Deo dante factum eſſe credo, quanquam fortaſſis una ſpecie tenus. Reliquum eſt A. T. obſecrare, ut remedium adhibeat quod opportunum judicaverit. Id expectabo ſex menſes, quibus exactis, cum officio & obſervantiæ adverſus tuam regiam perſonam ſatisfactum ſit, ad Regium Indiarum Senatum cum authenticis documentis mittam harum literarum exemplar. Deus A. T. incolumem ſervet ad ſui nominis majorem gloriam, hujuſque infelicis provinciæ tranquillitatem. -- Aſſumptione 4. Nov. 1724. -- Adm. Pot. Dom. -- A. T. pedibus provolutus. -- Fr. Joſephus Ep. Coadj. Parag. --

His literis ſequentium exemplar, quæ probationi ſint, adjungit veſter R. Epiſcopus. -- Ill. ac Rev. Dñe. -- Quamvis ad literas T. D. I. *Carcarañal* Sanctafidenſi loco datas, quas ma-

Digitized by Google

maximi habui, & ſubmiſſiſſime legi, jam per Reductiones reſponderim, adeſt occaſio gratum officium iterandi; etſi piget maxime quod vulgo fertur, Militum Magiſtrum D. Balthaſarem Garcia Ros provinciam aggredi armata manu, & grandia edere conſtituiſſe documenta ſeveritatis; qui rumor corda vel duriſſima commovere natus eſt. Pro certo habitus ita perculit animos, ut univerſis jus reclamantes patrium ſanguine avertere juraverint gubernationis mutationem: quam decem millium ſcutorum pœna Curia Platenſis interdixit, niſi *per ſuum canalem* derivetur. Nunc vero cum pars utraque arma movet, immedicabilium timendus eſt malorum turbo, & utriuſque partis ruina. An non dolendum ſit, Chriſtianos quos unius mentis oportebat eſſe, mutuam ſui perniciem machinari? Conciliandæ pacis amore, adnitentibus Communitate mea, & hujus Eccleſiæ ſponſæ tuæ moderatoribus, Tibi Ill. Dñe rerum geſtarum ſummam narrare conſtitui, ut qua vales authoritate rei publicæ tranquillitatem afferas. Deſperanda non eſt, ſi harum literarum examplar ad Curiam Platenſem miſeris, ut vim & prope incredibilia cœpta imperio prohibeat. Noſtrum eſt, & omnium Eccleſiaſticorum, pericula ſalutis animarum amovere, quibus opem a Te petimus pedibus tuis provoluti, ut quam primum veneris ad pacandos animos, ne nobis lacrymarum, tibi ſolicitudinis accreſcat occaſio. Fauſtum apprecor & celerem adventum, diuturnamque incolumitatem, & votorum ſucceſſum. Paraguariæ. 27. Julii 1724. -- T. D. I. Humillimus ſervus. -- Fr. Joannes de Garai. -- Sequitur legalizatio Secretarii Epiſcopalis. --. Reſponſio. -- R. P. -- Literas tuas 27. Julii 1724. datas hic in S. Annæ fano accepi: nec alias vidi. Gratiſſima eſt tua prudentia & ſolicitudo de avertendis imminentibus malis ex aditu D. Balthaſaris regii legati, & ex conſilio colonorum obſirmato Prætorem nullum præter Curiæ Platenſis conſenſum admittendi. De quibus id habeto R. P. Ut primum ſub meum Bonaſauras adventum Proregis mandata cognovi, operam dediſſe me, quam potui maximam, primo ſolum, deinde cum illius urbis Epiſcopo, aliiſque conſpicuis rogatoribus, ut Prætor executionem ſuſpenderet, malaque vitaret, contra Dei Regiſque obſequium impendentia. Sed qui mandata acceperant, reſponderunt, reos capitis fore ſubalternos, qui pro Rege jubenti non obedirent. Addentes, ſolicitudinem meam potius ex paterna caritate, quæ me quidem deceat oriri, quam e veriſimili periculo; neque enim ſuſpicandum eſſe, ſubditos fideles obedientiam Principi debitam abnegaturos. Cum eam difficultatem amovere non poſſem, author Prætori & Legato fui, ut priuſquam vi quidquam tentarent, oblivio geſtorum, tam de refutato primum Regis legato, quam de reliquo, pro Rege ſponderetur. Dum ad Regem ejuſque Senatum de his retuli, addidi impendentium malorum teſtem me eſſe non oportere. Præterquam quod mandatum expreſſum acceperam cunctas luſtrandi Reductiones. Hæc cum ita ſint, impoſſibilis eſt, R. P. tam celer meus iſthuc adventus, non modo ex dictis, ſed vecturæ deſiderio, quam a S. Ignatii, & a S. Mariæ pagis expecto, ut Calendis Septembribus Itapuam veniam. Itaque licet tuarum R. P. literarum ſumma cor meum laceret; licet paratus animo ſim vel ſolus abire, & ſine commeatu, per media etiam vitæ diſcrimina, cœptaque diſceſſui poſthabere, ſiquid eluceret ſpei, cum teſtis Tu ipſe ſis, iſtos non niſi mandatis curialibus parituros ſe obſirmaſſe; ego vero ſciam non minus obſirmaſſe Legatum perficienda mandata pro Rege; quid inter contraria duarum juriſdictionum regiarum conamina valeat imbellis Epiſcopus? Scopuli ſunt hi, R. P. Scylla & Caribdi vitatu difficiliores, quos aliter ego vitare nequeo, quam ſi obeundo paſtorali munere peregrè diſtinear. Non ceſſabo tamen lacrymis aras Dei viventis irrigare, divinamque Majeſtatem orare omnium corda manu tenentem, ut ea cœleſti lumine irradiet, & ad pacem qua provincia tranquilletur, inflectat. Nullus dubito, quin & Tu R. P. cum Patribus & Fratribus mihi cariſſimis id ipſum ad aras, & mihi opem exores, nequid prætermittam quod ad majus Dei obſequium, honorem, & gloriam ſit. Vale. -- V. R. ſervus & addictiſſimus frater. -- Fr. Joſephus Ep. Parag. -- Adm. R. P. Priori Fr. Joanni de Garai. -- Collatæ inſtar præcedentium. -- Signat. Dr. D. Joannes de la Oliva Godoi Secr. Ep.

His Fiſcali communicatis, prodiit conſultum & decretum ut ſequitur. -- Adm. Pot. Dñe. -- Fiſcalis viſis litteris R. Epiſcopi datis 4. Novemb. 1724. ait, quatuor capitibus earum conſtare ſummam. Primum refert de ſuo Aſſumptionem, quæ caput diœceſis eſt adventu, & læto ingreſſu; de cauſis aditum differendi; & quod rebus ad Tebiquarim geſtis inter D. Balthaſarem Garcia Ros pro Rege cum imperio miſſum & D. Joſephum Antequera & Caſtro, coactus eſt moras nectere apud Jutiim octo leucas a Tebiquarii diſtantem, ratus rebus intereſſe non oportere, ex cauſis quæ in binis adjunctis literis ſignificantur. Harum primas dedit ad Epiſcopum Dominicanorum Prior Fr. Joannes de Garai 27. Julii 1724. Quibus Epiſcopus reſpondit ex pago S. Annæ 6. Auguſti ejuſdem anni. Prior Epiſcopum admonet de Paraguajenſium commotione, vulgato D. Balthaſaris cum copiis adventu, & hinc ſuſpecta rerum omnium ſtrage; quod videlicet mortem obire mallent Paraguajenſes, quam immutari quod Altitudo Veſtra decem mille (verba Prioris ſunt) ſcutorum multa de præfectura decreverat. Obteſtaturque Epiſcopum, ut avertendæ calamitati, quam impendere judicat, operam præſtet. R. Epiſcopus 6. Auguſti reſpondit, D. Balthaſari injunctum omnino eſſe, ut præfecturam obeat. Additque adfuturum ſe, ſi

Digitized by Google

quid eluceret ſpei de concilianda pace. Sed quandoquidem Paraguajenſes obſtirmaverant, uni obediendum Curiæ, nihil interea ſibi eſſe reliquum, quam ut paſtoralia curaret, & lacrymas funderet coram Deo.

Secundo queritur, Eccleſiæ libertatem, immunitatem, & juriſdictionem contemni ex eo quod vulgatum eſt, hujus Senatus conſulto poſſe Judicem ſæcularem in jus vocare Eccleſiaſticos, quo munitus Prætor D. Joſephum Cavallero Bazan judicavit, ſuſpenſum declaravit, ejus occupavit bona. Lic. vero D. Alphonſus Delgadillo, Proviſor renuntiatus, eundem a Jaguaronis parochia removit. Addit, fiſco addictum D. Auguſtini de los Rejes ordinationis titulum, & hunc captum cum Dominicano quodam. Id patratum ab Alcaldio Llanas, cujus ſatellites vulnerato Dominicano edixerant, ab omnipotente poteſtatem eſſe clericos capiendi.

Tertio monet, Prætoris edicto denuntiatum Patribus S. J. infra tres horas exterminium; eorum preces ante urbanam curiam refutatas: exitum ſecundo denuntiatum, niſi mallent collegium ſubverti, erantque jam inſtructæ machinæ, parati milites quadringenti, & jaculatores reſtim accenderant. Pedibus egreſſos cum breviariis ſub veſperum, collacrymante imbelli turba. Ait tandem ſe, ſi adfuiſſet, nihil prætermiſſurum ad retinendos.

Quarto refert, PP. Polycarpum Duſo, & Antonium Ribera, Indorum de exercitu D. Balthaſaris curatores, ſub cuſtodia miſſos Aſſumptionem; ſcriptum a Prætore Proviſori ut inquireret, eſſent-ne ſacerdotes, alioquin in vincula tradendi: abſolutoſque ſub adventum Secretarii Epiſcopi. Tandem Prælatus geſta dolens orat A. V. ut remedium apponat, quod expectabit ſex menſes, acta miſſurus deinde, V. A. pace, ad Indiarum Senatum.

Ad primum caput, quo Epiſcopus acceſſu abſtinuiſſe ſcribit, quod rebus intereſſe nollet, cum Paraguarienſes retinere vellent gubernationem, quam A. V. decem millium ſcutorum multa prohibuerat innovare, reſpondet Fiſcalis, P. Priorem temere credidiſſe quæ ferebantur, & parum exacte locutum de hujus Curiæ mandatis. Illud ex Actis liquidum eſt, ſex accuſationis capita contra D. Didacum de los Rejes admiſſa ex jure fuiſſe. Cum vero D. Joſephus Antequera Protector Fiſcalis Quæſitor eſſet renuntiatus, jamque viam ageret ad Paraguariam cum titulo a Prorege collato, ut D. Didaco ſuccederet proxime finituro, Rejes autem vellet prorogata præfectura imperium retinere, ad Proregem provocavit hic, tacito ſex accuſationis capita objecta ſibi eſſe, haud ſane levia, quorum unum eſſet capitale. Expoſuit tantummodo, uxorem ſuam Paraguajenſem non eſſe per hanc Curiam naturalizatam; ſed ab uno Prorege qui Epiſcopus fuerat Quitenſis; ante poſſeſſionem aditam, impetratam diſpenſationem. Quare deſtituendum ſe non eſſe contendebat. Hoc allegato ſubreptitio juſſit Prorex, Didacum de los Rejes præfectura non deturbandum, niſi alia ratione abrogatio niteretur. Quod mandatum ad Paraguariam pervenit tunc quando probata jam erant accuſationis capita, Rejeſque fugerat e cuſtodia, in quam conjectus ut reus erat a Quæſitore. Voluit uti Proregis mandato ad recipiendum imperium. Quod cum provinciam commoviſſet, reum convictum indignatam Prætorem Quæſitor Altitudinem Veſtram certiorem fecit, exquiſivitque mandata ad coloniæ tranquillitatem reſtaurandam. Accepto hoc nuntio, plurium que literis in Acta relatis, negantium Rejes a ſe reſtituendum ex rationibus allegatis, audita fiſcali ſententia, inter alia juſſit Altitudo Tua, cunctorum relationem ad Proregem mitti, expoſitis motibus & periculis, quibus Excellentiæ Suæ mandata de reſtituendo Rejes anſam dederant. Ac donec ex documentis & actis integris edoceretur, mandata daret Excellentia Sua ſtatui provinciæ congrua: eaque mitteret per hujus Curiæ canalem, ne D. Joſephus Antequera, Magiſtratus, & Aſſumptionis cives, æque atque D. Didacus de los Rejes, ejuſque partes & propinqui, ulluſve colonorum quidquam auderent innovare aut turbare; ſed univerſi obedirent Magiſtratui, copiarumque ducibus, officio quiſque ſuo ſatisfaceret, & paci atque publicæ quieti operam darent, mandata præſtolati cum ea reſignatione, quæ fidos decet Regis ſubditos, indicta non obedientibus decem millium ſcutorum multa. Hæc ſunt ipſa decreti curialis verba: & in approbatione ſubjungitur, relinquendum apud D. Joſephum de Antequera Prætorem, quemadmodum in tabulario inter hujus cauſæ documenta depoſitum eſt. Omniaque tam de rei ſumma, quam de verbis, longe aliter exprimuntur, atque Paraguajenſes interpretati ſunt. Neque enim Senatus hic prohibere potuit, quin Prætor clam ſe reciperetur; ſed tantum voluit poſſe incommoda exponere, ſiquid mandato ſuperiori periculoſum, incongruumve decerneretur. Sic tamen, ut Superiori poſt expoſita incommoda obtemperandum eſſet omnino. Quodſi decreto exprimitur, huic Curiæ communicanda Regentis Superioris mandata, nihil in hac phraſi eſt, quo Paraguajenſium obligatio de obediendo mandatis ſuperioribus ſolvatur, nec quo ſignificetur, obediendum tantummodo, quatenus per Curiæ canalem præcipiatur. Senſus in literis Paraguajenſibus expreſſus perperam appenditur ſinceræ & Chriſtianæ hujus Curiæ Senatorum ſententiæ, quorum animus, fides, & integritas eſt qualis eſſe debet. Appoſita eſt in decreto Curiæ notata phraſis, quia cum rei ſumma ad juſtitiæ adminiſtrationem huic foro ingenitam & propriam ſpectet, hujuſque interceſſio Curiæ ad Proregem miſſa ſit expedito illius ſumptibus nuntio, credi par erat, Excellentiam Suam reſponſum ire. Sed non reſpondit. Cumque juſſerit D. Balthaſarem ad Paraguariam ſe conferre, aliaque ſuſceperit conſilia præter hoc forum, fortaſſis ut vos

ce-

Digitized by Google

celaret hujus cauſæ cognitionem, non potuit Altitudo veſtra quenquam de Proregis ſententia certiorem facere, quam diu poſt rem geſtam primo noverat. Quare nequeunt hæc imputari Altitudini Tuæ, maxime quia miſſa ad Proregem decreti ſumma, quo exprimebatur, mandata poſt viſum huc eſſe dirigenda, neque huc directa ſunt, nec redditum per nuntium, qui miſſus erat, reſponſum. Nihilominus Paraguajenſibus obediendum fuit illico, quacunque ſuperiora denuntiarentur mandata; nam ex modo quo erant concepta, & ex tempore elapſo noſſe poterant, Proregem non latere cauſam interceſſionis: quo tantummodo reſpiciebat hujus Curiæ decretum. Ad hæc, cauſa vertebatur de uno Rejes reo denuntiato, devitando tumultu ſcandaloſo, cui per mandatum denuo impetratum occaſionem fecerat, ac de cauſa cur a colonis non admitteretur, quia videlicet accuſationes erant probatæ, & quia reus fugerat e cuſtodia, liſque pendebat in hac Curia. Quæ incommoda ceſſaſſent, ſi mandata ſuo canale expedirentur potius, quam tramites inirentur qui ſuſpecti eſſe poterant. Ne impetrari quidem potuit, quantunvis ab hac petitum Curia, ut Prorex Quæſitorem mitteret, nec reo, nec accuſatoribus ſuſpectum, ſimul atque per Curiam Antequera juberetur ad ſua regredi. Ex quo autem decreti phraſis uſque adeo rudi ſenſu accepta fuit, non aliter illud de reliquo intelligere oportuit. Ac proinde imperanda fuit reſtitutio Rei, exigenda obedientia cæca, & abjicienda ſpes de communicandis Curiæ a Prorege mandatis, conſiliiſque ad coloniam tranquillandam ſuſceptis. Ex his omnibus, & ex rei totius exitu fit, decretum Altitudinis Veſtræ ex jure conceptum eſſe, nec fuiſſe ex vano timorem, ex quo interceſſio ſignificata fuit.

Ad ſecundum literarum R. Epiſcopi caput reſpondet Fiſcalis, cum D. Didacus de los Rejes extorto ſuperiore mandato, faſces recipere niteretur, obſtitiſſe copiarum duces, quod ejus crimina probata eſſent, & pleriſque colonorum nota. Ad publicam tranquillitatem, utque Rejes incœpto de ſe ruſtituendo deſiſteret, miſſum Alcaldium cum armatorum manu, qui ejus exploraret conſilia, & corpus ſi fieri poſſet, apprehenderet, ne in provinciam penetraret, quo per medios finium cuſtodes jam intraverat, regionemque litteris inundaverat ad cognatos & amicos. Ex iis qui partes ejus ſequebantur fuit D. Joſephus Cavallero Bazan Jaguaronis curio, qui juridice convictus, & coram Judice Eccleſiaſtico confeſſus eſt, ſe viam ſtraviſſe fugienti, aliter non evaſuro. Cum hæc ita procederent, conſtat ex actis, monitum Rejes, Prætorem contra ſe tendere armata manu, vincula nova veritum longius receſſiſſe. Cum vero invaluiſſet rumor, denuo præfecturam meditari, cognatis & amicis opitulantibus, ut hos noſceret Prætor, quæſtionem inſtituit, quæ plures teſtati ſunt, nullum de reſtituendo Rejes ardentiorem eſſe Jaguaronis Curione, qui per literas monitus a Rejes de ſuo ad recipiendum imperium adventu, obviam proceſſerat; etiam ultra provinciæ fines: regreſſuſque Jaguaronem, accepto nuntio, pro finibus eſſe Rejes, eum convenit poſt nuntium ad amicos derivatum. Cum hæc documentis conſtarent, & cætera hujus clerici conſilia, Vicarium diœceſis Generalem interpellavit Prætor, ut hominem contineret in officio. Ad hunc Senatum de re tota retulit, & documenta miſit, quibus examinatis, petiit Fiſcalis 9. Martii 1723. Actor. fol. 76. Curiæ mandatum, ut Judex Eccleſiaſticus ex lege procederet contra D. Joſephum Cavallero, acta mitteret, ut Curia de pœnæ æquitate ſententiam ferret, dum de commiſſis conſtaret. Hæc fiſcalis interpellatio arbitraria minime fuit, ſed invariabili Regni Tribunalium innixa conſuetudine, & lege 8. tit. 12. lib. 2. Recopil. Indiar. ex qua novit Altitudo Veſtra, quod Fiſcalis, cum Eccleſiaſtici incorrigibiles ſunt, & rei publicæ perturbatores, mandatum petere debet ad Judices Eccleſiaſticos, ut referant de actis contra reos, documenta exhibeant, & ſententiæ latæ exemplum, ut dum pœna culpæ ſit impar, per Curiam regiam moniti paci conſulant, & publicæ ſecuritati. Hac lege prodiit Senatus conſultum 13. Martii 1723. quo Paraguajenſes temere cavillantur, poteſtatem fieri Judici ſæculari Eccleſiaſticos in jus vocandi, ut R. Epiſcopi litteris continetur, cum ex ejus tenore ſit evidens, rem totam ad Eccleſiaſticum Judicem dirigi, & ei committi. Abs re dixeris, mandatum his dari ſæcularibus adverſus Eccleſiaſticos immediate procedendi. Eſtque notandum, quo tempore ad hanc mittebantur Curiam documenta contra rei publicæ perturbatores ab Antequera, Lic. D. Alphonſum Delgadillo Judicem a Venerabili Decano & Capitulo ſede vacante deputatum acta jam incœptaſſe 6. Octobris 1722. eodem ſcilicet die quo interpellatus fuit, actaque proſecutum fuiſſe, poſtquam eorum ſibi copiam fieri mandavit quæ teſtes ad quæſtiones reſponderant generales, erantque delata ad ſuum prædeceſſorem. Ubi ſequentia obſervanda ſunt; primum qui proceſſum incœpit, incœptoque finem impoſuit, fuiſſe Judicem Eccleſiaſticum, non Altitudinis Tuæ mandato, ſed Prætoris Paraguajenſis: quod ille ex lege citata facere debuit, nedum potuit. Secundum, quod ex primo ſequitur, proceſſu per Eccleſiaſticum inſtituto contra eum, qui reſtituendi Rejes contentione rem publicam turbabat, acta per hunc Judicem competentem Altitudini Tuæ imputari non poſſe, nec Antequeram vituperari quod hunc interpellaverit Judicem, cujus mandato, ut ex actis liquet ad hanc Curiam tranſmiſſis, Curionis occupata ſunt bona; eundem fuiſſe Judicem, qui ex primis cauſæ documentis œconomum conſtituit, qualem debuit ex lege Indiarum citata, ubi de puniendis clericis rei publicæ perturbatoribus additur: *Cum vero parochus, dum quæſtio habetur, munus parochiale obire non poſſit, œconomus*

Digitized by Google

nomus conſtituatur, ne illius pravi moresſcandalo parochianis ſint. Nec obſtat, D. Joſephum de Antequera ſcriptum accepiſſe a protectore Indorum Jaguaronis, ex eoque teſtes examinaſſe. Neque enim Fiſcalis, nec Altitudo Tua factum probavit; etſi ſcriptum illico tranſmiſſum eſſe videtur ad Judicem Eccleſiaſticum, qui teſtes alios audiri juſſit. Et quidem Lic. Avalos presbyter Curionis vicarius coram Eccleſiaſtico Judice vera eſſe teſtatus eſt ea, quorum Indi Curionem incuſaverant. Jam vero criminationes iſtæ in materia gravi & ſcandaloſa erant, ſiquidem toto decem annorum ſpatio, quo parochum egerat, nunquam doctrinam Chriſtianam explicaverat, nec niſi tribus hebdomadis ſanctæ diebus concionabatur. Sacrum celebrabat ſebaceis candelis præter dies Jovis, quibus ſacrum renovationis cereis illuſtrabat. In parochiali Eccleſia ut plurimum altare SS. Sacramenti obſcuratum erat, & ſub adventum cujuſdam viſitatoris occidi juſſit aſinorum par, quorum adipe pro oleo lampas arderet ſimul atque fœteret. Hæc teſtati ſunt Lic. Avalos & Indi: addiderunt-que fœtorem fuiſſe magis intolerandum, cum communitatis, quam Cavallero curabat, armenta cæderentur; non enim ſebo, ut par erat, comparabatur cera, nec aliunde ſupplebatur ex vendita cannabe ad navales uſus, aut ex goſsypio per Indos elaboratis: Crimina Altitudinis Tuæ pietati valde gravia, quorum pœnam, ſi eſſet certa probatio, avaris paſtoribus documento eſſe oportebat. Id convenit inter R. Epiſcopum & Prætorem, cui regius patronatus incumbit, & regalium cura ex lege, quæ a *Concordia* nomen habet, cujus tenor ex iis quæ regnicolæ ſcribunt, Epiſcopo dubius eſſe videtur. Verum Fiſcalis, qui eos legit, reſpondet, legem a Concordia uſu firmatam eſſe, nec Epiſcopum ſe doctiorem ignorare unam eſſe de hujus regni municipalibus; Regum tantummodo eſſe leges ferre; ſubditos vero una manet obedientiæ laus. His addendum, D. Joſephum Cavallero curatu ceſſiſſe 4. Decembris 1722. ut ex Actis certum eſt, parentum inopiam cauſatum, & ſacerdotii tenuitatem. Ceſſionem coram Ven. Decano & Capitulo factam, Prætori ut Vicepatrono notificatam, & poſt menſes quinque, videlicet 15. Maji 1723. de curatus vacatione conveniſſe inter Proviſorem Vicarium Generalem, Prætoremque, tam ceſſionis cauſa, quam propter delicta in proceſſu per Proviſorem confecto enuntiata. Verum Fiſcalis poſt viſa documenta judicat, curionem ſuam cauſam non ſuſtinuiſſe, ut potuit, debuitque, nec proceſſum ex forma juris eſſe confectum; nam quanvis Proviſor novendium conſtituerit ad probationes complendas, nullum conſtituit ſpatium Fiſcalis Eccleſiaſticus: ac ne unus quidem teſtis pro parte accuſati Curionis extitit, qui protulit tantummodo, Proviſorem ſibi eſſe ſuſpectum: ac proinde judicat, ceſſionem factam ſat non eſſe ad declarandum curatus vacationem, cum facta ſit ab invito, delictorum imputatorum vi, & ſpe ut ex poſterioribus ſcriptis patet, mitigandæ tempeſtatis. Igitur dimiſſio fuit irrita, nec jure potuit ſucceſſor præſentatione conſtitui. Id ad petendum me movet, ut Epiſcopum moneat Altitudo Veſtra, de obliquis cum Vicepatrono per legitimum Judicem rectificandis. Quod attinet ad bona D. Joſephi Cavallero per D. Joſephum de Antequera occupata; propria perſonaliaque Judicis Eccleſiaſtici D. Alphonſi Delgadillo ſententia capta fuiſſe videntur; per Prætorem vero bona tantummodo communitatis, quæ Indorum ſunt, atque de more regionis adminiſtrantur a Parocho, qui rationem Prætori reddere quotannis debet, ut in *Cap.* quod citat *Ord.* ejus provinciæ 13. habetur: quæ Altitudini Veſtræ præterquam ex Actis ignota ſunt.

Quod dicitur de patrimonio D. Auguſtini de los Rejes, ac de captura religioſi Dominicani per Raimundum de las Llanas Alcaldium, ac de vulnere per ſatellites inflicto, reſpondet Fiſcalis facta eſſe ignota Curiæ, partibus uti licere jure ſuo, & Epiſcopo providere. Exceſſus namque contra ſacram immunitatem Curia non approbat, agetque quod ſuum eſt, dum acta exhibeantur authentica.

De tertio capite, quo monet Epiſcopus, edicto Prætoris expulſos Patres S. J., eorum preces refutatas, ac de reliquis in ejus epiſtola contentis, reſpondet Fiſcalis inaudita hæc, luctuoſa, & præter opinionem, nec a religioſis Societatis, nec a Magiſtratu, aut a Prætore nuntiata eſſe Curiæ: nuntium primum R. Epiſcopi litteris acceptum eſſe. Silentium Patrum eo niti videtur, quod Societati perſuaſum ſit, opus non eſſe ea de re Curiam interpellare, quæ revera nunquam non documenta conſpicua dedit amoris erga ipſam, venerationiſque propter eximia geſta, & utilitatem toti Eccleſiæ provenientem. Cum autem R. Epiſcopus affirmet, D. Antonium Gonzalez de Guzman, & D. Joannem Gonzalez Melgarexo, teſtes ex viſu eſſe; ſententia Fiſcalis eſt, ut Altitudo Tua Prætorem Magiſtratumque jubeat, actorum rationem reddere, actaque omnia per eam occaſionem edita mittere. Ut R. Epiſcopo id ipſum injungat. Addatque, ſperare ſe ex ejus zelo & pietate, acturum pro virili, ne cogatur Societas uſque adeo benemerita, & animarum ſaluti proficua, collegio abeſſe, excitaturumque in ſuo Capitulo, in Magiſtratu, & in univerſis civibus ſenſa pietatis, & amoris. Unde fiet, ut pax utriuſque Majeſtatis obſequio neceſſaria reſtituatur. Quod Veſtræ Altitudinis votum ſemper fuit, atque meum; ut ex petitionibus elucet factis, faciendiſque dum facta notiora, & clariora ſint.

De quarto capite, quod ad capturam pertinet PP. Polycarpi Duſo, & Antonii Ribera, cum nondum juridice relatum ad Curiam ſit, Fiſcalis reſpondet quod ad proximum: ac de reliquis A. V. requirit ut provideat, ſibique remittere jubeat duplex literarum Epiſcopi,

ſua-

Digitized by Google

ſuarum petitionum, & decreti pronuntiandi exemplar, ad Regiam Veſtram Perſonam, Indiarumque Senatum mittendum, monendumque quam primum Superius Regimen, miſſis documentis, ut ex jure procedat, &c. -- Platæ. 21. Febr. 1725. -- D. Petrus Vazquez de Velaſco. --

Decretum.

Regia proviſio fiat, quæ vim habeat Senatus Conſulti ob locorum diſtantiam, qua D. Doctori D. Joſepho de Antequera & Caſtro, Protectori Fiſcali hujus Curiæ, Magiſtratui, & copiarum Ducibus, atque reliquis Paraguariæ colonis mandetur, ut obſervent, exequanturque mandata quævis ad eam præfecturam pertinentia, de quacunque re, quæ a Superiore horum regnorum Regimine manifeſta fiant, nec expectent quod per hanc innoteſcant Curiam, perperam interpretati decretum 13. Martii 1723. quod ex Fiſcalis mente intelligendum eſt. Inobedientes ſinguli decem millium ſcutorum multæ obnoxii ſunto, & perfidorum pœnis. Injungimus pœna pari, ut unuſquiſque tranquillitati, paci, unioni, & obedientiæ debitis operam præſtet. D. D. Joſephus de Antequera & Magiſtratus rationem exhibitis documentis reddant quam primum ne ſcandaloſa Patrum Societatis expulſione ab Epiſcopo nuntiata: ac de inceptis uſque adeo irregularibus, & quæ fidem pene ſuperent, inſtructo proceſſu contra religioſos hos abſque Curiæ, Superioriſque Regiminis notitia; cum mirandum ſit, qualiſcunque fuerit cauſa, nec ante, nec poſt factum, Curiam certiorem factam eſſe, nec tanta ſolicitudine liberatam. Idem eſto de commiſſis contra PP. Polycarpum Duſo, & Antonium Ribera. Vix enim poſſit mente concipi talium auſorum ratio. Mandamus expreſſe D. Joſepho de Antequera, Magiſtratui, copiarum Ducibus, & incolarum reliquis, ut Patres collegio reſtitui quantocius curent, poſthabita formidine temere concepta. R. Epiſcopo, Capitulo Eccleſiaſtico, Regularium Prælatis injungitur, ut pacandæ provinciæ, ſuperiorumque mandatis exequendis operam conferant. Quod ſperat Curia de Epiſcopi amore paterno, ac de eorum zelo qui venerandæ hierarchiæ pars ſunt. De Jaguaronis parocho, & reliquis capitibus Epiſcopus procedat ex jure juxta Fiſcales animadverſiones, quæ cum literis R. Epiſcopi præſenti adjungentur Senatus conſulto. Domino vero Fiſcali teſtimonium quod petit, exemplarque duplex exhibebitur. Ac de tota rei ſumma ratio redditor Regi in Indiarum Senatu, atque Proregi cum documentis. -- D. Gregorius Nuñez de Roxas. -- D. Franciſcus Sagardia & Palencia. -- Lic. D. Balthaſar Joſephus Lerma & Salamanca. -- D. Ignatius Antonius del Caſtillo: Auditores. -- Platæ. 26. Febr. 1725. -- D. Matthæus de Suero & Gonzalez.

Deciſio. -- Juxta hæc deliberatum eſt, approbatumque debere Nos præſens decretum pronuntiare. Itaque Tibi Doctori D. Joſepho de Antequera & Caſtro, Equiti Alcantarenſi, noſtro Protectori Fiſcali mandamus, ut cum requiſitus fueris, vel quacunque ratione de præſente decreto certus ſis, omnia in eo contenta obſerves exequariſque. Et vos Protector Fiſcalis Magiſtratus, Duces copiarum; & reliqui Paraguai coloni, mandata Proregis ad verbum exequiminor, non requirentes, ſint-ne Regiæ Curiæ communicata, qui perperam interpretati eſtis decretum 13. Martii 1723. multandi alioquin ſcutorum decem millibus in ſingulos, plectendique perfidorum pœnis. Pacandæ provinciæ operam confertote. Rationem redditote de ſcandaloſa Patrum Societatis expulſione clam noſtris Curia & Prorege, ac de cauſa commiſſi uſque adeo irregularis, quemadmodum de actis contra PP. Polycarpum Duſo, & Antonium Ribera. Id adnitimini, ut collegio Patres reſtituantur, timores obliti, quos temere conceptos judicamus. Quod ni feceritis, præter expreſſas pœnas quingentis ultra ſcutis argenti ſignati Cameræ noſtræ ceſſuris multabimini. Volumus ut Proviſioni Regiæ præſenti Senatus conſulti accreſcat vis, accuratius obſervandi ſub pœnis arbitrariis, ac mille aliis ſcutis. Id habetote, ſi tardi aut negligentes ſitis, mittendos e Curia mandatorum noſtrorum executores contra vos, veſtraque bona. R. Epiſcopus, Capitulum Eccleſiaſticum, Regularium Prælati, Cleruſque univerſus, ad optavam provinciæ tranquillitatem, quo decet ſtudio, concurrant. De Jaguaronis vero Curione, uti de cæteris, Epiſcopus ex lege procedat, & ex adjuncta Fiſcalis ſententia. Quæ dum fiant, debito quiſque ſuo ſatisfecerit, & Nobis.

Paribus pœnis præcipimus ſcribi noſtris ſeu regiis, horumque defectu cuicunque legere & ſcribere ſcienti, ut ſupra nominatis denuntiene hæc mandata, deſcriptis eorum nominibus ad calcem, quibus fuerint denuntiata, ut notum Nobis ſit qua ratione mandatis noſtris obtemperetur. Platæ in provincia Charcarum in Peruvii regno. 1. Martii. 1725. -- Ego D. Matthæus Suero & Gonzalez Secr. Camer. Reg. Cath. ejuſque mandator. mandato Præſidis & Auditorum hæc feci tranſcribi, & regeſtis adjungi. -- D. Thomas Cabañas Malavia. -- Pro Cancellario -- D. Thomas Cabañas Malavia.

Supra Proviſionem hanc regiam extant ſigna tria, quæ Præſidis & Auditorum Platenſium eſſe videntur.

Denuntiatio & acceptatio.

In urbe Aſſumptionis Maii 17. 1725. Ill. ac Rev. D. Dr D. Joſephus de Palos, Dei gratia & S. S. A. Epiſcopus Paraguai, Regi a Conſiliis, ut acceptam regiam hanc proviſionem enuntiaret, convocari juſſit Ven. Decanum & Capitulum, Regularium Prælatos, Parochos, & Clerum: quibus in choro Cathe-

Digitized by Google

thedralis congregatis coram Ill. Epiſcopo, lecta fuit ad verbum per me Notarium publicum & fori Eccleſiaſtici. Eam Illuſtriſſimus ſtans accepit, & oſculatus capiti nudo impoſuit: quod venerationis exemplum reliqui imitati ſunt, una voce pronuntiantes, obſervandam & exequendam, ut Regis domini ſchedam. Deinde ſubſcriptum fuit ab Illuſtriſſimo, &c. -- Fr. Joſephus de Palos Epiſcopus Paraguai. -- D. Joannes Franciſcus de Aguero. -- D. Alphonſus Delgadillo. -- Dr D. Joannes Gonzalez Melgarexo. -- Fr. Joannes de Garai. -- Fr. Matthæus Villoldo. -- Fr. Petrus Nolaſco de S. Maria. -- Dr. D. Antonius Gonzalez de Guzman. -- Per me & coram me -- Tomam Zorrilla del Valle, Not. publ. --

Concuerda eſte traslado en teſtimonio con la real proviſion original, que pâra el archivo del Juzgado Epiſcopal de mi cargo, à que me refiero. Va corregido y concertado, y fielmente ſacado; y para los efectos que convienen, de mandado del Ill. y R. Sr. Obiſpo de eſte Obiſpado del Paraguai, doi el preſente en eſta ciudad de la Aſuncion en 22. dias del mes de Maio de 1725. -- Y en fe de ello lo autorizo y firmo -- En teſtimonio de Verdad. -- Thomas Zorrilla del Valle, Not. publ. -- *Legalizatum pariter in urbana Curia.*

XXXIV.

Litteræ Ill. D. Joſephi de Palos Epiſcopis Coadjutoris Paraguai, ad Regem Catholicum.

1725. SEñor. -- Tengo dada cuenta à V. M. del eſtado lamentable, a que hallé reducida eſta mi dioceſi del Paraguai en el tiempo de mi entrada en eſta ciudad de la Aſuncion, por los exceſos y operaciones injuſtiſſimas del Protector de naturales de vueſtra Real Audiencia de Chuquiſaca, y juez Peſquiſidor del Governador de eſta provincia, el Dr. D. Joſeph de Antequera y ſus aliados, que fueron tales, que ſin eſpecie de exageracion ſe puede decir, que han ſido de unos hombres, que parece han perdido totalmente el uſo de la razon, procediendo ſin reſpeto ni atencion alguna à lo divino ni à lo humano, pues llegaron à tomar las armas contra el Teniente de Rei D. Baltaſar Garcia Ros, para impedir la intimacion de los deſpachos y mandatos de vueſtro Virrei de eſtos Reinos, y derrotarle ſu gente con muerte de cerca de ochocientos Indios, y muchos Eſpañoles, que iban en ſu compañia; y à la extraccion y exilio de los ſugetos de la C. de J. de ſu colegio, obligandolos à ſu ſalida por el medio violento de aſeſtar ſiete piezas de artilleria.

El autor principal de eſtas y otras tiranicas y ſacrilegas demonſtraciones ha ſido dicho D. Joſeph Antequera, que con ſu cavilacion malicioſa, à fin de mantenerſe en el govierno tiranico, que deſde ſu primera entrada pretendio eſtablecer, fue engañando à muchos del Cabildo, à los militares, y à los de los pueblos, prometiendoles que conſeguiria que los Indios de ſiete pueblos, que eſtan à cargo de los Padres de la C. de J. les ſirvieſen de eſclavos, encomendandolos à los vecinos de eſta ciudad, y que en quanto al govierno eſpiritual, ſe entregarian à clerigos ſeculares.

La cauſa fue por mantenerſe en dicho govierno aunque fueſe contra los ordenes y mandatos de vueſtro Virrei, y ſaciar ſu codicia enriqueciendoſe en breve por medios manifieſtamente illicitos y tiranicos acoſta de eſtos pobres vecinos, como lo acreditan ſus juſtiſſimas quexas, y las increibles porciones de hacienda que en tan breve tiempo adquirio, ſegun conſta de los embargos que ſe han hecho por orden de eſte ſuperior govierno.

Los efectos de las perturbationes eſcandaloſas, que han ocaſionado el alzamiento de eſta provincia, han ſido la ſuma pobreza de caſi, toda ella, y la ruina caſi total de lo eſpiritual, pues con la extraccion y exilio de los Padres de la C. de J. ha faltado la buena educacion de la juventud, el fomento tan grande de las buenas y Chriſtianiſſimas coſtumbres, que con ſu mucho exemplo y doctrina continuamente han eſtado promoviendo. Verdaderamente, Señor, ſi en algun tiempo ſe neceſſitaba de ſu aſiſtencia, y del exercicio de ſus fervoroſiſimos miniſterios, era en eſte, en que el enemigo comun por medio de D. Joſeph Antequera, y ſus aliados ha ocaſionado tanta corrupcion de buenas coſtumbres, para que las luces de ſu ſabiduria y doctrina, y exemplares coſtumbres de dichos Padres de la Compañia, volvieſen à reſtaurar tanta ruina en el proceder Chriſtiano, cuia experiencia que tiene harto laſtimado el corazon, me obliga à clamar à V. M. por el remedio.

Los medios de que dicho D. Joſeph Antequera ſe ha valido para la execucion de una demoſtracion tan eſcandaloſa y ſacrilega de la dicha extraccion y exilio de los Padres de la C. de J. han ſido los mas iniquos que pudiera excogitar la mas malicioſa paſion; pues fue hacer varios informes llenos de calumnias, ficciones, y falſedades contra dichos Padres y los Indios de ſus Doctrinas, que eſtan à ſu car-

Digitized by Google

cargo por ordenes y mandatos de V. M. y de ſus progenitores, valiendoſe de teſtigos falſos y apaſionados contra dicha Compañia, y fingiendo firmas falſas, y otras circunſtancias, que conducian à la averiguacion de la verdad, ſegun conſta de varias exclamaciones, que han ido haciendo los que concurrieron à los informes, que hizo el Cabildo de eſta ciudad à V. M. en ſu Real y Supremo Conſexo de las Indias, y otros Tribunales de eſtos Reinos.

Y aunque no es nuevo en eſta miſerable provincia valerſe de tales informes llenos de ficciones y falſedades, ſegun varias veces fueron convencidos por los miniſtros, que por los Reales Progenitores de V. M. fueron nombrados y embiados para la averiguacion de la verdad, de las enormiſimas impoſturas y calumnias de que havian informado; pero en eſte miſerable tiempo llegó à lo ſumo la audacia temeraria de D. Joſeph Antequera y ſus aliados en imputar à eſtos varones apoſtolicos, que con infatigable zelo y deſvelo ſe eſmeran en todo aquello que conduce al ſervicio de ambas Mageſtades, y al bien y util de todos ſus vaſallos.

Baſta, Señor, decir que dicho D. Joſeph Antequera y ſus ſequaces ſe han eſtado gloriando de que han informado, que es mui conveniente à vueſtro real ſervicio el que en las doctrinas, que eſtan à cargo de los Jeſuitas, ſe pongan clerigos por curas y doctrinantes, y que los Indios de dichas doctrinas ſe encomienden à los vecinos de eſta ciudad, para que ſe ſirvan de ellos, no ſolo como mitaios en el beneficio de la hierba, y en el cultivo de ſus campos, ſino como de eſclavos: y que es neceſario ſe aumente ſu tributo, y que paguen los diezmos, que haſta ahora no han pagado: y que tambien es neceſario ſe les proiba el beneficio de la hierba, para conducirla al puerto de Buenoſaires y Santafe, como haſta ahora ſe les havia permitido, ſegun conſta de reales cedulas, para el efecto de pagar tributos, que puntualmente han pagado todos los años.

En todos eſtos puntos, de que ſe glorian haver informado à V. M. puedo aſegurar con la ſinceridad y verdad que debo por razon de mi eſtado en una materia tan grave, que ſi dicho D. Joſeph de Antequera y ſus aliados pretendieran la total aſolacion y ruina de las doctrinas y miſiones de la mas floreciente Chriſtiandad, y mas util que tiene V. M. en toda la America, no pudieran valerſe de otro medio mas eficaz y conducente; pues me conſta ciertamente lo primero, que por dichas encomiendas y mitas que han pagado à los Eſpañoles los pueblos de Indios, que eſtan à cargo de clerigos ſeglares y de religioſos de mi Seraphico Orden, eſtan caſi totalmente arruinados, por eſta cauſa de eſtar encomendados à dichos Eſpañoles, y de pagar la mita del ſervicio perſonal en el beneficio de la hierba y otras faenas, en que de ellos ſe valen caſi como de eſclavos. Y por eſta cauſa ſe ven deſiertos dichos pueblos, ſinque ſe vea en ellos ſino pobres Indias viudas, por haver muerto ſus maridos à fuerza del rigor de dicho ſervicio perſonal, y caſadas ſin maridos por eſtar eſtos auſentes años enteros. Eſto miſmo ſe conoce manifieſtamente, ſi ſe hace cotejo entre los empadronamientos que ſe hicieron en tiempo de los antiguos, y los que ſe han hecho en eſtos ultimos años, pues el numero de Indios ha deſcaecido de manera, que ſi entonces ſe numeraban à centenares, hoi apenas llegan à contarſe por unidades.

Conſta lo ſegundo que el arbitrio de acrecentar los tributos, y obligar à pagar diezmos à los Indios de las doctrinas, que me han repreſentado con grande inſtancia, es pernicioſiſimo à la conſervacion y aumento de las referidas doctrinas, que eſtan à cargo de los Padres Jeſuitas. Lo uno, porque ni los Indios de los pueblos del Paraguai, que eſtan à cargo de clerigos ſeglares, y religioſos de mi Seraphica Orden, jamàs han pagado diezmos: y aun con eſte alivio han tenido la diminucion que ſe ha expreſado. Lo otro, porque qualquiera novedad en apenſionar à los referidos Indios con mas gravamenes, hállo ſer peligroſiſima; porque ſi no fuera por la economia, induſtria, y zelo grande de los Padres Jeſuitas en ſu govierno, ni aun el tributo, que pagan puntualiſimamente à V. M., hicieran ni pudieran hacer. Y aſi hállo, que las razones que los del Paraguai alegan para hacer lo contrario ſon ſofiſterias ſin mas fundamento que el que les ſugiere ſu codicia y paſion.

Conſta lo tercero, que el arbitrio, que los del Paraguai proponen y repreſentan, de proibir à los Indios, que eſtan à cargo de los Padres de la C. de J. el conducir à eſta ciudad doce mil arrobas de hierba, y à los puertos de Buenoſaires y Santafe, es dictado de la malevolencia de algunos vecinos de eſta ciudad. Lo uno, porque el conducir los dichos Indios las doce mil arrobas de hierba, en nada perjudica al comercio de los Eſpañoles de eſta provincia, por ſer dicha hierba de otra laia mui diferente de la que benefician comunmente los del Paraguai. Lo otro, por que los dichos Indios neceſitan conducir aquella cantidad, que haſta ahora les fue permitida, para poder pagar, reduciendola à plata, los tributos à V. M., para poder comprar vino con que celebrar el ſanto ſacrificio de la miſa, y para comprar muchas coſas de que neceſitan de hierro y otros generos para ſus pueblos, y de ornamentos, y otras alajas para ſus igleſias, las quales en ſu capacidad, hermoſura, ornato, y aſéo, pueden competir con las catedrales del Perú. Digo del Perú, porque à eſta del Paraguai hallé tan deſaſeada, y con ornamentos tan indecentes, que me obligo à quemarlos, y ſolicitar à coſta mia otros tan ricos y decentes, que

Digitized by Google

hoi puede competir con las mas lucidas del Perú.

Conſta finalmente, Señor, que la cauſa principal, que ha movido à Antequera y ſus aliados à la demoſtracion eſcandaloſa de la extraccion y exilio de los Padres de la C. de J. de ſu colegio, no ha ſido la que D. Joſeph Antequera y ſus ſequaces, que ſon los mas del Cabildo de eſta ciudad, iniquamente han fingido y publicado, diciendo que ſe veian obligados à echar de ſu colegio à los Padres de la C. de J. por ſer perturbadores de la paz comun, y traidores à V. M. Eſtas enormiſimas calumnias pretendian colorear con el pueblo, diciendo que havian dado Indios armados para auxiliar al Teniente de Rei D. Baltaſar Garcia Ros, como ſi el obedecer à los ordenes de vueſtro Virrei, y del Governador de Buenoſaires, fueſe perturbar la paz y cometer traicion. Lo que júzgo tambien, que ha ocaſionado la ojeriza de eſtos hombres apaſionados, es la diformidad de ſus coſtumbres y procederes, con los exemplares y ſantos de los de la C. de J., que les ſervian de gran freno paraque no ſe precipitaſen en los exceſos enormiſimos en que ſe han precipitado.

Es verdad, que dicho D. Joſeph Antequera halló los animos de muchos vecinos de eſta ciudad diſpueſtos paraque le aiudaſen para ſus intentos, por el deſafecto grande que han heredado de ſus progenitores contra la Compañia, ſin mas cauſa que haverſe opueſto ſus hijos deſde que conſiguieron la conquiſta eſpiritual de eſtas naciones, reduciendo al gremio de la Igleſia y al vaſallage de V. M. tantos millares de Indios infieles, los quales los del Paraguai ſiempre han pretendido rendir à ſu ſervicio perſonal, que es una eſpecial eſclavitud, tratandolos mas aſperamente que à los eſclavos, y que aun à las miſmas beſtias de carga. Y por quanto los Padres miſioneros de la C. de J., como zeloſos padres han procurado defenderlos de tan tiranica opreſion y ſugecion deſde ſu primera conquiſta, que ha mas de cien años, ha durado todo eſte tiempo la ojeriza y deſafecto, eſtimulandoles continuamente à hacer informes è informaciones falſas, y fingidas, totalmente opueſtas al hecho de la verdad, y à toda buena razon, juſticia, y equidad. Y pues tantas veces los de eſta ciudad han ſido convencidos de calumnioſos y falſos informantes, ya era tiempo, Señor, de que V. M. les cerraſe la puerta, y enfrenaſe la oſadia temeraria de informar tan falſa y calumnioſamente, paraque la impunidad, que haſta ahora han experimentado, no les precipite à perdicion eterna de ſus almas, y paraque el zelo apoſtolico de eſtos varones ſantos conſiga la paz y ſoſiego permanente, que no ha podido haſta ahora eſtos cien años, en que andan por eſta cauſa arrojados por los tribunales, por la defenſa de ſu mui ſagrada religion, y de los pobres Indios tan impia y conſtantemente perſeguidos por los del Paraguai.

Páſo ahora à participar à V. M. la guſtoſa noticia de haverſe pacificado eſta provincia ſin efuſion de ſangre, por la buena conducta del Mariſcal de Campo, y Governador de Buenoſaires D. Bruno Mauricio de Zavala, quien por orden apretado de vueſtro Virrei el Marques (de Caſtelfuerte) D. Joſeph Armendariz, ſe conduxo à eſta provincia bien prevenido de pertrechos de guerra y buena gente, pues tuvo à ſu diſpoſicion mas de ochocientos ſoldados Eſpañoles, y de Indios de las doctrinas del cargo de los Padres Jeſuitas como ſeis mil, y mas ſi neceſitaſe. Pero la miſericordia divina diſpuſo las coſas con ſingular ſuavidad, allanandoſe eſtos hombres à recibir à dicho Mariſcal de Campo D. Bruno, y obedecer à las ordenes de vueſtro dicho Virrei ſin neceſidad de diſpararſe ni un tiro, à cuio fin ſe dirigio todo mi cuidado y deſvelo, ſuavizando los animos de eſtos hombres, perſuadiendoles con la eficacia poſible la obediencia debida à los que tan inmediatamente repreſentan la perſona de V. M., y à que D. Joſeph Antequera ſaliera antes de la llegada de dicho Mariſcal, por recelo bien fundado que tenia, de que manteniendoſe en eſta ciudad, no ſe conſeguiria la pacificacion que ſe ha conſeguido ſin efuſion de ſangre. De que doi las debidas gracias à N. S. congratulandome con V. M., cuia vida guarde la Divina muchos años con aumento de maiores reinos, como la Chriſtiandad ha meneſter. Aſuncion del Paraguai, y Maio 25. de 1725. -- Fr. Joſeph Obiſpo Tatulienſe, Coadjutor del Paraguai. --

Digitized by Google

XXXV.

Literæ Episcopi Coadjutoris Paraguai ad Regiam Curiam Platensem.

-- Ex exemplari legalizato. --

1725. MUi Poderoso Señor. -- La de Vuestra Alteza recibi en esta ciudad de la Asuncion del Paraguai con la Real Provision con fuerza de sobrecarta, que se sirvio despachar de oficio para esta Republica, su Governador, y Cabildo, sobre la expulsion de los Religiosos Padres de la C. de J. y demas circunstancias contenidas acerca del obedecimiento puntual, que se debe tener à los mandatos del Excell. Señor Virrei de estos Reinos. La qual presentada en el Aiuntamiento de los Capitulares, la obedecieron puntualmente en todo y por todo, comprometiendose à mi direccion sobre el particular de los apostolicos varones, su reingreso y restitucion à su sagrado colegio, que por ahora, Señor, no sera facil conseguir, asi por los gravisimos denuestos, con que se ha intentado obscurecer el terso esplendor de tan santa, sabia, y sagrada familia, cuias luces han sido vibrante raio, que ha confundido la mas proterva heregia, defendiendo el honor de la Catolica Iglesia, imputandoseles los execrables delitos de traidores al Rei N. S. perturbadores de la R. P. y promotores de la guerra del Tebiquari, segun vera V. A. en los autos, que ignóro huviese jurisdicion para actuarlos, haviendó sido tan desordenados los excesos que hai algunos mui dignos de expurgarse por vuestro rectisimo Tribunal del Santo Oficio; como por haver recurrido ante vuestra Real Persona en el Supremo Consejo de las Indias, al Summo Pontifice, y à su General, sin cuia resulta tienen fixa determinacion de no volver à este colegio. No obstante con la maior suavidad y discrecion posible al Provincial de esta provincia daré noticia del piadosisimo zelo, con que V. A. ordena santisimamente, que sus subditos vuelvan à este colegio, aunque tóco sumamente dificil esta consecucion en la presente providencia. Las circunstancias precedidas en esta provincia me obligan à suplicar à V. A. se digne sobre las mismas incidencias declararme los puntos siguientes --

Primero, si hai lei en que se declare, que los bienes patrimoniales de los ecclesiasticos, à cuio titulo se ordenaron de orden sacro segun disposicion del Concilio de Trento, no gozen del fuero del privilegio ecclesiastico? Lo segundo, si los Jueces seculares pueden embargarlos, ò hacer juicio sobre ellos? Lo tercero, si pueden los Governadores, ù otras Justicias inferiores admitir deposiciones contra Ecclesiasticos, hacer proceso informatorio, ò sumaria, con tal que concluida la remitan à su Juez ordinario? Lo quarto, si dichos Governadores, ò Justicias inferiores podran exular de una ciudad un Ecclesiastico, que por si actuaron causa, sin consexo ni noticia de su Prelado ordinario? Lo quinto, si dicho Governador, Justicias inferiores, ò Juez ecclesiastico podran hacer venta valida de los esclavos de los Regulares, con titulo de padecer sevicia, resistiendo el Prelado Regular?

Ruego à V. A. con el maior rendimiento, que usando de su acostumbrada benignidad, mande declarar dichos puntos, paraque en adelante los Governadores de esta provincia menos advertidos y de ninguna literatura, no se valgan de determinaciones anteriores executadas por ministros versados y peritos en el derecho, pues con el despotico poder, que presumen tener por la larga distancia del recurso à V. A., intentan abusar de las leies de Vuestra Real Persona, vulnerandolas muchas veces segun su pasion ò aficion. Que no poco, Señor, lastima mi corazon el ver y conocer en esta provincia tan remota las miserias, en que han caido en estos tiempos vuestros vasallos. Espéro en la catolica piedad de V. A. condescendera à mi suplica, sinque me sea preciso ocurrir por la declaracion à Vuestra Real Persona en el Supremo Consexo de las Indias, porque no queden tan pernicioso exemplares. Guarde Dios à V. A. -- Asuncion del Paraguai, y Maio. 25. de 1725. años. -- M. P. S. A los pies de V. A. -- Fr. Joseph Ob. Coadj. del Par. --

XXXVI.

Ejusdem literæ aliæ ad eandem Curiam.

Ex exemplari pariter legalizato.

1725. ADm. Pot. D. -- Postquam adjunctas literas sigillaveram, monitus sum a Magistratu, decreviſſe ad A. V. referre causas non patiendi, me, quod prius pactum erat, apud Provincialem agere de Sociorum in collegium regressu. Credidi vero, id no-

Digitized by Google

vitatis A. V. non esse celandum. Ad hæc, cum noverim, Magistratum eundem ad A. T. scribere, ex noto partium erga Societatem studio, affirmasse me, laudatosque testes literis 4. Novembris (1724.), tormenta contra collegium instructa fuisse, quadringentosque armatos in foro, non prætermittam facti comprobationem. Centum audiam testes, quos refutare non liceat, remotis cavillationibus in Paraguaria adhiberi solitis, ad eorum veritatem confirmandam, quæ Parochus Provisor, & Canonicus testati sunt. Adjungamque sacrilega quædam privatorum commissa, quorum mentionem in Actis fieri passus non sum. Demissas itero preces literis contentas 25. labentis Maii ad V. A. datis, cui diuturnam incolumitatem, & prosperitatem apprecor. -- Assumptione, 28. Maii. 1725. -- Ad V. A. pedes. -- Fr. Josephus Ep. Coadj. Parag. -- Concuerdan estos dos tantos de cartas escritas à la Real Audiencia de los Charcas con los otros tantos que estan transcritos en el libro, &c. -- En testimonio de verdad -- Tomas Zorrilla del Valle, Not. Publ. -- *Sequitur legalizatio Magistratus:* --

XXXVII.

Declaratio Joannis Ortiz de Vergara, Regii & Publici Tabellionis in urbe Assumptionis.

Ex authentico & legalizato exemplari.

1725. IN urbe ab Assumptione die 18. Junii 1725. Ill. ac Rev. D. D. Josephus de Palos, Ordinis S. Francisci, Dei, & S. S. A. gratia Episcopus Paraguai, Regi a Consiliis, dixit, cum Pastoris sit ecclesiasticam tueri immunitatem, ne a Judicibus sæcularibus, aut a privato quovis violetur, cum noverit, Augusto anni præcedentis 1724. Judices & Ministros sæculares Acta plura confeciisse contra religiosos S. J., quos per vim & scandalum e collegio amandarunt, quod regia facultate incolebant: licet modus & ratio expulsionis in Acta jam relata sit, ad Regem, Indiarumque Senatum transmissa, de forma judiciali vel extrajudiciali adhibita referendum esse. Quare jussit, Joannis Ortiz de Vergara publici Tabellionis declarationem scripto excipi, qui coram Prælato interrogatus juravit, ea, se dicturum ex vero, quæ nosset. Cui ad abundantiam Illustrissimus adjunxit obedientiæ præceptum sub excommunicatione ipso facto incurrenda, quod acceptum habuit ille.

Interrogatus primo, num ex visu vel ex certo sciret, Societatis Jesu Regulares collegium in hac urbe incoluisse, Rege aprobante conditum? Respondit, ex visu & certa scientia se nosse a primo rationis usu ad ætatis quam habet annum quadragesimum quintum, collegium Societatis in hac urbe fuisse; ibi se Christianis moribus informatum ab infantia, quemadmodum & alios provinciæ incolas, doctrinam moralem didicisse, & grammaticam ab adolescentia; nosse a pluribus ante annis collegium esse, & a prædictis Regularibus habitatum, superioribus æque ac subditis prædicando Evangelio addictis, doctrinæ Christianæ tradendæ, obeundisque per pagos & rura Missionibus, stipem dietim egenis largientibus, pœnitentibus aures, &c.: credere se, collegium non invito Rege conditum, quæ de cunctis Regularibus lex est.

Interrogatus, quis regium Scribam egisset, aut prætorii, & urbanæ curiæ, mense Augusto superioris anni, cum collegium evacuatum fuit? Se respondit. -- De edictis expulsionem præcedentibus, aut posterioribus, eorumque authore, respondit, sexta septimave Augusti, edictum præceps esse factum apud D. Josephum Antequeram, provinciæ tunc moderatorem, præsente Magistratu, consule D. Michaele de Garai, Apparitorum principe Joanne de Mena, Senatore Josepho Urrunaga; non satis meminisse, an Senator adesset Joannes de Orrego; adfuisse tamen Antonium Ruiz de Arellano; a quibus cum Prætore decreta fuit expulsio: Senatorem Joannem Cavallero (de Añasco), qui adversæ valetudinis causa aberat, vocatum, ut quod jam erat scriptum, subscriberet. Scribam se missum cum testibus ad collegium, ut edictum Patribus denuntiaret. In Actis per eundem Prætorem, & Magistratum confectis, diu ante expulsionem, de contentione D. Didaci de los Rejes ad recipiendum imperium: de primo D. Balthasaris Garciæ Ros pro Rege missi, & a provinciæ finibus repulsi aditu, de secundo ejusdem itinere, ac de posterioribus gestis; in Actis omnibus de hoc argumento & relationibus, Patres Societatis complicatos esse.

Interrogatus de Judicibus, quorum authoritate hæc essent acta, respondit, fuisse Prætorem, Consulesque ordinarios anni 1723., videlicet D. Antonium de Arellano, & D. Antonium Gonzalez Garcia. -- Interrogatus delicta Patrum, edictis imputata, accusari respondit, quod partes sequerentur D. Didaci de los Rejes, quod ejus restitutionem secundarent, bis pro Rege imperatam, & D. Balthasaris aditum in provinciam. -- Interrogatus, quid decretum per quos executioni mandatum, & quo devenissent edicta, respondit, non aliud fuisse mandatum præter id quod

præ-

Digitized by Google

præcipiti edicto jam declarato continetur, lato a Prætore, & iis quibus eſt ſuffragium in comitiis, ut declaraverat, & a ſe coram teſtibus in collegio denuntiato. -- Interrogatus de edicti ſumma, ac de cauſis expulſionis in eo expreſſis, reſpondit, Patribus imputari bellum, quod imminebat, D. Balthaſare ſecundum provinciam aggrediente.

Interrogatus, quo fundamento Patres belli authores, & Legati adventus edicerentur, reſpondit, nullam quod ſciret hac de re informationem habitam, nihil judiciale tranſactum, cum non alius eſſet, ſeu prætorii, ſeu urbanæ curiæ ſcriba. Quinimo ex pluribus quas viderat P. Pauli Reſtivi, tunc Collegii Rectoris literis, ſcire ſe, hunc authorem fuiſſe Legato, ut pacate ageret, partemque remitteret bellici apparatus jam vulgati. -- Interrogatus, nunquod in Actis eſſet P. Reſtivi ſcriptum, ex quo conſtaret, eundem D. Diduco de los Rejes favere, reſpondit, ſcriptum eſſe nullum, nihil in eam ſententiam declaratum; ſed eſſe declarationem Tribuni Militum D. Sebaſtiani Fernandez Montiel, qui Prætori dixerat, ſe Reſtivum audiviſſe dicentem, ſic animo comparatum Legatum advenire, ut in vincula traderet & Prætorem, & Tribunum ipſum, atque alios quoſdam. Rogatum deinde per ſchedam a Prætore Reſtivum, unde Montieli dictum accepiſſet, acceptum retuliſſe Prætoris ipſius amico cuidam, & ex fama Antequeriſtæ. Schedam hanc Actis de ſecundo Legati adventu adjunctam eſſe.

Interrogatus, an ſub tempus expulſionis Patres exemptionem & eccleſiaſticam immunitatem objeciſſent; an ex jure proteſtati eſſent, publicamve de edictis fidem rogaſſent, an fides eſſet data, reſpondit, cum edictum viva primum voce, deinde ſcripto denuntiaverat, proteſtatos allegaſſe immunitates, privilegia, & ſubeunda damna. Hæc proteſtatos ad primam exitus trium horarum ſpatio denuntiationem, fidem facti poſtulaſſe ut ſuæ cauſæ providerent. De quo cum ipſe ad Judices retuliſſet, expreſſum illico fuit, inutilem eſſe poſtulatam fidem, egredi oportere peremptorio trium horarum termino, a Rege præceptum eſſe ut Eccleſiaſtici ſeditioſi, rei & pacis publicæ perturbatores exularent: ni fecerint, pro re nata procedendum. Secundo hoc edicto a declarante denuntiato, Venerabile Sacramentum per D. Antonium Gonzalez Parochum Rectorem, Generalemque Vicarium atque Judicem Eccleſiaſticum diœceſis ad Cathedralem translatum fuit. Deinde P. Joſephum Paſcharium Echague ante prætorium, quo Magiſtratus convenerat, ſe ſtitiſſe cum ſcripto, quo jam facta de immunitatibus proteſtatio iterabatur, & de facta rurſus poſtulabatur fides. Verbo reſponſum eſſe, egrediendum omnino, deinde fidem præſtandam. Tertium edictum confectum eſſe, quod cum declarans denuntiaret, aderant Doctores D. Joannes Gonzalez Melgarexo, & prædictus D. Antonius Gonzalez. Patres iteratis proteſtationibus reſponderunt, cum eſſent jam ad iter procincti. Egreſſos circa horam quintam veſpertinam, collegio Vicario Generali commiſſo. -- Interrogatus, an abeuntes turba frequens, & lacrymabunda ſecuta ſit, reſpondit, ad reddendam de mandatis rationem feſtinantem frequentiam ſe non vidiſſe, audiviſſe tamen valde commotam fuiſſe civitatem; nec id ſe dubitare, qui Patrum notam haberet erga cives beneficentiam, cum ſpiritualem, tum temporalem.

Interrogatus, an de Patrum expulſione & ejus cauſis acta poſteriora inſtituta ſint, & ubi locorum, reſpondit ſcriptum quoddam capitulare a ſe collatum, quo plura de Patribus memorabantur, ac de bonis quæ poſſident in hoc hujus continentis regno, quorum rationes initæ ſunt apud Senatorem Urrunagam. Id Prætori ſignificatum eſſe verbo, conſtitutumque ut in formam caſtigatiorem redigeretur: hoc vero conſtitutum fuiſſe ejus diei mane quo exacti ſunt Patres, cœptumque tranſcribi; nec ut dies impeditus fuit, potuit perfici. Succedentibus dein difficultatibus aliis, tam de expellendis Patribus, quam quia Prætor ejuſdem diei veſpere ſuſcepit cum Magiſtratu & belli ducibus iter ad Tebiquarim, non antequam eo ventum eſſet, perfectum; appoſitam vero illius diei datam, quo ex adverſariis tranſcribi conſtitutum fuit, ſcilicet ſexta aut ſeptima Auguſti 1724. Incertum ſibi eſſe, ſubſcripſerint ne Senatores D. Joannes Cavallero, & D. Martinus Chavarri; hos tamen abfuiſſe conſilio ea de re habito, quod poſt pugnam Tebiquarenſem terminatum fuit. Victoribus Prætore & Magiſtratu, de tranſeundo ad quatuor primos Reductionum pagos deliberatum eſſe abſentibus Cavallero & Chavarri, decretumque ut Senatus Prætorem de progrediendo interpellaret; ſed decreto interpellationique jam intra pagos ſcriptis, appoſita eſt data ad Tebiquarim. Scriptum pridem ut ſubſcriberent vocati ſunt Cavallero & Chavarri, quorum ille conceſſit, hunc principio reluctantem Prætor coegit.

Interrogatus, cur in Actis expreſſum non eſſet, alibi conſtitutum, alibi executioni mandatum eſſe, quod exigit juriſdicialis documentorum fides, reſpondit, deliberationis tempore omnia ex lege tranſacta, a deſcribendis Actis ceſſatum eſſe impedimentorum cauſa, copiis ad Tebiquarim properantibus. Deinde a Prætore & Magiſtratu ſe juſſum deliberata ſcribere, & habitæ deliberationis datam ſupponere, nec adnotaſſe loca diverſa, quibus ſcripſerat; cum ſæpe ad mutandum tantummodo æquum tempus ſuppeteret.

Interrogatus quo acta deveniſſent; quotque illa eſſent ad Patrum expulſionem ſpectantia, reſpondit, acta per occaſionem ſecundi D. Balthaſaris adventus, in quibus ea omnia ſunt, quæ ad prædictam expulſionem pertinent, priora poſterioraque, ex urbani Senatus conſulto miſſa eſſe ad Curiam Platenſem originalia,

Digitized by Google

lia, retento documento Declaranti dato, & in tabulario Civitatis depoſito cum mandato quod acceperat. Ne etenim originalium jacturæ unquam accuſaretur, Prætorem ſupplici libello rogavit, ne pateretur originalia mitti, quin tranſcriberentur prius, operamque pollicitus eſt Declarans ipſe. Edictumque fuit, ut originalia, quæ neceſſario ad Curiam mitti oportebat, quippe ad Judicis Quæſitoris officium pertinentia, exſcriberentur; ſatis vero eſſe, ſi in urbano tabulario ex mandato deponeretur documentum & fides cum proceſſu verbali geſtorum. Quare Declarans originalium tranſcriptum ad Prætorem retulit, qui ſe cum illud portavit; ſibi ſatisfactum libello ſupplici, & dato reſponſo.

Interrogatus, an Patribus data ſit actorum fides petita, & promiſſa dum ſolum mutaſſent, reſpondit, nullam unquam ejuſmodi fidem eſſe datam. -- Interrogatus, an ad Tebiquarim interfuiſſet expeditioni Antequeræ contra Guaranios Legatum ſecutos, & an PP. Polycarpus Duſo & Antonius Ribera capti eſſent, & ſub militari cuſtodia miſſi ad hanc urbem, cujuſque mandato, reſpondit, ad Tebiquarim poſt Indorum cladem ſe accedentem vidiſſe Socios ibi retentos, juſſum a Prætore ſchedam ad Vicarium Generalem ſcripſiſſe, ut nempe Judex Eccleſiaſticus inquireret, eſſent-ne illi ſacerdotes. Quodſi eſſent laici, Proprætori traderentur in vincula conjiciendi. Miſſos quidem eſſe cum militum manu, ſed ignorare qua ratione per viam habiti ſint.

Interrogatus, an ad Tebiquarim, vel in Reductionibus actum ſit quidquam contra Patres, quorum illæ ſubſunt curæ, reſpondit, in declarationibus ab Indis extortis de belli authoribus ſuſpiciones interſertas contra Curiones, in factæ imputationis fidem, Indos vero reſpondiſſe quidquid placitun fuit interroganti (*a*). Interrogatus, an belli ſumptus, & damna, Patrum rationibus imputata ſint, affirmavit, rationes initas, miſſamque ſyngraphem ad P. Franciſcum Robles S. Roſæ curionem. Quo aſcenderet rei ſumma, non meminiſſe, rem tamen fuiſſe vulgo notam. -- Vera ſe protuliſſe, ut ex jure jurando, & ex pœna excommunicationis tenetur. Poſtquam legentem audiit, nihil immutandum ſubvenire, quadragennarium eſſe circiter. Et cum Illuſtriſſimo ſubſcripſit. -- Quorum fidem facio. -- Fr. Joſephus Ep. Parag. -- Joannes Ortiz de Vergara. -- Coram me Thom. Zorrilla del Valle, Not. Publ. -- Collata cum Originali a Publico Notario Thoma Zorrilla del Valle. -- Subſcribentib. Dyoniſio de Otazu -- Andrea Benitez, Joanne Cavallero de Añaſco -- Martino Echavarri & Vallexo (*b*).

(a) Interrogatorii hujus articulus unus fuit, an Patres vitulum aureum adorent. Indorum hi negabant, affirmabant illi: nullum quid interrogaretur percepiſſe, ſimile vero eſt.

(b) Hos quatuor appellat Commentitius Angles Conſervatores qui principio Orationis reſpondent *Amen*. Quo & ſe noſcendum præbuit, & eos ſibi parum fuiſſe notos oſtendit.

XXXVIII.

Literæ Epiſcopi Coadjutoris Paraguai ad Regem.

1725. D. -- Cum literis 28. labentis menſis Tuæ Majeſtati rationem reddidi de Prætoris D. Joſephi de Antequera contra D. Joannem Cavallero (Joſephum Cavallero Bazan) Jaguaronis parochum actis, alia relaturum me ſpopondi immunitati eccleſiaſticæ non minus adverſa. Cujuſmodi fuit data Raimundo de las Llanas, quem copiarum parti præfecerat, Eccleſiaſticos ſæculares, regulareſve apprehendendi provincia: quod ille in Tabapi Patrum Dominicanorum prædio executus eſt, captis D. Auguſtino de los Rejes diacono, & P. Joſepho Friz prædii capellano: illo, quod patri ſuo D. Didaco de los Rejes ex prætori comes iverat ultra Tebiquarim; hoc vero, quia eundem receperat hoſpitio, cum imperium ab Antequera abrogatum repeteret Proregis mandato. Llanas cum divertiſſet in prædium, ubi Rejes hoſpitio receptum noverat, vi religioſum apprehendit, convitiis obruit, ſclopi tergo percuſſit capite, & ſacerdotum reverentiam objicienti reſpondit, omnipotentis habere ſe mandata, non tantum monachos & clericos capiendi, ſed furca ſuſpendendi archiepiſcopos & epiſcopos. Ad ſuſpendium ſe pararet, ni traderet D. Didacum de los Rejes. Ad vinciendum reſtim inclamat, vinxiſſetque niſi qui aderat Conſul *de la Santa Hermandad* obſtitiſſet. Dum ipſe cum manu reliqua fugientem Rejes ſequebatur, ſacerdotem & diaconum ſex militum cuſtodiæ tradidit, in hanc urbem deferendos: quod communi ſcandalo patratum eſt. Sub adventum religioſi, cœnobii procurator apud Judicem Eccleſiaſticum, quem Vicarius Generalis diœceſim luſtraturus reliquerat, conqueſtus eſt: quo Raimundi vim in cauſam deducere meditante, obſtitit Canonicus D. Alfonſus Delgadillo & Atienza, ſuum eſse contendens cauſam judicare, a Decano & Capitulo deputati ad judicandos Eccleſiaſticos, qui D. Didaci de los Rejes partes ſequebantur. Nec eſt prætermittendum, hunc Canonicum qui Decano demente, & abſente

Ca-

Digitized by Google

Canonico Proviſore, ſolus erat, ſemetipſum deputaſſe, ad captandam videlicet amici Antequeræ gratiam. Quia vero tunc omnia vi & audacia gerebantur, judex ad ſe delatam querimoniam ad Atienzam transferri paſsus eſt. Interea Canonicus Proviſor & Vicarius Generalis Dr D. Joannes Gonzalez Melgarexo in urbem rediit, cauſamque ad ſe evocavit, fruſtra renitente Delgadillo, quæſtionem ex jure inſtituit, teſtes examinavit, qui metu liberi unanimes affirmarunt, Raimundum de las Llanas in P. Joſephum Friz manus intuliſſe. Sed cavillationibus Atienzæ, Antequera connitente, Proviſor prohibitus eſt ne Raimundum cenſura canonis *Si quis Juadente Diabolo* innodatum pronuntiaret, quanquam ex cauſæ documentis abnoxium eſſe conſtabat. Officio cedere coactus eſt Proviſor Antequeræ vi, ſtatum eccleſiaſticum deſpicientis, & molitionibus Atienzæ, ut Proviſor eligeretur ſuffragio Decani, qui nonnihil in mentem redierat: cui cum eſset canonicatu antiquior, Melgaregium concedere oportuit. Cauſam itaque recepit novus Proviſor: quam tamen ea lentitudine promovit, ut nihil judicatum ſit, ut ex documentis quæ mitto, palam fiet. Eam ego reſumere nolui rationibus ad Platenſem Curiam relatis per literas ejus Proviſioni inſertas. Nec eam in præſentia reſumam, quando Raimundus primarius eſt conſul, ne provincia ægre pacata rurſus turbetur. Spes mihi eſt, pia T. M. providentia immunitati ſacræ conſultum iri. Acta etiam mitto a Canonico Delgadillo confecta contra Religioſos S. Dominici, eorumque immunitates & privilegia, ſævitiam cauſato contra mancipia, quæ venum danda decrevit, ſervitiis privato cœnobio, quæ ego prima partis læſæ petitione reſtitui juſſi. Mox acta, & ſententiam caſſavi, prout ex documentis liquet. Quanquam autem reſponſio Canonici ad mandatum, quod ſignificavi, reddendi rationem de cauſis actorum, ac de juriſdictione qua ſuſceperat cauſam, prædicationemque intra & extra monaſterium interdixerat procuratori, parum modeſta fuit, ut animadvertere in eum poſſem, abſtinui. Hæc eo retulerim, ut T. M. hominis ingenium innoteſcat. Copiam quoque facere juvat litis intentatæ D. Auguſtino de los Rejes, D. Joſepho Cavallero, atque D. Didaco Riquelme de Guzman presbytero. Primo, quod Prætori Antequeræ, qui ſub templi Societatis porticu poſt veſperas S. Ignatii, ſcholarium intererat ludo cum Magiſtratu, ſupplicem obtulit libellum, quo petebat comitia cogi, ad exhibenda Proregis de ſuo patre mandata: cui tunc acerbo ſermone reſpondit (*a*). Cum Tua Majeſtas honoravit me, ut Epiſcopus eſſem hujus provinciæ, in montanas *de la Sal* indicas mei Ordinis Reductiones feceſſeram: nec mihi erat in Curia qui Bullas expediendas curaret: quas tandem Indo cuidam acceptas refero. Ignoro etiam nunc, numquis ſit qui pro me agat, nam etſi procurationem commiſi, latet acceptata-ne ſit. Quare ſcripta hæc ad T. M. recta expedire conſtitui, ut id decernat, quod e re fuerit. Eodem faſciculo continentur documenta, de quibus in adjuncto elencho mentio fit. Sed adjungere alia non potui de Patrum S. J. expulſione; nec potui edicta aſſequi ea de re prolata, quorum autographa ſecum portavit D. Joſephus Antequera. M. T. incolumitatem precor, & armorum proſperitatem, quæ Chriſtianitati & eccleſiæ munimento ſunt. Aſſumptione Paraguai. Junii 30. 1725. -- Fr. Joſephus Ep. Co. Par. --

P. S. -- Ea (quæ?) non mitto, quia, viſa procuratoris urbani ſupplicatione, plurima reperi Patribus, D. Didaco de los Rejes, ejuſque amicis injurioſa: adeoque a vero aliena, ut ea comparere non oporteat: quæ etiam ex informationum autographo reſcidi.

(a) Cavallero & Richelme fuiſſe videntur, qui Auguſtino libellum porrigenti hinc inde adſtabant: de quibus proinde erant ejuſdem litis documenta.

XXXIX.

Literæ ejuſdem ad P. Bermudez, Regi a confeſſionibus.

1725. ILl. D. ac R. P. -- Juvat ſcripto literis his adjuncto Te de geſtis & ingenio Canonici D. Alfonſi Delgadillo & Atienza certiorem facere, facta copia ſecundæ informationis ad Regem expeditæ, cum actis ab eodem confectis contra immunitatem privilegiaque Fratrum S. Dominici, cum nihil ſit ſacrum, quod in gratiam D. Joſephi de Antequera conculcare non audeat, inventis inauditis criminationibus, quas Eccleſiaſticis quibuſdam attribuit. Quod patet in cauſa D. Joſephi Cavallero Jaguaronis parochi, cujus a me rurſus incœptatæ concluſionem piget quod mittere non poſſim. Mitto tamen libellum primum ſupplicem cum documento juſtificativo. Jam diu eſt a quo periculoſum innotuit ingenium, cujus ſpecimen ubique dedit, etiam a tempore quo ſcholam frequentabat in Regio Cordubæ Seminario ſub Patrum S. J. diſciplina, ut ſui magiſtri ſcuticam ſæpe movere coacti teſtantur. Sed profecto malitia ætate non ſegnior adolevit: nemini

Digitized by Google

mini parcit, omnia turbat, in factionem (a) adſcitis, ut periculoſa conſilia in totam provinciam efficacius effundat, paris ingenii viris, qualis eſt D. Joſephus Canales de Cabrera Rector hujus eccleſiæ. Quamvis vero poſt meum in hanc ſedem adventum cautius procedat, poſt occaſiones quaſdam ſuavi ratione præciſas, nec in publicam prodeant lucem pernitioſa molimina, author nihilominus cum prædicto Rectore fuit quatuor urbanis Senatoribus, & utrique conſuli, ut contra me, & ea quæ de Patrum Societatis expulſione nota feci, ad Platenſem Curiam ſcriberent, & occaſionem facerent Senatus conſulto, quod ad Te mitto, partium ſtudio me raptum objicientes. Eo pervenit ſcribentium malitia, ut me paſtorali debito & animæ ſaluti renuntiaſſe diffamaverint, ut Patribus Societatis patrocinium præſtem. Sed parum id calumniarum me movet, tum quia gloriam meam poſt Apoſtolum ex teſtimonio conſcientiæ repeto; tum quia decorum mihi eſt pati pro ſervorum Dei tutela, qui ſtudioſe quidquid de inſtituto eſt obeunt; atque Deo & Regi debita præſtant obſequia. Horum abſentiam hac præſertim quadrageſima dolui maxime, & inopiam ſubſidii quod neceſſarium fecerant in hac urbe & provincia perditi mores, quodque illi ſermonibus, & exemplo ſufficere poſſent. Pluribus abſtineo, ne T. D. I. adulari me putaverit. Verum teſtis eſt mihi Deus: cor meum in lacrymas effuſum eſt. Quamvis eo tempore quo Patres exacti ſunt, Canonicus ille binas procul ab urbe leucas conſulto ruſticaretur, in prædium quo diverterant obviam venit, officia pollicitus, proteſtatuſque, ſi Aſſumptione fuiſſet, quod factum erat minime paſſurum. Armenta, & cætera collegii bona ſibi crederent, nec a Prætore delibanda, nec ab alio ſui gratia. Vaferrima fide impoſitum fuit Rectori Reſtivo: cui nihilominus aliunde ſat notus erat homo. Omnia in fidem accepit, rogatus ut cunctis uteretur inſtar ſuorum. Sed paucis poſt menſibus Provincialis mandato Reſtivus adminiſtrationem abrogavit: & ego villicum ſubſtitui ſæcularem, qui diu ſervierat Patribus, donec Sociorum par, quod petenti mihi promiſerat, mitteret Provincialis. Diſperditio bonorum, quandiu Canonicus villam obtinuit, diſtributis Antequeræ & amicis fructibus, conſentanea fuit voluntati haud ita pridem manifeſtatæ in indigeſto libello, quem adnitente Antequera de Jeſuitis miſit ad Curiam Platenſem. Nec ſpargere ceſſat cum ſocio Canales, excommunicationem, quam ego petente D. Brunone de Zavala, cui pro Rege ſubeſt provincia, interminatus ſum, ut enuntientur Antequeræ bona, conſcientiam non gravare: quod illi rationibus a voluntate prava petitis probare contendunt. Ex his noverit Ill. D. T. declarationis ſanctitudinem ab hoc Canonico jure jurando, & anathematis comminatione exactæ. His ego mederi poſſem in mea diœceſi ne remedium eſſet peregre mendicandum. Sed ſtatum provinciæ novi vix tranquillatæ: novi etiam ab his duobus novas imminere turbas. Itaque remedium a Rege domino peto per Te, Ill. Dne, quem Deus incolumem diu ſervet. -- Aſſumptione ad Paraguaim. 30. Jun. 1725. -- Ill. D. ac R. P. -- M. O. T. D. Ill. s. &c. -- Fr. Joſephus Ep. C. Par. --

(a) Factionis hujus proculdubio eſt ſuppoſititius Angles.

X L.

Retractatio Senatoris D. Antonii de Rego & Mendoza. --

1275. IN urbe Aſſumptionis decima quinta Decembris 1725. Doctor D. Antonius Gonzalez de Guzman, Rector Parochiæ Cathedralis, Proviſor & Vicarius Generalis diœceſis Paraguai pro Ill. ac R. D. D. Joſepho de Palos, certum facio quoad poſſum, ut in foro valeat, Regem in Supremo Indiarum Senatu, Excell. Peruvii Proregem, Curiam Platenſem, cum Judicibus, ad quos hæ pervenerint literæ, enixe rogatum me a D. Antonio Rego & Mendoza morituro, ut ſe convenirem. Adfui animarum paſtor petentis ſolatio. Graviſſime ægrotantem inveni, & remotis arbitris, atque janua clauſa, rogavit ut lecto appropinquarem, velle ſe graviſſimo pondere conſcientiam levare. Tunc dolore commotus ad lacrymas coram Jeſu patientis imagine, obſecravit me, ut pro ſe veniam peterem a Patribus S. J. quos amabat, & profunde venerabatur, de proſcriptionis edicto, quod Magiſtratus urbanus, & Doctor Antequera denuntiaverat, ipſe vero cum cæteris Senatoribus ſubſcriptione firmaverat. Id ſe facere conſcientiæ cauſa in eo vitæ diſcrimine. Nam tametſi ſubſcriptio ſuæ ipſius manus non erat, anni ſpatio reclamare deſierat, metu contra debitum prævalente, quanquam confeſſarius reclamare coram Epiſcopo, & abſolutionem cenſurarum, quas fortaſſe incurrerat ob tandiu dilatam honoris reparationem, petere juſſerat. Orare, ut pro ſe a charis Patribus veniam deprecarer, abſolutionem pro neceſſitate conferrem, quandoquidem ab Epiſcopo abſente, & diœceſim viſitante poteſtas erat. Mœrentis, & fervidos amoris Dei actus ingeminantis precibus acquievi. Quæ cum vera ſint, ut veritas omni tempore ſtet, has literas manu propria ſubſcripſi juratus in *verbo*

Digitized by Google

bo ſacerdotis ; dupliceſque mitto ad R. P. Paulum Reſtivo , collegii quo expulſi ſunt Socii, Rectorem. Aſſumptione, dictis anno & die. -- Dr D. Antonius Gonzalez de Guzman. --

XLI.

Literæ Regiæ Curiæ Platenſis ad P. Ludovicum de la Roca Provincialem S. J. in provincia Paraguai.

1726. ACepit Curia literas V. R. datas 15. Octobris 1725., quibus pro decreto gratias habet, de reſtituendis in Paraguariam, unde pulſi erant, Patribus : quod nobis pariter atque authorum obſtinatio acerbum fuit. Zeli veſtri magnitudo perſecutorum perfidiæ par eſt, quandoquidem poſt injurias ab antiquis illatas, quorum filios non abſterruit pœna majorum, & recens diabolica ſuggeſtione renovatas, Socios paratos eſſe declarat R. V. ad repetendum Collegium, ſi Curia hæc vel Regimen Superius, honori Societatis & famæ, qua indiget ad miniſterii ſucceſſum, coercita adverſariorum inſolentia, conſultum velit. Hæ rationes, quaſque nobis ſuggerit ingenitus erga Societatem amor, acerbiſſimi doloris cauſa ſunt, dum rerum Paraguajenſium judicio ſemel & iterum interdicti pro Rege, noſtræ voluntatis motus ſequi non poſſumus. Id unum eſt, quo prohibemur, ne Societati jure debitam ſatisfactionem præbeamus, quam utique præbuiſſemus ejus doctrinæ & ſanctitati conſpicuæ parem : ei certe non imparem, quam prædeceſſores noſtri, dum licuit, & tulit occaſio, decreverunt. Iidem ſenſus noſtri ſunt, nec aliud quam eos opere manifeſtare malumus, ſed tempore & ea quam diximus cauſa prohibemur. Miſimus V. R. literas cum reſponſione Auditoris, qui Fiſcalem agit, ad Regimen Superius: quod ut ſpes eſt, opportune providebit, eritque noſtrum, ut V. R. certior fiat. Vale. Platæ 7. Januar. 1726. -- D. Franciſcus Herboſo, Præſes. -- Dr D. Gregorius Nuñes de Roxas. -- Dr D. Franciſcus Sagardia & Palencia. -- D. Antonius del Caſtillo. -- D. Emmanuel Iſidorus de Mirones & Benavente, Auditores. -- D. Petrus Vazquez de Velaſco Fiſcalis. -- R. P. Prov. S. J. in Prov. Tuc. --

XLII.

Scheda Regis ad Peruvii Proregem.

1726. EL Rei. -- Marques de Caſtelfuerte, Pariente, Virrei, Governador y Capitan General de las provincias del Perú, Preſidente de mi Real Audiencia de ellas, en cartas de 25. de Febrero de 1723. 30. de Septiembre, 12. de Octubre, y 12. de Diciembre de 24. participaron D. Bruno de Zavala Governador de Buenoſaires, D. Baltaſar Garcia Ros Teniente de Rei de aquel Preſidio, D. Fr. Joſeph Palos Obiſpo Coadjutor del Paraguai, y otras perſonas todo lo acaecido en la provincia del Paraguai con los deſordenes cometidos por D. Joſeph Antequera, quien denego abſolutamente de obedecer las ordenes que ſe le expidieron por eſe Superior Govierno, paraque ceſaſe en aquel Govierno del Paraguai, y de entender en la cauſa de D. Diego de los Rejes, como le eſtaba mandado. Lo que no ſolamente no hizo, pero pasó à executar la priſion de Reies, y echar los Padres de la C. de J. del Colegio de la Aſuncion, executando otros muchos deſordenes eſcandaloſos y ſacrilegos, tumultuando aquella provincia, y con tropas que levantó derrotó al referido D. Baltaſar Garcia Ros, que havia paſado à aquella provincia à intimar las ultimas ordenes que le havian dado, paraque el referido Antequera ceſaſe en el govierno de ella, y paſſaſſe à eſa ciudad, expreſando dicho Zavala, que por la inobediencia que en eſo havia tenido, os haviais viſto preciſado à encargar, paſaſe perſonalmente à reducir dicha provincia à la debida obediencia, para lo qual le remitiſteis los deſpachos neceſarios, y para poder nombrar Governador interino : expreſando que reſpecto de ſer eſta una materia tan grave, havia reſuelto marchar à la referida provincia con las diſpoſiciones, que ſe reconocerian de la copia de carta que acompañó en reſpueſta de la orden que le diſteis para ello, y aſi miſmo de la carta que eſcribo al Cabildo ſecular de la Aſuncion, concluiendo el dicho Governador con que el dia 16. de Diciembre del año proximo paſado faldria de Buenoſaires, y eſperaba extinguir los rumores de aquella provincia, y dexarla en la tranquillidad que convenia.

Viſto en mi Conſexo de las Indias con lo que dixo mi Fiſcal de el, y teniendoſe preſente, que con motivo de lo que repreſentais en carta del 1. de Noviembre del año

proximo antecedente ; ſobre las providencias que haviais dado , paraque le referido Governador de Buenoſaires paſaſe a pacificar aquella provincia de los alborotos que en ella havia levantado el expreſado Antequera , os mandé por real deſpacho de 1. de Julio del año proximo antecedente , que procuraſeis la pacificacion de dicha provincia , caſtigo de los delinquentes , reſtitucion de ſu govierno a D. Diego de los Reies , como eſtaba mandado antecedentemente , y con reflexion de eſo , y de las ultimas noticias , que en carta de 25. de Maio del año proximo antecedente ha participado D. Fr. Joſeph de Palos Obiſpo Coadiutor del Paraguai de haverſe logrado la pacificacion de la provincia ſin efuſion de ſangre , por la buena conducta que tuvo en ſu entrada el Governador de Buenoſaires , ſe ha conſiderado , que el cumulo de delitos tan graves y extraordinarios cometidos por Antequera , ſolo caben en un hombre que ciego y deſeſperado , atropellando las leies divinas y humanas , ſolo llevaba el fin de ſaciar ſus paſiones y apetitos , y deſeo de mantener el mando de aquella provincia , à cuio fin la ha tumultuado , incurriendo en tantos otros delitos , como en el de leſa mageſtad , no ſiendo el de menor calidad ó gravedad el haver arroxado à los Padres de la Compañia , por verſe deſpreciada una religion , que en eſos parages ha reducido al conocimiento de la lei evangelica tantas almas.

Y aunque ſe ha conſiderado , que en abono de dicho Antequera puede haver pruebas , que deſvanezcan la gravedad de eſtos delitos ; en el de rebelion y alteracion no hai prueba ni cauſa , que pueda dar colorido , ni mudar la eſpecie de delito de leſa mageſtad . Y aſi no havienda duda en eſto , tampoco la puede haver en haver incurrido en la pena capital , y confiſcacion de todos ſus bienes , y lo miſmo de los demas reos , ſinque para eſto ſea neceſario ſe remitan à Eſpaña los reos con los autos ; pues qualquiera caſtigo que ſe haia de executar , conviene que ſea luego , y à la viſta ò à lo menos en eſſe reino , paraque ſirva de eſcarmiento à otros , y no ſe dê lugar à que la dilacion ſea cauſa de que no ſe caſtigue . Por cuios motivos he reſuelto , que no obſtante lo que eſta mandado por el dicho real deſpacho de 1. de Julio , ſobre que remitieſeis à Eſpaña al expreſado Antequera , ſuſpendais eſta providencia , y en conſecuencia de la que conſta tomaſteis paraque eſe ſugeto ſe remitieſe preſo à eſa ciudad , procedais en los autos con acuerdo de eſa Audiencia . Pues aunque ſe ha conſiderado ſer tantos y tan graves delitos , ſin oir à dicho Antequera y demas reos , no ſe puede paſar à ſentenciarlos , y mas teniendo eſe ſugeto hechos autos . En cuia conſideracion oiendoſeles à los reos , y ſuſtanciada legitimamente la cauſa con el Fiſcal de eſa Audiencia , procedereis como os lo mando con acuerdo à dar ſentencia , la que executareis , y dareis cuenta deſpues con los autos en mi Conſexo de las Indias . Y os doi comiſion , paraque en todas las incidencias de eſta cauſa procedais con la miſma conformidad , con facultad de que podais ſubdelegar en perſona de vueſtra maior ſatisfaccion.

Y os encargo y mando , que en caſo de no haverſe preſo el dicho Antequera , ſe ponga talla à vueſtro arbitrio , paraque por medio de ella ſe logre . Y reſpecto de conſiderarſe , que los daños expreſados ſe han originado de que la Real Audiencia de Charcas , no obſtante de hallarſe nombrado por vueſtra parte el expreſado Antequera para ſuceder à D. Diego de los Reies en interin en ſu govierno , luego que huvieſe cumplido , le nombró por Juez , paraque ſuſtanciaſe ſu cauſa , he reſuelto aſi miſmo procedais à la averiguacion de los cargos , que reſultan contra los Oidores de dicha Audiencia , que dieron la dicha comiſion , por lo que excedieron en eſto , reſpecto de ſer contra la Lei , que el Peſquiſidor pueda ſuceder al peſquiſado . Lo que os mando executeis arreglado à la inſtruccion , que con eſte deſpaco ſe os remite , y dando las ordenes que tuviereis por convenientes , paraque à los que reſultaren culpados ſe les ſuſpenda de ſus empleos , y ſuſtanciada la cauſa en eſtado , deis cuenta con autos , no dudando que en lo expreſado y en todo lo demas que os encargo , pondreis el cuidado que fio de vueſtro zelo y amor à mi real ſervicio , por ſer materia de tal gravedad , eſperando me dareis cuenta en las primeras ocaſiones que ſe ofrezcan . -- Buen Retiro , 11. de Abril de 1726. -- Yo el Rei . --

XLIII.

Scheda Regia cum proviſionali mandato, ut omnes Reductiones ſubſint Prætori Fluminis Argentei.

1726. DE iis quæ Hieronymus Herran S. J. procurator generalis provinciarum Paraguariæ, Tucumaniæ, & Fluminis Argentei retulit, de perſecutionibus ſui Ordinis, captis Miſſionariis duobus , pulſis e Collegio Aſſumptionis qui ſalutis animarum vacabant miniſterio , refutata contra mandata Curiæ Platenſis & Proregis reſtitutione , prorogataque perſecutione ad Indos ſuæ curæ commiſſos , qui metu coacti ad ſilvas cum uxoribus & liberis

Digitized by Google

beris defecerunt; ut contigit anno 1724. in S. Mariæ de Fide, S. Jacobi, S. Ignatii, & S. Roſæ. Penſatis detrimento hinc contra divinum & regium obſequium orto: fide Indorum, qua ſæpe ſuis militarunt ſtipendiis, & excitandis ad Bonaſauras munimentis operam contulerunt: neceſſitate inſontes deinceps liberandi parium calamitatum metu: deſiderio ſecundum majorum poſt Americam notam inſtitutum miſſiones promovendi; conſtitui ſalvis de reliquo ſuſceptis conſiliis, ut triginta Indorum Reductiones, quæ in Paraguariæ provinciis curæ Societatis ſubſunt, donec aliud decernatur, Bonaurenſi Prætori pareant, nec Paraguenſis juriſdictioni ulla ratione obnoxiæ ſint. Reſtituanturque Patres in collegium, quo ſpoliati ſunt, ut apoſtolici inſtituti munera obire pergant. Itaque Proregem Peruanum, Curiam Platenſem, Paraguai Prætorem, Magiſtratumque jubeo, mandata perficere, ac de perfectis me quamprimum certiorem facere. -- In S. Laurentii. 26. Nov. 1726. -- Rex. -- Regis domini mandato. -- D. Franciſcus de Arana. --

XLIV.

Literæ D. Joſephi de Antequera & Caſtro ad Ill. Palos Paraguai Epiſcopum.

1726. ILl. Dñe. -- Omni jure licet obedienti Superiores de iis interpellare quæ immerito patitur: ejuſque, quod temere factum viſum ſit, rationes exponere. Nec mihi Tibi in præſentia haud minus quam in Paraguaria addictiſſimo, quantumvis adverſa ſit fama, denegari valet, quod nemini non licet: eo maxime quod dum horum memoriam refrico, lenimentum non quæro, quod ab una ſpero Dei bonitate: cui offero pro tot peccatis meis injurias & ignominiam his vinculis illatas, atque familiæ, non hic tantummodo, ſed in Europa nobili & notæ indecoras: nam vitæ, quam in tot adverſis ſervare impoſſibile ſit, parum me movet jactura. De extrema rerum inopia tacendum eſt non habenti quo decenter induatur, omnibuſque indigna immanitate ſpoliato. Illud eſt acerbiſſimum, quod perſecutio & calamitas authoritate Tuæ Dom. Ill. invaleſcat, cui certa eſſe feruntur mihi imputata. Ea repetere juvat, ut Tibi præſentia ſint, mecum ad tribunal Dei rapiendo, ubi nulla eſt acceptio perſonarum, ubi Supremus Judex ſtrictam exiget rationem a principibus, & a te, ſi (quod Deus avertat) in judiciis & relationibus præceptum illud Deuteronomii (1. 16.) violaveris: *Audite illos, & quod juſtum eſt judicate, ſive civis ſit ille, ſive peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum: ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt.*

Cum eſſem Platæ, tuæ exhibitæ ſunt literæ, quibus adverſum me ad Curiam Platenſem multa referebas. Valde me commovit, quod recens Aſſumptionem ingreſſus ea narraveris, quæ ægre noſſe poterat urbanæ Curiæ vicinus. Silui tamen ſpe, mentem aliquando reflexurum te ad ea quæ ſcribenti dictaveras. Cum tamen veniſſem Limam, non tantum ſententia inſiſtere te novi; ſed eam ſuperioribus ſubſelliis feciſſe notam. Regia deinde ſcheda 12. Decembris 1724. data denuntiata mihi fuit, qua literæ laudabantur tuæ, qui cum Paraguariam primo veneris Octobri medio ejuſdem anni, eas ſcripſiſti proculdubio, non ex viſis, ſed ex acceptis ab hominibus, qui utique tibi quam mihi notiores ſunt.

Inter alia mei pravi, ut appellare placuit, regiminis geſta, accuſor, quod eccleſiaſticos in jus vocaverim, & cuſtodiæ tradiderim nominatim religioſum quendam Dominicanum. In quo nihil eſt verum, nec ſcio quo carcere detentus ille ſit, nec per quem captus. Per Deum, & hanc crucem † juraverim, nuſquam id hominis allocutum me, nec in ejus unquam veniſſe conſpectum, niſi in ſua ipſius camera vel cœnobio, cum rure veniſſet. Nec erit credo in Paraguaria, qui me hac de re affirmet eſſe mendacem niſi mentitus.

Aliud enuntiat Tua Ill. Dom. de D. Joſepho Cavallero, olim Jaguaronis parocho. In quo latet quid imputetur criminis. Ex documentis liquet, nihil non ex lege admiſſum, cum parochus eſſet ille author provinciæ motuum, individuus Rejes amicus, cujus fugam promovit. Quibus per teſtes comprobatis, Regia Curia Senatus Conſultum *de Ruego y Encargo* ad Judicem Eccleſiaſticum expedivit cum mandato, ut rationem actorum, & Acta redderet. Judex inſtituta quæſtione parochum ex Concordiæ lege abrogavit, qui non tantum ſacerdotii temporalia, ſed etiam ſacra ornamenta diſſipaverat, incertum quo uſu. Cum autem hoc crimen aliis doctrinam non docendi, non adminiſtrandi ſacramenta conjunctum, ſat eſſet ad indicendam officii ceſſationem, nolui ſacerdotalis dignitatis reverentia, id in Actis declarari, quo non modo ad parochiam regendam, ſed ad myſteria divina celebranda inhabilis erat, hominis moribus nulli non notis, nullibi non occurrentibus per vias ejus filiis. Hæc non eo dixerim ut quenquam objurgem, mearum memor noxarum; ſed ut noverit Tua Dom. Ill., nihil in eum parochum temere commiſſum. Non hæc notaſſe laico, ſed clerico hæc notandi anſam præbuiſſe, culpæ vertendum eſt. Quæ Hieronymi eſt ſententia

Digitized by Google

de Arcadio & Honorio Imperatoribus dicentis: De lege non queror; ſed quod eam merui.

Idem argumentum promoves adjunctis Jeſuitarum expulſionis longe a veritate alienis. Et hæc veluti ex viſu affirmas. Sed & ego affirmare poſſim, Tibi potius coram Deo quam mihi, cauſam hujus facti, atque etiam belli eſſe imputandam: Ego namque in media provincia commota & tumultuante inermis eram inter minaces incolas, id veritos quod cauſa lacrymarum uſque adhuc eſt, contigitque ſub Ill. Cardena prædeceſſore tuo, ne videlicet ſua ſuorumque vita tuenda eſſet, imo & uxorum atque filiarum honor, quas abducendi copia facta erat Tapenſibus per edictum in vulgus editum. Julii 24. precibus ut quieſcerent, ægre confeci. Et nequando collegium invaderent, Te per prælatos Ordinum interpellavi, ut qua poteras authoritate motum ſedares. Id à tua pietate impetrare non valui. Quod vero meum erat, cum feciſſem ad avertendum turbinem, conſcientiæ cujus Deus eſt teſtis acquievi, quanvis judicio hominum erraverim. Non latet tamen, Te Senatores Urbanos abſente me ſolicitaſſe, ut totam in me culpam derivarent.

Deus Te prælatum conſtituit, ut eſſes lux mundi juxta Evangelium Matthæi, tibique dixit quemadmodum Iſaiæ: *Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Poſitum ergo ad vigilandum ſuper nos, pati dedecet, ut cupiditatum tenebris obſcuretur veritas factorum, in quibus nec provincia iſta, nec ego quidquam præter id egimus, quod ad ſuæ vitæ tutelam omnibus licet.

Nullus dubito, quin acceptis his literis, quo provincia iſta tuis ſcriptionibus redacta ſit, tandem recogites: veliſque patrocinium ejus ſuſcipere pater protectorque. Spes eſt, inopem & orbam, quam quiſque pro libidine habuit, non prout ad Dei Regiſque referebat obſequium, cum te præſentem viderit exclamaturam: Protector es noſter: noſtri curam age.

Juſtitiæ, cujus eſt mater prudens lentitudo, novercam eſſe præcipitantiam, experientia conſtat. Si luctuoſos iſtius provinciæ caſus in memoriam revocaveris: quinam præſertim trium Epiſcoporum expulſionem, quarum poſtremam multus ſanguis cruentavit: & quæ Rex atque Alexander VII. in cauſa ſimili pro hac provincia, & pro D. Cardena judicarunt, prudentiſſime adminiſtratam eſſe rem publicam intelliges. Velim tamen præter hæc, animadvertas qua fulges mentis ſublimitate, ſiquid peccaverim, unam utilitatem communem, quæ ſecundum Tabulas XII. ſuprema eſt lex, intendiſſe me. Cum ea, quorum accuſor, egerim clamoribus coactus provinciæ, mandatiſque Curiæ; ignota mihi delicta temere imputantur.

Cùm D. Bruno de Zavala adventum denuntiavit ſuum, atque pro Rege mandatum, nec voluit, te & Magiſtratu deprecante, copias dimittere, ſolum mutavi, ne rebellionis imminentis author audirem. Tu Ill. Dñe retinere voluiſti me. Si tamen adfuiſſem, cum D. Bruno in S. Ignatii conſiſtere coactus fuit, non inſons opinione cederem, cum vel abſens ſons judicatus ſim.

Memento quod Philippus Cabañas, tuuſque familiaris D. Rochus Parodi teſtati coram te ſunt, quemadmodum & reliqui teſtes de me auditi, ſi acta omnia tibi oſtendere potuiſſem, mitiorem te judicem experturum. Sed mei Patris S. Gregorii doctrina eſt: *Ex iis quæ animus novit, ſurgat ad incognita quæ non novit: & viſibilium exemplo ſe ad inviſibilia rapiat.* His & aliis, quæ tacere quam memorare præſtat, has ut darem literas compulſus ſum, non tam ex eo quod patior, quam quod cauſa ſis tu quem pronus veneror, nec unquam pro merito venerari ceſſabo. Defenſionem meam ad tribunal Dei miſſam fecerim, a quo mearum calamitatum levamen ſpero. Alii ſunt multi, qui patiuntur, & cauſam ignorant. Te miſereat: quo res tuæ proſpere cedant. Id opto ſimul atque vitam diuturnam, ſanitatem perfectam, dignitateſque meritis pares. -- E curiali cuſtodia Limana. Auguſti 14. 1726. -- Ill. Dñe. -- Ill. D. T. manum oſculatur humill. ſerv. -- D. Joſephus Antequera & Caſtro. --

XLV.

Epiſcopi ad præcedentes literas reſponſio.

1726. A Dm. Ill. Dñe. -- Per D. Raimundum de las Llanas nunc primum accepi literas T. D. datas 14. Auguſti anni jam elapſi 1726. quibus poſtquam zelo vere Chriſtiano in memoriam revocas, quo nullo merito fungor paſtoris officium, obligationemque ſcripta Deuteronomio, cujus verba refert, reformandi, ſubdis Platæ legiſſe te quod ſub meum in hanc urbem adventum ad Platenſem Curiam ſcripſeram de quibuſdam tuæ gubernationis capitibus: dolorem ſpe diſſimulaſſe, ſcripta me revocaturum. Sed cognoviſſe Limæ, in eandem ſententiam datum ſcriptum ad Superius Regimen. Ne argumenta confundantur; clariuſque quid ſentiam ut explicare poſſim, ſingulos literarum percurram, atque diſcutiam articulos.

Scripſi primo, te ſummariam quæſtionem per

per temetipſum immediate inſtituiſſe contra D. Joſephum Cavallero parochum S. Bonaventuræ *de Jaguaron*, de officiis ejus, ſacramentorumque adminiſtratione. Poſtquam vero perfecta erat, miſsam ad Lic. D. Alphonſum Delgadillo & Atienza, electum Proviſorem & Vicarium Generalem; poſtquam Dr. D. Joannes Gonzalez Melgarexo id munerum dimiſerat, immunitatis impos tuendæ, novoque Proviſore conſentiente indictam parochiæ vacationem. An hæc ſcripſerit necne Epiſcopus juxta citatum Deuteronomii locum conſtabit ex reſponſione Domini Fiſcalis facta poſt acceptas meas literas atque acta a te & Proviſore expedita, & in Curiæ tabulario depoſita, ubi ut eſt Miniſter catholicus æque atque doctus, ait, nec ſibi nec Curiæ probari, quod Tu ipſe ſummariam quæſtionem confeceris, licet confectam miſeris ad Judicem Eccleſiaſticum, hicque altero adhibito teſte definitivam tulerit ſententiam. Acta hæc omnia nulla eſſe declarat, tum quia parochus auditus non fuit, nec defenſiones ſuas protulit ex juris præſcripto, tum quia teſtes confrontati non ſunt. Addit, renuntiationem acceptam communi ſententia, irritam eſse, cujus rationes producit. Curia vero me jubet proceſsum incœptare, & ex jure ferre ſententiam. Quod & feci poſt annum, a Concilio Tridentino præcepta Diœceſis viſitatione diſtentus. Hujus ſtatum meminiſſe piget, armorumque Sanctæ Matris Eccleſiæ contemptum. Cauſæ definitæ documenta miſi ad Regiam Curiam, & ad Indiarum Senatum. Id miror, affirmare Te, Sacerdotalis reverentia ordinis noluiſſe, de commiſſis parochi aliis inquiri, cum palam ſit vel ex ipſo conventionis documento, quanta fuerit inquiſitionis ſolicitudo. Id ex zelo factum crediderim: quod tamen non apparet Acta conſulenti, quæ Platam miſiſti: ubi notari volo defectus, quos ignorans potui committere.

Secundum mearum literarum caput verſatur in bonis patrimonialibus, quæ D. Auguſtino de Los Rejes pro titulo fuerunt, ut Diaconus ordinaretur: id quod patet es teſtimonialibus Ill. D. Alphonſi del Pozo & Silva Tucumaniæ Epiſcopi: de quibus ſcripſi fiſco addicta fuiſſe. Si memoria excidit quod Tu ipſe definiviſti in hortatoria reſponſione ad objecta de hoc argumento per Canonicum Doctorem D. Joannem Gonzalez Melgarexo Proviſorem Vicariumque Generalem, en illud ad verbum: *Adde quod dicta D. Franciſca Benitez debuit in meo foro petere occupatorum expeditionem, probareque petitionem eſſe legitimam, ut ejus rationibus deciſio niteretur Regiæ Curiæ; nam quamvis ejus filius non alio titulo ordinatus ſit quam patrimonio, & id tituli ſit validum legitimumque, reſtitutionem petere oportuit in meo foro, quia patrimonium ex eo quod tituli ad ordines vicem ſubeat, nec bonis Eccleſiaſticis accenſetur, nec privilegii bonis Eccleſiaſticis addicti ſit particeps; nam permittere, ut ordines Eccleſiaſticos patrimonii titulo ſuſcipiat quis, non aliud eſt quam canones ſacros obſervare, quibus nequis in ſacris ordinetur præſcriptum eſt, niſi habeat unde congrue ſuſtentetur, quin mendicare ſit opus. Ex eo vero non illico fit, bona id genus eſſe Eccleſiaſtica immunia; quia bonis Eccleſiaſticis immunitas addicta eſt, quatenus illa invicem uni addicta ſunt divino cultui, inopumque ſubſidio; cum ii qui patrimonii titulo ordinantur, eo poſſint pro libito uti.* Hæc eſſe propria deciſionis verba, probe noſti, cui judicandum relinquo, an poſſit Epiſcopus ea ſine piaculo diſſimulare in Actis ſtudio confectis. His in memoriam revocatum eſt, quod immortalis memoriæ Prælatus Arequipenſis Ill. D. Antonius Leon reſpondit ad quoddam Excell. Ducis *de la Palata* decretum menſe Februario datum; haud aliter acturum Anglicani Parlamenti Miniſtrum.

Fit etiam mentio in ſecundo literarum mearum articulo de religioſo Dominicano, quem in prædio Tabapi publice captum, ſub militum cuſtodia uſque ad quintam ab urbe leucam miſit D. Raimundus de las Llanas, qui illum vi percuſſit, ab omnipotente blaterans facultatem habere ſe Eccleſiaſticos capiendi: aliquidque his pejus, quod ego prætermiſi. An Epiſcopus in his Deuteronomii obſervaverit legem, præter facti notorietatem, conſtat ex Actis, petente cœnobii Dominicani præſide ab Eccleſiaſtico Judice digeſtis, ad declarandum D. Raimundum cenſuris Canone *Si quis ſuadente diabolo* contentis ſubjacere: quæ Acta incœptavit Dr D. Antonius Gonzalez de Guzman Rector Eccleſiæ Cathedralis, delegatus a Proviſore abſente, quem cauſæ cognitione interdixit Canonicus D. Alphonſus Delgadillo, ſe Judicem eſſe cauſatus, a Ven. Decano & Capitulo deputatum ad cauſas clericorum, qui partes ſequerentur D. Didaci de los Rejes. Proviſor autem redux Acta repetivit invito Delgadillo, proceſſum inſtituit, & promovit, judicio tamen abſtinuit, captioſis interpellationibus munus abdicare compulſus. Mirandum, in re tanti rumoris & ſcandali, poſtquam Raimundus tot ſui defenſiones protulit, totque libellos ſupplices, eo tempore quo te, tuamque menſam frequentabat, haud aliter ac individuus Delgadillo, mirandum inquam, te per crucem & juris jurandi fidem confirmare, rem tibi prorſus ignotam eſſe, & quærere quo loco religioſus captus ſit, quove detentus carcere. Literas meas examinanti locus ſatis innoteſcet. Sed quæſtionibus his loco & tempore reſpondebo. Epiſcopus non ſcripſit, religioſum a te ipſo captum, ſed a D. Raimundo de las Llanas cum manu militum inſequente D. Didacum de los Rejes, qui mandato Proregis D. Didaci de Morcillo ſuam præfecturam repetebat. Adjunctum hoc ego tacui, quemadmodum & confiſcata per te, venditaque illorum bona, qui eum Prætorem ſequebantur: quo uxores capta etiam illarum dote in extremam egeſtatem redegiſti. Hæc tacui, quod noluerim in omnia tua

ge-

Digitized by Google

geſta, ſed in ea tantum animadvertere, quibus Eccleſiæ violantur jura.

Tertium caput eſt de expulſione Patrum Societatis per edictum præceps, quo trium horarum ſpatio exitus indicebatur: cui duplex aliud ſucceſſit obediendi quantocius. De quibus publica negata eſt fides coram petentibus. Hæc ex certo facta ſunt, quorum documenta vidi, antequam ad Regiam Curiam literas darem, rite quantum ferebat tempus ſubſcripta & ſigillata per teſtes oculares & juratos, Canonicum Doctorem D. Joannem Gonzalez Melgarexo, & Doctorem D. Antonium Gonzalez de Guzman, Parochum & diœceſis Gubernatorem: quorum probitatis & doctrinæ laus in provincia conſpicua eſt. Alia ſunt præ manibus teſtimonia, ex quibus adjuncta plura meis expreſſa literis accepi. Sed factum indignum meminiſſe nolui primarii Conſulis & Senatoris cujuſdam, qui in medio foro contra collegium exclamarunt, ſubvertendum tormentorum vi columbarium. Actumque erat, niſi obſtitiſſet D. Sebaſtianus de Arellano, per quem vulgata eſt machinatio. Tacuit etiam Epiſcopus, poſt edictum ſecundum tranſlatum fuiſſe SS. Sacramentum in Cathedralem per Parochum Proviſorem cum Canonico Melgarexo, Patribus cunctis cereos ſingulos manibus, lacrymas oculis præferentibus. Hæc præterquamquod Actis ſtant, adeo notoria ſunt, ut nemo hodie ſit, qui acerbiſſime non doleat memoria, quod viros apoſtolicos ætate graves, & valetudinarios, qui oppidanis, & toti provinciæ erant exemplo & ſolatio, per mediam urbem, & turbam miſericordia commotam, ſub noctem euntes viderit ægre palliis & breviariis onuſtos, ignominia notatos pacis perturbatorum, Regis & rei publicæ proditorum. Unum eſt, quod Epiſcopus minus exacte retulerit, Patres ad Curiam urbanam preces detuliſſe, cum revera delatæ ſint ad domum tuam, quo tu comitia vocaveras. Viderit Tua Dominatio animo ſedato, nec acerbato iis quæ patitur, an non Epiſcopus ad normam Deuteronomii ſe conformaverit, an etiam non debuerit ad ſuperiora tribunalia referre de læſa immunitate, cum ipſe, ut erat provinciæ ſtatus, malo mederi non poſſet, quin oblocutiones incurreret, & ſtudii partium incuſationes: quemadmodum contigit D. Brunoni, e provinciæ finibus arcendo. Si Epiſcopus ob ſuſceptum Societatis, ut alterius Ordinis, vel etiam ſingularis clerici in exilium amandati patrocinium, partium ſtudioſus audit; eadem ratione inſimulari poſſint Summi Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. quorum ille excommunicationem levare noluit, hic interdictum, niſi ea lege ut Socii reſtituerentur eo honorificentius, quo ignominioſius erant ejecti.

Poſtremum literarum mearum caput de captis erat P. Polycarpo Duſo, & P. Antonio Ribera, quos ad Proviſorem meum cum mandato ſcripto miſiſti, ut de ſacerdotio inquireret. Quodſi ſacerdotes non eſſent, traderet Proprætori, publica tenendos cuſtodia. Factum notorium conſtat ex actis, & autographo ſcripto, quo mandatum continetur, quodque ſervatur accurate, ut innoteſcat, dum uſus tulerit, qua inconſideratione ſcriptum eſt, ut eludatur tentari. Enim vero, cum eſſet Polycarpus amicitia tibi conjunctus, quem juſſiſti Villaricanorum, quos capite damnaveras, confeſſionem audire; qui factum eſt, ut dubitares an eſſet ſacerdos? Qui captus ſit (quod ſcripto mandaſti) cum acinace ſtricto, dum, equo ad S. Mariæ fugeret? Cum itaque omnia literarum mearum capita certa ſint, quid contra Deuteronomium peccaverim? Qua ratione confeceris honorem tuum meis literis lædi, retractandis ſi rem maturius conſiderem? Siqua famæ labes in geſtis ſit, facta dole; non quod certa & vulgo nota, ad tuendam Eccleſiam ab Epiſcopo memorentur, nec quod remedium quærat a Rege, & a Judicibus, qui Regiam Majeſtatem repræſentant, ne inaudita juriſconſulti Miniſtri cœpta juris imperitis exemplo ſint, quod imitentur. Haud crediderim, quod ais, perſecutores tuos ſcriptis meis uti poſſe, nec eis aliud confici quam quod ex Actis juridicialibus reſultat.

Denuntiatam refers tibi regiam ſchedam 12. Decembris 1724. datam, qua mentio literarum mearum fit. Cum vero Aſsumptionem venerim Octobri illius anni, non viſa ſcribere potuiſſe, ſed a notis audita. Heu quam piget, ejus ſolertiæ virum tanta levitate ſcribere! Ut te aliquando noveris deceptum, dicam, menſe Aprili 1724. literas ad Regem (quem Deus ſervet) dediſſe me, ut de meo Bonaſauras adventu certiorem facerem, ſimul & peterem vacantium redituum partem, extremæ paupertatis, & indecoræ, in quam redactam eſſe cognoveram Paraguai Eccleſiam, levamen. Sic impetravi, ut te famaque teſte, hodie ſit cum primis hujus regni ſplendore comparanda. Adjunxi certificationes quaſdam de iis quæ tentaveram, ut iter ſecundum ſuſpenderetur, quod Proregis mandato parabat Legatus D. Balthaſar Garcia Ros; verebar etenim futura mala ex prava diſpoſitione animorum in hac provincia, de qua non aliud poteram tunc nuntiare, quam quod Proregis literis ad Curiam Platenſem datis menſe Martio continetur, quarum exemplar quod eram ſortitus, rite collatum expedivi, addito nullo facto particulari. Id habeto, Epiſcopum ad Regem dominum nihil non certum, nihil quod quaſi manu non tetigerit, ſcribere ſolitum, expertum videlicet, ſub lucida veritatis ſpecie mendacia ſæpe latere, in Paraguaria maxime, ubi nec acta forenſia ea pura ſunt labe. Utinam & Tu nunquam ex falſo ſcripſiſſes; apoſtolicorum Virorum integer eſſet honor, qui frequentem chriſtianitatem, quam hiſce oculis vidi, ſummo ſtudio atque labore in Reductionibus excitarunt, incolas ſubdiderunt Regi, cui ejuſque Miniſtris ſic obediunt, ut primo Bonaurenſis Prætoris nutu, Montevideum advolent ſuo ſumptu muniendum.

Mi-

Digitized by Google

Mirum ſi cum fideles & utiles uſque adeo ſint Indi ad Bonaſauras; ad Paraguaim infidi ſint & pernicioſi; gemelli de cætero. Ænigmatis hujus explicatio facilis Epiſcopo eſt; ſed loco importuna.

De Patrum exilio & bello Tebiquarico ais, coram Deo mihi potius quam tibi eſse imputanda. Impenetrabilia Dei judicia veneror, tantam in ſcribendo fiduciam permittentis. Addis, te in media provincia tumultuante inermem fuiſse inter minaces incolas, antiquam veritos calamitatem, & quod ab Ill. Cardenas prædeceſſoris ætate lacrymarum cauſa eſt: veritos nempe vitæ filiorum, uxorum honoris diſcrimen: erat namque edictum, quo Tapenſibus Indis licebat raptus: per prælatos Regularium me nequidquam interpellatum ad avertendum turbinem: ad calamitatis incrementum, cum mederi malo contenderis, me ſenatores ſolicitaſse ut culpam in te rejicerent. Me lucem mundi conſtitutum, non paſsurum, ut innocens veritas obſcuretur in factis, quibus non aliud quam vitam defenderis tu & provincia: quod nulli non licet.

Adhæc reſponderim interrogationibus quatuor. Quis te cum Legatus D. Balthaſar Confluentia denuntiavit per literas pro Rege mandata, quibus Prætor renuntiabatur; quis te ad convocanda comitia impulit, deliberandumque an eſset admittendus necne: ad Proviſorem meum qui intererat, ut pro Clero ſententiæ accederet tuæ ſolicitandum: ad proferendum coram multis, poſtquam id refutaverat, non abiturum impune qui ab obedientia ſtaret? Quis te coegit, ut Legatum eundem acceſsu ad urbem prohiberes; & ne mandata exhiberet Proregis, qui ſolus, ut tecum diſputando confirmavit, Prætores pro arbitrio mutare valet? Quis te coegit, ne nova ſecundo venientis mandata acciperes? Quis exilio multavit eos, qui obediendum omnino primo opinati erant, ne videlicet dignoſci poſset, plures ne, an pauciores ſtarent ab obedientia? Quis pronuntiavit, mandata Platenſis Curiæ mandatis pro Rege prævalere; quod illa incipiant, *D. Philipe por la gracia de Dios*; hæc vero *Nos D. Fr. Diego Morcillo*? Quis ignorantes hic docuit, mandatorum Regis executionem, nedum Proregis, ſuſpendi poſse, trinamque præmitti interceſſionem? Quis pronuntiavit, mandata pro Rege prævia Curiæ acceptatione indigere? De quo Epiſcopi dictum meminiſse te oportet. Alia prætereo, quod ea notare minus me deceat: nec ſum Juris profeſsor, qui leges debeam explicare. Ad ea quæ objicis reſpondere juvat.

Primum eſt: de Patrum exilio, Indorumque ſtrage; me potius eſse coram Deo ſontem. Convenire te vellem, ut ignota explanares, enormiaque iſta reus expiarem; nam quod ſignificaſti, conſolando gregi meo adeſse noluiſse, precibus & votis prælatorum regularium refutatis, jam ſatis reſpondi ad literas R. Prioris S. Dominici, quas tecum conſultaſse affirmabat. Bina literarum harum exemplaria juridica ſcripto adjunxi ad Platenſem Curiam miſſo, cujus Senatus conſulto inſertæ ſunt. Cum R. Prior literis nuntiaſſet, tibi & provinciæ toti certum eſse Prætorem repellere, niſi per Curiæ canalem mitteretur; cum certo aliunde noſſem, conſtitutum eſse ut pro Rege mandata fierent, quod non poſſent *ſubalterni* non obedire pro Rege imperanti, cum reliquis, quæ meis tradidi literis, quarum copiam tibi facio, etſi autographum videre potuiſti in faſciculo ad Proviſorem miſſo, qui reſignatus fuit coram Canonicis, Prælatis Regularibus, coram Regio Quæſtore, atque Notario, per quos ad comitia delatus fuit, cum mandato Excell. D. Brunonis bonorum tuorum factum eſt inventarium; nam hic faſciculus in ſcriniis tuis inventus eſt: lectæque literæ omnes eo contentæ. R. Priore habente præ manibus originale, & Tabellione exemplar Senatus conſulto inſertum: fuitque Divinæ Providentiæ gratia, ut rumor ortus concideret, Curiæ impoſuiſſe me ſuppoſitis Prioris literis, utque Prælatis Regularibus ſatisfieret, negatum reſponſum expoſtulantibus, præter cauſas ibi expreſſas ad probandum, quam non temere Epiſcopus eo venire renuit; ubi bellum imminebat.

Scire amabo, quid Epiſcopi adventus contuliſſet, cum Tu & Magiſtratus obfirmaveratis Proregis mandato non obedire. Id futurum arbitror, ut contempta Dignitate, contemptis pro Rege mandatis, Legato retrocedere coacto, Tu Prætor triumphum ageres, Epiſcopus vero qui mandatorum Regis obſervantiam zelari debet, ſocius audiret & fautor, inobedientum, an proditorum? Id certum habe, Epiſcopum mentem advertiſſe tunc ad hæc omnia: & quanquam procul ſe eſſe novit a perfectione ſui ſtatus, ſat lacrymarum in cordis amaritudine fudiſſe ante Dominum, ad ſciendum quid agere præſtaret. De actis plene retulit ad Senatum Supremum, & ad Tribunalia cum documentis. Si quid peccaverit in iis, quæ in ejus culpam retorques, Regi non abibit impune. Pœnam accipiet ſupplex, Virginemque Matrem interpellabit, ut ſalutaris pœnitentiæ gratiam obtineat.

In ſecundo hujus articuli puncto ais, provinciam memorem adhuc eſse cladis & ignominiæ olim acceptæ: edictoque publico Tapibus deſtinatas uxores & filias Paraguai. Quoad primum decreta venerari me oportet conſultiſſimi Indiarum Senatus, cujus ſententia in judicio contradictorio lata purgati & probati ſunt, qui te judice reprobantur. Si dum primam alternavimus ſalutem, & coram urbano Magiſtratu collocuti ſumus, tu me comitate officioſus honoraſti, egoque natum tempus arripui nuntiandi quæ dominus D. Petrus Vazquez Platæ protulerat, addendique laudandam mihi eſse rationem a te habitam in Quæſitoris officio, ſed mirari quod priſtina in Societatem ſuſpicione & labe immunem excitaveras odia; mitiora fuiſſent ſuſcepta conſilia, fortaſſe malo nondum immedicabili re-

me-

Digitized by Google

medium fuiſſet. Nunc vero cum Excell. Prorex, cujus eſt integritatis, cauſam ſuſceperit, certus ſum, teque certum eſſe oportet, ſi ſuo pariter atque tuo judicio ſis inſons, honoribus te augendum: incommoda vero quæ tibi compatior, apud Deum veterum debitorum expiationi futura.

Quod attinet ad edictum, quod publicatum affirmas, ut Tapibus traderentur uxores Hiſpanorum & filiæ, mentem advertere te velim ad ea quæ de capto Dominicano ſcribis. Quæris quo carcere detentus ſit? Et ego quæſierim, edictum iſtud cujus mandato publicatum eſt? Quo authore? Quis publicatum audivit? Quodſi affirmaveris eſſe teſtes, fore concedam, quales ii qui teſtati ſunt, ſe in S. Mariæ Reductione ephippia vidiſſe equitis ab Indis occiſi, cum Jeſuitarum literas ad me portaret, addito, cadaver fuiſſe repertum & cognitum facie licet immutata. Hiſpani quidam, ut fidem mendacio conciliarent, occiſi viduæ authores fuerunt, ut ſe coram me ſiſteret lugubris, peteretque contra Jeſuitas cædis damnorum reparationem. Sed poſt menſem adfuit eques cum religioſo qui mihi ſocius erat, charitati Patrum, qui mortuum ſuſcitaverant, gratulatus. Edictum eſſe dicam, qualis rumor de P. Franciſco Robles, qui cum Tapenſium & infidelium Charruarum manu ad Tebiquarim contra Caäzapam adeſſe ferebatur, provinciam aggreſſurus. Id vulgatum erat motuum excitandorum cauſa. Ac niſi Epiſcopus certum ad ea loca mitteret nuntium, qui nihil in finibus moveri retulit: & P. Robles eo eſſe domi redactum, ut e camera in templum prodire non poſſet, velut fidei articulus haberetur rumor, juridicis teſtium documentis comprobatus, qui affirmarent, Patres indicto bello ad ſubjugandam provinciam cum exercitu adeſſe. Eadem eſt ratio de literis, quas parochus Itaenſis detulit, quæ miſſæ dicebantur a Coizqueta Sanctafidenſi cive, cum revera fictæ eſſent in Ita pago, quibus Excell. D. Bruno capite ferebatur damnaſſe D. Sebaſtianum Montiel: ac de illis, quibus nuntiabatur Matallanas Sanctamfidem Corduba profectum cum novis Proregis mandatis tibi propitiis, quibus D. Bruno retrocedere jubebatur quod ille jam fecerat. Conſul, & Militum Tribunus D. Raimundus de las Llanas eo venit audaciæ ut nuntium a D. Brunone miſſum Confluentia, in jus vocaverit ad teſtandum, nunquid ſciret de mandatis a Prorege revocatis, contrariiſque pro Colonia expeditis. Cui nuntius reſpondit, in ſuburbanis tantum Aſſumptionis hæc audiri cœpta. His alia non abſimilia referre poſſem, quorum meminiſſe piget. Si fateri velles, verum eſſe noſti, hæc omnia in vulgus eſſe ſparſa ad acerbandos animos contra Patres hujus collegii, ad concitandos incolas ad arma pro tuenda provincia, vita, honore; teipſum eo conſilio capitale edictum promulgaſſe; reluctantes pœnas proditorum Regi daturos. Nemo non hæc vera eſſe teſtari poſſet. Deumque identidem precor, ne unquam probationes horum exhibendæ ſint. Omnia mala tua vitare potuiſti admiſſo Legato, porrectiſque ultro faſcibus ex Proregis mandato, qui ſuperioribus obedientes mandatis patriæ proditores publicaſti. Qua publicatione Villaricæ præfectum Theodoſium de Villalba capite multavit Raimundus tuus, eo immanitatis actus, ut totam noctem ad arborem tenuerit vinctum, confeſſarium negaverit quem petebat, ad Deumque remiſſum ut confiteretur peccata, ſcloporum confoderit jaculis. Tunc utique gloriari poſſes, quod motus pacaveras: nec tot periiſſent Indi, dum Tebiquarim tranantes, ſalutem quærunt: nec quod horrori eſt, Hiſpani victores ſuper infelicium cadavera centones abluiſſent. Fabulæ non ſunt hæ, ſed facta, quale etiam eſt illud, quo a Villarica, imo & a Curuguatî oppido, quod longius abeſt, ad arcem abrepta eſt fœminarum, quarum aliquas mariti comitabantur, & puerorum turba, dum ad Legati caſtra ſe conferebat. Periiſſentque cuncti, niſi Epiſcopus cum Clero in Regis natalitio domum repetendi facultatem a te impetraſſet. Quinetiam domi ad incitas redacti ſunt, quod multam mox memorandam ſcutorum decem-millium exegeris.

Ignoſce horum memoriam refricanti, non quo tibi diſpliceam, teſtis eſt mihi Deus, ſed quia multum de tua religione confido. Debeo tamen ex Apoſtoli præcepto Dignitatis meæ honorem vindicare facta narrando notoriæ veritatis. Poſtquam me mones lumen eſſe mundi, inſimulas, quod Senatores inſtigaverim, ut culpam in te derivarent. Exprimendum erat, qua in re. Vicem ego ſupplebo. Cum Regia Platenſis Curia quorundam factorum meminiſſet in ſuo decreto, quæ inaudita, incredibilia, & exceſſus enormes judicabat, quanquam illa ſunt eadem, quæ tu plane juſtificata credis; proteſtatur ſe nunquam prohibuiſſe, decem mille ſcutorum pœna, quin provinciæ regimen ſe inſcia mutaretur. Declarat, nihil ſimile ſe mandaſſe, aut mandare potuiſſe, ſententiamque ſuam eſſe perperam detortam. Ex quo meum eſſe credidi, Senatores urbanos adigere ut ſe purgarent exceſſibus, in quos prava interpretatione inciderant. Illi vero ſe purgarunt dicentes, quendam Regiæ Curiæ miniſtrum teſtatum fuiſſe, non alium eſſe proprium decreti ſenſum: miniſtrum eundem eo titulo Prætoris officio functum in confiſcandis plurium bonis, & in expellendis Societatis Patribus. Cum eſſet Prætor, Regiæ Curiæ miniſter, juriſque peritus, perſuaſiſſe, Socios in caſum incidiſſe, ex quo Rex Religioſos expelli jubet. Tunc Senatores urbanos hortatus ſum, ne Curiæ mandatis de Patrum reſtitutione obſiſtere perſeverarent: fidelium eſſe ſubditorum obedire primum, petere deinde ſiquid eſſet petendum. Addidi, eos eſſe reos excommunicationis latæ in Bulla Cœnæ, cum declaraſſet Curia, Prætorem, urbanoſque Magiſtratus niſi

ex-

Digitized by Google

expreſſo Curiæ mandato, Religioſos exterminare non poſſe; cenſuris proculdubio obnoxios eſſe; non denuntiandos, pacis & tranquillitatis, quæ tanti ſteterat, ſervandæ gratia; ne tamen ex eo ſe putarent immunes. Hæc cum ita ſint; quid in te peccavit Epiſcopus, ovibus ſuis author, ut verum faterentur, ſeque purgarent commiſſis? Annon mundi luminis officium eſt, ut ignorantes & cæcos illuminet? Si Curiæ ſententiam illam eſſe judicaſti, nequid in regimine innovaretur, idque vetitum decem millium ſcutorum pœna, quantunvis ipſa reclamaverit: ſi credere perſeveras, nihil a te factum in vita glorioſius, quam ut Patres e collegio pelleres, nihil Dei & Regis obſequio utilius: & coram teſtibus pronuntiaſti, electum te a Deo, ut Societatem ſubverteres; quid expoſtules, dum ea tibi gloria redditur?

Memorem me eſſe vis priſtinarum hujus coloniæ calamitatum; ut videlicet te inſontem eſſe noverim. Addis, ex lege ſuprema *publicæ utilitatis* operanti, nihil eſſe temere imputandum. Sine me, priuſquam reſpondeam profunda Dei judicia mirari. Ad probandum Epiſcopo Eccleſiaſticorum exterminium, exceſſuſque ſimiles, trium Epiſcoporum allegaveris exilium! Atque Ill. Faxardo, meritiſſimo Fluminis Argentei Epiſcopo, qui cœpta contra Eccleſiaſticos moderandi author fuit, ea reſponderis acerbitate, quæ literis ad eum datis continetur! At quæ ſunt crimina meis Tibi literis imputata? An meram factorum expoſitionem, quibus meæ immunitas Eccleſiæ violatur, tranſgreſſus ſum? Idque ne coram Deo Supremo Judice exclamare cogerer: *Væ mihi, quia tacui*. An putas, me præſentem paſſurum, ut contra Parochum haberetur quæſtio, ut ſacerdos religioſus in cuſtodiam traderetur, vi percuteretur, Regulares exterminarentur, te licet opinante, hæc ex ſuprema lege XII. tabularum, & juxta mandata ſuperioris juſtitiæ fori committi? An inquam putas, hæc me laturum, quin acceptum a Deo gladium evaginarem? Non certe: quanvis ejectorum Epiſcoporum quartus futurus eſſem. Non eo conſtitutus a Deo & a Rege ſum, ut ſacros canones, & Bullam Cœnæ conculcari patiar, ut per occaſiones narratas factum eſt. Mei judices rationes iſtas, quas tu eſſe tam validas arbitraris, examinabunt, eruditionis tuæ propoſitas apparatu: nec propterea mentem advertere deſinent ad ea quæ tenuitas mea ſuggerit. Miror quod ad hujus articuli calcem adjungis, voluiſſe te per Magiſtratum interceſſorem adhibere me. Dicendum erat, te per Magiſtratum hortatum eſſe me, quatenus Regi a Conſiliis, ut Excell. D. Brunoni denuntiarem inermem acceſſum, quod arma eſſent præter mandata Proregis, ut Michael de Garai urbanus procurator ad comitia retulerat: renuiſſe me, & ex eo te conſtituiſſe loco cedere, quanquam ego author eſſem ad demorandum, ne videlicet imminentes motus imputarentur tibi, atque commoratio D. Brunonis in S. Ignatii: quæ nihilo minus tibi, licet ceſſiſſes loco, imputata ſunt.

Ad ſingula tuarum literarum capita reſpondi. Scitque Dominus, in cujus conſpectu ſum, quam vellem ne tam procul abeſſes, ut ſcripto ſignificanda ſint ea, de quibus te poſſem coram convincere. Quæro, poſtquam Proregi conceſſum fuit, quando Urrunagam conveniſti, apud quem Magiſtratus exitum colloquii noſtri præſtolabatur, in quo ea controvertimus, quorum memor es, in quo palam demonſtravi abſolutam Proregis poteſtatem, aliaque quæ præterire nunc juvat; Tu vero in eo cœtu confeſſus es, Epiſcopum Dei Regiſque obſequio, & provinciæ paci conformia conſulere, obediendumque conſtitutum eſt, ſcribendumque D. Brunoni, venire poſſe de ſubmiſſione civium certum; ſcriptumque fuit, & ab Epiſcopo petitum, ut de pace quæ poſt ſuum adventum inoleverat, teſtimonium præberet, nec animum fuiſſe Proregis mandata violare, cujus erat ordinare præfecturas; & Epiſcopus annuit, quod eo conſtare ſciret provinciæ tranquillitatem: Quis quæro deinde fuit author, ut publicis comitiis ſententia exquireretur totius, cujus res erat, provinciæ? Cum id factu impoſſibile judicatum eſt, quis fuit author, ut ſaltem copiarum duces de aſſenſu interpellarentur? Poſtquam id etiam rejectum fuit, quis in eodem cœtu pronuntiavit, mandatis D. Brunoni eadem atque D. Balthaſari mandatis contineri vitia: omneſque ab Epiſcopo Jeſuitarum amico deceptos eſſe? Quis in vulgus refudit, D. Brunonem præterquam mandatum erat, velle armata vi provinciam aggredi? quare Epiſcopus coactus eſt pro Rege mandatorum exemplar quod habebat publicare, & ante Cathedralis fores elata voce coram ſuo Capitulo denuntiare, ſiquid de conſtitutis mutaretur, D. Brunone armata manu accedente, Regis nomen interpellaturum ſe; & Canonicum Delgadillo qui aderat, juſſit vexillum elevare, dum Epiſcopus ipſe ſequi renuentes excommunicavit, juratæ quippe fidei violatores. Quis primarium conſulem Raimundum de las Llanas copiarum præfectum inſtituit, militaris formæ habitu indutum, virgaque decoratum præfecturæ inſigni, cum mandatis arces, pagos, & præſidia viſitandi, interdicendique obvios quoſque herbæ Paraguaicæ lucro: idque eo tempore, quo D. Brunonis, ne Confluentiam, quo cum armis & navigio pervenerat, tranſiret rogati reſponſum expectabatur? Quis imminebat hoſtis, dum bellum parabatis à Te certe non latet, nec me, qui mallem, quod ignorat nemo, oblivione ſepultum.

Excell. D. Brunonis reſponſum fuit, venturum ſe manu tam modica ſtipatum, ut ſummæ etiam malignitati ſuſpectus eſſe non poſſit. Navigium etiam Confluentiæ relicturum ad regrediendum, poſtquam ſtatui coloniæ conſultum eſſet. Generoſum conſilium recedendi vera tibi cauſa fuit. Etſi vero ſub illius

Digitized by Google

acceſſum quidam Tuæ Dominationis amicus, profeſſionis ejus, a qua minus erat timendum, tumultuari cœpit, cunctos in officio continuit Epiſcopus, eo intentus ut partium ſtudio liber Dei, Regiſque obſequium, publicam pacem promoveret, impediretque ne res de cetero præceps in ſui perniciem iret. D. Brunonis virtus & prudentia difficultates ſuperavit: ut geſta oblivioni traderentur. Temere credidiſti, hujus Legati moras in S. Ignatii, tibi eſſe attributas, quarum ego author fui, qui eodem convenire decreveram ſubmiſſionis provinciæ teſtis, ſponſorque, poſt ſacras hebdomadis ſanctioris functiones. Mirum, ad te non eſſe nuntio delatam hortationem habitam anno elapſo 1726. poſtquam in Cœna Domini Bullam promulgaveram. Nonnullis offendiculo fuit, Patrum Societatis amicitiæ tribuentibus, quod mei officii rationes exigunt. Sed hic eſt in tota provincia Tuæ Dominationis inſtinctus, ut odio aſpergantur actus quantumvis regulati. Fuit quidem acerbiſſimus cordi meo dolor ex apoſtolicorum virorum deſiderio, qui ſoli vexillum religionis per plateas & rura explicabant, perpetuumque contra vitia gerebant bellum. Cum tu & ego ad juſtum Dei tribunal rapiemur, quis horum reus ſit apparebit.

Ad extremum in memoriam revocas Philippi Cabañas, & Rochi Parodi declarationem; de qua præſtat, ais, ſilere. Ecquidem ſcio qua ſcripſerit levitate Cabañas (qui judicatus jam, innoxius apud Deum ſit), & qua facilitate declaraverit Parodius. Vulgaria ſunt in hac provincia ante judices juramenta falſa: quod plus ſatis ex tabulariis conſtat. Mitto quod in cœtu contigit, quem cum Canonicis in Sacriſtia celebraſti, in quo de Proregis authoritate acri contentione diſputatum eſt, regias apud Solorzanum ſchedas producente Canonicorum altero contra quendam, non qua decet veneratione loquentem. Mitto etiam quod invaluerat ſcandalum in parochia Incarnationis, quo frequentiſſimus e tota provincia concurſus erat, fœminis etiam ſpectatiſſimis accedentibus ad oſculandos cryſtallinos oculos, quos parochus ſub throno, cui tu aſſidebas, oculos ſimulabat eſſe Sanctæ Luciæ. Epiſcopus illico ſuperſtitioſum interdixit cultum: & parochum juſſit oſtium templi hora quinta veſpertina claudere. Hæc & alia plura miſſa fecerim. Noli de reliquo mirari, nec te male habeat, quod ſine fuco locutus ſim, quem tua ſponte coegiſti. Siqua latens te movit cauſa, finem faciam Auguſtini ad Hieronymum ſententia: Si culpa eſt, quod reſponderim, culpandum eſt magis quod me provocaveris. Tibi imputa, ſiquid in tam prolixa ſcriptione, quod diſpliceat occurrit. Sanitatem, lumen, & gratiam tibi apprecor, ut tuam poſſis innocentiam purgare, & manifeſtare. Ab Epiſcopo ſecurus eſto. -- Aſſumptione ad Paraguaim. 18. Martii. 1727. -- Humill. ſerv. & Cap. -- Fr. Joſephus Ep. Parag. -- D. Dr. D. Joſ. --

XLVI.

Mandatum Proregis Peruani ad D. Martinum de Barua.

1727. QUando creia mi zeloſo cuidado, que los Padres de la C. de J. ſe hallarian reſtituidos, como es juſto, à ſu colegio de eſſa ciudad de la Aſuncion, de que ſacrilega, y violentamente fueron deſpoxados por D. Joſeph Antequera y ſus ſequaces, recibo noticia de que toda via no ſe ha executado tan preciſa diligencia por los fines particulares de paſion, que permanecen en ſolo quatro ò ſeis individuos de eſa provincia, que oneſtan la reſiſtencia de tan debido acto con el pretexto de que pueda perturbarſe la paz. Y ſiendo tan preciſo, que tenga efecto la reſtitucion de dichos Padres à ſu colegio, porverſe deſpreciada una Religion, que en eſte Reino ha reducido al conocimiento de la lei evangelica tantas almas, ordéno à Vueſtra Merced, que luego que ſe entrégue eſta carta, diſponga ſe execute la mencionada reſtitucion de los Padres à ſu colegio con la publica ſolemnidad y pompa, que pide el caſo, pues aſi como el deſpoxo ſe practicó de modo, que ſe hizo notorio por la crueldad de los actores, conviene, que el regreſo tenga para plena ſatisfaccion del honor de tan eſclarecida y ſagrada religion, y del credito de ſus individuos, todas las circunſtancias que cauſen al pueblo con ſus habitadores aquel aprecio y veneracion que ſe les debe. Para cuio fin, y que todo en eſe aſunto ſe cumpla como ſe debe, dara V. m. cuenta de eſta orden al R. P. Provincial actual Ignacio Arteaga, ſeñelandoſe el dia en que ſe haia de celebrar, con la prevencion de que ante todas coſas la haga V. m. notoria à eſſe Cabildo, en cuios libros debera quedar original con las diligencias que ſe actuaren, paraque en todo tiempo conſte. Y ſi alguno, ò algunos de los individuos deel ſe opuſieren directa ò indirectamente, por via de ſuplica, y otro qualquier motivo que intentaren alegar, para diferir el cumplimiento de eſta orden, paſará luego V. m. à ſuſpenderlos deſus empleos, y remitirlos preſos à eſta ciudad, embargandoles ſus bienes, cuia diligencia practicara V. m. con qualquiera otra perſona que intentare lo miſmo, y no fuere del Cuerpo del Cabildo, deponiendola del empleo

que

Digitized by Google

que tuviere, remitiendola presa à esta ciudad con las seguridades necesarias à costa de sus bienes, que tambien se embargaran, porque esta orden hade obedecerse precisamente sin interpretacion ni escusa alguna. Y paraque asi se execute, doi à V. m. todas las facultades necesarias, sirviendo esta carta de despacho en forma, que anúla qualquiera determinacion, que huviere acordada por ese Cabildo, y sentada en sus libros en contra de la expresada restitucion de los Padres à esa ciudad. Dios guarde à V. m. muchos años. Lima. 3. de Septiembre de 1727. -- El Marques de Castelfuerte. -- Por mandado de S. E. mi Señor. -- D. Joseph de Muxica, Secret. de S. M., y de Camara de S. Excell. -- Sr D. Martin de Barua. --

XLVII.

Summa litterarum D. Joannis de Sarricolea, & Olea Episcopi Tucuman., deinde S. Jacobi de Chile, & Cuzqui, ad Regem Catholicum.

1729. -- Regulares in hac diœcesi observantiæ laude fulgent, maxime in cœnobiis primariis, ubi capitula celebrantur. Sed citra reliquorum dispendium vel injuriam Societas Jesu eminet. Alibi sancta, hic est sanctissima. Alibi utilis ecclesiæ, ut ex apostolicis ejus gestis palam fit, hic necessaria, ut sine illius ope nec tot infidelium gentes fidem suscepissent, nec inter fideles religio profundas adeo egisset radices; nam incolas longe lateque per montes & silvas tercentum leucarum spatio dispersos parochus unus erudire nequit, nec singulis semel per annum pœnitentiæ & eucharistiæ sacramenta conferre. Parochorum adjutores sunt Socii, qui vices eorum supplent gratis. Divina vocationis gratia, cui fideles sunt, a foraneis Missionibus eos vacare non sinit. Ex singulis collegiis bini circumeunt quotannis urbium ditiones, earum etiam, in quibus sede carent, quarum nulla est, quæ ter centum leucarum spatio circunscripta non sit. Corduba certe, Ribogia, & Catamarca non brevioribus definiuntur terminis. In suis præterea templis, quæ valde splendida & ornata sunt, animorum cultui vacant sacramentorum usu, & quibus major est conversionum copia, miris S. Ignatii exercitationibus. Harum gratia peculiares habent domos, in quas seorsim per vices viri & fœminæ secedunt, quos gratis cibant, & prudenter in viam salutis deducunt. Pari ratione se gerunt in moderanda utilissima florentissimaque Universitate Cordubensi, & in promovendis adjuncti collegii studiis. Et quia scholarum amo exercitia, qui vitæ meæ partem in celebri Limana Academia diu professor Theologiæ vespertinus egi, placet magnoperę studiorum fervor, publicarum disputationum usus, graduum conferendorum ritus, professorumque in recte docendo solicitudo. Haud minor est zelus, æquitas, & cura in educandis alumnis Convictorii a Monte serrato, quod mihi sanctuario collegiorum hujus regni comparandum est. Sexaginta numero sunt alumni: fueruntque a primordiis fundationis multi, qui trinas has diœceses illustrarunt. Licet sancta hæc Societas Ecclesiæ, Cœlo, & Terræ, Deo, & hominibus obsequiosa sit, hic maxime experitur hujus Mundi ingratitudinem, qui malum pro bono rependere consuevit: & inter Christianos apostolicæ sententiæ veritatem: *Qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Dei gratia nos illuminet, & foveat. Tuam Majestatem ad Ecclesiæ & Monarchiæ bonum prosperet. Cordubæ in Tucum. 20. April. 1729. -- Joannes Ep. Cordub. Tuc.

XLVIII.

Summa literarum Episcopi ejusdem ad Clementem. P. XII.

1730. OMni autem dicendi fuco posthabito, congruit permaxime huic Tucumanensi, aut Paraguariæ Provinciæ Jesuitarum, quod de eximia Societate universim protulit quondam oraculum Ecclesiæ suo pontificio diplomate. Nempe ager est fertilis (verba sunt SS. sanct. mem. Pauli Tertii), qui non singulis annis, sed diebus singulis multiplices ubereſque fructus producit. Si enim quos quotidie Domino profert ager hic fertilissimus sedulo inspiciamus, inveniemus profecto, non sine magna cœlorum exultatione, & Societatis laude, quamplurimos & quidem uberrimos in majorem Dei gloriam, & animarum salutem affatim erumpentes producere. Operarii enim Jesuitæ apostolico quo fervent ubique zelo, hac præsertim latissima regione, in Domini vinea, æternæ mercedis denario conducti, certissime portant pondus diei & æstus, non desinentes die noctuque in-

Digitized by Google

defeſſi laborare, tum in excolendis animis fidelium civitates habitantium, pia, catholica, & utiliſſima ethicæ Chriſtianæ doctrina, ac ſaluberrima ſacramentorum frequentia, nec non mirabiliſſima S. P. Ignatii Fundatoris ſpiritualium exercitiorum exercitatione, ad quam per annum viros & mulieres, cujuſcunque qualitatis & conditionis, etiam infimæ & ſervilis, ſucceſſive quodam ordine, opportunis locis ad hoc deſtinatis, perficiendam alliciunt, hortantur atque invitant per plateas, per vias publicas, per domos ſingulas oſtiatim ambulantes, quaſi mendicantes animas, quas ſolas ſibi quærant, ut Chriſtum lucrifaciant, uti hoc admirabili commercio lucrantur plurimas: tum continuis per ſuburbia, per inurbana & rudia omnino rura Miſſionibus habitis, miſſis ad domeſticos fidei Patribus peritis & expertis binis & binis, qui inceſſanter circumeunt vaſtiſſimos pagos, tractuſque terrarum, propriis cujuſque collegii expenſis expediti, ut ſpirituale doctrinæ, ac ſacramentorum pabulum fidelibus ſubminiſtrent, habentes ſæpe pedes calceatos in præparationem evangelii pacis. Quo adjutorio parochi, alias impotentes ſuum miniſterium implere propter miniſtrorum inopiam, ac locorum quibus oves diſperſæ ac diſgregatæ habitant diſtantiam, conſcientias ſuas exonerare valent, aliter majoribus curis torquendi, urgentioribus curis irretiti, ob primævam parochiarum hujus difficilis diœceſis ſituationem, non facili greſſu percurrendam. Cui licet pluribus remediis proviſum ſit, non eſt tamen perventum ad ultimum, quod a potentiſſimo Rege Catholico, quem certum de tanto incommodo facio, ſuppliciter expoſtulo, & brevi atque efficaciter pro tam magni Monarchæ zelo providendum ſpero: tum numeroſiſſimis quas habent Indorum e barbaro paganiſmo converſorum Reductionibus, ſanguine Miſſionariorum plantatis, irrigatis ſudore, excultis verbo, & auctis exemplo, ſive quæ per triginta oppida, quibus centum triginta quinque animarum millia numerantur ſub eodem vernaculo idiomate, quod *guarani* dicitur, apud Paraguariam exiſtunt, ubi tota fere primitivorum fidelium obſervantia floret, templorum ac divini cultus nitor reſplendet, ad veterum Chriſtianorum ruborem, ad ſtuporem barbarorum, ad naturæ admirationem, ad gratiæ triumphum, ad crucis Chriſti tropheum efformatæ; ſive quæ ſimili, ut ita dicam, cælatæ figura, pari fundatæ cruore, æquali diſciplina inſtitutæ apud Charcas reſident ex Indorum gente, quos *Chiquitos* vocant, ſeptem diſtinctæ oppidis, viginti mille animas plus minuſve colligentes, quæ cum in tantam acceſſerint non multis abhinc annis multitudinem neophytorum, majoribus deinceps, Dei auxiliante bonitate, proficient incrementis. In utriſque Miſſionibus hujuſmodi apoſtolici viri, velut piſcatores hominum, aut venatores animarum conſtituti, parochorum aut paſtorum officium vigilantiſſime exercent, & ad eum uſque perfectionis gradum ſatagunt pervenire, quo forma facti gregis ex animo, toti ex Apoſtolo armati adverſus Mundi nequitiam, & adverſus principes & rectores tenebrarum colluctantes non quieſcunt, donec formetur Chriſtus in ovibus.

Huc accedit mira in educanda, erudienda-que juventute ſedulitas, tum primis alphabeticis elementis, & latinæ linguæ rudimentis grammaticis, ſcholis ad id ac claſſibus puerorum per ſingula collegia diſtributis ſtabilitiſque, quæ eo ſunt in his provinciis, quam in aliis utiliores, quo præter eas nullæ prorſus inveniantur, nec facile poſſint inveniri, quibus puerilis ætatula adeo neceſſaria inſtrueretur diſciplina. Unde neceſſe eſſet, cum propheta quærere (Iſai. 33. 18.): *Ubi literatus? Ubi legis verba ponderans? Ubi doctor parvulorum?* tum majoribus ſtudiis literarum, Philoſophiæ ac Theologiæ ſcilicet facultatum, quibus eatenus opus eſt pro evangelicis miniſtris, & diſpenſatoribus myſteriorum informandis, ut oportet, quatenus ut ſuadet Apoſtolus, quæ decet ſanam doctrinam loquantur, & potentes ſint in ſana doctrina exhortari, & eos qui contradicunt arguere. Has autem ſimul ac ſacrorum Bibliorum prolegomena & exegeſes, necnon pontificii juris canonicas ſelectiores materias, edocent Patres Societatis in hoc maximo, & præclaro Collegio Cordubenſi, ubi publico Athenæo, pontificia, ac regia Univerſitate, non minore quam celebrioribus orbis Academiis, cura ac diligentia diſciplinantur, ingenia foventur, ſtudia & ſtudioſi promoventur, æqualique qui in egregio Complutenſi Hiſpaniarum Licæo uſitatus atque ſtatutus eſt in peragendis præviis ad gradus examinibus, ſervato ad unguem rigore, adeo ut Indiarum Complutum merito poſſit nuncupari. Cum ſimili ſolicitudine Collegium regit Convictorum ſub titulo SS. Virginis *de Monſerrate*, ubi muriceo trabeati torque plus quinquaginta juvenes lectiſſimi commorantur: eaque eruditionis varietate perpoliti, & honeſtate morum commendati, ſuarumque regulariſſimarum conſtitutionum obſervantiæ adſtricti, ut collegium hoc ſanctuarium collegiorum abſque aliorum injuria, certe plauſibilium quæ noverim, non ſemel me appellaſſe meminerim.

De omnibus, quæ in prælatis capitulis & aliis, quæ pro enarrando præſentis diœceſis ſtatu adjicere poſſem, conſulto omitto, pro debita Supremo Eccleſiæ Capiti reverentia, ne quæ parva & compta magis eſſe deberet epiſtola, monſtroſe creſcat in hiſtoriam, ſi Sanctitati Tuæ placuerit, poterit certior fieri a P. Antonio Machoni, & Sebaſtiano de San Martin procuratoribus hac opportunitate ad Romanam Curiam tranſeuntibus, qui non omittent B. T. pedes oſculari ſanctiſſimos. Sunt enim viri religioſi pietate, doctrina, & ſerietate conſpicui, nec non gentilium Indorum converſionibus dediti, in quorum Reductionibus non parum pro Chriſti Domini exaltan-

Digitized by Google

tanda gloria, fidei catholicæ promovenda propagine, ac animarum procuranda ſalute, fere ſupra vires humanas, divinis auxiliis ſuffulti laboravere. Idcirco oro ſuppliciter, SS. Pater, ut eos pro apoſtolica tua largitate digneris benigne ſuſcipere, propitius reſpicere, pium auditum præbere, ac ſupplicationibus eorum, ſiquæ ſunt, effectum præſtare.

Hæc pro Societate B. P. E Societate tamen ad me regredior, ſed non e longe, cum ab ea nunquam egreſſus ſim corde vel ore. Verum cum opere eam ingredi aliquando concupierim, & concupiſcam modo, ad Te confugio, & ſupplex tua limina adoro, SS. Pater, pro pio implendo deſiderio. Valde namque adhuc a pueris huic Jeſuiticæ ſocietati adſcribi peroptavi; ſed cooptari dignus non fui habitus, etſi diligenti ſolicitudine exquiſivi, propter familiæ bene viſæ incommoda, quæ inde ſequi poſſe prudenti Superiorum præcautione videbantur, quibus deinceps revera præpeditus, ſalutarem hanc votivam cogitationem exequi non ſum auſus: & ut aliquo modo propoſitum implerem, a P. Præpoſito Generali literas patentes impetravi, ut ſaltem in articulo mortis Scholarium religioſa vota emitterem, religioſorumque ſepultura ut unus ex ipſis tumularer. Sed cum poſtea epiſcopali charactere ſuerim decoratus, hacque cum dignitate Societatis vota incompatibilia ſint ob ejus inſtitutum, Tuam Sanctitatem humiliter exoro, flexoque poplite enixe precor, ut mihi indigno ſervo tuo hanc gratiam digneris concedere, ut non obſtante dignitate epiſcopali, ſimilia vota Societatis in mortis articulo valeam nuncupare, & in hac religione ſimpliciter expreſſe profiteri. Quodſi adhuc obſtare viſum fuerit Sanctitati Tuæ, quin Epiſcopatui renuntiem, venia prius habita Sanctitatis Tuæ ex nunc & pro illo tunc renuntio libentiſſime, & a Sanctitate Tua hæc mea facta renuntiatio, quam ſi opus fuerit in forma perficiam, admittatur quæſo pro beatiſſima tua dignatione, atque pontificio decreto aut Brevi apoſtolicum placitum declaretur. Hoc mihi ſolatium præſtes, B. P., ut ad minus emori merear inter eos, quos inter vivere tandiu deſideravi. Et tunc gratias agens Deo, ejuſque in terris Vicario pſallere poſſim dicens: *Deſiderium cordis mei tribuiſti mihi: & voluntate labiorum meorum non fraudaſti me. Præveniſti me ad amaritudinem mortis in benedictionibus dulcedinis. Poſuiſti in capite meo ſupra mitram coronam de lapide pretioſo.* Sic Deus velit & faxit, quem deprecor inſtanter, & inſtantiſſime deprecabor, ut S. T. ſervet incolumem, ut S. R. E. quæ tanto gaudet univerſali antiſtite, gubernetur in ævum ſub ejus feliciſſimo regimine. Cordubæ apud Tucum. -- 23. Nov. 1730. -- B. T. ſanctiſs. ped. oſc. humill. ſerv. & obſeq. fil. -- Joannes Ep. Tut.

XLIX.

Reſponſio Card. Orighi Præfecti C. Concilii.

Fuera de eſtas Reducciones y Doctrinas ſe hallan hoi dos ſugetos de la miſma Religion entablando y poniendo los fundamentos de una nueva poblacion de Indios de otra nacion que llaman *Pampas*, y ſon los que en eſtos años paſados havian hecho grandes hoſtilidades, aſi en las vecindades de Buenoſaires, como en los caminantes, que trafican deſde Chile à eſta ciudad. Y haviendo el Governador de ella D. Miguel Salcedo levantado un pie de exercito, lo deſpachó en buſca de los demas de eſta nacion, que ſon en mucho numero de parcialidades, y viven hazià la cordillera que confina con el eſtrecho de Magallanes. Y haviendo llevado el exercito un religioſo de eſta nueva Doctrina con unos Indios interpretes, los reduxeron à paz, y vinieron quatro caciques de ellos à confirmarla, obligandoſe à reſtituir todos los cautivos, que tenian apreſados en diferentes ocaſiones. En eſtos dias inmediatos llegaron à Santafé otros caciques, pidiendo con mucha inſtancia al P. Rector de aquel Colegio dos Jeſuitas, paraque los inſtruieſen en la ſanta fé, que deſeaban abrazar, aſi ellos, como los demas de ſus parcialidades, que llaman en eſta provincia *Abipones y Mocobies*, enemigos que en tiempos paſados han dado en que entender à aquella afligida ciudad. Para cuio efecto tiene el P. Provincial de dicha Religion ſeñalados dos ſugetos que vaian à ſembrar en aquella tierra el grano del evangelio, pues parece que Dios N. S. lo tiene aſi diſpueſto. Yo eſpero en la miſericordia divina, que con las paces de aquellos y la converſion de eſtos ha de crecer mucho en eſtos parages la religion catolica.

No debo tampoco omitir, que paſé tambien à viſitar la ciudad de las Corrientes, que eſtà mas de cien leguas de diſtancia de las doctrinas. Y aqui fue donde hice el tranſito, que dice la Eſcritura, de nimio calor à nimio frio, de aquel calor grande de devocion en los pueblos Indios, à la gran tibieza y frialdad que hallé de buena devocion y Chriſtiandad en aquellas gentes, que no ſon Indios ſino Eſpañoles. Y en medio de eſta tibieza de devocion eſtaban bien ardientes en las paſiones. La tierra es mui doblada, mucho mas que la de Santafe; pero mui miſerable y deſdichada, y en medio de tener tierras mui fecundas, viven con mucha pobreza y miſeria por la inercia y ocioſidad de los habitadores, que ſolo aplican el calor à las rencillas.

En toda eſta viſita de la dioceſis, deſde que entré en la juriſdicion por las pampas de Buenoſaires, haſta que he hecho el circulo entero de ſu diſtrito, que conſiſte en muchos centenares de leguas, debo repreſentar à V. M. que ha ſido corriendo mui grandes trabaxos y peligros por deſcargar la real conciencia de V. M.; y he adminiſtrado el ſacramento de la confirmacion, aſi en los pueblos de mi juriſdicion, como en los del Paraguai, à mas de veinte mil almas. Y ſi la peſte, que padecieron en eſtos contornos, y en los pueblos, no huviera robado otra

Digitized by Google

tanta multitud de todo ſexo y edades, huviera ſido tambien doblada la execucion de mi miniſterio.

Los religioſos del Serafico P. S. Franciſco tienen tambien tres doctrinas en mi Obiſpado, que tambien viſite en cumplimiento de mi obligacion. Y aunque eſtan tambien mui arregladas, y los feligreſes mui bien educados è inſtruidos en la doctrina Chriſtiana y divino culto; pero hallé en eſto ultimo baſtante diferencia de las doctrinas de los Religioſos de la Compañia, hallando menos gente y baſtante pobreza en las Igleſias: y preguntando la cauſa, me dixeron que nace de dos males que padecen. Uno, de que los Indios y ſus pueblos ſon encomendados à perſonas particulares del Paraguai, y los encomenderos ſacan ſiempre que quieren conſiderable cantidad de Indios y Indias, paraque ſirvan en ſus haciendas, y ademas de diſtraerlos de la devocion y culto divino, les quitan el tiempo de hacer ſus ſementeras, y trabaxar en el ſervicio y fabrica de las Igleſias, y poblar ſus doctrinas, quedando à diferentes repreſas muchos Indios y Indias en el Paraguai en ſervicio de ſus encomenderos. Lo otro por eſtar eſtas doctrinas expueſtas à las invaſiones de los Indios Pajaguás, que con diferentes entradas tienen meno ſcabadas aquellas feligreſias. Lo que debo poner en noticia de V. M. paraque en ſu viſta, y para el ſoſiego de ſu real conciencia, dê la providencia que fuere ſervido.

Eſto es en ſuma lo que he reconocido en la viſita de la dioceſis: y lo que me ha parecido informar à V. M. para el cumplimiento de mi obligacion, y ſervicio de V. M. Nueſtro Señor guarde la Real Perſona de V. M. muchos años. -- Buenoſaires, y Enero. 8. de 1743. -- Fr. Joſeph Obiſpo de Buenoſaires.

LVII.

Decretum Philippi V. Ex authentico exemplari.

1743. REx. -- Cum D. Bartholomæus de Aldunate Paraguariæ Prætor (*a*) per literas ſignificaverit anno 1726. quanti foret ſi in oppidis quæ Patres Societatis in ditione Paraguai & Boni aëris curant, tres conſtituerentur Conrectores ad Indorum (plurium CL. millibus, qui nihil ærario pendunt) recipienda tributa, quemadmodum in reliquo Peruvio fit: ſi liberum ibi commercium inſtitueretur, quo facilius Indi poſſent ex agrorum & induſtriæ proventu tributa pendere, ſuffectura ſumptus exercitus Chileni, & Bonaurenſis præſidii, & non modicum præterea ærarii ſupplementum: Statui ſimul poſſe, ut Conrectores Bonis Auris, cum ferret uſus, auxilio venirent, & a ſententiis horum ad Paraguajenſe Prætorium provocaretur: Iiſdem Conrectoribus injungendum, ut tributa antehac debita exigerent, & quidem iis paria, quæ de reliquo penduntur: Non argentum tribuendum, ſed terræ fructus & induſtriæ, Aſſumptionem deferendos Paraguariæ caput ad quæſtorium ibi ſtabiliendum, inde ad Sanctæfidei de Veracruce venum trasferendos, ut argentum in Bonaurenſi ærario depoſitum præſidio illi, Chileniſque copiis eſſet ſtipendio.

Ex iis & ex Indici Senatus conſulto 21. Maii ejuſdem anni pronuntiato, Prætoribus Bonaurenſi & Paraguario 8. Julii anni ſequentis 1727. mandata dedi, ut ex lege Indica vectigalia debita à quibuſquibus Indis exigerent, ac de non exactis rationem redderent. Proregem Peruvii monerent, ut in quæſtionem facta revocaret, qui animadverteret in Prætores negligentes.

De quo D. Martinus de Barua Paraguariæ *interim* Prætor, literis 25. Septembris 1730. reſpondit, ex iis quæ provinciæ annos quinque & eo amplius Prætor noverat, temere recenſitos fuiſſe vectigales Indos CL. mille in utraque Miſſionum præfectura. In ſua quidem ex confecto cenſu deduci, numerum eos XL. millium non multum ſuperare; quandoquidem in pagis tredecim Paraguajenſis ditionis non plures decem millibus & quingentis, aut undecim millibus numerabantur. Cum vero pagi Bonaurenſes eſſent novendecim aut viginti, exiſtimare ſe, cunctos vectigales XL. millibus non eſſe plures.

De Conrectoribus Hiſpanis ſtatuendis incommoda eſſe magna. Indos id genus facillime in partem quamvis curvari poſſe: a Patribus ſemper gubernatos non aliud noſſe quam Curionum & Provincialis imperium: ſiquod novum indiceretur regimen, defecturos in ſilvas, nec defuturos defectionis authores. Id eo magis eſſe timendum, quod pagi a ſedibus Hiſpanis longius diſtant, quam ut ſubjugari poſſint, cum Bonis Auris propinquiores diſtent leucis centum & quinquaginta, nonnulli tercentum; Aſſumptioni autem proximi quinquaginta, tres alii ſexaginta; ſex reliquos Parana dividat. Omnes, alter ab altero, ſeptem octove leucarum intervallo diſterminantur. Addebat, ſi, quod ipſe perquam difficile judicabat, ſeptem

(*a*) Prætor in voto, qui Paraguariam a leucis tercentum quam proxime ſalutavit, nec unquam gubernaculum tenuit. Vide Docum. LXI.

Digitized by Google

ptem pagis Assumptioni vicinioribus, scilicet S. Ignatio Guazu, S. Mariæ de Fide, S. Rosæ, S. Jacobo, Itapuæ, & qui a Jesu, & a Trinitate nomen habent, unus decerneretur Conrector ad facilius cum Hispanis commercium, fore neminem qui munus subire vellet, propter Socios videlicet, quibus a principio constitutum erat, ut Reductiones procul ab Hispanorum commercio, quod & Indis interdixerant, collocarentur. Manifestum id esse in S. Ignatii pago sepe circundato, Hispaniisque ingressu prohibitis nisi permittente Curione.

De tributo ait, imperatas esse ulnas octo gossypinæ telæ, quibus bimester Indorum labor comparatur. Sed quia Guaranii Peruanorum libertate carent, totusque laborum fructus arbitrio subest Curionum, qui pagorum necessitatibus provident, & qui singulis quo induantur collato, reliqua in commune referunt, & propter servitia per hos Indos, præsertim ad Bonas Auras spectantes, Regiæ Coronæ præstita, satis futurum si quatuor penderent ulnas, seu argenteum scutum unum (*a*): quod pars est media reliquis imperati æris: ea tamen lege ut servire pergant, cum tulerit occasio, meamque noverint adversus eos æquitatem & bonitatem. Quia vero ii, qui ad Paraguariam pertinent, tuendæ provinciæ olim contulerunt operam, licet jam diu servire cessaverint (*b*), pari æquitate & bonitate quid causæ fuerit taxas ab his Indis non exigendi latere se, unum noviſse consultum Limanum authoritate Comitis de Salvatierra pro Rege munitum, quo singulis harum Doctrinarum Indis singuli imperantur numi octiregales, in Bonaurensi Quæstorio tradendi. Ex iis confici, ab anno 1681. quo id consultum prodiit, ad 1730., si vectigalium Indorum XL. millia semper fuerint, ærario deberi tricies & bis centena scutorum millia, Regiis Quæstoribus arte Sociorum soporatis, qui molitiones suas extendere norunt ad tribunal usque Vice regis.

Horum conscius & Indici Senatus consulti 27. Octobris 1732., atque quanti momenti res sit, D. Joanni Vazquez de Aguero Bonas Auras profecturo mandata dedi, ut rerum summam inquireret, & Societatis Jesu in Paraguaria præsides de tributo Indorum exigendo atque de ratione exigendi compellaret. Senatui vero ut nominaret injunxi, qui in Hispania de eodem argumento consultaret cum Sociorum procuratoribus, ut collatis sententiis, quod e re foret decernerem.

Dum mandatis instructio relativa tradita fuit D. Joanni Vazquez de Aguero, ut de singulis infra explicandis capitibus quæstione habita ad Senatum referret, qui censuit, ut postquam mittendæ informationes acciperentur, D. Emmanuel Martinez de Carvaxal in eodem Senatu pro Nova Hispania, Fisci Patronus, ac D. Michael de Villanueva pro Peruvio a secretis, cum P. Gaspare Rodero de rei totius summa collocuti, certiorem facerent Senatum.

Causam dijudicaturus tanti ob rerum varietatem, totque contra Patres Societatis scripta anonyma, & horum responsa, rumoris, in qua facta omnia revocare ad trutinam oportet, quandoquidem res est de iniqua & intolerabili contra religiosum Ordinem calumnia diluenda, ejusque honore vindicando; vel manifestando gravi mei thesauri dispendio, regiique patronatus atque mandatorum contemptu, alteram instructionem secretam addi Aguero mandavi, de singulis capitibus examinandis.

His munitus documentis abiit, & Bonis Auris quæstionem ex lege de singulis habuit: actaque omnia, quibus respondet ad votum, ad Indiarum Senatum remisit Februario mense 1736. Ad primum ait, collatis sententiis cum D. Martino de Barua, albis examinatis, & scriptis eo spectantibus, cum informationibus Episcoporum Bonaurensis (*c*) & Paraguajensis, atque Ecclesiasticorum, Sæcularium-que, rerum ad Reductiones pertinentium peritissimorum numero decem testimoniis (*d*), compertum esse, pagos esse triginta, in vetigalium Indorum censibus pauciores non esse triginta millibus, apud Quæstores Bonaurenses album nullum esse completum; exhibitum a Barua ex anno 1715. pagos tantum quatuordecim (*e*) recensere, in eoque vectigales esse omnino 7851.; exemplar ejus vidisse, quod anno 1677. pagorum, quotquot tunc erant, confecit D. Didacus Ibañez de Faria Goatemalensis Curiæ Fiscalis, nec assequi potuisse quo tempore pagorum numerus esset auctus. Sed anno 1718., quo a D. Petro Faxardo Bonaurensi Episcopo lustrati sunt, certo fuisse triginta, in iisque 28604. familias, confirmationem ministrasse 73657. capitibus; scripto a religiosis exbito anno 1733. Episcopo Paraguajensi, constare familias esse 27865.: enumeratione anni 1734. a procuratore Missionum delata familias recenseri 24217.;

(a) Imo scutorum duorum, ut ex authentico & re ipsa constat, atque ex libello supplici Jacobi de Aguilar, supra transcripti; quo respondet ad Baruana consulta.

(b) Nempe D. Martinus de Barua pensi habere non vult, nec regiis servitiis adnumerari res Indorum gestas in Paraguaica defectione, & quæ passi sunt sub tyrannide D. Josephi Antequeræ. *Charlev.*

(c) Erat hic Episcopus Bonaurensis Ill. Arregui, de quo plura in Historia lib. XIX.

(d) Hæc legerit qui contendit (Refl. d' hum Por.-Elem. para la Hist. de los J. Refl. IX.) informationes hujus Decreti a Reis accusatis petitas.

(e) Album hoc aliud esse oportet ab eo, cujus Barua meminit in scriptione sua, de qua supra Docum. LII., ubi non quatuordecim, sed tredecim pagi recensentur, in eisque vectigales 10500. aut 11000. Charlevoix album esse habet anni 1745. Sed est error aliunde correctus, cum præsens quæstio agitata sit novem ante annis.

Digitized by Google

24217.; ac tandem P. Jacobum Aguilar affirmaſſe, pagos eſſe triginta, vectigales 24. mille; eundem tamen album denuo confectum oſtendiſſe, quo Doctrinarii jurejurando teſtabantur, non eſſe plures novendecim millibus centum & ſexdecim.

Addit Miniſter hic, Miſſiones has eſſe antiquiſſimas, conſtat quippe ex actis juridicis a D. Balthaſare Garcia Ros, dum præerat Paraguariæ, ut ſciret an pagorum taxa paraguaicæ herbæ meſſi eſſet comparanda confectis, ab anno 1631. plus viginti in utraque præfectura computari, a Patribus Societatis conditas, templis decoris conſpicuas, & incolis plus 70. millibus frequentes; iteratis Regum mandatis, qui ætatis annos octodecim non expleverant, aut quinquaginta ſuperaverant, dynaſtas omnes, horumque primogenitos, & in ſingulis pagis Indos duodecim eccleſiæ ſervitiis addictos immunes eſſe; P. Gaſparem Rodero ſcripto typis edito, capita in Reductionibus ex cenſu Prætoris Bonaurenſis numerari affirmaſſe CL. millia, nec cenſus recentiores reperiri potuiſſe; nam licet anno 1718. 24. Auguſti nova Reductionum recenſio indicta ſit, earumque regiminis, atque fructuum provenientium, cum ad imperandas Indis decimas, tum ad imponendum Caciquiis tributum, quod Bonas Auras deferrent, executione caruit mandatum hoc, quod Prætor impedimenta cauſatus provinciam delegaverit D. Balthaſari Garcia Ros; Bonaurenſis vero Miſſionum procurator interceſſerit, ratus cenſum a Prætore ſolo, vel quem Rex nominatim deſtinaret, confici poſſe. Cumque ſpatium impetraſſet temporis ad exhibendam regiam ejus argumenti ſchedam, incœptum ad annum 1720. primo eſſe dilatum, deinde prætermiſſum.

Subdit Quæſitor, Indorum taxam eſſe unius in ſingulos annos ſcuti, latere quando obnoxii eſſe cœperint; computatis decem millibus quatuorcentum & quadraginta vectigalibus ex confecto a Faria cenſu, deductis viginti duorum parochorum penſionibus, quibus eo tempore non plures erant, reliquam eſſe ſexcentumquinquaginta trium ſcutorum ſummam, quotannis per procuratores in ærario Bonaurenſi depoſitam. In collationibus hac de re habitis aſſertum eſſe, taxam exactam non fuiſſe ad Indorum numerum, confectorum cenſuum negligentia, ex quibus obtinebat adhuc inſtitutus anno 1677. Sed æqua ratione a deducendis octo parochorum penſionibus, qui Reductiones ab eo tempore additas curabant, abſtentum eſſe; ex geſtis in executionem ſchedæ anni 1718., in unam Prætoris negligentiam eſſe referendum, quod nihil certum conſtaret de vectigalium numero. Indubium eſſe ærarii detrimentum; ſed incertum quanti ſit, quippe tempus latet a quo rationes iniri debeant.

De tributo ſingulis Indis imperando ſcripſit Quæſitor, ex omnibus informationibus eſſe ſcutorum duorum in ſingulos annos, in quæſtorio ad Bonas Auras tradendum. Dimidium videlicet ejus, quod Indi de cætero pendere conſueverunt, propter ſervitia ab his præſtita in bello, dum a Prætoribus requiſita ſunt, qualia eo ipſo quo cauſa vertebatur tempore, præſtabant tria millia. Ad publica etiam ædificia & opera vocatos præſto adfuiſſe, & in poſterum fore, quare non amplius eſſe gravandos. Ea vero taxa imperata, plura ſibi de cætero comparare poſſe, & copia rerum abundare. Adjungit, hæc Provinciali Miſſionum ſignificata minus probari, Indos extrema ſimul & ſingulatim laborare inopia, perſuadere nitenti; quanquam exiſtimabat etiam ipſe, herbam, linteum, & tabacum ſummo divendita centum mille ſcutorum ſummam æquare, præter ea quæ ad victum veſtitumque neceſſaria ſunt. Quo ſuppoſito, debitoque a Provinciali in ſe ſuſcepto, cum amplius exigi nequeat probationum deſiderio, ſatis reſtabat ad erogandam unius & alterius ſcutorum taxam, quæ 60. ſcutorum millia non ſuperabat. Imo reſtabat ſatis ad comparanda eccleſiæ ornamenta, arma, ferramenta, ceram, vinum, & quidquid tellus ea non fert.

Quoad indigenas Miſſionum fructus Aguero dixit, ex informationum varietate confici, Indos Bonas Auras portare, vel ad Sanctæfidei ſexdecim, octodecimve mille herbæ Caamini *arrobas* (a); juxta alios duodecim, quatuordecimve; juxta alios denique non plures decem, aut duodecim millibus; ſingulas arrobas recens comparari ſcutis ſex; tribus tamen ut plurimum. Herbam feſtucariam ſeu *paleatam*, quatuor qui Paraguariæ finitimi ſunt pagorum propriam, viginti quinque aut viginti ſex arrobarum millibus ponderari, affirmaſſe quoſdam; alios multo minus; alios nihil prorſus id genus extrahi. Eandem eſſe de goſſypinis telis rationem, aliis viginti quinque, aut viginti ſex mille ulnas, aliis multo pauciores computantibus. Singulas quatuor, vel pro varia mercis qualitate ſex regalibus ſeu drachmis argenteis æſtimari. Singulas vero herbæ paleatæ arrobas, ſcutis quaternis, interdum binis, fructibus aliis ſaccharo, tabaco, rudi goſſypio pretium ex informationibus varium eſt. Sed teſtimonio Sanctafidenſis Quæſtoris, & ex declarationibus Procuratorum liquet, ab anno 1729. ad 1733. in Paraguai & Boniaeris provincias importatos eſſe ſexmille ſexcentos octoginta ſeptem herbæ ſaccos, ſeptem octove arrobarum ſingulos: & biſcentum nonaginta quinque ſaccari panes, duarum & tertiæ ſemiſſis, triumve arrobarum ſingulos.

Undique confirmatum eſſe teſtatur Aguero, Indos doctrinæ Chriſtianæ gnaros cum primis eſſe; id adniti parochos ut vitiorum offendicula removeant, ut quiſque conſentaneum

(a) Arroba continet libras viginti quinque, quintalis quadrans. Libra noſtra ſexdecim unciarum eſt. Verba ſunt Marianæ, de Ponder. & Menſur. cap. IX.

Digitized by Google

neum ætati, & ſexui exercitium addiſcat, inductis eo conſilio omnigenis opificiis. Quod ſeparati ſint pagi a Paraguaria ditione, tredecim illi nominatim, qui eo ſpectaverant, factum eſſe Regis mandato, ut cuncti Prætori Bonaurenſi ſubeſſent: idque conſtare omnium informatorum ſententia. Teſtatur item, triginta declarationes, de quibus ſupra dictum eſt, juramento munitas ſe accepiſſe cum vectigalium albo, & informatione decem parochorum, qua Provincialis mandato, unanimi ſententia, coram P. Felice Antonio de Villagarcia Notario Apoſtolico declarant, ſcuti unius taxam, ex quo fuerat imperata, rite erogatam eſſe; id quod Indis ut ſunt natura inertes, impoſſibile foret, niſi Patrum intercederet œconomia & ſolicitudo. Pro Rege vocatos Paraguariæ & Bonis Auris auxilio veniſſe ſuis ſtipendiis. His rationibus aliiſque ex Indorum mobilitate petitis vereri Patres, ne ſiquid gravius injungatur, pagos perdant, aut contra inermes rebellent curatores.

Nuntiat tandem Quæſitor, ſæpe a Patribus interpellatum ſe, ut Miſſiones ipſe luſtratum adiret; informationes fortaſſis eſſe minus exactas; præter Epiſcopum Paraguariæ, qui pagos univerſos viſitaverat, vix ullum fore qui vidiſſet omnes; ſuam Societatem inimicis circum obſideri, Indoſque forte adactos, ut ex incertis & antiquis rumoribus, relationibuſque ſuſpectis, id atteſtarentur, quod longe a præſenti & vero rerum ſtatu abeſſet, maxime poſtquam pagi peſtilentia & fame ad extremam inopiam redacti ſunt, bello & Paraguai motibus auctam. Sed inutilem ratus incommodam viſitationem, ſat fore putavit, ſi actis adjungerentur memorata documenta, ut de cunctis fierem certior. Et quia Patres de terræ fructuum proventu dilucidas exhibuerant probationes, quibus fraus ſubeſſe non videtur poſſe; conſtatque ſatis de pagorum numero, itinere longo abſtinuit, ab infidelibus periculoſo, difficultatibuſque impervio.

Indiarum Senatus acceptis a D. Joanne Vazquez de Aguero documentis, cenſuit *ex conſulto* 27. *Octobris* 1732. *nominatis D. Emmanuelli Martinez de Carvaxal, & D. Michaeli de Villanueva, conferendum cum P. Gaſpare Rodero Procuratore Generali*. Ex quorum relatione, palam eſſe confectum fuit, ex informationibus antiquis & noviſſimis, & ex documentis a Rodero exhibitis, nunquam in Miſſionum pagis triginta ea ratione factum Indorum cenſum, quæ in aliis Indiarum pagis ſolemnis eſt, propter incommoda identidem enata, Indorumque numerum ſubinde variatum. Ab anno 1726. quo D. Bartholomæus de Aldunate CL. Indorum vectigalium millia computaverat, ad juratas declarationes Bonis Auris exhibitas Aguero, quibus novendecim mille centum & ſexdecim computabantur, nullum alteri conſentire, quia videlicet in conficiendo cenſu conjecturis, incertiſque teſtium dictis nimis creditum eſt. Procuratori Generali cauſanti difficultates mea in his pagis obſervandi mandata, & quæ de cætero ferebat uſus, objectum eſt, aliud fore ſi Societas mandatorum executionem ex debito facilem reddidiſſet. Ad quæ reſpondit, Societatem Indorum cenſum exactum ſimul atque imperatum exhibuiſſe, ut patet ex juratis triginta declarationibus D. Joanni Vazquez de Aguero traditis, & ex authentica petitione, ut ipſe ad loca tranſiret, oblatis ad iter ſumptibus, & opera quam poſſet maxima, ad ſternendas viæ difficultates; Societatem ad hæc eſſe paratam, quandocunque mittendum decreverim qui per ſingulos annos cenſum inſtauret; Socios unum vel alterum additurum viæ comites, nullo mittendorum ſumptu conficiendæ: ut pateat, non Societati vitio vertendum, quod numerus Indorum ignotus ſit. Si conſilium hoc rejiceretur, poſſe Miſſionariis imponi ſanctæ obedientiæ præceptum, ut quot annis loco & tempore conſtituendis, juratam Indorum enumerationem exhibeant, ex qua taxa per Comitem de Salvatierra anno 1649. pro Rege imperata Bonis Auris eroganda ſit.

Nominati Miniſtri ad Senatum retulerunt, in collationem allatum quod de taxa unius ſcuti in ſingula capita conſtat, anno 1649. & 1661. impoſita, pluribuſque regiis ſchedis confirmata; ea jam Indos ob notam fidelitatem, & res præclare geſtas a reliquis eſſe diſtinctos; ex ea taxa proveniſſe tunc ſcutorum novem millia, velut totius debiti ſummam nunquam ſatis compertam; ex ea per Quæſtores ſolutas duobus & viginti parochis penſiones, quotquot videlicet erant ea tempeſtate. Hinc Procuratori objectum eſt, ut erat rei agrariæ proventus, Indorum labor, induſtriaque; congruum fore ut taxam augerem, cum alias quatuor quinqueve ſcutorum ſit. Quodſi Guaraniorum merita ſingularia ſunt, ſat eo uſque remunerata eſſe, cum taxa ab anno 1649. novem ſcutorum millia non ſuperaverit: quæ ſumma cujuſcumque vectigalium cenſus habeatur ratio, æquo eſt inferior. De his a Procuratore Miniſtris plane ſatisfactum eſt, dum pro Societate relationem oſtendit rerum geſtarum, quibus Indi a Reductionum primordiis benemeriti de republica erant. Ex ea relatione liquidum eſſe, non aliam eſſe militiam, quæ exterorum invaſionibus, aut infidelibus barbaris poſſit objici: paratam ſemper eſſe primo Prætorum nutu quolibet numero. Stipendio nullo donari, nec commeatu, non munitionibus, non armis, de quibus ipſa ſibi providet ſuis ſumptibus. Sæpe ſex & octo millia diu militaſſe, ita ut ſi, quod aliis fit Indis, ſeſqui-regale ſingulis in dies ſingulos donaretur, magna vis æris accreſceret. Nihil unquam uſque adhuc de benemerendi contentione remiſiſſe. Authentica documenta Bonis Auris exhibita eſſe D. Joanni Vazquez de Aguero, qui & authenticum exemplar ad Miniſtros miſerat, quorum lectione perſuaſum fuit, eam eſſe meritorum copiam, ut non modo ab aliis Indis diſtingui,

Digitized by Google

gui, ſed omni abſolvi taxa digni eſſent Guaranii. His addidiſſe Procuratorem, quod ſcheda regia 12. Octobris 1716. ad D. Brunonem Mauricium de Zevala directa, & per pagos ſingulos ritu militari promulgata Prætoris juſſu, decretum eſt. Quodſi nihilominus id quod Indi mente conceperant, innovetur; ſuſpiciones eorum, timores, & quidpiam pejus imminere.

Per deſtinatos Miniſtros ad Senatum relatum eſt, in collationibus verſatum argumentum de lingua Hiſpanica contra Indiarum leges non vulgata, & de interdicta Hiſpanorum conſuetudine: quod erat valde pernicioſum, maxime propter inductam ex eo commercii difficultatem, & quandam ab imperio independentiam. Societatem reſpondere, revera ſe non pati liberam in Reductionum pagos erronum Hiſpanienſium aditionem, id contra homicidia, latrocinia, ſuperſtitionem, & incontinentiam, unum remedium expertam. Nunquam id genus ingreſſos, ni ad abducendos Indios & Indas. Sed vero abeſſe, omnigenum cum Hiſpanis commercium interdici, quod ex factis manifeſtum eſt. Complures Indorum cum Hiſpanis in belli ſocietatem, aut rei publicæ laborum, convenire ſolitos: frequentiſſimum id eſſe, quod citra mutuam utrorumque conſuetudinem & uſum contingere nequit. Cum vero ſubinde mutentur qui eo nomine mittuntur peregre, fit ut cunctis, qui utiles eſſe poſſunt, integrum ſit cum Hiſpanis converſari, quin obſtet curatorum inſtitutio, quæ ad ſervandam neophytorum innocentiam pertinet.

Tandem Senatui denuntiarunt Miniſtri, articulum de bonorum communitate agitatum diu: explicatam ſe voluiſſe ſingularem œconomiam, qua cibaria ſingulis, indumenta, & quidquid convictus importat, diſtribuuntur: quod deſtinatur ad religionis cultum, ad taxæ contributionem, & ad ſervitii mei ſumptus. In quibus emicat peculiaris inſtitutio, & neceſſaria ad continendos in Chriſtianis officiis indigenas, qui numerum complent centum & duodecim, aut centum & viginti millia omnis ætatis & ſexus: ad ſibi comparandum craſtinum victum inepti, ſed fidei ſanctæ præ cunctis Americanis cultores eximii; quod & documentis a Judice Commiſſario D. Joanne Vazquez Aguero ad Senatum delatis liquet. Cum de cætero in Judicis hujus informationibus eluceat uniformitas quædam factorum, quæ his religioſis favet, Indoſque Miſſionum Societatis, illius provinciæ præſidium, eſſe præ cæteris de Corona mea bene meritos: quod anno 1716. per Fluminis Argentei Prætorem D. Brunonem Mauricium de Zavala denuntiari juſſi, per occaſionem conceſſæ Luſitano ex articulo VI. Fœderis Ultrajectenſis Coloniæ SS. Sacramenti, quæ Miſſionum territorio contermina eſt. Reliquis tandem accuſationis capitibus ex ea regione denuntiatis, Provincialem in libello ſupplici mihi exhibito ſatisfeciſſe plane: quare tota hujus cauſæ ſumma eo verti videtur, an pericula innovationis ſubeunda ſint, quæ licet legibus & praxi alias facili ſit conformis, jacturam complurium animarum Chriſti ſanguine redemptarum poſſit inducere, complurium etiam ſubditorum, qui copiarum in ea loca ubi plane deſiderantur, mittendarum vicem ſubeunt; jacturam quoque præſidii, quo Paraguai & Boniaeris arces tandiu fuerunt hoſtibus inacceſſæ. Conficiendum eſſe cenſum, cujus difficultatem levare pollicebatur Societas. Si taxa ſit augenda, Indos hos ab aliis diſtingui oportere, maxime quia parum inde proveniret ærario, detractiſque triginta pro numero doctrinarum penſionibus, &, quod neceſſarium omnino eſt, ſi quod alias obtinet ibi conſtituendum ſit, congrua miſionarium ſuſtentatione, abſorberetur tota fere taxa & fortaſſe ſupplendum eſſet quidpiam ex ærario; quandoquidem annui ſumptus ut minimum ſuperant ſcutorum millia octodecim, & cenſus nunquam rite confecti ſunt præterquam anno 1749. quo taxa IX. mille ſcutis hæſit, & anno 1734. quo XIX. millium ſumma provenit ex juratis informationibus Aguero exhibitis.

Viſis itaque & mature libratis in Indiarum Senatu actis & documentis, libellis ſupplicibus a Societate productis ad occurrentes caſus & dubia, Fiſcaliumque ſententia in toto prolixi hujus negotii curſu: viſis etiam regiis ordinationibus de ſtatu & progreſſu harum Miſſionum a ſæculo latis, quarum ſumma & neceſſaria adjuncta expoſita mihi ſunt in comitiis habitis 22. Maji proxime elapſi; univerſis inſtructionis memoratæ capitibus ad articulos XII. redactis, ſequentia ut in Senatu propoſita ſunt, obſervanda decrevi:

Articulus I. -- Quot in Paraguaria oppida curæ ſubſunt Patrum Societatis: quot in ſingulis incolæ: quot vectigales: quo conſtet taxa: augenda ne ſit: nunquid exigendum de debitis.

Conſtat ex actis & documentis, oppida eſſe triginta, quorum ſeptendecim Bonis Auris ſubſunt, reliqua tredecim Paraguariæ: viginti aut triginta ſupra centum Indorum millia: ex Curionum certificationibus fuiſſe anno 1734. 19116. vectigales. Anno 1649. cum eſſent declarati Coronæ ſubditi, & regionis præſidiarii contra Luſitanos Braſilianos, immunes fore decretum eſſe contributionum ſemiſſe, ſervitioque perſonali; in datæ fidei documentum præſtaturos argenteum octiregale in ſpecie, non in fructibus, quod approbatum eſt regia ſcheda anno 1661., mandatumque ut parochorum penſiones ex taxa ſolverentur. Anno 1711. Capitulo Eccleſiaſtico Paraguai intercedente, decretum eſſe nequid de taxa innovaretur. Ac tandem D. Brunoni de Zavala Prætori Fluminis Argentei ſcheda data anno 1716. mandatum eſſe, poſt commendatos Miſſionum Indos, memorataque illorum merita, ut certos faceret eos, nunquam a me gravandos præter id quod ad Miſſionum conſervationem conferebant. Volo, jubeoque, ne unius ſcuti

au-

Digitized by Google

augeatur taxa, ut quemadmodum fit, exigatur, donec novus inſtituatur cenſus, ex parochorum certificationibus a P. Aguilar indictis, exhibitiſque D. Joanni Vazquez de Aguero. Si quid minus aliquando ſolverint quam ſit debitum, condonatum volo, ex regia benevolentia eis ſignificanda, propter eorum merita, & fidei conſtantiam. Novus fiat cenſus per Prætorem convenientibus Doctrinariis, ex baptiſmorum funerumque libris per ſexenia renovandus, cujus exemplar Prætores ad Indiarum Senatum mittant. Idque in mandatis exprimatur, quæ ſingulis dari ſolent.

Articulus II. -- Quos fructus ferant Doctrinarum agri: ubi venum exponantur: quo pretio: quantum herbæ quotannis proveniat: quo deferatur: quo uſu: quantum dirændatur.

Ex informationibus a D. Joanne Vazquez acceptis ad quæſita, liquidum eſt, herbæ tabachi, aliorumque fructuum proventum centies mille ſcutis æquiparari. Procuratoribus de Societate incumbere, ut argento commutetur. Scheda regia 1645. datum eſſe, ut herbam venundent & exportent, dum tamen parochorum uſibus non cedat: ſcheda alia 1679. monitum eſſe Provincialem, Patres grande nimis commercium agere herbaceum: anno eodem, expoſtulantibus Aſſumptiopolitanis damnum a Patribus tanta herbæ illatum exportatione, quo ſuam vendere coloni equo pretio non poſſent, interdictam in poſterum fuiſſe exportationem præterquam duodecim mille arrobarum pro taxa ſolvenda, ejus commercii cauſa: viſitandamque in Sanctæfidei, aut Confluentiæ antequam expediretur, ita ut fide publica non munita, haud aliter ac herba cæterorum occuparetur. Conſtat item, per ſchedam 4. Julii 1684. confirmatam anno 1716. in mandatis Zavalæ, hos Indos immunes eſſe ab impoſitis venali herbæ fructibuſque aliis vectigalibus: deincepſque Patres viſitationi herbam ſubjiciendi onere abſolutos fuiſſe, eo tantum obnoxios, ut per literas Prætorem Aſſumptionis admonerent de quantitate herbæ expediendæ: quod uſus habuit, ut fides ſit a Quæſtoribus Boniaeris juxta memoratam ſchedam anni 1684. Tandem cum ex probationibus notum ſit, proventum herbæ reliquorumque fructuum naturæ & induſtriæ, eſſe centum millia ſcutorum, quibus conſentiunt Patres, nihil ex eo ſupereſſe triginta oppidorum neceſſitatibus, quorum ſingula mille incolis frequentantur; ita ut attributis cuique familiæ perſonis quinque, numerus centum & quinquaginta millium fiat, quibus ex centum mille ſcutis pars contingit ſeptem regalium, ad comparanda ferramenta, conſervandumque ædium ſacrarum decorem impar. Quibus comprobatis palam fit, Indis hiſce nec levis taxæ pendendæ ſuppetere facultatem. Nihil itaque de ratione conſueta per procuratores fructus oppidorum adminiſtrandi innovetur. Quæſtores vero S. Fidei, & Boniaeris quotannis moneant, quanti & quales ſint hi fructus, juxta mandata, quæ in ſcheda fient hoc die expedienda.

Artic. III. -- Num Indi doceantur idioma Caſtellanum? An proprium & nativum uſu retineant?

Cum conſtet ex documentis, Indos hos uno ſermone nativo uti, id tamen oriri ex innato eorum affectu, non quod Hiſpanicus a Patribus interdictus ſit, quandoquidem in ſingulis oppidis ſchola eſt, qua Hiſpanice legere & ſcribere docentur; ſuntque eorum plures qui appoſite legunt & ſcribunt, quamvis nec ſcriptum nec lectum intelligant: cum aſſerant Patres, nihil ad perſuadendum Hiſpani ſermonis uſum prætermiſſum eſſe præter rigorem, nec a lege præceptum, neque oportunum; Injungendum decrevi Patribus per hujus diei ſchedam, ut prædictas ſcholas in oppidis conſervent, dentque operam, ut Indi loquantur Hiſpanice juxta legem 18. t. 1. lib. 6. Recop. Ind. (a); tum quia id ad meum obſequium refert; tum ut calumniæ contra Societatem eo nomine motæ diſſipentur.

Artic. IV. -- Utrum habeant Indi dominium proprium: an ſit illud illiuſve uſus penes Patres?

Ex informationibus, collationum actis, aliiſque documentis conſtat, nota Indorum incapacitate & inertia in facultatibus ſuis curandis, aſſignari ſingulis agrum quem colant, ut ex eo annonam familiæ parent. Agros de cætero eſſe communes, quidquid granorum provenit, radicum eſculentarum, & goſſypii, ab Indis adminiſtrari, dirigentibus parochis, haud aliter ac herbam & armenta: cumulum dividi trifariam, primo ad ſolvendum taxam, ex qua parochorum penſiones detrahuntur; deinde ad ædium ſacrarum ornatum; tertio ad alimenta & indumenta viduarum, orphanorum, ægrotantium, & eorum qui peregre diſtenti ſunt, & ad ſupervenientes neceſſitates; cum ſit nullus eorum, quibus ager attributus eſt, qui ſatis ad annonam colligat. In ſingulis oppidis Indos œconomos, calculatores, fiſcales, & cuſtodes adminiſtrationis rationes obſervare; accepti & expenſi notas in libros referre: idque eo fieri exactius, quod graviſſimis pœnis interdictum ſit parochis a Præpoſitis Generalibus, nequid quod Indorum ſit in uſus ſuos, eleemoſynæ, mutui, aut quovis alio nomine convertant: eademque lege teneri de re tota Provinciali rationem reddere. Id ex Doctrinarum viſitatione redux R. Epiſcopus Bonaurenſis Fr. Petrus Faxardo teſtatus eſt, nihil unquam rectius conſtitutum ſe vidiſſe, nihil Jeſuitarum integritati par, cum nihil omnino nec ad alimenta, nec ad indumenta ab Indis accipiant. Quod apprime convenit teſtimoniis aliis haud minus fidis, ſcri-

(a) Verba legis ſunt: „ Ordenamos, que à los Indios ſe les pongan maeſtros (de lengua Eſpañola), que enſeñen à los que voluntariamente la quieran aprender, como les ſea de menos moleſtia y ſin coſta. "

ſcripto maxime a R. Epiſcopo Bonaurenſi D. Joſepho Peralta Ord. Præd. in literis 8. Januarii anni labentis 1743. rationem viſitationis reddente, tam ſuæ diœceſis, quam Paraguajenſis cum facultate Capituli ſede vacante, piamque præſertim Indorum educationem inculcante, quos ita comparatos invenit ad Religionem, fidemque regiam, & quoad temporalia tam perfecte gubernatos, ut ægre a finibus Reductionum avulſus ſit. Quare nihil innovetur de bonorum adminiſtratione, ſed conſervetur qualis a prima Indorum reductione, eorum conſenſu & commodo ſuſcepta fuit: quandoquidem Miſſionarii Curati meri directores ſunt, quorum prudenti œconomia prava diſtributio, dilapidatioque vitatur in fere omnibus Indorum pagis utriuſque Regni notata.

Et licet ſcheda regia anni 1661. caveatur, ne Patres Indorum protectores agant; cum cautum hoc ſit ex eo quod imputaretur, intrudere ſe in eccleſiaſticam, temporalemque juriſdictionem, & impedire tributorum exactionem, quod a vero longe abeſt, probatumque, protectionem eo tantum reſpicere, ut in temporalibus & ſpiritualibus dirigantur, facti veritatem declarari oportet; jubeoque, ne forma regiminis in his Reductionibus inſtituta mutetur.

Artic. V. -- An Miſſionum harum Indis jus alii dicant præter conſules ſuos: & per quos hi conſtituantur?

De Conrectoribus Hiſpanis in his Reductionibus collocandis conſilium, cum magnis obnoxium incommodis ſit, ut ex ſententia D. Martini de Barua contra D. Bartholomæum de Aldunate liquet: & Agueri documento juſtificativo conſtet, in ſingulis Reductionibus eſſe Conrectorem Indum a Prætore provinciæ conſtitutum cum conſilio Patrum; eſſe Conſules ſeu Alcaldes ordinarios, alioſque Magiſtratum gerentes, quos eligit idem Prætor, ut plurimum ſaltem ex Patrum ſententia: quod Aguero judice convenientius eſt, religioſis quippe notior eſt candidatorum aptitudo: opportunum cenſui, ut mos idem inviolatus in poſterum obtineat.

Artic. VI. -- Informationum ſumma de artibus cum liberalibus tum mechanicis, quas Patres docent Indos, ac de manu facturis. An arma ſibi elaborent Indi, an pyrium pulverem, munitioneſve alias? De fodinis, cujus ſint naturæ & proventus.

Ex documentis D. Joannis Vazquez de Aguero conſtat, in oppidis ſingulis plures eſſe officinas, ubi arma conſtruuntur ignivoma, & alba, pyrius pulvis, & omnigenum belli inſtrumentum. De fodinis vero veſtigium eſſe nullum; nec metalliferam eſſe regionem, ab ullo proditum. De ſcheda relatum eſt, 14. Octobris 1641. data, qua Comitis *de Chinchon* Peruani Proregis conſilium exquiritur de petitione P. Montojo Paraguai procuratoris, ut Indis jam diu Chriſtianis armorum igneorum concederetur uſus, cum non eſſent Hiſpani, a quibus contra vicinos Braſiliæ Luſitanos, vaſtitatem & cladem circunferentes, defenderentur. Nam licet incommoda eſſet facultas, & ex ea timenda ſic armatorum rebellio, caveri poterat poſitis armis ſub Patrum cuſtodia, nonniſi pro neceſſitate largiendis, recipiendis cum ceſſaret neceſſitas, iis tantum in Reductione relictis, quæ ad repellendam vim ſufficerent, cæteris Aſſumptione ſervandis. Procurator petebat etiam facultatem id armorum & inſtrumenti comparandi ex eleemoſynis, aut unde-unde præter Indorum gravamen. Et ad tradendum uſum, venturos e Chile coadjutores, qui aliquando militaſſent. De iiſdem interpellato Marchione *de Mancera*, Comitis de Chinchon ſucceſſore, 25. Novembris 1642., nec cognito quid hi Proreges reſponderint, mandatum fuit 20. Sept. 1649. Prætori Bonaurenſi, ne quid de armorum uſu Indis familiari, & ad ſui defenſionem permiſſo, mutatum vellet. Et quanquam ſcheda data 10. Junii 1654. Prætori Paraguajenſi indictum eſt, ut de armis ignivomis, quibus uti a Sociis didicerant Indi, caveret incommoda, nequid armorum ſe inſcio in tota provincia moveretur: quod mandatum 16. Octobris 1661. iteratum eſt, & Provinciali denuntiatum, ut morem gereret; nihilominus relatis cauſis Indos armandi, & timendi ne inermes priſtinas ſubirent calamitates a Luſitanis, & aliis qui 30000. captos abegerant, atque precibus ut Hiſpanorum præſidio fines munirentur, decretum fuit Aprilis 30. 1668., & Charcarum Præſidi injunctum, ut cum Auditoribus, duobuſque de Societate antiquioribus conſultaret, quid præſtaret ad obſequium divinum & regium, & ad ſubditorum incolumitatem, ac de ſententia referret: interea tamen arma apud Doctrinas reperta non amoverentur, ſed non obſtante ſcheda data 16. Octobris 1661., res in eodem ſtatu quo erant antequam expediretur, permanerent. Deinde ſcheda data 15. Novembris 1672. injunctum eſt Paraguai Prætori, nequid propter mandata anno 1661. innovaret. Quodſi ea mandaſſet executioni, ad præſcriptum anno 1672. rei ſummam revocaret. Anno 1679. 25. Julii, ex eo quod Paraguai Prætor ſcripſerat, Braſiliæ Luſitanos multa contra eam provinciam, & contra inermes eorum pagos audere, Proregi mandatum eſt, ut Paranaenſes & Uruguajenſes armis inſtruerentur & uterentur, ſecundum priores ſchedas, nominatim datam 25. Novembris 1642.; ablata vero ex mandatis anno 1661. reſtituerentur Indis & religioſis cuſtodienda. Mos invaluit ex mandatis anno 1716. D. Brunoni Mauricio de Zavala, intereſſe rei publicæ ut hi ſemper armati ſint Indi. His cauſis decrevi, nequid de moderno uſu innovetur quoad ea quæ hoc articulo continentur, de armorum uſu & fabrica. Ac de incommodis, quæ timenda ſint, Provincialis cum Doctrinas adierit, cum Curionibus conſultet, quid agere oporteat, cum timenda ſit Indorum rebellio, ac de conſilio id quod

pro-

Digitized by Google

proverint; ad Indiarum referat Senatum.

Artic. VII. -- An Indi decimare consueverit, aut certe eo nomine debitum Episcopo & Ecclesiæ Cathedrali solvant. Et qua ratione distributio fiat?

Cum omnia hujus argumenti documenta simul cum antiqua Bonaurensis Episcopi informatione exhibita sint; Prælatus ille querebatur, Indos qui Societatis curæ subsunt, ecclesiæ suæ inutiles esse, cui decimarum & primitiarum non præstarent obsequia. Hinc 15. Octobris 1694. scheda prodiit, ut Episcopis decimarent. Mandatum idem iteratum est Prætoribus Paraguai & Fluminis Argentei: monitique Episcopi, ut quantum sibi quotannis eo nomine proveniret, ad Senatum referrent. E regione venit Capituli Ecclesiastici Paraguai declaratio, Indorum pagos, qui in ea diœcesi subsunt Clericis, aut Franciscanis, non decimare. Quod dum animadverti, & novitatis incommoda, nihil innovandum censui; sed per schedam monendum Provincialem, ut æstimato decimarum jure, cum religiosis suis deliberet de ratione Indos adducendi ut satisfaciant; quidve contribuere possint eo nomine.

Artic. VIII. -- Quid agant Patres tot numero ad Paraguai Missiones profecti, ubi pagi triginta non plures numerantur? Utrum novis conquirendis, an partis tantummodo excolendis dent operam?

Informationibus Agueri conficitur, qui proficiscuntur eo, vel esse novitios Cordubam deducendos, vel professos, quorum alii ad collegia destinantur, alii Doctrinariis associantur, ut idioma comparent, vacantes curas suscepturi. De novis conversionibus, nihil scire se; interdum vero ex silvis Patres familias, quæ defecerant a grege, revocabant. Sed hoc argumento cum Patribus collato, respondeerunt, Missionarios supra numerum excursiones apostolicas frequentare per devia silvarum post infideles, conditis oppidis aggregandos. Præterea documentis pluribus comprobatum est, novis reductionibus apud Chiquitos, Chiriguanos, Chacoenses, & Pampas adlaborare Socios; nec apud eos exoleviſse studium salutis animarum, imo novis semper incrementis invalescere. Quod cum probe mihi notum sit, nihil ea de re movendum. Sed de Missionum progressu edocendus, Patribus per hujus diei schedam injungo, ne Senatum Indiarum certiorem facere prætermittant.

Artic. IX. -- An R. Episcopus Paraguai Reductiones visitaverit ad ministrandum confirmationis sacramentum? Et quandiu id factum non sit.

Cum ex informationibus & actis D. Joannis Vazquez certum sit, Episcopum Paraguai semel & iterum lustrasse Reductiones universas, R. Faxardum olim Episcopum Bonaurensem idem feciſse, & utrumque administrasse confirmationem: certumque sit aliunde, Episcopos omnes visitasse quotquot voluerunt, rationemque reddidisse, & usque reddere de bono Missionum statu quoad spiritualia: quemadmodum recens a Bonaurensi factum est literis supra laudatis: nec ullum de minimo posito obice conquestum, auditum unquam sit, horum certus nihil est quod in eam rem decernere debeam.

Artic. X. -- Ad ecclesias pertinet sub cura Patrum, eorum residentiam, & cultum divinum.

Vidi quidquid Aguero nuntiavit de summa Patrum cura in ecclesiis construendis & ornandis, de argentea supellectile & apparatu, de ratione sacra officia celebrandi eo splendore & pietate, qua major esse non possit. Quæ omnia confirmant Societatis etiam adversarii, & modernus Episcopus literis memoratis 8. Januarii hujus anni. Decrevi itaque Patribus per hujus diei schedam de rerum harum studio & solicitudine gratulari.

Artic. XI. -- De prima cujusque Reductionis fundatione: an post decennium laicorum curatuum loco habendæ sint, non Missionum?

Ex informationibus Bonaurensibus, & prioribus aliis de eodem argumento liquidum est, oppida esse antiqua, quandoquidem anno 1654. Doctrinis accensebantur, quæ prius dicebantur Reductiones, ut patet schedis annorum 1650. & 1651. supra R. Episcopi Cardenas & Societatis Jesu contentiones expeditis ad Curiam Platensem, ut Paraguariam tranquillaret, & in hisce Doctrinis legum regii patronatus observantiam zelaretur, cum mandatis, ut Societatis Patribus restituenda curaret bona, domos, & doctrinas, quibus erant spoliati, dum tamen restituti subjacerent quoad Reductiones regulis patronatus. Scheda alia declaratum est 15. Junii 1654., Reductiones Doctrinarum loco habendas. Cum constituendus esset Curio, tres esse proponendos Vicepatrono, ut alias fit. Quodsi Societas non acquiescerent, Prætores & Episcopi in sua quisque provincia de curatibus providerent, nominarent clericos sæculares, aut horum defectu aliorum ordinum religiosos. Si vero Jesuitæ consentirent, Doctrinas possidere pergerent. Eadem mandata ad Curiam Platensem missa sunt, addito, si Præpositus Sociorum in Paraguaria quenquam a Doctrina removere vellet, causas celare posset, dum tres alios proponeret ex lege. Cum Prætor Paraguajensis nuntiasset, Præpositum Societatis acquieviſse, & patronatus observantiam pollicito curam Doctrinarum relictam; ad singulas Doctrinas eundem proposuisse tres sacerdotes idoneos, quos Episcopus seu Generalis Vicarius approbavit sub conditione patronatus observandi leges; scheda data 10. Novembris 1659. rata omnia habita sunt. Cum igitur constet ex universis documentis, eandem hodiedum obtinere regulam, regium patronatum ibi locorum sanctum esse, Doctrinasque rite administratas, nihil innovandum constitui, sed curam directionemque Patribus Societatis relinquendam.

Artic. XII. -- Cur pagi intra Paraguai fines positi, alteri subsint præturæ?

Octobris decima quarta 1726. mandata de-

Digitized by Google

di tu, donec aliud ordinaretur, Reductiones triginta Paraguariæ Societatis Prætori Fluminis Argentei parerent. Cauſa mandatorum fuit, quod retulit Miſſionum procurator de motibus illius provinciæ ſub D. Joſepho Antequera. D. Bruno Mauricius de Zavala imminentibus incommodis adactum ſe credidit, ut pagos quatuor Aſsumptioni finitimos ſub Prætore Paraguai relinqueret, donec rationibus auditis contrario inſiſterem mandato. Quibus ad Indiarum Senatum delatis conſilium probavi. Etſi vero ſcheda in hanc ſententiam expedita fuit 5. Septembris 1733.; cum anno 1736. Bonis Auris ageret Aguero, nondum Paraguariæ ſuberant memorati pagi. Id ipſum affirmat earum Miſſionum Provincialis in libello ſupplici, & expreſse notat, confirmationem Magiſtratuum, & reliqua ad Prætorem ſpectantia (a) peti a Bonaurenſi, non a Paraguario. Itaque de quatuor oppidis mandatum executione caruit, videlicet, quia dum eo perlatum eſt, Paraguai provincia rebellaverat, nec oportebat rebellanti vires addi. Quæ cum ita ſint, nec aliunde ſubveniat innovandi ratio, conſtitui ut hodierna praxis obtinere pergat.

Novi tandem, contra Patres Societatis vulgatum, quod exteros Socios in Miſſiones deferant. Id tamen operati ſunt Regum mandato. Et quidem anno 1734. 17. Septembris, Ordinis Præpoſito Generali conceſſi, ut quotieſcunque miſſionarios expediret, quarta pars Germanorum eſse poſſet. Hos etiam cognovi fidiſſimos ſemper fuiſſe; atque anno 1737. P. Thomam Werle Bavarum, cum in Coloniæ Luſitanæ obſidione Guaranium quatuor millibus adeſſet, hoſtilis tormenti jaculo interfectum eſſe. Patribus itaque id unum injungendum cenſui, quod hujus diei ſcheda exprimitur, ut de eligendis Miſſionariis ſint ſoliciti, de iis maxime, qui Potentatibus maritimis ſubditi ſunt.

Cum ex præcedentibus articulis, & ex antiquis moderniſque documentis in meo Senatu viſis, & mature pro rei momento examinatis, factiſque veridicis manifeſtum ſit, nullibi Indiarum dominium meum eſſe potius obſervatum, quam in Miſſionibus iis, nec regium patronatum, regiamque & eccleſiaſticam juriſdictionem, non alibi eſſe ſanctius conſtituta, ut palam fit aſſiduis Epiſcoporum, Prætorumque viſitationibus, & cæca Indorum obedientia, præſertim cum a Prætore vocati ad tuendos fines, adſunt quatuor ſexve millium numero ad nutum procincti; ſchedam cenſui dandam, ad ſignificandum Provinciali quam placeat, tanta probationum claritate diſjectas videre Baruæ & Aldunate calumnias & impoſturas, & Societatis ſtudium erga Dei cultum, mei obſequium, Indorumque miſerabilium commoda. Speroque, eodem in poſterum ardore & zelo de regendis Reductionibus & Indis fore ſolicitam.

Ad Michaelitas ſermonem habuit Laurentius Balda in Chriſti Domini natalitio, recens nati Jeſu ſimulacrum manu tenens, genu flexus, & lacrymis irroratus. Flevit orator, flevit & concio: probataque fuit univerſis emigratio iis etiam qui primis motibus addiderant faces. Joannæi etiam & Angelini in eandem ſententiam convenerunt. Nuntio exultavit Altamiranus. De converſione præſertim Michaelitarum literas ad calcem percurrere ſiccis oculis non potuit. Ad Marchionem Valdelirium pro Hiſpaniæ Rege Commiſſarium, & D. Joannem de Echavarria primum Dimenſorem dedit, aut certe daturum ſe promiſit literas, ut primum errorem condonarent, reſipere jam qui defecerant, ſua & Sociorum opera.

Ad Baldam ſcripſit, ut quam primum, ante videlicet quam intepeſceret ferrum, ad Valdeſiam conſtitutam Michaelitis ſedem cum quatuor Indorum centuriis ſe conferret. Ne vero a longinqua (*a*) Michaelitarum villa expectanda eſſent jumenta, iniqua tempeſtate, & pabuli penuria labefactata, e villa S. Nicolai commodato accipi juſſit, injuncto ſimul hujus oppidi curatori, ut commodarentur. Carolus Tux Nicolaitarum curator operam ſe datum ire reſpondit, ſed ſuum bipedum gregem dicto audientem non eſſe, niſi cum ad palatum & genium ſit, qui ad tranſmigrationem ſpectantia, vel quæ ex Commiſſarii mandato ſuſpicaretur orta, nimium diſplicere plus ſatis oſtenderat. Et quidem cum Michaelitæ ad deducenda jumenta veniſſent convitiis excepti ſunt primo a villæ cuſtodibus, qui mox ut ſolent in contubernio conſidentes injectis ſermonibus ſubverterunt. Hinc eo deveneum eſt, ut pace deſperata, rebuſque profligatis, ferro & multo ſanguine, atque animarum pernicie negotium confectum ſit.

In cæteris pagis, qui recens de migrando convenerant, Joannæi indicto per Altamiranum ad medium Januarium exitu, fidem datam liberaturos ſe reſponderunt; ſed longius requirere temporis ſpatium. P. Nuſdorfer, ad quem hæc ſcripta ſunt, literas legebat Altamirano, qui audito longius requiri ſpatium,

in

(*a*) Diſtat illa nonaginta fere leucis.

Digitized by Google

in tantam exarſit iram, ut charta plicanda fuerit, & a lectione ceſſandum. Octava Januarii egreſſi ſunt bis centum & viginti tres duce Thadæo Enis, quorum inito ad Uruguaim recenſu, triginta ſolum de magiſtratum gerentibus, ac de familiaribus Patrum, & Eccleſiæ, reliqui erant. Diſparuerant cæteri, pars de via, pars ad amnis trajectum ſpecie ligna cædendi ad compingendas rates. Parochus a Thadæo monitus per literas, novum delectum inire tentavit, ſed nemo non erat averſus, ægreque inventi qui rem familiarem, quam transfugæ ab inteſtato reliquerant, recuperarent. Cum iis, qui ad Uruguaim perſeveraverant, venit Conrector, quem principes quidam cum armatorum manu quæſitum, ſagittis appetitum & fuſtibus, ſolo raptatum in carcerem detrudunt: ejuſque natum capite percuſſum, & ſenſibus alienatum, ſemivivum relinquunt. Petrus Viedma, qui unus de Sociis aderat, accurrens ægre recepit ſaucios domi curandos. Poſtquam quievit motus, de authoribus fit quæſtio, numquis eſſet Nicolaitarum. Sed erant Michaelitæ & Laurentiani, qui Joannæis ſuggeſſerant, per Conrectorem & Patres Hiſpanis venum tradi, ſervitute premendos, labore diſrumpendos.

Centum Angelini cum Bartholomæo Pisá curatore eodem fere tempore quo Joannæi ſunt egreſſi atque regreſſi. Venerant ad Uruguaim Januarii vigeſima: flumenque poſtridie tranſmittere meditanti, diem eſſe feſtum objiciunt. Vigeſima ſecunda luce retulit dux, univerſis retrocedere deliberatum eſſe. Veſtibus & donis ad progrediendum ſolicitabat Pisá, quæ illi accipere dedignati, reculas ſuas convaſant, & repedant,

Januarii 19. venit ad S. Thomæ Aloyſianûm tranſmigratio centum & ſeptendecim numero ad Miriñaim verſus. Et quia Commiſſario placuit, comes adjungitur Nuſdorfer ſimul cum Joſepho Fleichaver. Vigeſima octava, etſi pridie conventum erat, ægre a Cruce oppido avulſi ſunt. Ad Guiraim amnem diſparuerunt duo: eodem venit Charrua, qui nocte intempeſta, rapta ſuæ gentis Chriſtiana, Uruguaim trajecit, ſuos videlicet gentiles de ſecundo colonorum adventu admoniturus. Ad Jacareim obviam venit ſeptem infidelium manipulus, herbam & tabaccum petendi ſpecie. In villa S. Philippi quatuordecim, ad Ibicuim triginta duce Coſtero, quocum P. Antonius Eſtellez fœdus percuſſerat. In iis explorator ad Guiraim viſus, cui cum objeciſſet Nuſdorfer, tot ſalutationes Aloyſianis diſplicere, reſpondit, rebus ſuis id eſſe commodum. Coſterum remotis arbitris convenit Aloyſianorum dux de amicitia, quam colere amabat cum ſua gente. Ille vero id unum ingeminabat, terras eſſe ſuas, nolle apud ſe Patres, nec Chriſtianorum ſedem: nondum excidiſſe memoria, per Aloyſianos interfectum gentis ſuæ ducem: inviſum eſſe ſenem illum. Quod ideo dixit, quia Nuſdorfer, cum eſſet Miſſionum præfectus, Sanctafidenſes auxilio vocaverat, ad tuendos contra Charruas Doctrinarum fines.

Cum hi ſermones alternarentur, Patres iterum tabaccum, herbam diſtributuri accedunt: quæ poſtquam ingratiis acceperant, equos conſcendunt, & quas præliaturi ſoliti ſunt, velitationes ineunt. Mox ad Patres redeunt, inſolentiuſque petunt herbæ, tabacci amplius. Aloyſiani, & qui auxilio venerant Cruciani, nequid auderent barbari, Patres circunſiſtunt, dum tranſmigrantium dux Coſterum ad eſcas ſibi paratas invitant; quem reliqui ſequuntur. Dum epulantur, advenit centum Japejuanorum quod expectabatur auxilium: quo de Charruis nihil erat timendum, proxima nocte dilapſis. Sed cum Japejuanos diſcedere oporteret ſerius ocius, infideleſque abſceſſiſſent habitu & ore minaci; non latuit advenas novæ ſedis diſcrimen: omniumque vultu emicabat pigritia & tædium.

Dum Miriñais octavâ Februarii trajiciendus erat, venit Hiſpanus quidam villæ cuſtos, qua pridie fuerat iter, nuntiavitque Japejuanis, quod deinde in reliquos vulgatum eſt, nocte proxima viſos Charruas tres, qui de Patribus interrogaverant, intentatam ſibi cædem cum rerum ſuarum ſpolio & jactura commutaſſe, villæ cuſtodes Indos in latebras conjectos, ſe vero cum uxore fuga dilapſum. Patres a duce interrogati, quid agendum, conſulere jubent ſolertiores de ſuis ac de Japejuanis. Hi vero reſponderunt, Charruas conſueta machinari mala, quorum exequendi tempus diu abeſſe non poterat: cum hominibus iis pacem eſſe percutiendam omnium internecione: hæc niſi præcedat pax, ſedem ibi locorum non eſſe ponendam. Aloyſiani dixerunt, terram pacatam eſſe arbitratos, auſis in dies inſolentioribus infeſtam experiri; certam ſibi eſſe repedandi ſententiam & neceſſitatem; ſe nolle filios & uxores tot periculis obnoxios eſſe. His pacifice ad Patres relatis dux addidit, non propterea tranſgredienda Regis mandata, ſed tranquilliorem quæſituros ſedem. Cum Patres timorem ex vano eſſe objicere non poſſent, reſponderunt: *Diximus ſæpe quid veſtrum ſit. Quid timeatis ſcimus. Progredientes regredientes ſequemur vos.* Cæſis intra ſilvas novis axibus, iter qua venerant ſecundo remetiuntur.

In S. Philippi obvius adfuit Angelinus quidam transfuga, qui olim a Reductione defecerat ad Charruas, ſuorumque gentilium miſertus, ut ſibi caverent, monitum ibat; nam infideles novam perdere ſedem obfirmaverant. Japejui præter opinionem inventus eſt P. Commiſſarius, qui Doctrinas relicturus octoginta Sanctafidenſium præſtolabatur adventum, ad penetrandum in campos Charruanis incurſionibus infeſtos, neophytorum præſidium impar eſſe ratus.

§. VII. P. Commiſſarii receſſus.

Auditis in villa S. Nicolai ſermonibus averſos Michaelitas ſuos ut in ſenſum revocaret, pro virili contendit P. Balda; ſed in caſſum. Diem ad emigrandum denuo conſtituit, equis aliun-

aliunde petitis. Sed Januarii 19. ſexcentum armati convenerunt in forum, qui miſſis in diverſa manipulis, quotquot tranſmigrationi conſenſerant, eodem contrahunt vel invitos. Alii domum Patrum ingreſſi muſicæ magiſtrum, alii in hortum penetrantes olitorem raptarunt. Ad ſtrepitum accurrit Sociorum quidam: increpatque inſolentes, & audaces. Illi vero nec clamantem reveriti, nec morati inſolentius reſpondent: Nobis hic neceſſarius eſt, & raptare pergunt. Contractis ſexdecim exterminium denuntiatur ab oppido, niſi extempore mori malint. Ad exortum in foro tumultum ex Indorum clamoribus, fœminarum lamentis & puerorum concurrentibus univerſis ſuperveniunt Socii, & exclamant, animarum ſaluti conſulant, iram Dei, niſi cœpto deſiſtant, in hac etiam vita timeant, ſibi invicem ignoſcant, eccleſiam adeant, Deum & patronum S. Michaelem orent, culpam & pœnam meritam deprecatum accedant, ut mentibus offuſcatis lumen affulgeat. His dictis, veluti examen turbatarum apum exigui pulveris jactu, quievit ſeditio. Templum ingreſſi, alii aliis veniam dant, & petunt univerſi. Subitaneas id genus ab extremo ad extremum Indorum mutationes mirabitur qui guaranicum *tecó* non noverit. Si curator poſt ſedatum motum, authores ſolo proſtratos vapulare juſſiſſet, odia forte recrudeſcerent; ſed nec eſſet mirandum, ſi poſt verbera ad oſculum manus genuflexo, gratias agerent de more pro addito intellectus ſupplemento. Id modeſtiæ & ſubmiſſionis fert humile gentis ingenium. Ex eo tamen conficere, nunquam hos Indos voluntati Patrum adverſari, logica ſit propria Comitis de Bobadela Gomezii Freire de Andrade.

Poſtquam veniam & officia reciprocaverant Michaelitæ, poſtquam Deum in templo, & patronum S. Michaelem oraverant, ut animos ira cæcos illuminaret, Baldam conveniunt; tranſmigrationis intentæ inſontem eum & Socios eſſe; authorem eſſe P. Commiſſarium; larvatum eſſe Jeſuitam; verum eſſe Luſitanum; Montevidei viſum ſine toga; hanc induiſſe ad ſe decipiendos perdendoſque: certum ſibi eſſe ad Sancti Thomæ proficiſci, ut perſonatum hominem in flumen conjicerent. Hæc ex animo dicta demonſtrabat oris habitus, ut Balda ſupplex oraverit, deſtinato deſiſterent; P. Commiſſarium revera eſſe Patrem, nec Luſitanum. Obfirmarunt illi, iturós utcunque res haberet in Sancti Thomæ; quodſi Commiſſarium Patrem eſſe inveniſſent, oſculaturos manum, ſin aliter conjiciendum in flumen.

Caſu aderat in S. Michaelis Joſephus Jenig Societatis coadjutor, profeſſione chirurgus, per quem, quod ab Indis literas diſtrahentibus & intercipientibus nihil eſſet tutum, Balda ſcripſit Altamirano quæ gerebantur, & Michaelitarum conſilium: quod addebat, in tanta rerum perturbatione perficiendum timere potius ſe debere, quam affirmare poſſe. Eodem tempore nuntiatum eſt, Michaelitas Nicolaitarum animos ſolicitaſſe, ut ſimul Commiſſarium aggrederentur: deinde Michaelitas duos in Crucianorum villam profectos, ut quærerent, an adhuc in oppido a Sancto Thoma moraretur ille.

Sub adventum in Paraguariam ſcripſit Altamiranus ad D. Carvaxal, paratum ſe mandatorum gratia vitam & ſanguinem prodigere. Sed cum id nuntiorum genus propter aures ſtillare cœpit, exitum maturavit e Miſſionum locis. Sociorum eſſe inventum ſuſpicatus eſt, ſibi male conſtans, dum eorum opera & fide Marimonis nominatim præter alios, ad amovendum periculum, & imminentem perniciem uſus eſt.

Januarii 28. venit a Balda nuntius, tumultuantium fere tercentum manum, poſtquam commune promptuarium vi occupaverant, & de commeatu ſibi proviſerant, abiiſſe, incertum ſibi quo. Marimonem juſſit Altamiranus ad Itacoram cum Borgianis quinquaginta progredi, & trans Uruguaim Thomiſtarum manum, qui adverſum ſe forte venientes arcerent. Deinde tamen id quod erat innotuit, Finitoribus Regiis obviam profectos ad Sanctæ Teclæ fines.

Cum ex his motibus invaleſceret inter Indos de Altamirani metu & pavore fama, adfuit cum aliis Thomitanus Conrector, & contra Michaelitas, ſi eſſet uſus, officia ſpopondit & corporis cuſtodiam. Grates habuit; ſed is erat pavor, ut nec ad hortum, nec ad domus atrium egrediendi ſufficeret animus, in ſacro etiam ad aras irrequietus. Num haberet ſcolpos quæſivit a parocho; quatuorque aptavit, quos ſecum tulerat. Per noctem ſorinſecus obſerabatur a coadjutore, clavem apud ſe retinente. Pridie Calendas Februarii 1753. ceſſit e S. Thomæ cum Borgianis vicenis binis, donec Sanctafidenſe Hiſpanorum præſidium adfuit.

Ante diſceſſum ſcripſerat ad Valdelirium Marchionem, ſi libitum eſſet, amoliturum ſe a Septempopulania ejuſque finibus Socios cunctos; id tamen non ante facturum quam ſuæ Dominationis ſcripto injungeretur. Japeivi reſponſum accepit, quo Marchio quod quærebatur, ſilentio præterivit. Quod minime quærebatur reſpondit, auditum a ſe & intellectum Patres Indorum motibus addidiſſe faces: quod propter impoſita præcepta valde mirabatur. Id quod Marchio auditum ait, factiſque adnumeravit, in ſui officii regeſta translatum fuit, inde ad ſuperiores, amplioreſque de vehendum ſphæras. At cur ipſe Marchio faces ſeditioni per Patres admotas interpellatus ab Altamirano removere noluit, cum ex officio debuit, ac potuit? Notandum eſt, reſcriptum id eſſe ante menſem quam regii Dimenſores ad S. Teclæ venirent Miſſionum fines: & ante annum quam exercitus in aciem contra Miſſiones prodiret: ante annum quam Thadæus Enis ad amnem Pardum verſus iter intenderet; ante triennium quam S. Laurentii ſanum & oppida occuparentur; cum Marchionis reſponſum & literæ datæ ſint 17. Januarii 1753.

Nec

Digitized by Google

Nec ab Altamirano id eo tempore acceperat; cui potius aliunde habitus nuntius narratur, obtruditur, & quodammodo exprobratur.

Ejuſdem opinionis echo jam hoc tempore per Braſiliam reſonuerat: unde Comes de Bobadela ad Valdelirium ſcripſit 24. Martii ejuſdem anni 1753.: *V. Excell. com as cartas que recebe, com os aviſos ou chegada do P. Altamirano, entendo acabara de perſuadirſe, que os Padres da Companhia ſaon os ſublevados.* Jam quidem id ſibi perſuaſerat Sua Excellentia, vel Sua Dominatio, ut ex relatis proximi Januarii literis apparet. At quid ſibi vult Luſitanus, cum ſub eadem data 24. Martii, & earundem contextu literarum ſubjungit: *E iſto que nos faxia horror, depois da experienza da campanha o temos ia per indubitabel?* Tempus, quo id literarum ſcriptum proditur, eſt multo prius experientia belli. Bis ducta eſt in bellum acies: primum anno 1754. deinde anno 1756. De cujus expeditionis ex his experientia ut jam habita ſermo ſit 24. Martii anni præcedentis 1753.? Etiam conſultationes apud inſulam *de Martin Garàia*, quibus bellum decretum & ordinatum eſt, diu poſt celebratæ ſunt, ſcilicet ſub ejus anni finem vel ſequentis initium. Nec de his poterat, multo minus de bello, ac de rebus inter bellandum geſtis habitum eſſe experimentum. Perſpicuum igitur eſt, editorem, qui anno 1757. poſt belli experimentum has literas typis vulgavit (*a*), textum minime ſincerum dediſſe, ſuique immemorem aut impotem figmentum non occuluiſſe. Ex eo patet, quo loco habendæ ſint ejus libelli narrationes, ut irrefragabiles diffamatæ, ut notoriæ, ut patentes trium exercituum oculis, tot teſtium quot militum; ut autentice exſcriptæ e regeſtis & ſcriniis utriuſque Plenipotentiarii. Quodſi velis, eam eſſe Patrum rebellionem, de qua dubitari non potuerit etiam ante belli experimentum: unde prodierit tunc certitudo uſque adeo indubitata?

Propudioſum commentum ut protegas, ſero dixeris, appellatam *campanha* Dimenſorum acceſſum ad regendos fines. Fuit cui molestrina munitæ arcis, cui tonſoria pelvis galeæ militaris referret ſpeciem. Sed Præfectus Copiarum Generalis non eo nomine dignatur pacificam agros diſterminandi operam, nec exercitum in aciem prodire ait, cum terram geometræ metiuntur. Præterquamquod id operis finem tunc habuit octava Martii, dum Finitores de S. Theclæ villa Bonas Auras retro ceſſerunt. Ab octava autem Martii ad 24. ejuſdem menſis, modicum intervallum eſt adſupponendum, eo ſpectare D. Gomezium e Braſilia ſcribentem. Certe Altamirani memor in literis, Finitorum receſſum non prætermitteret, niſi adhuc ſibi eſſet ignotus. Nec eſt in rebus ad Sanctæ Theclæ geſtis, quas modo referam, quidquam, quo indubitata dici poſſit objecta rebellio.

Finitorum adventus in S. Theclæ.

Ut primæ diviſionis dimenſores ad S. Theclæ venerant, Michaelitani prædii teſqua, conſpecti ſunt a tumultuantium exploratoribus, numero primum ſexaginta, deinde mille. D. Joannes de Echavarria Finitorum primus, ut ex mandatis caveret Indorum offendicula, & quia viſa erant propter viam cadavera quædam, conſtitit. Hinc ad P. Michaelem de Herrera, in S. Antonii ſexdecim procul leucis conſidere ſolitum, literas dedit, quibus boves, equos, & commeatum poſtulabat, Indoſque unum & alterum viarum peritos. Ad eundem ſcripſit D. Franciſcus Zavala, qui Dimenſoribus præſidio erat, & mandato Prætoris Bonaurenſis per ea loca diſcurrerat haud ita pridem contra Braſiliæ latrones. Scripſit etiam P. Fabra Jeſuita Capellanus. Literæ creditæ ſunt exploratoribus ipſis, qui eas non ad S. Antonii, unde tunc aberat Herrera, ſed ad S. Michaelis oppidum nonaginta leucas diſtans portarunt. Ibi morati ſunt, & quanquam aderat Herrera, nec illi, nec Baldæ curatori creditas reddiderunt literas: imo neque literarum quidquam ſibi datum manifeſtarunt. Ad Præfectum Miſſionum ſunt delatæ, Candelariæ ubi reſidere conſuevit, aut forte longius in gyro viſitationis diſtantem. A Præfecto ad S. Michaelis curatorem remiſſæ ſunt ut reſponderet. Sed reſponſum ad loca venit poſt dies tredecim quam Dimenſores repedaverant.

Ut primum Thadæus Enis Herreræ ſuffectus Hiſpanorum cognovit adventum, obviam procedere voluit; ſed Indi repugnarunt, habendum a Luſitanis cauſati, ut olim Marcum Villodam gravi vulnere ſauciatum. Scribere voluit; ſed literas illi noluerunt portare. Dimenſores interim longiorem literarum moram non paſſi progrediendi conſilium ſimularunt. Sed obſiſtentes Indi dixerunt: Progrediatur Fabra, ſi lubet, ad oppidum, atque diſſidia componat: reliqui ſe contineant. Non placuit Hiſpanis de Fabra conſilium. Dein dixerunt Indi: Si Hiſpani ſoli procedant, haud ægre id ſe laturos, opemque neceſſariam ſuffecturos; Luſitanis vero non item. Hiſpanos, Indoſque ejuſdem Regis eſſe ſubditos, Luſitanos alterius; Deum ſibi ea loca donaſſe, Luſitanis vero quæ ad *Ibicuim morotim* ſpectant. Hiſpanis centum donarunt vaccas; Luſitanis primo nullam, paucas deinde ad commeatum. Hiſpanorum armento paſcua deſignarunt ad occaſum, Luſitanis ad orientem.

Cauſas rogavit comiter Echavarria, cur regiis mandatis perficiendis obſiſterent. Principio reſponderunt, obſiſti Prætoris Bonaurenſis mandato, Provincialis, Superioris, & Curatoris Baldæ. Id reſponſi non placuit, vel quod ſubſcriptione carebat, vel quia non ſolis adſcriberetur Sociis reſiſtendi cauſa. Sed hoc incommodum græca libelliſtæ fide ſublatum

(*a*) Relaz. abbrev. da Rep. &c. pag. 10.

Digitized by Google

tum est, qui unum nominavit, reliquos silentio præterivit, dum Indos excusantes inducit (a), *Unum se nosse suum Patrem benedictum*. Rursus interpellati responderunt Indi, incredibile sibi esse Regis fore placitum, ut terræ sibi ablatæ Lusitano cederent; se fidos esse subditos, nec posse credere insontes punire velle; bis Coloniam se expugnasse, expugnaturos tertio, si tantum Rex annuat; non credere, ejus mandato cum agris suis centum annorum labore privari, suo, filiorum, uxorumque damno. Ajunt, D. Franciscum Antonium Cardoso de Meneses initæ dimensionis pro Lusitania Commissarium altercationibus his vehementius acerbatum: nec mirum, etsi æquas Indi partes Lusitano detulissent nomini, atque Hispano.

Rebus ad S. Theclæ gestis vel interfuit, vel prope abfuit Nicolaus Neengiru e Conceptionis pago, cujus agri non longe distant. Vir est inter suos corporis majestate conspicuus, mente felicior solertiorque, cui vulgus popularium assurgit, dynastis majoribus ortus; cætera unus e grege. Hunc forte viderit Lusitanus Fatifer, & opportunam judicaverit basin ad erigendum Nicolai I. Paraguariæ Regis phantasma, eoque nomine cudendos numos, ne Paraguajenses Socii regnare viderentur in spatio imaginario. Verosimilius certe fundamentum in rebus gestis non inveneris.

Ejus copiarum ductor fuisse dicitur *Trueno* Societatis coadjutor, cujus occasionem commenti forte fecerit sequens anecdotum. E pagis dictis *de abaxo*, qui in adversis Reductionum finibus ad Paraguariam spectant, prodierat haud ita pridem cum neophytorum armatorum manu Joannes Pino, Societatis coadjutor ad coercendos infidelium Abiponum incursus. Pronum est, ut interroganti cuipiam, ex præjudicata opinione, Quis Patrum apud Indos esset belli dux? Indi, qui bellum aliud non noverant, responderint: *Pai Hermano Pino*. Interpres vero dum vocem etiam *Pinó* vertere voluit, decori gratia, vel adstantium reverentia dixerit *Trueno*. Etsi fuerunt in numero interpretum, quos non pudeat verborum consignificantium usus. Pronum etiam sit, hujus voeis amphiboliæ peritum Hollandi Folicularii simplicitatem ridere voluisse. Secundæ expeditionis tempore anno 1756. superstes erat Nicolaus Neengiru; sed fabulæ fundamentum, quo tempore per Europam invaluit, anterius esse oportet. Verosimilius tamen est, quemquam nullo fundamento esse nugatum: quod insulsissima Vita seu Historia Nicolai I. plurium linguarum typis edita persuadet.

Ut-ut res hæc habeat, coram Nicolao aliisque interpres quidam quæsivit: Cur pagos non traditis, pretio jam a Patribus accepto? Conscius forte rerum intendit interpres, Patres argentum accepisse, scilicet quatuor scutorum millia, in singula transmigrationis oppida regio nutu distribuenda: quæ revera, aut eorum partem, aut partis valorem Altamiranus ad Missiones detulit. Indorum defectionis causa devoluta. Sed quæsitum illud ut soma, exitiosum valde fuit, diffamatum quippe persuasit Indis, a Patribus se prodicos esse: idque affirmarunt addito, P. Bernardum Nusdorfer, cum præesset Missionibus accepisse pretium traditionis. Hinc qui Patres primo dixerant libere abire posse, sententiam mutarunt, ut eos vel invitos retinerent & custodirent: quod maxime Japejui contigit. Nicolaus errorem, cui prius fidem præstiterat, facile deposuit; ex eo tamen alii ad rebellandum obstinati sunt.

Exeunte anno 1753. cum P. Alfonsus Fernandez Missiones pro Barreda lustratum accederet, & Valdelirios atque Altamiranus urgendi transmigrationem addidissent mandata, rem desperatam invenit: nec potuit quidem pagos quorum causa vertebatur, ingredi. A rebellibus quæsitus est, non ut occiderent, nec ut male haberent, ajebant illi, sed ut catechismum Ludimagister doceret *Cunumios*. Minaces Andonaegui Prætoris literas ad S. Nicolai misit. Has cum pro concione interpretaretur curator, e concione media clamatum est: *Cheruba*, doctrinam Christianam fac ut tradas: cessa de reliquo. Cum ille scriptum nihilominus interpretari pergeret, capto per vim literæ abripiuntur, in publicum rogum conjiciendæ. Quo audito Fernandez visitator Candelariam declinavit: unde ad Prætorem scripsit, vi tantum & armis posse difficultatem superari, & ad pacti Fœderis executionem iterni viam.

Hæc sunt omnino quæ sub primum Finitorum adventum, & ejus anni decursu ante bellum gesta sunt: nec aliud scio ab Hispanis, aut Lusitanis de illorum comitatu narratum esse. In his vero quid est cur *indubitabel* dicatur Patrum rebellio? Potuerit quidem nonnihil suspicionis enasci, desiderato literarum ad Herreram responso. At hostium exploratores non ii sunt, quibus literæ tuto credantur. Potuit de fide Patrum dubitari, cum ab Indis illi, quorum mandato cœptis obstarent, appellati sunt. At cum eodem complicaverit testimonio, & Prætorem, & Præfectum Missionum, & Curatorem; id credere de cunctis, irrationabile: de uno tantum iniquæ malignitatis est. Ecquid vero sit, si de pluribus eodem testimonio insimulatis, alter indubitatæ fidei, alter indubitatæ perfidiæ judicium subeat? Quid res haberet haud ægre confici potuit, si tantum Fabra, quod Indi significaverant, vel Hispanorum aliqui, progrederentur ad oppidum, vel ad non nimium distantem oppidi villam, ut ex reditu vel successu id quod erat emicaret. Lumen extingui, aut oculos averti satius fuit ad affirmandam, quæ publico propinanda erat, Patrum rebellionem.

Ex

(a) Rel. abbr. da Rep. &c. pag. 10.

Digitized by Google

Ex documentis hujus temporis, quod exercitus in ea loca adventum præceſſit, ad Regiam expeditis, ad ſummam commotus ſeveritatem Princeps mitiſſimus fulmina contorſit, quorum meminit Valdelirios (*a*) literis datis 9. Februarii 1756. dum Provinciali delictum infidelitatis exprobrari juſſit, denuntiarique, niſi oppida extemplo tradiderit, quin vel gutta cruoris defluat, contra eum & reliquos ſocios procedendum ex lege & jure, læſæque majeſtatis reorum habendos loco. Abſit ut de ſeveritate mandatorum conqueramur. Si enim rebellionem Patrum indubitatam eſſe ſupponas, non ſeveritatis exceſſus eſt, ſed immeritæ clementiæ, quod pœnæ minis commutatæ ſint. At nullus eſt infidelitatis imputatæ reatus. Sint Paraguajenſes Socii imprudentiæ rei, quod imminentia novæ Chriſtianitati ex obito Fœdere damna exaggeraverint; ſed aliud eſt imprudentem eſſe, quam perfidum. Erraverint exhibita de Indorum calamitate miſericordia; & quod incertis de revocato Fœdere rumoribus temere fidem præſtiterint non diu duraturam.

Rumores hos non ipſi excogitarunt; ſed publicatos acceperunt, poſtquam Ulyſſipone orti Europam, ubi etiam crediti ſunt, pervaſerant. In Lucanenſibus Novis, ut in aliis die Lunæ 24. Maii 1751. de Luſitania totidem vulgati ſunt verbis: *Eſſendo ſtato annullato il Tratatto conchiuſo già colla Corte di Spagna dal noſtro diffunto Monarca, gli Ufficiali che erano ſtati chiamati a queſto ſervizio per regolare i confini de' reſpettivi Stati in America, ſaranno per quel che ſi dice, impiegati a diſegnare ſituazioni, e far delle ſcoperte in que' paeſi*. Levitate peccaverint, qui crediderint aliquandiu hæc, & ſimilia; aliud eſt tamen læſæ majeſtatis aliud levitatis eſſe reum; cum neque imprudentia illa, neque levitate hac a promovenda Indorum emigratione ceſſatum unquam ſit.

Quis de reatu dubitaverit, quem non qualiſcunque, ſed ipſe Altamiranus affirmaverit, ſin minus in literis ei Miſſionibus ſcriptis, poſterioribus ſaltem? Id remotis arbitris objectum fuit aliquando. Affirmaſſe tamen incredibile eſt; nam primo ipſe Altamiranus Collegii Bonaurenſis Rectori Alfonſo Fernandez literas oſtendit, quas ſcripſerat ad Hiſpanæ Rei Adminiſtrum D. Carvaxal, earundemque exemplar miſit ad Provinciæ moderatorem Barredam, qui ad ſolatium in rebus jam aſperatis publice legendum tradidit. Proteſtabatur ibi, nihil a Sociis prætermiſſum, ut Regis mandata fierent; ſed rei exitum incepto male reſpondiſſe. Deinde, venit in provinciam Commiſſarius vice Præpoſiti Generalis, ut quam poſſet efficaciſſimam conferret operam exequendo Fœderi. Venit cum poteſtate nihil non pœnarum adverſus inobedientes irrogandi, eos etiam ex ordine pellendi. Nemo unquam pœnas dedit inobedientiæ cauſa. Quemdam miſit, vel mitti fecit in exilium ad Siberiam Tucumanicam, jure vel injuria, longe tamen alia ratione & commiſſo; inobedientia mandatorum, quæ de Fœdere exequendo fuerunt oppido multa, & ſupervacanea, punitus eſt nemo. Commiſſum igitur vel nullum fuit, vel non notum, ut ab Altamirano ſcribi, affirmarive potuerit. Quodſi novit delinquentem, nec pœna coercuit, ſontior fuit ipſe, & ſui muneris prævaricator. Non is erat Altamiranus, qui prudentiæ virtute ſeu vitio brachium contraheret. Oſtentabat Generalem, imo & Regem de Sociorum ſubmiſſione certus, quanvis eos ageret *en un burro por la calle*. In hortatione vel alloquio per occaſionem memorati exilii habito indecoram eam protulit comminationem: ſitque documento ſubmiſſionis omnium, quod nullus e tota concione vel cœtu in indignationem eruperit, nec in riſum. His de Altamirano conficitur, vel nihil unquam affirmaſſe de Sociorum reatu; vel compellendum ut ſe veracem probet.

§. IX. Iter Indorum ad amnem Fuſcum.

Diu antequam præſens de regendis finibus eſſet quæſtio, D. Joſephus Andonaegui Bonaurenſis Prætor Luſitanos e Braſilia in Hiſpanam ditionem irrepere cognovit, frequentium in prædia Miſſionum eo ſpectantia incurſionum indicio. Quatuor milites cum duce miſit, qui luſtratis cum Indorum manipulo finibus, nullo hoſtium occurſu, repedarunt, cuſtodiis a Prætore monitis, ut ſiquam illac inveniſſent Luſitanorum ſedem, exciderent. Cum frequentiores Indi per occaſionem poſteriorum motuum eodem concurrerent, inventum eſt vallum a Luſitanis poſitum in paſcuis Aloyſianis, ad cujus oppugnationem accinguntur exitu adverſo. Qui primi convenerant, alios vocarunt collatis ad oppugnandum binis falcunculis. Diſcurrebat eodem tempore per finitimas villas Thadæus Enis cum altari geſtatorio & ſacris oleis, cum ad auxiliandum ægrotis qui multi erant, & plures in ea diſtantia, frequentia concurſus, & turbatis rebus eſſe poterant; tum etiam ut communionem paſchalem, cujus labebatur tempus, ruſticis miniſtraret. Cum vallo ſecundum appropinquaſſent Indi, pax intus oblata fuit, ad curanda corpora invitatis. Obſidentium quinquaginta ingreſſi ſunt; in confidenti ſimplicitate vincti & examinati. Captorum aliqui evaſerunt, qui facta narrant. Hæc eſt famoſa arcis *a Flumine Pardo* obſidio, uni Xariſanæ comparanda ad Flumen Viride (*b*), ubi ut primum Gomezius Freire gladium dentibus tenens adnatare viſus eſt, barbarorum exercitus videri deſiit.

Capti confeſſi ſunt, *Patrem* ultra flumen conſtitiſſe. Et vel interpres vel libelli author ver-

(a) Relaz. abbr. &c. pag. 17. (b) Relatio ſingularis hujus inſomnii typis edita in Luſitania.

vertit *Patres*, vel ancipiti consilio, vel quod ignoraverit, guaranico idiomate eadem voce numerum singularem atque pluralem efferri, ita ut ad determinandum numerum vocem superaddi diversam necesse sit. Secum ad flumen usque venisse. Venerat autem, non quod oppugnantium Lusitanorum vallum esset ductor (*a*); sed quia Lusitani sedem intra villas locaverant, quarum ille curator erat, vel curatoris adjutor: & quibus sacramentorum ministerio opitulari debuit. Docere Patres, e Lusitanis vulnere vel ictu peremptis reviviscere multos; quibus propterea tutius abscinderetur gula; ideoque se beatorum Patrum doctrinam secutos, jugulum petere captorum. Id a valli præfecto, & a D. Gomezio Freire literis mandatum est 20. Aprilis, & 21. Junii 1754.: unde sublimioribus tabulis insertum fuit (*b*). Provide quidem fatuitates id genus publicæ propinantur fidei, ut appareat talium documentorum genius, sitque de falsitate suspicio, ubi major sit veri similitudo. Exoticam doctrinam, qua jugulum peti docetur, ne mortui reviviscant, non usque adeo novam Lusitanis esse oportet, si vera narrat Navigationum Historicus (*c*), Æthiopibus, qui oram Africæ colunt ab Auro dictam, centum aureorum summam dare soliti pro singulis capitibus abscissis, si capita Gallorum sint.

De quæstione habita illud est notandum, D. Gomezium ipsum literis ad Valdelirios scriptis 18. Junii ejusdem anni, triduo videlicet ante quam literas daret supra memoratas, aliud ab Indis declaratum esse testari, quod in datis ad Lisbonæ Curiam, vel ipsi attributis suppressum est. Ad Valdelirium ait, Indum ex captis non idiotam, sed qui Bonis Auris egerat, testatum esse, Patres fuisse aliquandiu bifariam divisos, aliis placuisse Indorum transmigrationem, aliis non item. Id quod privatim scriptum est, quanquam pari atque divulgata fundamento nititur, supprimere oportebat, & Curiæ celari, ubi constitutum erat, ut mundo persuaderetur, molam totam esse corruptam; ortamque labem ex principiis, quibus regimen Christianitatum earum constat, ad cunctos extendi Socios, quin ea de re inter eos sit varietas opinionum, nec alter ab altero dissentiat.

Eodem consilio captis, ut ajunt, in S. Laurentii Sociorum scriniis & schedis, quarum aliæ adversariorum etiam sententia probæ, aliæ pravæ judicatæ sunt (*d*), his æquivoce vulgatum est (*e*) *revolutionem* manifestari; illas autem cave ne vulgaveris. Ejusdem spiritus suggestione in Additionibus Relationis abbreviatæ italicæ interpretationis (*f*) P. Commissarium Ludovicum-Lope Altamirano Jesuitam fuisse negatur, quia cum nihil non summa contentione moverit, ut Indorum emigratio, Regisque mandata perficerentur, fatendum erat alioquin, non Sociis omnibus communem fuisse rebellionem, sed unum saltem eorum, & quidem eum penes quem Generalis Præpositi, & Ordinis totius erat potestas, & imperium, ad cohibendos motus egisse quantum potuit.

Indus, in literis Gomezii ad Valdelirium testis, erat *ladino*, non idiota, & Bonis Auris moratus erat. Idque rationum producitur ad persuadendum, testantem a Superiore decretam esse resistentiam, & ex eo cessasse varietatem opinionum non esse mentitum. Ad persuadendam Indi veracitatem præstat probatio simplicitatis, a qua quo magis desciverit, eo magis versipellis sit, & mendacior; etsi vel simplicissimos mendaces esse oportet, dum Indi sint, quorum attributum est mendacitas (*g*), vulgo notum, nisi cum de Jesuitis sit sermo.

Circa idem quo hic testis tempus, Bonas Auras tenuit Thomitanus quidam Indus, qui Doctrinæ suæ Christianis & œconomicis officiis defessus, Bonas Auras fugit: ubi, ut erat musicæ peritus, solemnitatum epularium nullius erat expers. Idiotam brevi exuit, ut encyclicam ad populares suos epistolam dederit, erroribus contextam, quos appellabat errorum exterminium. In ea Hispanorum *teco aguiié*, genialem vivendi rationem commendabat idiotis & barbaris; etsi de Hispanis multa virtutum exempla imitanda scribere & commendare potuit. Indum ajebat belluis commiscerí malum quidem est, & merito a Patribus improbatur. Dum tamen quod Indabus commisceamini reprehendunt, errant, & fallunt. Nam quæro, quid est quod, quove alio consilio Deus Indas creaverit? Id Indo provenit non idiotæ, ex quo Bonis Auris extiterit. Itaque in præstito testimonio, Indi esse *latini*, cui Bonus aer afflaverit, tacendum non fuit, nam fidem auget, maxime si transfugio defecerit.

Cum Gomez Lusitanorum dux flumen Fuscum, seu Pardum superasset, ut Hispanos conveniret, narrat ipse, in conspectum venisse frequentissimorum rebellium; valloque duplici munitos propter Jacuim (*h*), qua vado transitus non erat, protestatos esse, non la-

(a) Vide Docum. postrem.

(b) Rel. abbr. da Rep. pag. 13.

(c) Prevost, Hist. des Voyag. lib. 9. c. 1. pag. 6.

(d) Fr. M. L. Capell. Præfecti Montevideani in Diario M. S.

(e) Rel. Abbr. da Rep. pag. 25.

(f) Osserv. interess. e relativ. a gli Affari de G. trad. dal franc. Parte 2. Raccolt. Botagrif. tom. X. pag. 69. lit. a.

(g) *Mendaces supra modum.* Solorzan. tom. 1. De Indiar. Jure. lib. 1. cap. 7. num. 4.

(h) In Editione Lucanensi *Relationis de Republica.* pag. 16. dicitur: *Il giorno 7.* (di Settembr.) *essendo arrivato nel principale posto, che il detto Jacqui aveva e non lo dava*, &c. Hic erit ille, sine cujus licentia negarunt Indi progrediendi facultatem. Jacqui vero nomen est, non ducis, sed amnis. Adde quod pactis cum Gomez induciis subscriptum utique fuit ab eo, penes quem erat imperium. Subscriptum vero fuit, non a *Superiore*, sed ab Indis quinque.

Digitized by Google

laturos se quenquam progredi nisi Superioris licentia. Voce *Ore-rubicha*, qua pronum est, ut Indi usi sint, & suos dynastas intelligunt, & Conrectores, & duces, magistratusque; Patrem vero superiorem, seu Missionum præfectum, non ea voce appellant sine additamento. Vox nihilominus *Superior* in literis D. Gomezii servetur, ut sonat; nec enim temere adhibita sic est. Hac Indorum oppositione, sequitur D. Gomez, ad medium usque Novembrem, quo inducias necessitate pactus fuit, protractum est bellum acre, *se paso en guerra viva*. Exercitus Hispani machinarius, nominandus dum liceat, appellandus interea quo nomine semet appellat *D. Antonius Verax*, qui rebus hoc bello gestis interfuit in scripto cum aliis militaribus collato, quorum aliqui D. Gomezii castra sequebantur, ait: *Qui noverit, qua ratione Indi bella gerant, dictum de bello acri ridebit. Cis flumen distabant Indi quasi binis passuum millibus. Horsum erat in summo clivo cors palis circumsepta. E regione castra locaverant Lusitani, flumen transmitere non ausi. Utrique se invicem contemplabantur, donec nuntius venit ab Hispano, retro sibi cedendum esse pabuli inopia.*

§. X. Japejuanorum occursus.

Quo tempore Lusitani e Brasilia Missionum loca petebant, eodem iter intenderant Hispani duce Andonaeguio Prætore Bonis Auris per orientalem Uruguais oram. Cum exercitus Japejui pascuis appropinquaret, Prætor curatore nuntio prænonuit, ut necessariam bubulæ annonam sufficeret, mercibus comparandam quibus indigeret populus. Omnia præsto fore respondit ille; præiturumque se ad S. Josephi, nequid in exequendis mandatis esset moræ. Villicos interea monuit, ut armenta opportunis admoverent locis. Perditus quidam dynasta, cui pellice in gynecæum conjecta medendum fuerat, animos solicitavit popularium contra curatorem, quasi ad excidenda boum vivaria Hispanos vocasset. Quinque supra biscentum in seditionem commovit, quibus alii deinde centum circiter numero accesserunt. Domum Patrum obsederunt excubiis, ne ad Hispanos deficerent. Gynecæum aperuerunt & evacuarunt, & communia dissiparunt vi resignata promptuaria. Curatoris socium, qui delusis excubiis ad ministranda rure sacramenta profectus erat, assecuti sunt, nec juvenes duos viæ comites dictum in modum torquere cessarunt, donec Patrem ad Hispanos non deficere persuasum fuit.

Sociorum causam ex jure & æquo judicantes male habet, eorum nullus nec Finitoribus, nec copiis obviam exiverit, antequam oppida occuparentur. Obviam ventum non est, quod Indi obstiterint. Dum persuasum iis fuit, Missionarios non esse transmigrationis authores, eamque tantum urgere, ut reluctantium perniciem amoverent, dixerunt sæpe, Patres abire posse dum vellent. Cum tamen a Patribus pretio jam accepto tradi rumor invaluit, eosque cum Hispanis & Lusitanis in sui perniciem conspirare, ad elabendum viæ præclusæ sunt.

Adversus Hispanorum exercitum viribus & numero superiorem aciem ducunt Indi. tercenti duce dynasta cujus memini, qui & receptam pellicem portabat, quasi tutelare numen. Mos Guaraniorum est, dum peregre abeunt, belli aut alterius negotii causa, quo diu distinendi sunt, ut confessionis & communionis sacramentis expientur. Ea propter & seditiosi bellatores coram Patribus se sistunt, sed prava dispositione repulsi, fatale nihilominus suscipiunt iter. Indorum hoc & aliis casibus & devotio æquam de se opinionem animo insidere non sinit. Et sane genti ut est ingenio rudis & barbara, satis erit factum vana quadam religionis specie & simulacro, nisi minister assiduo naturam corrigat Dei verbo, & debitum inculcet fidem cordis mutatione vivificandi. Nemo Patrum comes ivit, sed optandum erat fortasse ut pastor errantem sequeretur ovem; ad mortem quippe certam profecti, melius dispositi ad pie moriendum esse poterant in extremo vitæ discrimine. Quid si Hispanorum copiæ Sociorum quenpiam in adversa vidisset acie? De visis pejora dici non possint, quam viso nullo dicta sunt. Quidquid vero dicatur, id factum esse oportuit, nisi pastores forte capellanorum exercitus præsentia sui desiderium suppleri judicaverint. Prælium commisit infelix & incomposita cohors: neque magno stetit, ut nonageni quini caderent ex uno Japuejuo, reliquis præter fuga dilapsos quinquaginta, interfectis vel captis. Horum alii deinceps evaserunt. Dynasta seditionis author arctiori custodia Bonas Auras ductus male factorum pœnitentia mortem ex morbo secutam ante vertit, qui liber minimam resipiendi spem fecerat.

Sociorum quidam Japejuum missus ad pacandam seditionem, reduces e prælio singulatim interrogare instituit rerum gestarum seriem. Illud inter omnes convenit, quæsivisse Hispanos, num a Patribus missi essent, atque inficiantes stomacho refutasse; respondentibus a dynasta duce solicitatos ut armenta & prædia tuerentur, exprobrasse mendacium. Interrogatum quendam moribus improbum, qui parochum proditorem appellaverat, affirmantemque ita esse plane, invitos se a Patre missos, hunc ut veracem plausibus exceptum, blanditiisque remuneratum. Iteratis deinde quæstionibus alios affirmasse, negasse alios. Hæc si vera reduces Indi locuti sunt, commissa non credo in quæstione judiciali, sed in vulgaribus feriatorum colloquiis. Id est, notandum, dynastam ducem, tanto licet furentem odio, nunquam non confessum esse, Patres non aliud quam hortatos ad obediendum; se vero decipi ratum consilium respuisse. Idque convenit ex æquo inter Hispanos & Indos.

Vulgus, fateor, non ita comparatum est animo, ut Jesuitæ Indos e prælio reduces hæc & hæc singillatim declarasse narranti fidem præbeat. Id vero quod modo pro Sociis privatim, coram judice deinde plures numero

pro-

Digitized by Google

proteſtati ſunt; refragante nullo, ut poſtea narrabo. Quod attinet vero ad præſens factum, vulgo etiam meditari licet, cur Luſitanus libelliſta qui & Hiſpanorum ſeorſum geſta narrat, Japejuanam pugnam plane celaverit.

§. XI. Hiſpani retrocedunt.

Quanquam Hiſpani orientalem Uruguais oram radentes poterant citius faciliuſque rebellantia oppida invadere, ſtatutum erat ut cum Luſitanis auxilio venientibus e Braſilia convenirent: conventione ſupervacanea, ſi oppida occupanda contemptibiles ſunt vici, *aldéas* ut a Luſitanis appellantur. Sed appellantur, ut refert, non uno eodemque modo. *Vici*, dum Coloniam a Sacramento iis commutari dicitur: *oppida* Reipublicæ formidandæ, quæ niſi excidatur, *ante annos decem* (teneat riſum qui potis eſt) *collatis totius Europæ viribus inexpugnabilis ſit* (*a*), cum de invadendis & occupandis eſt ſermo: ideoque in eandem convenire aciem copias oportuit. Ad prædium itaque S. Theclæ, unde retroceſſerant Finitores, iter intenderant Hiſpani. Sed tempeſtas campos aduſerat, inopiamque pabuli fecerat innumeris boum equorumque gregibus neceſſarii, quorum capita XXX. millia ſupputata ſunt.

Retroceſſiſſe ait Luſitanus (*b*), quod etiam illac populi rebellaverant, vireſque objecerant Hiſpanis ſuperiores: & quia Indi ipſi neceſſarii commeatus ſteriles fecerant agros, arte quæ eorum ſuperet inſcitiam. A vero longe abeſt, retroceſſiſſe copias, quod illac etiam populi rebellaſſent. Nec illac octoginta vel eo amplius leucis propinquior eſt populus niſi armentalis cum pauris paſtorum tuguriis; ſunt enim ea ſeptem tranſmigrationis oppida omnium finitima. A vero longe abeſt; Indorum vires Hiſpanas ſuperaſſe: & hæc mentitus viribus Hiſpanorum injurius eſt. A vero longe abeſt, Indos ſteriles feciſſe campos, etſi forte camporum parti faces admoverunt, quin eorum ſuperet inſcitiam id diſciplinæ genus. Unum quo tantum exercitus indigebat pabulum, de reliquo abunde ſuffectus, arefecerat cœli tempeſtas. Foretque diſciplina Xarifæ expugnatore digna tercentum leucarum iter ſuſcipi, ad commeatum habendum in termino nondum dedito. Proh ingenioſam manum, qua tot numero falſitates in phraſin modicam redactæ ſunt! Diſciplina militaris Indorum captu ſuperior, in rebus nunquam geſtis adhibita!

§. XII. Expeditio ſecunda anni 1756.

Haud aliter atque Hiſpana, Luſitana abiit acies infecta re, donec 16. Januarii 1756. non procul ab origine Nigri amnis conjunctæ ſunt, ut per nota S. Theclæ paſcua pagos ſimul peterent. Rari de via conſpecti ſunt Indi, qui forte copiarum adventum explorabant. Nihil tamen gravius auſi ſunt ante diem 10. Februarii, præter interfectos ſexdecim Hiſpanos milites, quos longe a caſtris vagantes & incautos offenderant. Porro, ſi quod ſomniatum eſt conſilio regerentur Indorum geſta, crematis per exploratores viarum paſcuis, copiarum aditus intercluſus erat, & bello finis impoſitus hoc anno, pariter atque reliquis deinceps, dum non alia ratio inſtitueretur promovendi cœpta. Neceſsaria ſibi paſcua comburere non erat opus, nam a finibus ſuis ad Braſiliam hinc, illinc ad Montevideum, multus eſt medius igni fomes: nec quæ tunc labebatur æſtas, non proderat. Inter curatorum de temporali adminiſtratione ſolicitudines una eſt, ut Indos de comburendis ruribus admoneant, quo pecori & armento novum ſit pabulum: nec id eos latere poterat, maxime poſt recentem primæ expeditionis memoriam penuria paſtus intercluſæ.

Ad hujus certe ſtratagematis uſum opus non erat ut Socii tantum de arte militari noſſent, quantum vulgo diffamatum eſt (*c*). Sed quia jam primo expedita documenta prævaluiſſe fama erat, tantique intererat authorum, ut Socii vi aut ſponte rebellionis eſſent participes, ne quod ante indubitatum, poſt belli experimenta falſum eveniret, ad videndum viſa mens arrecta, oculi aperti ſunt. Calonum lixarumque nemo non vidit Jeſuitarum indicia. Nulla Indorum manus apparuit ſine Jeſuita larvato. Siquis inter Indos olivario colore candidior fuit viſus, erat Societatis coadjutor. Fuitque qui D. Matthiæ Grimau primario exercitus chirurgo tantum non juraverit, germani fratris vultum a ſe conſpectum; qui quidem in remotiſſimis eo tempore Paranæ oppidis aberat, nec ſi propius abeſſet, vir eſt qui penicillum gladio poſthabeat. Nullum ſcriptum, ſcrinium, Indorumve marſupium, in quo ſeditionis authores non emergerent, nomine Superiorum, aut quovis alio, quod declinatu difficilius non ſit.

Decima Februarii ventum eſt in conſpectum clivi (*Caaibaté*), quem mille circiter & quingenti inſederant Indi, pars minor equitum, reliqui pedites: non quos diſciplina diſtingueret, ſed neceſſitate, equorumque penuria: nam Indi equites eſſe amant univerſi: quodſi equo careant, imbelles ferme ſunt. Cum appropinquaret acies, obviam facti Indorum nuntii petunt, nequod ſibi damnum inferatur. Non inferendum reſpondit Prætor, ſi ad oppida quiſque ſua recedat. Itatum eſt ſæpe, donec horæ ſpatium ad emigrandum decernitur: quo exacto bellicum canitur & explodunturtormenta. Horum bombum ut audierunt Indi, conſternati diffugiunt hac illac, aliquot in profunda prope fovea conſiſtentibus. Horum tribus aut quatuor ad tela mittenda ſuffecit animus, quo unus hoſtium interfectus, tres aut quatuor vulnerati ſunt. Indorum reliqui veluti cumulo acervati ferrum expectabant. Servorum viliſſimus quiſque

(a Lex extrem. Jeſ. Luſit. 3. Sept. 1759.
(b) Rel. abbr. &c. pag. 16.
(c) Rel. abbr. pag. 16.

Digitized by Google

que Indos se occidisse jactabat: neque magno id erat, ubi non alia fuit concertatio. Prope mille cæsos ajunt, alii bis, alii ter centum supra mille; cum exercitus partis adversæ militibus bis mille quingentis constaret, servis totidem. Capti sunt centum quinquaginta quatuor, præter ænea tormenta duo paulo densiora sclopo, & ligneum unum libralis animæ, nullius usus, haud aliter atque ænea: vexilla duo in ludis adhiberi solita, lanceas aliquot & sagitteas. Plerique ad latus balteum portabant, imagine alicujus Sancti insignitum. Valla quædam inventa sunt foveis ad latendum similia, quæ pro sepulcro fuerunt. Caiibatensis hæc est pugna, qua corruit Imperium prope Babylonicum. Strepitum addidit fama, qui sibilos & cachinnos præfocaret. Elementa, iterato per Lusitanos maxime *Vivat Rex*, longe lateque repercussa sunt, dum labor erat irritus Hispano Duci lacrymas dissimulare, seu infelicium calamitate motas, seu tali virtutis impendio.

Remoto Indorum obsistentium offendiculo, majus aliud a natura loci superari oportuit. Silva erat densis & proceris arboribus opaca, itaque dumis obstructa, ut arctissima tantum semita posset transmitti, quam flumen intersecat. Silvam excipit saltus rupibus impervius, & implexis arborum radicibus, utrinque præruptus & præceps. Has etiam angustias rebelles insedissent, si capite non suo, nedum arte militari regerentur. In toto vero trajectu ne unus quidem conspectus est. Citra silvam visi sunt aliqui, qui explosо tormento disparuerunt. Duplex quoque vallum hinc inde constructum erat, nullo tamen munitum præsidio. Interrogati ubi fabricam id genus qualem qualem erigere didicissent, responderunt Indi, in extrema Coloniæ obsidione anni 1537. aliquid horum vidisse, construendoque operam Prætoris Bonaurensis mandato contulisse. Paria facere solitum, in viarum præsertim angustiis, Brasenelium Societatis coadjutorem, cum eos olim duceret contra infideles. *Monte grandi* superato, propter rivum a Sancto Francisco duo fere Indorum millia turmatim confluebant, qui contra expeditis ferentariis in fugam conversi sunt. Churiebi rivus est altus non amplius semi-palmo, in cujus trajectu acriter cum Indorum clade decertatum esse fertur. In trajectu nullus Indorum apparuit, cladesque fuit unius tantum peditis, qui de silvescente prodibat ripa. Cum silvam prodeundo commoveret, auditus est, incertum unde, sclopi seu majoris machinæ bombus: quo plures ad jaculandum, augendamque hominis calamitatem, quem Indum & hostem esse putaverant, procincti sunt. Qui longius aberant, strepitu audito, ferox prælium commissum esse judicarunt; falso tamen.

Lusitanorum equitatus ex composito terga vertit, ægre reductus ab Osorio duce. Aitque D. Antonius Verax: Id contigerit, quod consternati sint equi. Munimenta, quæ Lusitanis ad Churiebim admirationi fuerunt, quibus excitandis impares Indos esse censuit D. Gomez, nisi a doctrinæ christianæ studio vacarent, rustica erant ramorum septa, terra plena, octo sexve ulnarum longitudine, nec densitate, nec altitudine secundum artem. Aggeri tormenta duo lignea imposita erant, quorum alterum vacuum erat & imbelle. Situs vero opportunissimus, nam transituris imminebat clam, struthio cameli anum figura referens: unde nomen loco & rivo. Sub accessum trium fistularum organum repertum est, sed enervium. Castris supra vicinum collem positis, visi sunt aliquot Indi in fugam conversi. Post eos mittuntur Correntini: hucque desiit acre certamen.

§. XIII. pagi occupantur.

Indi, dum hostem præ foribus vident, urgent Patres ut loco cedant, igni tradituri victoris prædam. Continuerunt se reliqui præter Michaelitas, qui armati domum evacuare compellunt. Dum faces parant Sacramentum abstulit Parochus, contenditque ad Piratinim cum residuis. Quanquam cœlum erat pluvium, ædificia quædam extra oppidum, nonnullas Indorum domos, & curialem Patrum absunsit ignis. Sed Maii 16. ingressus miles dum flamma sacrarium occupaverat, adhibita fabrorum manu templum servavit. Tabernaculum quidem Sacramenti comminutum ab Indis fuit. Vero tamen abest, quod literis mandavit D. Gomez, sacras imagines fuisse profanatas. Nec de templo quidquam esse corruptum præter Tabernaculum, testis est qui præsens aderat. Incertum est etiam tabernaculum in frusta concisum religionis odio, nam licet tanta esse potuerit desperatorum rabies, pronum est ut eo tantum spectaverint, ne in sacrilegas manus incideret: ex opinione videlicet quæ genti de Lusitanis insedit; falsa quidem si de cunctis indiscriminatim concepta sit; non tamen vana si de Mamelucis, qui sæpe Missionum loca cruore, ecclesias scandalo turbarunt. Forte judicarunt religioni conformius, ferro quam igne tabernaculum destrui. Verum inhumanitas, qua D. Gomez obstupuit (a), ubi fuerit non capio; nam præter rebellionem, qua putaverant hostilem esse exercitum, adde si lubet, præter sacrilegium; quod rebus ab hoste prædandis faces admoveantur, dum per fugam solus in tuto collocatur, non usque adeo hominibus insuetum est, ut inhumanitas appellanda sit.

Ejusdem qua S. Michaelis fanum ingressus est miles diei nocte octigenti equites, quorum sexcenti erant Hispani, Lusitani cæteri, duce Prætore Montevideano, ad occupandam Laurentiopolim, quatuor distantem leucas, expediti sunt, mane ingressi obsistente nemine: neque ullibi alias præterquam in S. Nicolai quisquam obstitit. Trium Sociorum, qui Laurentiopoli commorabantur, alter pro laico habitus ibi relictus est; parochus & Thadæus Laurentiopolis occupatur.

Enis

(a) Rel. abbr. pag. 22.

Enis adjutor in caſtra miſſi ad Andonaeguium, qui parochum in parochiam remiſit. Thadæum Luſitanorum dux apud ſe tenuit dies octo. Erat in templo altare mediam partem inauratum, appoſitaque fabrilis machina. Atque Bonas-Auras ad Valdelirium nuntio delatum eſt, opus a fabro laico ſpe victoriæ ſuſceptum fuiſſe, ſed poſt cladem Caibatenſem deſperatum abjeciſſe pennicillum. Ad fucandam fabulam fortaſſe fictum fuit, tertium ſacerdotem de Laurentianis eſſe laicum. Sed conſtat, nullum ibi tunc fuiſſe Socium non ſacerdotem, aurificem nullum præter Indos; Socium, qui unus Miſſionibus erat, inaurandi peritum & pictorem, longe dum pugnatum eſt ad Paranam abfuiſſe, quid agerent Laurentiani penitus ignarum. Suſpenſum opus, vel auri ex Hiſpania vel e Peruvio deferendi inopia, vel quia opifices ad arma vocati aurum poſthabuerunt ferro. Fabrilem apparatum dejectum non fuiſſe, vel eadem cauſa, vel ad diſſimulandum vitium duplex, imperfecti videlicet operis deformitatem, & incœpto deſiſtendi conſilium.

Scripta Laurentiana.

Excuſſis trium Sociorum ſcriniis, ait in Diario ſuo Ductoris ſacellanus, chartas eſſe repertas bonas & malas. Illæ haud ægre reſtitutæ ſunt, ne quid eſſet quo Sociorum acta probarentur. Hæ ſervatæ, loco & tempore interpretandæ & producendæ. In his eſt mappa quædam geographica, quam unam authori objectam eſſe novimus (*a*). Eam Thadæus anno 1753. tribus antequam D. Gomezium cognoſceret annis delineavit. In ea duplex diſtinguitur amnis eodem *Ibicui* nomine. Alter defluit a Montegrandi, alter a S. Thecla, conjungendus primo ante Uruguais confluvium. Diviſionem eandem, atque denominationem expreſſerat antiquior mappa in curiali domo S. Michaelis palam expoſita, primum a tumultuantibus Indis revulſa, deinde delata ad Bonaurenſem Prætorem D. Petrum Cevallos, penes quem aliquandiu fuit. Duplex itaque Ibicuis Thadæanum minime fuit inventum, ſed quod tribus diverſis chartis expreſſum viderat, confirmatum Indorum teſtimonio, ſuiſque obſervationibus exſcripſit. Dicitur etiam *Ibicui* flumen a Montegrandi derivatum in graphide, quam Thadæus videre non potuit, archivii Collegii Cordubenſis in Tucumania, ubi appellatur *Iaguari* quod a Sancta Thecla defluit: quod nomen, ſicut & *Ibicui* ex appelativo proprium aliis quoque fluminibus inditum fuit: unde orta eſt varietas & confuſio.

In mappa de Paraguaria D. Anville Regii Geographi typis Vienenſibus edita anno 1733. eadem extat fluviorum diſtinctio, cum modica in ſitu & nomine diſcrepantia, dum a Montegrandi propius boream qui decurrit *Ibicuacui*, qui vero a S. Thecla propius auſtrum *Ibicuimini* denominatur. Porro Thadæus apud Luſitanum detentus mappam exhibere non potuit, quæ nondum erat reddita; ſed de illius argumento cum Gomezio ſermonem habuit, tunc palam confeſſo, perſuaſum ſibi eſſe, ſignatum Fœdere Ibicuim, ut illac regerentur fines, eum eſſe qui a Montegrandi derivatur. Thadæo apud ſe recepto ſua chorographis autographa reſtituta eſt, poſtquam Montevideanus Prætor exemplar ſibi exſcribi curaverat; illam vero miſit author D. Michaeli Angelo Blaſco Luſitano, ut officium rependeret, quo hic eorum fecerat copiam quæ ipſe notaverat.

Quod Thadæus Luſitano graphidem crediderit, enorme commiſſum fuit Valdelirio judice, eo maxime quia a Viana Montevidei Præfecto interdictum erat. Id Thadæus ſancte jurat eſſe falſum. Sed ea criminatio non tantum Jeſuitæ, ſed Vianæ ſuo, imo & ipſi Marchioni injuria eſt. Si enim ex notitia per Thadæum habita & exhibita fines regantur per Ibicuim a Montegrandi defluentem, Regis Catholici ditioni accreſcit regio inter utrunque fluvium cognominem jacens; ea vero ſuppreſſa, vel diſſimulata, poſthabitave notitia, latiſſimus ille tractus manet Luſitano. Quid? Regis Catholici miniſter & legatus eam velit notitiam ſupprimi, poſthaberi, diſſimulari? Interdictamque fuiſſe ratum habeat? Et vitio vertat, quod manifeſtata ſit?

Non modo ſpectatis, quod ſpectare debuit, Regiæ Coronæ commodis, ſed cum Luſitano pactis, optandum erat ut mappa exhiberetur. Pactus erat cum D. Gomezio ex regiis mandatis, ut per fluentum illud linea duceretur, quod rectius, cum principis fluvii corpore laberetur, vel quod majorem traheret aquarum molem: ut conſtat ex ejuſdem Valdelirii literis ad D. Gomezium datis in S. Nicolai 9. Aprilis 1758. Ad hæc comperienda præſtat Thadæi documentum, quo non aliud eo uſque accuratius digeſtum erat, quiſquis ſit judex. Quid eſt ergo quod Marchio velit lumen ad pactorum executionem præſtans extingui? Sed eſt lepidum quod literis aliis 2. Sept. 1759. ait, memorem ſe conditionis primæ, immemorem fuiſſe ſecundæ; quod totum quinquennium occupaſſet Indos reducendi cogitatio. Paucorum menſium, quos bellum obtinuit, majorem partem otiati ſunt miles & belli duces, ut ipſi fatentur: & Valdelirio in Bonaurenſi ſanitatis ſtatione tempus & locus defuit memorandæ conditionis; & cui vacavit alterius meminiſſe, alteram in memoriam revocare non licuit. Notum in ea civitate vulgo fuit, multo pluribus conditionibus recogitandis otii ſatis ſuperque fuiſſe.

Rebus ſuis magis intentus Luſitanus, cum mentem advertit, acceptæ notitiæ fidem abrogare contendit. Oblituſque aut diſſimulans quod alias dixerat Thadæo, hunc ſcripſit literis ad Valdelirium datis 19. Aprilis 1758., *amnem daſ-Pedras* (ideſt a Lapidibus) novo

Ibi-

(b) Poſt Thadæi fatum prodiit ejus Ephemeris *De Bello Guaranico*; ſed uno ſaltem loco plane adulterata: de quo alias.

Digitized by Google

Ibicui nomine baptizaſſe, chriſmandum a P. Michaele de Soto ; eo videlicet utriuſque concilio, ut oppidi Michaelitani reliquias intra bifurcum amnem collocatas conſervarent. Michael de Soto verbali D. Joannis de Echavarria mandato utrunque Ibicuim a Thadæo diſtinctum, denominatumque, circa confluvium jacta bolide exploraverat, inveneratque, montanum Ibicuim tres altitudinis, quinque & octoginta latitudinis ulnas æquare; campeſtrem vero latitudinis octoginta tres, altitudinis duas (*a*). Propterea ait D. Gomezius, chriſmatum a Soto flumen, quod Thadæus baptizavetat. Sed nec aquam flumini is ejuſve geographium injecit, neque primus nomen indidit, jam ab indigenis inditum ſuperiori memoria. Nec aliud quam ſtilo declaraverat quod prioribus editum erat documentis. Factum confirmavit partim Sotus, partim infirmavit quod affirmaverat Thadæus, qui ſpecie deceptus, neque bolide uſus montanum Ibicuim appellavit *mini*, hoc eſt minorem, cum campeſtri eſſe majorem deinceps ſit exploratum.

Laudata D. Anvillæ mappa vero primum a Soto, deinde a D. Franciſco Piera (*b*) inveſtigato conformior eſt Thadæana. Vocat enim ille campeſtrem Ibicuim, ſeu auſtralem qui a S. Thecla decurrit *Ibicuimini* ſeu parvum; montanum autem ſeu borealem, a Montegrandi decurrentem vocat *Ibicuacui*, ſeu Ibicui guacu, ideſt Ibicui magnum. Vocem *Ibicuacui*, qua utitur Anville corruptam eſſe credo ex *Ibicui guacu* (quod in voce barbara & ignotæ linguæ factu pronum eſt); quia cum Ibicuim campeſtrem appellaverit *mini*, correlativum Ibicui guacu in eadem mappa exprimendum fuit: in qua tota vox nulla affinior eſt quam *Ibicuacui*.

Geographus Luſitanus D. Michael Angelus Blaſco in Dictamine, quod D. Gomezius de eodem argumento petiverat, fatetur, nomen *Ibicui* datum amni montano eſſe conforme aliquot Indorum teſtimonio, quorum ſatis nota eſt, ait, in loquendo inconſtantia. Dum de fluviis indigenis & nominibus incidit ſermo, cui potius quam Indis adhibenda fides. Quodſi hæc affirmantibus credendum non eſt, propter inconſtantiam loquentium; nonne de Patribus ſiquid adverſum affirment, injuria credideris?

Nicolaitarum dedi-tio.

Cum Nicolaitæ Hiſpanos intra finitimos pagos viderent, & obvias quaſque familias in deſtinatam expediri ſedem, per ſilvas & agros diſperſi ſunt. Ex his familias fere quadrigentas ex mille quadraginta & una, quibus totus conſtabat grex, coegit P. Joſephus Cardiel: reliquis ut plurimum in paſcua ſua quinquaginta leucas diſtantia intra novos Hiſpaniæ fines elapſis. Quos collegerat, hortatur Cardiel ad emigrandum ultro. Eorum calamitatem dolens militares iras, ni obtemperent, minatur. Denuo commoti denuntiatione ſunt; mitius tamen quam alias. Quid ajunt peccavimus contra *Carais* (ſic albi colores vocant), ut immiti adeo ratione nos habeant? Nunc primum Patres adverſarios experimur. Is fuit hortationis exitus, ut aliqui prius pacati rurſus tumultuarentur. Rem totam ſcripto retulit Cardiel ad Andonaeguium, de conſilio interpellatum, monitumque, Indos trifariam eſſe diviſos; alios ad cedendum paratos, equibus erat Corrector, qui ut tumultuantium vitaret inſidias, noctu fugit in oppidum Apoſtolorum, ut antea Conceptionem fugerat; alios eſſe indifferentes; alios prorſus nolle, mortemque adverſantibus interminari. Andonaeguius, qui contra miſeros hos invitus movebat arma, minas iterare juſſit, furca ſuſpendendos univerſos, ſi contumaces eſſe pergerent. Irritum iteratæ comminationis eventum cum Cardiel nuntiaret, Prætorem rogavit, ut literas guaranice ſcribi faceret, quas Indi legerent, ſi forte crederent a ſe minas confingi. Annuit Prætor, ſed ſcriptas nec Curio, nec Indorum ullus intelligere potuit. Ex eo quod ille de argumento noverat, minas integravit, non magis efficaces. Literas vero ad Prætorem remiſit cum precibus, ne interpretes eos adhiberet.

Interea transferebatur e Martyrum pago in Hiſpanorum caſtra ſubſidiarius tercentum equorum grex: cui facta obviam palantium Indorum turma agaſones fugavit, equos abſtulit. Latronum aliqui erant e pago S. Nicolai, contra quem Prætor tercentum equites, duce D. Nicolao Patron apud Correntinos locum Prætoris tenente, miſit. De via longe viſi ſunt Indorum aliqui, quos ut conveniret linguæ peritia fretus D. Ludovicus Lezcano centurio cum gregario milite uno deviavit. Illum errones adorti ſagittis occiderunt, gregarium ſauciarunt. Rurſus obviam facti equos de more inutili concurſatione fatigabant, donec exploſo tormento diſparuerunt.

In pago jumentum Cardieli paratum abſtulerunt ſeditioſi; qui dum cohorti pedes occurrit, Indos quos armatos invenit propter viam, recedere jubet, ne aditum prohibere viſi jaculis confoderentur. Cohortem centurionis nece acerbatam offendit, ſupercilii particeps. Sub ingreſſum qui porticus inſederant Indi, ſagittas jacere. Ducem orat Miſſionarius ut militem contineat, dum ipſe præit, & clamat. Sed non ceſſantes oppugnantur. Impetum fecit acies prima, interfecitque Indorum quatuor, dum cohors reliqua circunventum ingreditur pagum ad medium uſque forum. Pauci ad extrema viarum armati conſpecti ſunt, qui depoſitis armis vapularunt, & articulis totidem quod verberibus vigenis quinis pax percuſſa eſt. Dux, dum humana & miti ratione ſe geſſit, palam fecit, poſſe Regi obſequia præ-

(a) Liter. P. Soto ad D. Joannem de Echavarria.

(b) Liter. D. Joannis de Echavarria ad P. Soto.

Digitized by Google

præstari sine arrogantia, sacerdotumque probro.

Si dum Curio in armatos verbera decrevit, iique una reverentia constricti decreto succubuerunt, atque erecti ad habendas gratias, & ad manus osculum accedunt: si dux dum se coram & militum cohorte gerebantur hæc, Patrem mentitum fuisse obfirmaret, dum Indos obedire nolle scripsit; næ ille vehementer aberraret; aliud est enim obedire aut resistere curatori dum solus est, atque obedire aut resistere, cum præsente tercentum armatorum victorumque ope sustinetur curatoris imperium. Id attinet ad ineptum D. Gomezii ratiocinium (a) incredibile arbitrati, Indos quorum vidit quempiam Angelopoli modeste virgæ subjacentem coram se & suis centurionibus, contra mandata curionum rebellasse. Temporis & loci discrimen animadverti sat erat, ne pari discursu mens offenderet. Abjectissimi ingenii Indus, victorum Lusitanorum turba circumdatus, ampullas quas ipse non capit obloquentium, virgas patitur a Curione decretas. Quis ergo contumacem fuisse crediderit, dum Curio solus erat inter barbaros, olim anthropophagos, deinde acerbatos, & tumultuantes?

Eadem figura constat aliud Valdelirii ratiocinium. Male sibi convenire ratus est, quod Patres novæ hujus christianitatis, primitivam ecclesiam æmulantis fidem & charitatem prædicaverint, atque periculum ne abjecta fide & pietate a Deo & a Rege ad infidelium partes deficiant. Quasi defuissent in ecclesia primitiva luctuosæ prævaricationis exempla. Qui Guaraniorum fidem & charitatem prædicarunt cum Sociis Episcopi, Reges, & Summi Pontifices, & quotquot odio liberi populorum, qui præsentium turbarum expertes sint, mores contemplantur, Indos supponunt esse neophytos, in pluribusque neophytos esse pergere, etiam post multas a vocatione christiana transactas annorum decades. Neophytus idem sonat atque novum germen. Neque sibi male constat, quod novum germen in solo natali vigeat, floreatque; translatum vero marcescat, & aereat.

Adventus Excell. Cevallos.

Copiis in septempopulania divisis, Prætor Hispanus in S. Joannis constitit, Lusitanus in S. Angeli. Successorem habuit Hispanus ineunte anno 1757. D. Petrum Cevallos, quocum ad Missiones se contulit Marchio de Valdelirios. Ut primo de permutandis Colonia & oppidis consultatum est, nova cœpit emicare belli facies, Sociis non imputandi. Lusitanus ad Jacuim retrocessit, inde ad Januarium. Andonaegujus Bonas Auras, inde ad Hispaniam. Valdelirius in S. Nicolai consedit. Novus Prætor in S. Borgiæ pago; qui de septem proximus Uruguais Saltui, ad commodius cum reliquis præfecturæ locis commercium præstabat. Inde confecit, ut anni spatio XIV. Indorum millia, qui per silvas & novos Lusitaniæ fines errabant, cogerentur & trasmigrarent: id quod missis quoquoversum cum singulis militum manipulis singulis Sociis perfectum fuit, his ad depellendum armorum metum, illis ad compellendum reniteates in sui deditionem.

Quatuordecim hæc millia armatorum haud erant, ut fama prodidit (b), nec a Sociis immissa ut eadem mentitur; sed erant quasi tria dispersarum, imbelliumque familiarum millia, quæ cum pueris & fœminis illius numeri summam æquabant. Neque verius habet, ad debellandos bellum ab utroque Rege productum esse, cum ab uno Hispano productum sit: & ex una belli ratione & modo conseceris, martem Lusitanum non interfuisse. Cum milites ternis aut quaternis non plures in quampiam familiam inciderant, ut solum mutaret hortabatur Socius. Metu, amoreve gradiebatur illa, prolemque quam mater ægre portaret, equo vel ulnis suscipiebat miles, haud aliter ac missionarius, partemque commeatus famelicis largiebantur. Cum tabachi fumum hauserat miles, tubum porrigebat Indo patri familias, quo metus in gratiam & amorem desinebat. Sic bellum novi Prætoris consilio obitum, ab uno milite Hispano productum, confectumque fuit. Sic Indorum XIV. millia devicta sunt, qui totidem leonum rugitus immensi speciem referunt apud Libellistam consternato similem. Sic porro victi sunt, qui alia belli ratione invincibiles erant, non virium excessu, sed quia per abdita silvarum latebant cuniculorum instar, quos ut conquiras inutilis est belli apparatus. Consilio & arte profeceris, non vi, qua interfici singuli possint, dum appareant; non ad emigrandum compelli.

§. XIV. Documenta de Sociorum rebellione.

Pagis a milite occupatis, ait Rei publicæ Relator (c), Patrum consilia de populis commovendis esse revelata documentis tribus. Capta sunt scripta plura tribus; quandoquidem vero hac famosa lucubratione tria tantummodo producuntur, palam fit ea esse, quibus non alia magis clara sint, & peremptoria. At eadem quantumvis lecta relegeris, neque evidentiam rei pariunt, neque minimam veri speciem. Titulo de Libellistæ penu præfixo tota nititur argumenti probatio. *Pro cierto Señor Fidalgo* (ajunt bellatores Hispani, apud D. Antonium Veracem) *que si V. conociesse el fondo de los Indios, y huviera examinado esas cartas con la critica que debe, no huviera gastado el tiempo y la imprenta inutilmente. Quan diferentemente avemos juzgado los Españoles de esas cartas y otras muchas, que se les han cogido à los Indios, que solo con el desprecio se ha juzgado quedar suficientemente atendidos. Qui en hace caso de semexantes puerilidades, y boberias, sino un mentecato como los que las han escrito. V. no parece,*

(a) Rel. abbr. pag. 25.
(b) Rel. abbr. pag. 29.
(c) Pag. 26.

Digitized by Google

rece, que tiró ſino à avultar ſu relacion. Si yo huviera tenido la deſgracia de conocerle, le huviera ſubminiſtrado tantos inſtrumentos como eſe, que huviera eſcrito mas que el Toſtado, para hacerſe mas irriſible.

Revera dicta documenta tria & horum quodlibet ſermones ſunt, ſimplicitatibus contexti, contradictionibus & nugis. In primo quo ad pugnandum ſe accingunt, hortantur ſe mutuo & accedunt, ea ratione & ſtylo, quo ſecundum Eccleſiæ porticum ſermocinari conſueverunt. Nunc contra Luſitanos ardent. Nunc credunt Regis eſſe mandatum. Mox ajunt, id credi non poſſe. Cum Caſtellanis etiam commercium modo prohibent & abominantur; modo uſum horum & conſuetudinem ſibi permittunt, & ratam habent. Ad fœdera pacis aures occludunt; & ex tempore concedunt, omnia concilianda, ſi curator intercedat.

In ſecundo documento, cui ſubſcribit Indus notus nomine Valentinus Ibariguá, non Barrigua, ut ibi ſcribitur, bellatoribus denuntiatur; *Nueſtro P. Cura dice, ſi os faltare alguna coſa que eſcribais inmediatamente al P. Cura.* Ubi liquet vel ſcribentem aberraſſe, vel interpretem Curatorem nominaſſe alterius perſonæ loco. Scribit, a Patribus ſacra peragi, Indoſque Deo commendare, *paraque les de acierto.* Huic voci guaranice reſpondet ea, qua pari modo ſignificatur mens, judiciumque. Nec aliud erat quod mente motis & aberrantibus Patres precari oporteret. Addit, Patres mittere *ſaudades*, ſalutem dicere Indis. Verbum in documento guaranicum eſſe oportet *Oñemo ma endua*: quod & meminiſſe ſonat, quamvis ſalus nec dicatur ulli, nec mittatur. Scriba, vel pro eo interpres, vel pro utroque libelliſta ſupponit epiſtolam datam Xaveriopoli, ab hujus oppidi curatore. At nullum illac hujus vocationis eſt oppidum; ſed eſt prædium oppidi S. Michaelis, cujus non alius curator eſt quam Michaelitanus. Ait, ſingulis diebus miſſam celebrari in dicto S. Xaverii prædio ante Lauretanam Iconem. Lauretana Icon non in prædio ſed in oppido S. Michaelis colitur in ſuburbano ſacello. Mirabile documentum, dignumque quod montes parturiant!

Tertium omnium ſtolidiſſimum epiſtola eſt a nonnullis Indorum primatibus ſcripta ad Prætorem Bonaurenſem, cujus initium eſt: *Señor Governador. Eſte eſcrito embio à vueſtras manos, paraque nos digais por ultimo lo que hade ſer de noſotros, y ſolamente paraque os acordeis bien de lo que haveis de hacer.* Seditioſis denuntiaverant Patres, venturum ni quieſcerent & obedirent exercitum, qui igne & ſanguine deleret omnia. Quo forte ſpectant ſequentia: *Vos tambien nos embiaſtes una carta mui riguroſa, paraque deſtruieſemos con fuego todos los pueblos, y la Igleſia que es tan linda, y que nos haviades de matar. Si el Rei aſi lo mandáre, todos moriremos en amor de Dios delante del SS. Sacramento. El P. Roque Gonzalez* (ab horum majoribus occiſus) *ſe humillo. Noſotros ſiempre hemos obedecido al Rei ... Preparóſe una lanchita mui brillante. El maſtil grande era de plata. Quando llego à la margen del rio, puſo en la punta un papel, y al echarlo en tierra firme, tiraron un tiro de eſcopeta, y ſe volvio para noſotros corriendo. Eſto es lo cierto ... Fue una embarcacion llevando al Rei quatro mil peſos que le dieron de limoſna. Aſi lo dice en una carta el P. Pedro Arnal.* Quorum & ſimilium ſumma ad evidentiam fit, Societatis Patres fuiſſe paraguaicæ ſeditionis authores.

Hanc epiſtolam ad Prætorem eſſe miſſam, fidem ſuperat Libelliſtæ (*a*). Sed qui libello materiam ſuppeditavit, vidit aut videre potuit 17. Aprilis anni 1756. datas Prætori eſſe literas (*b*) ipſi, & fœderatis contumelioſas. Forte hæc eadem epiſtola fuit: & qualiſcunque fuerit, hanc dari potuiſſe probat. Subſcribentium unus eſt Chepé, ſeu Joſephus Tiaraiu, dux Michaelitarum in cujus interfecti ſinu literæ duplices repertæ ſunt, hæ fortaſſis ad Prætorem deſtinatæ. Sed quamvis ſcriptæ illæ ſint, non ut mitterentur ad Prætorem, ſed ut inter Indos vulgarentur; quid hoc ad probandum a Patribus eſſe vulgatas?

Principio ad Valdelirium, ad Proregem, ad Curiam, de incomodis exequendi Fœderis, & de præconceptis difficultatibus a Sociis ex debito relatum eſt. Indorum repugnantia viva voce Valdelirio denuntiata, qui fidem abnegavit. Tunc Patres Indis, ut ſcriberent ipſi authores fuerunt, & cauſam orarent ſuam. Has & alias dederunt, literas, multa ſcripſerunt, quorum ibi fit mentio: nec tantum abnegatur fides, ſed inveriſimile, ſed incredibile ducitur ab Indis eſſe ſcriptas: & veroſimilius alibi (*c*), alibique & prius quidem quam veriſimile, certum (*d*) judicatur, a Patribus confictas literas, & Indis ſcripta id genus eſſe ſuppoſita.

Si vulgari trium documentorum interpretationi guaranicus textus adjungeretur; etiam eſſet uberior infidelitatum errorumque notata ſeges. Ubi nulla ſit de interpretationis fide ratio dubitandi, ſupervacaneum illud ſit: in præſentia vero neceſſarium. Certe cum eos qui documenta libelliſtæ miniſtrarunt, non lateat quid in eam rem inter Gomezium & Andonaegujum interceſſerit, myſterio non caret, quod vulgaris interpretatio ſine originali textu edita ſit. Miſit D. Gomezius ad Andonaeguium interceptum ſcriptum guaranicum ſimul cum ſuorum interpretum verſione. Seu curioſus, ſeu ſuſpicax verſionis examen commiſit ille centurioni *Villanueva*, linguæ peritia & probitatis laude noto, qui verſionem reperit plane textui repugnantem. Illa de Je-

ſu-

(a) Rel. abbr. pag. 72.
(b) Fr. M. L. in Diario.
(c) Rel. abb. pag. 72.
(d) Ibid. pag. 26.

Digitized by Google

ſuitis erat, ac de Jeſuitarum perfidia; hic de Jeſuitis Jeſuitarumque fidelitate: in eandemque ſententiam facile convenerunt quos Villanueva judices compellavit. Hos cunctos ad Gomezium ablegavit Andonaegujus; quibus aures præbuit ille, fidem præbere noluit, ſuorum peritiam cauſatus. Militaris annonæ præfectus rem geſtam, cui interfuit, teſtatus eſt. Antea caſus innotuerat aliunde, & ne publica fide ſanciretur, obſtitit Officialis quidam, cujus opera utendum erat, offenſam veritus D. Gomezii, & alterius a quo pendet. Talia ſunt documenta, ut procul tempore & loco producantur, in regeſta Miniſtrorum translata.

Neque unus tantum caſus occurrit id genus. Alterius fuit ſimul teſtis & judex Excell. Cevallos, dum per Japeivi fines Miſſiones peteret, quem fide publica munitum in Curiam expedivit. Alterum narrat Accenſus Major D. Sebaſtianus de Caſaxús Fluentinus ut ſequitur: In paſcuis Japejuanis occiderant Indi D. Bernardum de Caſaxús Sebaſtiani germanum fratrem: quod cum Indorum alius aliis denuntiaret, occiſum ſcripſit *Pai reco habeime*: *ubi Patres non erant*. Paraguajenſes & Fluentini, apud quos negatio *eim* uſu caret, neque præter *aani* nota eſt vulgo, occiſum interpretati ſunt, ubi Patres erant, negatione affirmantes: interpretationemque probante capellano quodam religioſo, quem idiotiſmus idem ablactaverat, cauſa præjudicata fuit. D. Sebaſtianus vero cujus familia guaranici ſermonis Indos commendatos habet, eaque cauſa indigenæ linguæ peritior eſt, cum ex Indorum ſcripto fratris oſſa inveſtigaret, errorem apertum vidit, atque teſtatus eſt. Sed cum tempore & vento uti noverint actores, & quo valet, literas præmittere, error excurrerit incaſtigatus.

Cum præfectus Miſſionum ad S. Laurentii veniſſet, Prætores ſalutandi gratia, Indos qui aderant guaranice increpavit, quod immerito reſtitiſſent. Dum ceſſavit loqui, & abiit, circunſtantibus ait quidam: Nonne auditis? Segnitiem Indorum increpavit, quod in anguſtiis ad Montemgrandem copias ex prono & facili non deleverint? Mentiris plane, clamat alius, renitendi auſum reprehendit, non ſegnitiem. Atque verbis primum ea de re, pugnis deinde rixantes dividere oportuit. Cum frequens uſque adeo probata ſit interpretum inſcitia ſeu malignitas, & in verſionibus cum teſtu compoſitis tot errores deprehenſi, haud temere eſt quod Libelliſta verſionem textu ſuppreſſo typis ediderit.

De chartis laurentianis hæc habet D. Antonius Verax: *Arránque ya eſos diſparates de la ciega paſſion que le arraſtra: y confieſe quando mas, que ya que los Padres tuvieſen algun influxo, ſolo ſerla permiſivo, y éſte nacido del daño que les amenazaba à algunos Curas, ſi querian ir contra la voluntad de los Indios, que con tanto furor ſe hallaban inquietos, ſinque les pudies labrar la razon. A eſto miſmo aluden todos los papeles decantados, que ſe encontraron en S. Lorenzo, que los he leido con baſtante cuidado: ni ningun hombre de ſano judicio puede perſuadirſe à otra coſa.*

Abjecerant Indi de migratione conſilium, poſtquam prima tentatio conciderat: nervoſque ad repugnandum contendunt ex quo bellum parari vulgatum fuit. Ut pareant, ut cedant, hortantur Patres; in interitum ruere obnitentes. Ex his hortationibus arbitrantur, Patres cum hoſte conſpirare: quo acerbatur inſolentia, & motus invaleſcunt. Dum eum viderit Miſſionarium aliquis hortationum exitum, dixerit: Hortanti non creditis? Ite igitur ad arma, equos e villa corripite, ad moriendum properate. Hæc ſi interceptarum ſumma ſit chartarum; quid hoc eſt, ut montes & orbis commoveatur? Et fortaſſis ne id quidem illæ continent.

Laurentianis adnumeratur documentis Diarium rerum geſtarum, quod Thadæo Enis adſcribitur. Altamiranus Commiſſarius monitus, penes Montevidei Prætorem eſſe, eoque contineri quædam, quæ quidem non exprimebantur, fidei Sociorum adverſa, copiam ad procedendum ex lege fieri ſibi contendit: quod impetrare non potuit. Siqua deinceps ex eo emerſerit criminatio, vitio regiminis injuria verteris impunitatem. Conſtat etiam ſatis, Excell. Cevallos, cui fuit injunctum rerum geſtarum examen, eandem nequicquam exegiſſe copiam, forte jam trans mare latam. Sunt quædam pictorum arte facta, quæ a certa loci diſtantia ſpectari poſtulant. Sunt etiam criminationes, quas eſſe poſthumas oportet, nec intendi niſi poſt certum temporis intervallum. Utraque diſtantia, temporis & loci, poſtulatum artis eſt.

Valdelirius in oppido S. Aloyſii documentum reperit, quo niteretur cavillatio, ſolidioris forte fruſtra quæſiti ſupplementum. Duo erant horologia ſcioterica in porticu hortenſi collocata, & anno 1755. inſcripta. Igitur, ait, Patrum inſederat animo, eo loco ſe permanſuros. Petrum Paulum Daneſium eo tempore Aloyſiani curatoris ſocium, quid hoc rei eſſet, percontati ſumus, & reſpondit, ſolariorum par a ſe factum, valetudine prohibito ne ſedentariis ſtudiis diu vacaret. Opus promoventi curatorem objeciſſe, quid operam perderet, ſolum propediem mutaturus. Ad quem reſpondiſſe, totius operæ contemptibile pretium uno, qui quadrantem ſuſtinebat, conſtare lapide, qui cum eſſet emigrandum, poſſet cum re familiari cætera imponi carro; neque enim ubique lapides ad id uſus idoneos reperiri; illum vero poſtquam fabrefieret, ubique æſtimandum. His opus ad calcem perductum eſſe. Deinde vero cum tranſmigrationis tempore procul jam abeſſet Daneſius opifex, nemo fuit qui portandi peregre lapides ſubiret onus.

Ex interceptis ajunt conſtare chartis, ab aliquo de provincia ſcriptum eſſe ad Miſſionarios, poſſe præcepta deridiculo haberi. Sed illud conſtat magis, plura aſſerta eſſe a vero aliena. Conſtat, obediendi cauſa properatum

eſſe

Digitized by Google

esse nimis; siquod dictamen extitit adversum, fuisse posthabitum. Ea fuit Valdelirii & Altamirani consuetudo, ut hunc latere non posset, quod ille tam certo quam proditum est noverat. At Altamiranum latuisse constat id, cujus causa in neminem animadvertit, quandoquidem incapax hic erat dissimulandi, nedum colludendi. Siquid tamen dictum, factum, scriptumve sit, quod a debita desciverit fide, ad pœnam illud ex lege probetur, vel producatur: nec Provincia in authoris & commissi damnationem tarda convenerit. Et quæ transmigrationem Indorum ex sententia perficere non potuit, exacta pœna se probaverit, observantia mandatorum Regis, fide, & obsequio nulli secundam.

Pronum ad fidem sit, de Provincia quempiam ad Missionarios scripsisse, posse posthaberi præcepta de urgenda transmigratione; non ea quæ Præpositus Generalis indixit, non quæ his conformia tulit Commissarius; sed quæ hic aggeravit contra Regis, & præter Præpositi voluntatem. Duo præcepta irrogaverat Præpositus: alterum, nequis Regis adversaretur voluntati; alterum, nequis non pro virili perficiendæ conferret operam. Eorum quæ Commissario suberant, nihil est quod hoc præceptorum pari non contineatur per eundem denuntiato. Et commissioni executionis studio satisfactum erat, & coercitis siqui fuerunt transgressoribus. His non contentus addidit alia, uni duo, alii sex, novem alteri, alteri undecim; communia quinque, & excommunicationem majorem cum expressa divini judicii interminatione. Hæc præcepta sin minus omnia, aliqua certe eo spectabant, ut mora rumperetur, quam Regii Ministri triennalem concesserant, quam etiam Rex deinde ratam habuit. Igitur præcepta hæc regiæ voluntati per ministros significatæ repugnabant; haud aliter atque Præpositi voluntati, non aliud adnitentis, quam ut Regis mandata fierent.

Hæc cum ita sint, dubitaverit quis, an transgredi possit præcepta hæc? Aliquis de provincia fortasse dum invalescebant motus, & festinatione cuncta ruebant in præceps, ad Missionarios scripserit, ut tempus a regiis ministris datum acciperent nec pensi haberent præcepta. Quodsi defuit tunc, nunc adest qui affirmet scribatque, potuisse Missionarios præcepta sin minus ridere, saltem posthabere, nec ea curare; ut videlicet Regi & Præposito gereretur mos. Obedientia cæca pupilla oculorum Societatis est; at norunt vel tirones, obedientia hac oculos obcæcari, ne videant quæ contra suggerit prudentia carnalis; sed apertos relinqui ad speculandum quæ conscientia, jus, & ratio dictat.

Alterius meminit documenti Marchio de Valdelirios, velut ad se fallendum inventi, mappæ videlicet a P. Quiroga delineatæ. Illam author dono dedit, quod sibi donandæ Marchio occasionem fecerit. Admonuit tamen Quiroga, de septem oppidorum situ certum se esse, quem totum percurrerat; prædia vero longinqua, non vidisse, sed ex aliis delineasse documentis, quorum fidei sponsorem esse non posse. Quinquennali de bello solicitudine protestationis hujus, ut Gomeziani pacti, oblitum fuisse Valdelirium oportet: ac dum vidit, aut aliunde novit, prædia Sancti Nicolai, Conceptionis, & S. Angeli, quæ ad Ibicuis orientem delineata erant, revera ex toto vel ex parte ad occidentem spectare, decipulam credidit, quod esset testatus author, totum se percurrisse locorum situm. At simul adjunxerat, quod Marchio prætermisit, oppida quidem visitasse, non prædia longe distantia. Viderit uterque, uter fidem ludificaverit.

§ XV. Acta Sanctafidensia.

Simul atque Fœderis executio proferebatur, revelata esse, ait Lusitanus (a), Rei publicæ arcanæ fundamenta, dictamina videlicet, quibus illius regimen & administratio innititur, consiliaque ampla æque atque pernicioſa jam ex parte perfecta. Spectatæ procul urbis turres summæ tantummodo apparent, & templorum culmina; appropinquantibus ædes ad fundamenta spectabiles fiunt. Sic res de Missionibus erat. Eminus non aliud quam religionis pietatisque monumenta extabat: gentes & populi Christo dediti; infideles baptizati: neophytorum fervor, & caritas: Patrum apostolicus ardor, studiumque salutis animarum. Ut appropinquabat copiarum acies, in conspectum etiam fundamentorum venit totius machinæ. Fundamenta vero esse esse dicuntur, interdictum generale, nequis Episcoporum, Prætorum, imo nec privata ulla persona ad loca Missionum accederet: interdictum ne Indi lingua uterentur, quam alii caperent: ignoratio dominatus omnis præter despoticum, quo Patres imperant: odium capitale contra albi-colores: cautela ne, quos gladio perimunt, reviviscant, & cautio est, ut decolentur.

Principio fuit qui crederet, hæc ab aliquo Sociorum *tertiario* diffamata esse, qui non aliud habens quo criminationes dilueret objectas, incredibilia excogitaverit, quibus innixæ sua illarum gravitate corruerent. Paucorum hic error fuit, nec diu duraturus. Vulgatis de re publica maximis fides habita, aut haberi fidem simulatum vulgo fuit. Hinc scandalum, & eorum qui res sacras ibi terrarum administrant infamia sic percrebruit, ut rei summa in jus revocanda fuerit, ut veritas emicaret.

Sanctafidensis de Veracruce Civitas finitima est Missionum locis, portusque Indorum navigiis frequentatus, ubi diu morantur. Ex eo Hispani in Missiones penetrant, & erant ea tempestate plures qui penetraverant. Propterea Judex Ecclesiasticus suum esse censuit, causam dijudicare. Testes decem numero, quorum quatuor erant Ecclesiastici, reliqui sæculares conspi-

(a) Rel. abbr. pag. 9.

Digitized by Google

ſpicui, una voce jurarunt, publicum & notorium eſſe, plures Epiſcopos, quorum aliqui nominantur, Prætores eorumve legatos, & particulares perſonas, in Miſſionibus, quo penetraverant, feciſſe moram: Hiſpanis Paraguariæ & Villaricæ ſermonem guaranicum eſſe vulgarem: ſub adventum novi Prætoris, cunctarum Miſſionum deputatos Bonas Auras concedere obſequii cauſa: quanquam transfugæ nonnulli mala plura patraverant, de Indis oppidorum cultoribus odium Albi-colorum, quod ſupponitur rem eſſe inauditam.

Teſtimonia hæc in acta relata Regi domino mittenda viſa ſunt Judici, placandum ſperanti ſiquid irarum ex vulgatis criminationibus concepiſſet, regiamque protectionem imploranti erga Miſſiones afflictas & Miſſionarios. Ut veritas ad Thronum probatior perveniret, Promotorem cauſæ D. Petrum de Mendieta jurejurando proferre juſſit quod ſuum erat. Ille vero juratus reſpondit, indigeſtum calumniarum acervum in libello vulgatarum mirari ſe, cum adverſentur illæ notæ veritati, quam incolæ finitimarum regionum teſtantur univerſi: id unum ſibi eſſe reliquum ut veridica ſubſcriberet teſtimonia. Actis adjuncto Promotoris reſponſo, & authentico exemplari in ea depoſito Curia, originalia Regi in Senatu, & in quocumque tribunalium uſus ferret, exhibenda 9. Februarii 1759. a Judice Doct. D. Joanne Ignatio Lacoiz-queta, & a Notario Carolo Roſa ſubſcripta ſunt, & authoritate munita. Documentum hoc, quod typis vulgatum eſt, ſi recentior *Relationis* editio juſtitiæ & veritatis amore ſuſcepta fuit, ſilentio præteriri non debuit.

§. XVI. Sociorum cauſa diſcutitur.

Literis 9. Februarii datis anno 1756. ſcriptum dicitur (*a*) a Valdelirio ad Gomezium quod ſequitur: *En la carta de oficio que eſcribo à V. E. obſervará, que S. M. ha deſcubierto, que los Jeſuitas de eſta provincia ſon la cauſa total de la rebelion de los Indios. Y fuera de las providencias que en ella digo haver dado S. M. con deſpedir à ſu confeſor, y mandar que ſe embien mil hombres, me ha eſcrito una carta propria de un Soberano, paraque yo exorte al Provincial, echandole en cara el delito de infidelidad, y diciendole que ſi luego no entrega los pueblos pacificamente, ſin que ſe derrame una gota de ſangre, tendra S. M. eſta prueba mas relevante, procedera contra el, y contra todos los Padres ſegun las leies canonicas y civiles, los tratará como reos de leſa mageſtad, y les hara dar cuenta à Dios de todas las vidas que ſe ſacrificaren.*

Hæc regia mandata, & quæ conformia Luſitano miſſa ſunt, expedita ait Relationis author (*b*) poſtquam ad utranque Curiam delatæ ſunt informationes de rebus in prima acie anni 1754. geſtis. Sed ex mandatorum tenore falſi convincitur; denuntiatio quippe, ut prius oppida dedantur, quam vel una effundatur gutta ſanguinis, ſupponit vel nondum eſſe fuſam, vel nondum id ſciri. At informationibus de rebus in prima acie geſtis anno 1754. jam aliquas ſanguinis guttas eſſe fuſas innotuerat.

Præterea cum his ſimul mandatis expeditum eſt aliud, cujus mentio non fit in prædicto literarum articulo, ut videlicet ad Europam mitterentur undecim hujus provinciæ Socii: cujus numeri Thadæus Enis non erat. Adjungendum undenis contendit Valdelirius, cum hos imponi voluit navigio *à S. Thereſia*, ratione mappæ quam ſupra memoravit, ſed Curiæ mandatis comprehenſus non erat. Qui eſſet immunis, ſi mandata poſteriora eſſent geſtorum anni 1754., & in his Fluminis-Pardi Thadæo adſcriptæ oppugnationis notitia?

Ex literis D. Gomezii ad Valdelirium ſupra relatis §. VIII., 24. Martii 1753. datis liquidum eſt, quo tempore ad Luſitaniæ Curiam expeditæ informationes ſint. Quandoquidem vero conformia ſunt Matritenſibus inde miſſa mandata, ut Libelliſta teſtatur, pronum eſt ut & informationes Matritum expeditæ ejuſdem ſint temporis. Non eſt temere, quod in Relatione de Republica epochæ dimoveantur; facilius enim ſub turbarum & belli tempus ſpeciem veri fucaveris.

Utcumque res hæc habeat, mandata, quæ a Valdelirio ſibi eſſe miſſa dicuntur, minus quam ipſe refert abſoluta fuiſſe oportet; eodem quippe tempore juſſus eſt Prætor Cevallos nuntiorum veritatem inquirere, exemplaque ſeveritatis componere cum cauſæ merito, atque Socios undecim incuſatos, ſi vel inſontes penitus, vel culpæ levioris ſontes habita ex lege quæſtione eſſe conſtaret, ab itinere Hiſpanico abſolvere. Falſum ergo eſt, quod Valdelirius ſcripſiſſe dicitur, Regi eſſe indubitatum & plane compertum, Socios eſſe totam motus Indorum cauſam, & authores: palamque fit, mandata conditionata reddita eſſe abſoluta. Hinc adhibita deinceps per Valdelirjum irrequieta contentio, ut aliquis ſaltem Sociorum in Hiſpaniam mitteretur, ne alioquin falſitas emicaret primarum informationum; nam quod exaggeratæ fuerant, ipſe plane confeſſus eſt coram amico . . .

Tres annos cunctatus eſt Prætor Cevallos, cui delegata erat quæſtio juridica; ad veritatem quippe, juſtitiamque explicandam cunctari oportebat, donec motus animorum conquieſcerent. Is in tota præfectura turbo excitatus erat, ut oculos offuſcaret: adeoque turbidæ fluebant aquæ Fluminis Argentei, ut niſi ſedarentur, quid in fundo rei eſſet, lateret omnino. Prætor interea minime vacavit; ſed de Sociis nihil aliud quam mandata diſſimulando ſpeculatorem egit: eoſque ſic habuit, ut ſi deinceps ſontes judicarentur, nec eſſet de amicitia præſtita rubor, nec in receſſu labor.

Ad Miſſionum fines ſe contulit, ut offendicula a Luſitano de Coloniæ deditione inter-

(a) Relat. abbr. pag. 15.

(b) Ibid.

Digitized by Google

terpellato identidem injecta removeret. In Japeiui termino denuntiatum est a quodam Hispanorum duce, Indum esse in vicinia, qui fateretur a curatore missum se, ut abactis armentis, copiarum intercluderet commeatum. Indum afferri jussit Prætor, & coram duce qui accusaverat, per idoneum interpretem, coram testibus interrogari. Respondit ille, a curatore missum se, ut armenta cogeret, & eo quo ad copiarum usum referebat, admoveret. Fidem superat, ducem illum calumniæ, mendaciique authorem fuisse primum; sed rumores id genus credendi facilitas alias ab incauto contracta, nec deinceps deposita, ruboris causa fuit. Castra locavit Prætor ad S. Borgiæ, quo per vices ad serviendum militi conveniebant Indi sexageni. Hinc frequens occasio fuit rerum gestarum ordinem & causas ex ipsis seorsum Indis cognoscendi. Quosdam aliquando interrogavit Prætor ipse: Quis vos dæmon ad rebellandum impulit? Nostrum male compactum cerebrum, responderunt illi. Levia sunt hæc, nec ad causam definiendam satis; sed cuncta simul cum ingenua Sociorum occurrentium agendi ratione, apud eum qui nihil non explorabat sibi constante, innocentiæ fidem conciliabant.

Cadente anno 1759., dum apud Missiones adhuc consisteret Valdelirius cum comitatu, postquam Indorum errantium XIV. millia collecta erant, & Matritum delata de Ibicui controversia, otii fuit satis ad quæstionem, quæ in mandatis erat, instituendam. Ad Missionum loca venire jubet Prætor D. Florentium Moreiras Juris consultum, quo nullus in his provinciis erat altiori gradu: agebatque ea tempestate Bonis Auris. Aderat & Causidicus B. N. triginta natus annos, cui longe abfuit ut a Prætore causa crederetur, vel quia tunc ferebatur esse Sociorum amicus, vel quia Prætori quam amicis erat notior. Moreiras, cista jam cum commeatu præmissa, ire desiit medicorum sententia, non posse, ut erat affectus valetudine, ad Missionum loca pervenire. Subrogatus est Primitius Ordinator (a) D. Didacus de Salas, qui integritatis, prudentiæ, & rerum experientiæ laude inter primarios duces diu meruerat.

Septempopulaniæ incolæ per familias majorem partem Paranaensibus pagis aggregati erant: qui ut commodius se sisterent ante judicem, sedit Salas Itapuæ, fere in medio. Plus centum ex iis qui motibus interfuerant propius in jus vocati, interpretem agentibus binis centurionibus Fluentinis Hispanis, unanimes testati sunt. Patres fuisse penitus motuum suorum expertes. Et fuit de testibus Nicolaus Neengiru, tunc valetudinarius, qui post obitum ducis Michaelitani *Chepé* imperium tenuit. Apud Prætorem in castris Borgianis Processus alter institutus est, vocatis ducibus quotquot aderant ex iis qui aciem promoverant: pari consensu testati, multos quidem obloquentes audivisse, vidisse nihil unde Patres Indorum rebellionis authores censeri possent. Huc devenit notorietas per Europam, orbemque diffamata. A mittendis itaque in Hispaniam Jesuitis undecim, & mandatorum, quæ conditionata erant, executione cessatum est.

Visitationem Paranaensium suæ ditionis oppidorum recens obierat Ill. D. Emmanuel Antonius de la Torre Paraguai Episcopus: qui quærenti Cevallos, an Socios a Doctrinis removere oporteret, quod mandatorum pars erat; post pastoribus & christianitatibus honorificam eorum quæ viderat narrationem, respondit tunc certe non oportere. Consultum Actis binis adjunctum fuit: omniaque missa Matritum anno 1760. Certi, ad Regio Catholici Curiam pervenisse, credimus in Regio deposita Tabulario suam præstolari vicem, ut in eo Veritatis & Innocentiæ Tribunali, & Asylo producantur, & valeant.

(a) Maior de Ordenes.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

PARS

PARS SECUNDA.

OBJECTA DISCUTIUNTUR.

§. I. Indorum ſervitus.

DE Guaraniis Jeſuitanis ait Comes de Bobadela (*a*): *Eſtas pobriſſimas criaturas viven en maior eſclavitud, que los Negros de las minas*. Et Libelliſta, cui Comes documenta ſuppeditavit (*b*), ait de paſtoribus: *Conſiguieron conſervar aquellos infelices racionales en la mas dura e intolerable eſclavitud, que jamas ſe vio haſta ahora*. Folicularius alter (*c*) libertatis Indorum uſurpationem primum collocat inter Puncta principalia „ A que ſe reducen los abuſos con que los Religioſos de la C. de J. han uſurpado los dominios de la America. “ Ibidemque adjungit, Socios contra utriuſque Americæ Indos aſſerere verbo & opere, ſuapte natura ſervos eſſe, cupiditati videlicet jura omnia poſthabentes.

Ubi duo objiciuntur, primum, Socios verbo affirmare, Indos eſſe natura ſervos: deinde, ſecundum id quod affirmant, operari. Id ſecundum quod objicitur, veriſſimum eſt; nam de Indorum ſervitute id operantur Socii, quod affirmant. Atqui nuſquam Sociorum ullus Indos affirmavit eſſe natura ſervos. Sed Actori placuit duo ſimul objicere, ne non, ſi alterum verum eſſet, ſcripti frons mendacium præferret.

Quanquam id criminationis non unis Paraguajenſibus intentatur, dicam quod in hac provincia uſu venit: ſuam cæteri cauſam oraverint; quando quidem Veritatis & Innocentiæ forum impervium non ſit. Indorum ſervitus uno trium tantummodo conſtare poteſt; vel quia per Socios ad laborandum compelluntur; vel quia labor eſt nimius: vel tandem quia laboris fructum in ſuos Socii convertunt uſus. Id poſtremum ſequente paragrapho diſcutiam: nunc vero compulſionem, & laboris exceſsum.

Anno 1707. Præpoſitus Generalis Sociorum Michael Angelus Tamburini Paraguajenſibus indixit, nequis curator Indos compelleret ad ſervitia perſonalia præter ea quæ Regi Catholico debentur, cum pro Rege a Prætoribus, vel Regio quopiam Legato præſcripta ſint. Præpoſiti mandato occaſionem fecit, quod Indi natura & gratia liberi ſunt, ut nemo dubitat, & quod libertati compulſio adverſatur.

Sed reſponſum Præpoſito fuit, quod inter omnes convenit, quibus Guaranii noti ſunt, eſſe liberos, ſed ingenio puerili. Si mandata fiant, fore nudos, familias inedia perituras, viduas, orphanos, valetudinarios carituros ope, decore eccleſias, politia populos. Id quod eo maxime liquet quia coacti etiam ad labores, ut victum veſtitumque ſibi atque ſuis comparent, cogendi etiam nonnulli ſunt, ut comparatis utantur veſtibus. Victum vero hodiernum & craſtinum habentes craſtino veſcuntur hodie, hodiernumque ſinunt putreſcere. Quibus Præpoſito perſuaſis, & ipſe coactus eſt mandata revocare anno 1713. permiſſa quæ moris eſt animadverſione.

Præter Guaranicas, Societatis in hac provincia curæ ſubſunt aliæ viginti ſeptem Reductiones in quinque diœceſes diſtributæ per aliquot leucarum millia, ſi cunctas viſitaturo conficiendum computetur iter. Harum illæ, in quas virgarum potuit uſus induci, moribus florent Chriſtianis, œconomicis, & civilibus, ut Reductiones Chiquitorum, Lulium, Mocobiorum. Illæ, ubi feritas Indorum virgas non fert, in vaſtitatem pene redactæ ſunt; ut Abiponum, Tobarum, Chiriguanorum. Ubi ob novitatem gentis vacillat virgarum motus; ſtatus etiam Reductionis vacillat. In una eademque Mirafloreæ ſede hanc viciſſitudinem experti ſumus, ubi ſuperioribus annis cohibito virgarum uſu cuncta diſſipaverat ebrietas, donec hodiernus curator auſus feliciter eſt: ex eoque Reductio, ut nomine, ſpe floret. In proximam a Vallebona ſedem mos idem eo ſucceſsu incœptatus fuit, ut media Indorum pars in ſilvas relapſa ſuperſedendi neceſſitatem fecerit, nec revocata ſtabit, donec terga, quæ vertit, incurvet.

Quanquam Indorum reductorum ſedes indiſcriminatim *Reductiones*, *Miſſiones*, *Doctrinæ* appellari conſueverunt, & ſic in regiis etiam ſchedis appellantur, ſtricte dum loquimur *Reductiones* dicuntur primis a fundatione decem annis ex communi lege, vel ex privilegio viginti: ac deinceps vocantur *Doctrinæ*, obnoxiæ tributorum penſo &c. (*d*) Sed cum Indorum oppidi fundatio in momento non fiat, longoque annorum tractu ſæpe diſcerni nequeat, utrum villa ſit, an hara; ambigitur, unde anni decem vel viginti computandi ſint. Nec incongrue dixeris, computandos ex quo Indis accepta ſit correctio: correctio vero, ut eſt gentis natura, niſi ſcutica non fit. Quod ſi docilitas id genus abſit, oppidum & Doctrina fundamento caret.

Indiarum jure cautum eſt (*e*), ut Indi, dum e re ſit, compellantur -- *A no eſtar ociosos, pues tanto importa à ſu vida, ſalud, y conſervacion*. -- Et quod ſequitur: *Que eſto ſe ha de hacer por mano de las juſticias*; etiam in

(a Rel. abbr. pag. 26.
(b) Ibid. pag. 5.
(c) Pontos principaes, &c. p. 1.

(d) Philip. V. 28. Dec. 1743. art. XI. Et lib. 6. t. 5. leg. 3. Recop. Ind.
(e) Lib. 6. t. 1. leg. 21.

Digitized by Google

in Missionibus consuetum est, punitione & compulsione per Magistratum adhibita, a Rege quotannis, vel ejus Prætore constitutum vel confirmatum. Omnia quidem hæc fiunt curatoris consilio atque directione: quod Rex minime vetat: imo præcipit ut ita fiat. Ex quo enim a Rege & a lege credita est Sociis miseræ gentis tutela & cura, ut ejus necessitatibus consultum sit; & correctionem & directionem adhibere debent.

Jurisconsultus Indiarum (a), dum disputat, an Indi ad laborandum compelli possint, paucis rem indubitatam confirmat, dum ad suorum communium fundorum cultum compellantur. Ad labores autem non alios compelluntur in Missionibus. Juris quidem Indici lex (b) jubet, ne a Doctrinariis Indi verberibus compellantur. At ibidem legis sensus declaratur. Modo & fine constat tota rei summa. Si punitio moderata sit, intentaque ad Indorum commoda cum spiritualia, tum temporalia, tunc maxime Socii Indorum se patres, non servorum heros probaverint, cum corrigant.

Ad modum quod attinet, nullum novimus seu inimicum seu censorem, qui in castigandis Indis Missionum excessum reprehenderit, vel esse putaverit. Sed constat, Bartholomæum Alduinate, quem Philippus Rex (c) calumniatorem judicavit, a Sociis Indos æquo mitius haberi denuntiasse, quos otiari sinerent; spongiam, si premeretur, profuturam fisco. Certe si ea premeretur vi, qua Sanctus Beltran correptum e mensa panem compressit, majus aliquandiu foret lucrum, sed brevi interiturum radicitus. Non ejus naturæ sunt Indi, quos Europæis, qui humeros locant, comparare possis. Sunt quædam improbi laboris negotia, ut cum subeuntibus flumen e mediis scopulis trahendum est navigium vel rates; ad ea vero, quæ rara sunt, manus per vices confert multitudo. Quod si labor unius diei sit, duarum esse oportet vacationem & quietem. Sed hæc modo missa facimus, non blanditiæ, sed rigoris ut contra mancipia insimulati.

Labor Indorum a curatoribus exactus leviſſimus est: convenitque inter eos, qui Europam experti sunt, diurnum Indi laborem ab Hispano mercenario tribus horis coæquari, vel etiam superari. Cujus quasi mathematicum experimentum accepimus aliquando in pago S. Jacobi. Cum Cantabro ibi ad fabricandum navigium conducto, Indorum aliqui fabri adjuncti essent, dum ille ter, Indorum singuli semel tantum securim infligebant. Idque fit, cum adest qui præsentia stimulet & exemplo; longioribus alioquin pausis agendum. Nunquam curator quantumlibet pausantem castigat, vel urget. Cessat præterea labor mane ad audiendum sacrum, vespere ad rosarium & preces. Post sacrum & post preces vespertinas herbæ portio distribuitur singulis: stat que propter foculum inter laborandum vas herbarium ad potandum & quiescendum dum libet. Potus hic ut Europæos vinum, Indos refovet, sed non inebriat. Indabus in singulas septimanas gossypinum unius libræ pensum fuso torquendum tribuitur. Mensibus ad sementem faciendam constitutis sata visitant curator & magistratus. Impigros laudant vel præmiantur; inertes verbis, vel si minus hæc succedant, verberibus castigant. Hortatione adiguntur, ut in profestis sacro, vel rosarii precibus adsint; si tamen in festis absunt vel sacro vel catechismo, per fiscales denuntiati de absentiæ causa interpellantur, sontesque vapulant, non amplius unquam verberibus vigenis quinis. Quod si delictum id sit, ut pluribus sit corrigendum, per intervalla dierum numerus idem iteratur. Si vero occasionem removere oporteat, in carcerem viri, in gynæceum fœminæ conjiciuntur.

Hæc est Indorum servitus, hic labor in Missionibus. An hæc intolerabilia sunt? Sic in fodinarum cultu habentur Atricolores? Quot per Europam liberi & ingenui obviis eam servitutem acceperint ulnis? Edictum feratur, ut tres horas in dies singulos laboranti agri & tempus ad culturam præbeantur; tributorum, decimarum, parochialium jurium vel immunitas, vel a solvendis liberatio; domus, instrumenta laboris, cibus, potus, & indumenta. Quodsi moribus & solertia rempublicam administrare quispiam dignus sit, vestimentum addetur quotidianum, speciosumque. Ad labores fractis, liberis, uxori, familiæ, alimenta nunquam deerunt, nec ægris medicamen & curatio. Si peregre cuipiam proficiscendum sit, viatico, curru, vel jumento donabitur. Alia Missionum commoda prætermittantur in edicto, ut his tantummodo expressis appareat, quot liberi colla servituti submittunt.

Quid igitur est quod Indi tot numero a Missionibus deficiunt, Hispanoque servire malunt? Alii fugiunt, quod timeant commissorum pœnas; alii quod stulti sint. Commoda neophytorum quantumvis pretiosa minus argenteo splendent numo. Illis totius familiæ status, quantum fert humanitas, contra temporum adversitates confirmatur, cum facultate etiam opes accumulandi; numo vero vitta comparari potest, quæ colorata aut variegata stulto potior est, quam status & facultas illa. Eadem causa forte conductus ab Hispano impensius adlaboraverit Indus, non majori lucro: ut transfugarum nemo sit, cujus res tota familiaris viginti superet argenteos. Iique si filius uxorem ducat, si filia moriatur, jurium & parochiæ causa abjiciendi sunt. Alii fugiunt ut pueri, qui a patre educationis gratia constituti sub scutica, nec paternæ domus illicio, quin

(a) Solorz. tom. 2. De Ind. Jur. lib. 1. cap. 7. num. 1.

(b) Leg. 6. t. 13. lib. 1.

(c) Scheda 28. Dec. 1743.

Digitized by Google

quin elabantur retineri poſſunt. Sic Indi temere & Indæ interdum deficiunt, quorum alii revertuntur, alii per invia deviaque pereunt. Alios eſt qui manu capiat, domique ſervet, de conjuge, ſi conjugati ſint, parum ſolicitus.

Dux quidam Hiſpanus, cordatus & prudens, qui in oppidis diu commoratus eſt, ſeditionis incommoda minus expertis, dum vidit curatorem unum, inter duo, quatuor, ſex barbarorum millia medium, cunctorum ſingulorumque moroſa circunventum ſimplicitate, cujus eſt cura ut mater filium lactet, agricola boves habeat, nec diſparere ſinat, muſicus fides, faber ferramenta, alternis viſitantem officinas, agros, & paſcua; de quotidiano cujuſque victu & veſte ſolicitum, præter ſpirituales eſcas ex officio adminiſtrandas, nec tantum præſentibus, ſed futuris etiam providentem: dum vidit, ſummam œconomiam requiri, ut mitiſſimi fructus laboris ſumptibus neceſſariis par ſit, & ſiqua ſuperſunt, in oppidi commoda refundi, exclamavit: Mancipia revera curatores ſunt, non Indi. Nec tamen hic vidit quæ patienda ſunt, dum peſtilentia, fames, variolarum lues ingruit: quæ quidem frequentiſſima ſunt, etſi noviſſimarum tempus turbarum Deo miſerante immune fuit.

§. II. Bonorum uſurpatio.

De uſurpatis Indorum bonis criminatio complementum ſuperioris eſt. Si mancipiorum loco Indi habentur, laboris proventum vindicaverint heri. Indorum bonis accreſcet, ſi ſint liberi. Ad quæ confirmanda ſupervacanei ſunt objecti Puffendorfii textus. Nova quidem non eſt de uſurpatis Indorum bonis criminatio. Sed eſt novum atque mirandum, quod publicum cum ſit & vulgo notum, imputationem eſſe judicio contraditorio & ſummo reſutatam, atque ſententia ſolemni calumnioſam & mendacem judicatam (*a*), crambe recoquatur, tacito ſtatu cauſæ (*b*), ut ne dicatur quidem, Regem vel Judices per quos ſententia lata eſt, fuiſſe deceptos. Unus (*c*), quem ſciam Reflexionum tortor ait, ejus ſententiæ, atque decreti informationes Sociorum directione confectas eſſe. Id quod ejuſdem tenore decreti mendacium eſſe convincitur. Sed eſt longum, ut totum a præcipitante percurri nequeat. At principium ſaltem legiſſet ubi a pagina prima, a prima linea incipit informatio poſtulatitia D. Bartolomæi Aldunate, quam ipſe Reflexionum author laudat. An hæc etiam informatio dirigentibus Sociis edita eſt? Aldunatem ſequitur D. Martinus de Barua, cujus informationem certe nullus Sociorum direxit. Utrumque refutarunt teſtes ut minimum decem, pars eccleſiaſtici, pars ſæculares, Sociis præterquam ex decreto penitus ignoti, quorum teſtimonio ad ſententiam ventum eſt, auditis quidem Sociis: quod utique fieri potuit, quin uni ipſi decretum rexerint. Decretum vero novem ſaltem editionibus, Quæſtore Aguero ſuperſtite, divulgatum, veri ſtudioſis & partium ſtudio liberis ſat ſit.

Dixerit quis: Quid de Indorum ſubſtantia, boniſque fit; quandoquidem victus & *inſignificantis*, quo utuntur, veſtitus expenſum proventu laboris inferius eſſe videtur? Divide trifariam bona univerſa intra Miſſionum fines conſtituta, vel inde provenientia. Alia ſunt Indorum ſingulorum propria; alia cujusque oppidi communia; alia ſunt Patrum, qui Miſſiones curant. Indorum in particulari ſunt bona ſuorum *abambaes*, quæ ſunt ſingulorum ſata, plantaria, ſeu vivaria. Stata quippe ſunt tempora ad laborandum pro communi, & tempus ſupereſt, ut quiſque pro ſe laboret. Nutriunt etiam ſinguli animalia, cum domeſtica, tum campeſtria, ſed oppido rara, etſi facultas illimitata eſt. De ſuis cujuſque ſubſtantiis poſſet unuſquiſque ditari; ſed vix ulli ſuus ager panem fert ad annum, nam carnes ſingulis diſtribuuntur de communi armento. Si quis Indicum colligit frumentum, mandiocam, aut legumina, quæ ad annonam ſufficiat, id paucorum menſium ſpatio diſſipat, vel ſi ſeſe offerat occaſio, pro vitreis temere lapillis, aut ſimilibus crepundiis vel nundat. Propterea curator, parte apud ſingulos patresfamilias relicta, ſaccos reliquos, cujuſque proprio inſcripto nomine, in commune recipit promptuarium, ne familia poſtremis anni menſibus frumento careat.

Oppidi cujuſque bona communia ſunt templum cum ſacra ſupellectile, curatoris domus cum apparatu univerſo, popularium ædium fabrica, ſacella, prædia, paſcua, *tupambaes* quæ plantaria ſunt & ſata communia, nullius incolæ propria. Communium bonorum fructibus conſtat carnea per familias diſtributa portio, aliorum fructuum commutatione comparato ex alienis paſcuis armento, dum minus ex proprio ſuppeteret: herbaceus omnium potus; viduarum, orphanorum, invalidorum ſuſtentatio; ſacrarum ædium, popularium que reparatio & incrementum; viaticum iter habentium, vel quos alia ratione res publica diſtinet. Iis, quibus officium tempus detrahit, ut magiſtratum gerentibus, muſicis, ſacriſtis, œconomis, medicamentariis, &c. potior de communi pars obvenit, quia licet omnibus otium ad proprii agri cultum relinquatur, officiis perpetuis per vices obitis; ſunt tamen aliqui, quos publica officia amplius occupant; ideoque præſentuntur diſtributione. Hinc ſplendidius induuntur qui curatori ſunt proximi, etſi omnes poſſint eſſe pares, ſi par otii, quod aliis eſt majus, uſura fiat.

Poſt

(a) Decr. 28. Dec. 1743.

(b) Tacent & diſſimulant authores Operis, *Bibliot. des Sc. & des beaux Arts, pour les mois de Janv. Fev. Mars* 1755., dum tom. 3. 1. P. Art. 7. pag. 125. ajunt: *C'eſt ce qu'on ignore entierement, quel eſt le revenu des Reductions, quel le produit des marchandiſes, & quelles les dépenſes pour le bien des Peuples.*

(c) Reflex. d'um Port. &c. Alias elem. para la Hiſt. de los J.

Digitized by Google

Poſt hos ſumptus forte aliqua ſuperſunt; quamquam oppida ſunt ad ſumptus neceſſarios alieno ære gravata. Coſmopolis nominatim anno 1759. æs alienum aureorum æquabat xx. millia: quo tamen, ut patientes ſunt populi creditores, minime ſuffocatur. Pleriſque ſupereſt nonnihil: his bubularum pellium, illis goſſypii, aliis herbæ, parum de reliquo. Quantum quantum illud ad Sanctæfidei expeditur, ubi Miſſionum procurator eſt, aut Bonas Auras, ubi eſt alter cum promptuario Indorum proprio ad ſervandos Miſſionum fructus, donec congruæ venditionis occaſio nata ſit. Ex ſingulis oppidis, alio alii comparatis, exportatur quod tribus aureorum millibus æquaveris. Summum ex cunctis centum millia; etſi non raro ſummæ hujus deſideratur ſemis. Quia vero magnæ molis ſunt fructus, atque plurium interdum annorum, & oppidorum ſola Guaranica triginta, plena ſunt ut plurimum promptuaria. Hinc malignantium oculorum ſcandalum, aut ſponte obcæcatorum, ne videant quid in ſumma rei ſit. Nempe videre nolunt, deductis oneribus tributiſque, ut commodiſſime res habeat, quinque vel ſeptem drachmas, ſeu regales numos ſingulis dominorum eſſe reliquos, qui C. mille circiter recenſentur.

Fructus hi commutantur argento, quo Regi tributum penditur, & ex eo *Synodus*, ut vocant, curatorum defalcatur. De reliquo ſinguli curatores ſcripto ad procutatorem referunt in album ea, quibus populus indiget maxime, nec in Miſſionibus comparantur, omnigena ferramenta fabrilia, arma cum alba, tum ignivoma, muſicæ inſtrumenta, ærea præſertim, nam de ligneis facilius ſibi provident, ornamenta ſacra, ſerica, aurea, vel argentea, ænea cryſtallina; mercesque vulgo *de Caſtilla* vittas, pannos, tibialia, galeros, indumenta ſpecioſa Curiarum trium, vulgo del *Cabildo-guazu*, *Cabildomini*, & ejus quæ numero non impar dici poteſt *Cabildo de danzantes*: equorum tandem phaleras ad ludos populares. In quibus id contra œconomiam peccatum eſſe notaveris, quod multa nimis emenda foris ſunt, cum patrem-familias vendacem, non emacem eſſe oporteat, quod Catonis de Re Ruſtica pronuntiatum eſt; ſed non eſt hæc temporis & loci criminatio. Siquid uſque adhuc ſupereſt, penes procuratorem ſervatur; vel exhibendum cum petat pro populo curator, vel mutandum indigentibus populis, vel in communes oppidorum ſumptus erogandum, litis v. gr. qualis in præſentia vertitur cum ſiſæ conductoribus, vel procuratoris alimoniæ. Hic enim Bonaurenſi Collegio centum pendit aureos octiregales, non gratis, ſed pro ſuo alimento. Sanctafidenſi Miſſionum procuratori ab officio plus otii reliquum eſt, ut poſſit Collegio ſervire, ideoque hujus, non Miſſionum ſumptibus alitur.

Sociorum tandem, qui Miſſiones curant, eſt ſynodus, ſeu curionium, quod ex regio earundem Miſſionum tributo conſignatur. Eam ſynodum, ut fertur, juſſit principio Rex eſſe ſexcentum *peſos enſajados*, ſeu 932. *duros*, regalia quinque. Sed Provincialis, qui tunc erat Paraguai primus, religioſo victui quartam ejus ſummæ partem ſat eſſe reſpondit. tantumdemque acceptum iri. At cum expediat, ne curator religioſus ſine teſte & ſocio profeſſionis ejuſdem ſit, pars alia quarta ad utriuſque alimenta admiſſa eſt, ſeu integræ Synodi dimidium 466. pondo, duo regalia, & ſemis. Licet autem Sociorum numerus cum decrepitis & coadjutoribus ſeptuaginta, interdum octoginta non minor ſit, medietate non amplius in oppida ſingula confertur: quæ cum oppida triginta ſint, ſummam conficit tredecim millia, nongenta, octoginta novem pondo, regalia duo. Adde quod ſuperioribus annis, cum recenſerentur familiarum XXIV. millia, parochi reſpondent ſexaginta, ſi ex lege (*a*) ſingulis quatuorcentum, ſinguli deſtinentur parochi. Quo non tantum medietas Synodorum triginta, ſed integra totidem aliorum parochorum Synodus cum laboris incremento regio conceditur ærario.

In ſcripto quodam anni 1712. quod recens *Relationi Abbreviatæ* adjunctum eſt, & alias ſæpe proditur eſſe familiarum numerus CCC. millia: idque additur nuntio veridico acceptum eſſe. Quæ ſi vera ſunt multo majus accreſcit ærario pondus. Sed hæc ut alia, quæ ex vero dicuntur accepta, viatorum cantilenæ ſunt (*b*), quarum totus conſtat valor credentium ſimplicitate.

Summa Synodorum penes Miſſionum præfectum deponitur, cui ſuberant quoad regularem diſciplinam curatores, ſubjecti de reliquo quoad *officium officiandum*, juxta Regii Patronatus ordinationes, Epiſcopis Bonaurenſi & Paraguario reſpective. Ex ea veſtes ſubditis comparat & ſibi, vinum, & cætera ad victum neceſſaria, Bonis Auris, vel aliunde longius deferenda, operam conferente uno vel altero laico. Ad alia, quæ deforis ægre portaveris, ut carnes, piſces, lac, ova, & ſimilia, quæ facile intra Miſſiones habentur, magna profecto vis emitur Sacrorum numiſmatum, crucium, hamorum, fucatorum ex vitro monilium, cultellorum, acuum, &c.: & ex cumulo portio Sociorum ſingulis diſtribuitur quotannis, ut ſibi in ſuo quiſque oppido provideat. Id unum Sociorum in Miſſionibus eſt, ita ut neque domus habitata, nec cubicula ſua ſint, aut Societatis, ſed oppidorum propria, & Indorum communitatis, quæ & uſum ſibi majori ex parte vendicat.

Vir

(a) Lib. 1. tit. 6. leg. 46. Recop. Ind.

(b) Cantilenæ ſuccinit noviſſime Bougainville viator cum Ephemeriſtarum choro.

Digitized by Google

Vir quidam alterius Ordinis religioſus curatoris domum ingreſſus in offendiculum temere impegit oculos, notatumque voluit ſcripto, opulentiſſimi dynaſtæ facultates tantarum ædium impares eſſe ſumptui. Sat erat oculos defæcaſſe. Domus curatoris quocunque nomine appelletur, populo propria, & præterquam fœminis uſu communis eſt. In ea ſunt ludi puerorum & muſicorum, promptuaria communia, armamentarium, veſtiarium, & officinæ quotquot in oppido ſunt. Etiam in ſuo cubiculo curio commoditate caret cellæ monaſticæ, alienis impedimentis ut plurimum oppilato. Ædes interea dynaſtarum facultatibus ſumptuoſiores domus ſunt vere barbarica, quæ ne uno quidem ſcalarum conſtet gradu, nullo ſubtegulaneo tabulato.

Coloratior fingitur curatorum domus in Scripto ſupra memorato anni 1712. quod Gallis gente duobus tribuitur, qui navigio D. de la Soliette apud Maldonatum expoſiti, nec recepti, in mediterranea penetrarunt. „ Preſbyterium, id eſt (ut ipſi interpretantur) domus Reverendi Patris aularum, aulæorumque multitudine conſtat, undique pictis fictiſque imaginibus. Huc egreſſurum ad audientiam patrem Indi expectant. Ibi ampla promptuaria ſunt, quo ſuorum fructum laborum Indi deferunt. Reliquam domum atria oppido multa occupant, viridaria, & famulorum habitacula. Quæ omnia ſpatium complent ſexaginta jugerum, ſeu ſex mille perticarum quadratarum muro circumdatum “. Arnaldus (*a*) ſcripſerat, Sociorum Paraguajenſium domum arcem eſſe munitiſſimam. Arcem hanc de die viri puerique pervagantur; eam tenet de nocte curio ſolus cum ſocio, ſi ſocium habet, & cum *tuyá* uno, qui ſenex depontanus eſt Indus prope veſtibulum cubans confeſſionum nocturnarum cauſa. Porro præſidio hoc unius ſenis, & curionis dormientium non poteſt non arx illa ſex mille perticarum quadratarum eſſe munitiſſima.

Ex dictis duo confice; aliud, non ex vano eſſe quod Ill. Faxardo Bonaurenſis Epiſcopus poſt luſtrata Miſſionum loca ad Curiam retulit, nihil ſe unquam magis ordinatum, nec rerum temporalium adminiſtrationem magis cupiditate liberam vidiſſe. Ac de ordine quidem ſunt alii multi rerum mundanarum Faxardo magis experti, qui id ipſum teſtati ſunt. Jam etiam concidiſſe videtur rumor vel error de millionibus hinc in Societatis proprios uſus derivatis. Ideoque poſtquam ſeptem tranſmigrationis oppida peragrata ſunt, diſparueruntque montes aurei, mallent qui hos ſomniarunt ad Fluminis Argentei oſtium vel terræ palmum. Aliud, nec ex vano eſſe nomenclaturam per Indos erga Socios adhiberi ſolitam. Mancipium interrogas, & reſpondet: *Ita domine mi*: *Si mi amo*. Indum interrogamus cujuslibet ætatis vel ſexus, & reſpondet: *Ta che ruba*: *Ita pater mi*; nam revera dum caſtigatur, & laborare compellitur, patrum erga filios amor eſt; reciprocatus utique obſervantia, obedientia, & amore filiorum erga patres.

Si nulla ſub Patribus eſt Indorum ſervitus, quem petunt Vaticani fulmina, pontificiis conſtitutionibus vibrata. De Paraguaria certe ſunt illæ, nec temere & ſine data cauſa expediri ſolent. A quibus data, niſi a Sociis, quos unos Indi noverant? Tres pontificiæ conſtitutiones de hoc argumento ſunt: Pauli Tertii, Urbani Octavi, Benedicti Decimi Quarti. Prima ad Card. de Tabera Archiepiſcopum Toletanum data fuit tres ante annos quam Societas nata confirmaretur: multoque plures antequam Socii ad Indias occidentales advenirent. Eam itaque expediendi cauſa eſſe non potuerunt. Tertia Benedicti non aliud quam renovat mandata Pauli & Urbani, ut ex tenore liquet. Secundam dedit Urbanus anno 1739.

Ecquis eo tempore Paraguajenſibus Indis in ſervitutem redactis cauſam fecit Pontifici pœnas fulminandi? Id, ut Socii ſileant, dixerit Luſitaniæ, qui ſimul fuit Hiſpaniæ; Braſiliæ & Paraguariæ Rex Philippus IV. Decreto anni 1728. quod in legem (*b*) abiit Juris Indici: „ Los Portugueſes de la Villa de S. Pablo, Pueblo del Braſil, que diſta diez jornadas de las ultimas Reducciones de Indios de la provincia del Paraguai, contra toda piedad chriſtiana van cada año à cautivar los Indios de ella, y los llevan y venden en el Braſil, como ſi fueran eſclavos. Y por lo que conviene reprimir todo deſacato y exceſo cometido en deſervicio de Dios N. S. ordenamos y mandamos à los Governadores del Rio de la Plata, y Paraguai “, &c. Promulgato per Braſiliam hoc decreto, fuit quiſpiam auſus blaſphemare: Priuſquam mancipia, baptiſmum abjiciam.

Propter hæc & alia data fuit anno 1756. Inquiſitionis Officio (*c*) inhumanas hominum prædas cohibendi provincia: contemptaque a prædonibus, ut regia, etiam ſacra hujus Tribunalis authoritate, ſuppetias venit triennio poſt Urbanus, & legem tulit pari ratione contemnendam. Eam conitente Quinta Congregatione Provinciali Societatis Paraguariæ impetravit ejus procurator Franciſcus Diaztaño, quam & ſecum retulit in provinciam. Redux appulit in Braſiliam, ubi Eccleſiaſticus conſtitutionem promulgans auſu ſacrilego raptatus & conculcatus eſt. Haud temere Luſitanus Folicularius (*d*), dum pontificias recenſet conſtitutiones, nomen Urbani tacet, & antiquiores laudat Pontifices, ne ex temporis adjuncto tantæ calamitatis innoteſcant authores.

Quin-

(a) Mor. Pract. tom. 2. p. 67.
(b) Recop. Ind. lib. 6. t. 2. leg. 6. tom. 2. fol. 194.
(c) Claud. Clem. Tab. Chronol. Ind.
(d) Pontos princip. p. 1.

Digitized by Google

Quinque post datam Urbani constitutionem mensibus schedam dedit Philippus IV. qua mandaturum se ait, ut e Brasilia in Hispaniam cum quibusdam prædonum sæcularium quinque deportarentur sacerdotes, qui & ipsi mancipiis quasi decimandis operam dabant. Eodem ferme tempore, & eadem causa, concesso Indis armorum ignivomum usu, fusisque semel & iterum Lusitanorum copiis, ducibus ab Hispano Prætore subjectis, aperto decertare marte hostes excusarunt; sed nondum ad hæc usque tempora prædia populari cessant, & rure dispersos manu capere. Ita ut Brasiliana calamitas, modo tantum diversa, eadem in præsentia atque Urbani tempore revera sit. Eadem etiam fuit Sociorum utriusque temporis agendi ratio: nec tempus notatur, quo abjecto Indorum libertatem tuendi consilio, eosdem in servitutem redigere cœperint.

In Vita Gomezii Freire de Andrade (senioris), quam sermone Lusitano vulgavit Dominicus Texeira Augustinianus (a), narratur quanta Lusitani Socii sint passi pro tuenda Indorum libertate. Quod etiam argumentum sermone de Epiphania Ulyssipone prædicato versavit Antonius Vieira, qui cum aliis ea de causa suam extorris in patriam rediit. In lege quadam Lusitani juris per aliam a Rege Fidelissimo Josepho I. confirmata expulsio illa Sociorum temere facta declaratur anno 1755. Nec Castellani Socii a Lusitanis de tuenda Indorum libertate unquam discreparunt; nec unquam non leges pro Indis contra commendarum abusum, contra *malocas*, contra servitia prohibita vociferati sunt: & in America hujus causæ patroni semper habiti. Nunc vero repente ex actoribus rei traducti sunt, ausi libertatem, leges, bullas oppugnare, quas ipsi impetrarunt. Unde tanta, & tam subita scenæ mutatio?

Momentosus quidam rerum novarum commentor (b) ait: *Curiales omnes, ministri, tati exercitus tres, universi Brasiliæ incolæ testantur, Indos a Jesuitis in durissimam redactos servitutem: totum infelicium laboris proventum usurpari, quos denudant & opprimunt.* Die septima Junii 1755. qua lex illa Lusitani juris renovata fuit, dieque proxime priori sexta Junii, quando Missionum Societatis præfecto lege alia delegatum fuit de Indorum libertate judicium, nondum inter Curiales, ministros, exercitus, incolasve Brasiliæ, ea sententia inoleverat: quanquam primam jam aciem copiæ confecerant. Quo posteriore documento in tantam certitudinem evasit? Documentum anterius illud sit, ex quo Arnaldus factionis suæ patriarcha integro ante sæculo scripserat (c): *Non tantummodo populi minutias servitute premunt* (Socii Paraguajenses); *sed Episcopos etiam & Prætores mancipiorum habent loco.* Id vero quod mendacium a sæculo fuit; qua ratione mendacium esse cessaverit?

§. III. Parochiarum usurpatio.

Tertia criminatio est, quod indicarum parœciarum perpetuam usurpaverint curam; usurpatamque contra divinas humanasque leges hucusque retinuerint (d). In eam sententiam trahit Folicularius, quod Socii, quatenus regulares, ejusmodi Sacerdotiorum, quæ beneficia curata sunt, optione interdicuntur. Licet Summi Pontifices dispensaverint, ut ea possent administrare, permissum id esse tantum donec esset sæcularium clericorum copia. Proinde ut primum hi suffecerint, ad sua regulares claustra recedere oportet, innegabili conscientiæ principio, & rationibus a Solorzano ponderatis tom. 2. De Ind. Jure lib. 3. cap. 16. Verum hic author eodem loco ponderat, non tantum rationes, ut regulares doctrinis cedant, sed etiam rationes ut eas retinere pergant. Additque hujus partis esse *non leviora argumenta*. Proh fidem illa referentis, hæc prætermittentis.

Qui tumultuarias caverit allegationes, Jusque ipsum consultum velit, viderit plane, cunctas a Solorzano ponderatas prohibitiones esse de monachis, seu monasticæ vitæ professoribus, nullam de mendicantibus, nedum de Sociis qui nondum erant. Dicendum erat itaque, Socios interdictos esse Sacerdotium optione, non quatenus regulares, sed quatenus monachos. At Socii monachi non sunt. Et quamvis essent monachi, ex objecto Solorzano (e), ex totque Benedictinorum prioratibus, prioribusque, quot ubique terrarum sunt, fit palam esse posse curatos, nisi aliud obstet quam a Solorzano ponderata.

Non id a Pontificibus in Novo Orbe dispensatum est, ut regulares beneficia curata obtinere possent, sed ut parochiale munus obirent, *Ordinariorum licentia minime requisita*; quod Pius V. expressit (f). Si tamen Rex, aut qui pro Rege patronatum obeat, quempiam regularium ad doctrinam præsentaverit, dum beneficia institutione, vel consuetudine regularia sunt, & Episcopus collator parochum instituat, speciali opus non est dispensatione, ut regulares sint parochi. Quodsi necessaria sit dispensatio, in una Adriani VI. bulla hæc abundat, qua omnimoda confertur regularibus potestas. Dubium quod de Sociis esse poterat Jure Indiarum tollitur sequente lege (g): *Porque se ha dudado si los Religiosos de la Compañia de Jesus podian salir à las doctrinas de los Indios segun su regla, y parecio que por la Bulla de Adriano VI. lo podian hacer como los demas Religiosos; ordenamos que assi se haga y cumpla.* Id quod secundum antiquam Ecclesiæ disciplinam indubitatum est; cum expressum sit *Cap. Quod Dei, De Statu Mon.* quod Per an-

(a) Texeira; tom. 2. P. 2. lib. 2. pag. 290. num. 213.
(b) Novell. Interess. Contin. 6. pag. 12.
(c) Mor. Pract. tom. 3. p. 168.
(d) Pontos princip. &c. Pont. 3.
(e) Solorz. tom. 2. De Ind. Jur. lib. 3. cap. 16. n. 57. Vide Card. Petra tom. 2. ad C. Anastasii IV. sect. 1.
(f) Const. *Expost.* 24. Mart. 1567.
(g) Lib. 1. tit. 15. leg. 27. Recop. Ind.

Digitized by Google

antiquos canones etiam monachi poſſunt ad Eccleſiarum parochialium regimen ordinari.

Aliud eſt, ſi Epiſcopus vellet regularium quempiam parochum inſtituere, dum beneficium eſt ſæculare inſtitutione vel conſuetudine: quod ex moderna diſciplina facere nequit, niſi diſpenſante Papa. Idque declaravit Sacra Congregatio teſte Fagnano (*a*), & ex eo Benedicto XIV. in Conſt. *Cum nuper.* 8. Nov. 1751. dicente: *Cum fuerit requiſitum, an regularis poſſit præfici curæ animarum ab Epiſcopo ſine diſpenſatione apoſtolica, S. Congregatio Concilii cenſuit non poſſe niſi accedente diſpenſatione, quæ non videtur concedenda, niſi inſtante Epiſcopo pro neceſſitate vel utilitate Eccleſiæ... Ob id autem neceſſariam eſſe hodie diſpenſationem contra opinionem antiquorum Doctorum, quod ita de ſtylo ſervari conſuevit..* Hac poſtrema clauſula liquet, S. Congregationis ſententiam, & ſermonem eſſe de beneficiis ſæcularibus, quæ nequeunt religioſis ſine diſpenſatione & neceſſitate conferri. Non loquitur de beneficiis regularibus: nec ait, Papæ diſpenſationem eſſe neceſſariam, ut beneficium regulare, quod vacat, regulari conferatur: neque de ſtylo eſt, ut ea diſpenſatio petatur, deturve, maxime in Novo Orbe, ubi conſuetudo a Pio V. in citata Conſtitutione relata fuit, ut religioſi doctrinas adminiſtrarent ſine ſpeciali Papæ licentia, imo ſine licentia Epiſcopi, ſed ſola Pontificis licentia generali.

Supponit criminationis author, clericorum ſæcularium eſſe copiam, ut in doctrinas pro regularibus ſuccedant. Et alicubi forte copia ſit, ut Mexici, cujus Archiepiſcopus anno 1722. retulit ad S. Congregationem, eſſe in ſua vel civitate, vel diœceſi centum & ſeptendecim Sacerdotes ſæculares, præter alumnos Oratorii, & Collegii Apoſtolici (*b*), ac præter minoritas, quorum & Sacerdotum numerus quatuorcentum & quadraginta complebat. Petebat Archiepiſcopus, ut his non cunctæ regularium doctrinæ conferrentur, ſed ſexaginta ſolum ex centum & unde quinquaginta; totidem quippe a regularibus regebantur, videlicet a Dominicanis viginti quinque, ab Auguſtinianis quinquaginta & una, a Franciſcanis ſeptuaginta & tres, a Jeſuitis nulla: ut appareat, non eſſe cur Sociis receſſus denuntietur, ubi ſit clericorum copia. Archiepiſcopi petitio eſſet efficacior, quo tempore doctrinæ regularibus erant ſponſæ ſanguinis, ſtipendio tribulationis dotatæ, ſentibuſque ornatæ mortiferis. Sed hæc miſſa fecerim. Cedant utique regulares doctrinis, ubi copia ſit ſæcularium.

Sed in finibus Paraguariæ ad hæc uſque tempora etiam Hiſpani ruricolæ parochorum penuriam paſſi ſunt. Ad Bonas Auras quod ſpectat, tota Fluminis Argentei borealis ora a pago S. Dominici Soriani Montevideum uſque curatore deſtituta uno recens donata fuit, cum plures, ut fit illac, ſint colonorum diſperſorum ſedes. In Curuguatî Paraguai villa Franciſcanus ſupplet parochi ſæcularis defectum. Anno 1759. cum de removendis Sociis eſſet quæſtio, reſpondit Epiſcopus, nec eſſe regulares, nec ſæculares quos ſubrogaret. Quodſi ad Guaraniorum doctrinas, unde tot opes extrahi fama eſt, deſiderati ſunt; quid fiet de Taruma, de Timbo, de Mbajais in eodem Epiſcopatu?

Ad eas, quæ reſpiciunt auſtrum, pauciores ſunt linguæ periti. Cum Socii ad renuntiandum curæ Septempopulaniæ rebellantis paratos ſe ſiſterent, reſpondit Ill. Agramont Epiſcopus Bonaurenſis, non eſſe quibus provincia demandaretur. Succeſſor Ill. Baſurco, ut clericos pararet interpellatus a Curia, reſpondit ad parandos tempus dato longius requiri. Quid in hoc Epiſcopatu ſit de Abiponibus & Mocobiis? In finitima Tucumania eodem fere tempore Ill. Argandoña tradidit Sociis Villelarum curam, a Clericis ſæcularibus pridem ſuſceptam, facultate apoſtolica de ſolitis decennalibus vigeſima ſecunda, ſcilicet ſæcularium inopia.

Hæc quoad præſens attinet. De reliquo Rex Catholicus, qui antehac ex Europa Sociorum ſupplementa mittere conſuevit, aliorum Ordinum, vel de Clero Miſſionarios ſufficere deinceps poteſt. Nec obſtiterint Socii, quibus quidquid fama garriat perſuaſum eſt, doctrinarum ſacerdotia regii patronatus eſſe beneficia, haud libera quidem penſionibus. Nec a Sociis intruſione accepta ſunt, vel uſurpatione retenta; ſed regia voluntate. *Hê reſuelto* (ait gl. mem. Rex Philippus V. decr. 28. Dec. 1743. artic. X.), *que ſin hacer novedad en eſte punto continuen eſtas doctrinas al cargo y cuidado de los Padres de la Compañia.*

A principio Societas hujuſmodi miniſterio difficilem ſe præbuit, maxime ex quo Paraguai provincia diſtincta fuit. S. Franciſcus de Borgia (*c*), qui primos in Americam Hiſpanienſem Socios deſtinavit, P. Hieronymo Portillo primo Peruvii Provinciali injunxit, ne curialia ſuſciperet officia, quæ ſancta licet, aliena ab inſtituto ſunt: quanquam deinceps neceſſitati, & Proregis, atque Archiepiſcopi voluntati cedendum fuit. Quod vero aliena eſſe dicuntur ab inſtituto, expreſſum eſt can. 2. Congr. 1. Generalis, & pluribus CC. locis. (*d*) Decreto 139. Præpoſiti Generalis arbitrio relictum fuit, ut diſpenſare poſſet, cum beneficium confertur ad tempus, non in perpetuum. Sic porro conferuntur regularibus Indorum doctrinæ, ita ut amovibiles ad nutum ſint: idque ut in præſentationis fide exprimant, mandatum eſt Vice patronis. Eſtque igno-

(*a*) Fag. in C. *Quod Dei, De ſt. mon.* n. 17.
(*b*) Theſaur. Reſol. S. C. C. tom. 2. pag. 203.
(*c*) Hiſt. Soc. P. 3. lib. 6. n. 265. pag. 325.
(*d*) Part. IV. CC. cap. 2. §. 5. Et P. VI. cap. 3. §. 5.

Digitized by Google

ignorantiæ vel malitiæ, quod uſurpata imputetur perpetua cura, ubi perpetuitas nulla eſt.

Poſtulatis Primæ Congregationis Paraguai Provinciæ anno 1608. celebratæ reſponſum eſt: *De ningun modo ha parecido convenir, que los nueſtros tomen a ſu cargo como parrocos el cuidado de las almas.* Sed objecta locorum & temporum neceſſitate, cura tandem conditionibus admiſſa eſt a P. Mutio Viteleſchi expreſſis Epiſtola data 17. Junii 1619. ubi ait: *Lo de ſer curas los nueſtros entre Indios, debe entenderſe, donde no hai miniſtros, que les accudan: y en haviendolos eximanſe de ſemexante cuidado, aiudando à los curas externos, como la Compañia ſuele en todas partes, no por obligacion ſino ex charitate. Y aſi deſeo y encargo mucho, que en eſto de encargarſe los nueſtros de ſemexante oficio, ſe vaia con mucho tiento.*

Prodiit haud ita poſt Gregorii XV. Conſtitutio *Inſcrutabili*, de qua utrum in Indiis obtineret, necne, dubitatum eſt ex jure peculiari per Pium V. inducto connitente Rege Catholico; utrum in Hiſpania accepta eſſet, necne; utrum ab Urbano VIII. revocata vel ſuſpenſa; an ſuſpenſio in Indiis obtineret. His nondum deciſis, Epiſcoporum alii parochos regulares ſuæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni ſubjicere tentarunt; alii immunitati, donec dubia deciderentur, pepercerunt. Interea Societas doctrinis emigrare conſtituit; ſed quia par manebat neceſſitas; & Epiſcoporum viſitationem, correctionemque tantum fore declaratum fuit quoad munus parochiale (*a*), & Societati conceſſum eſt, ne Præpoſiti parochum removentes cauſam proferre cogerentur (*b*), P. Vincentio Carrafæ Præpoſito Generali probatum fuit, ut id miniſterii prorogaretur. Difficultatis non nihil ex eo fuit, quod Vicepatroni arbitrio parochi nominatio relinquitur; ſed arbitrio ad tres a Prælato regulari exhibendos arctato, tranſactum id etiam eſt. Et a Calendis Junii 1654. ſecundum leges patronatus ſequens forma inſtituta eſt: Provincialis Prætori Vice patrono tres exhibet religioſos numeris 1. 2. 3. diſtinctos, ex quibus ille unum ſeligit, quem Epiſcopo ſiſtit canonice inſtituendum collato titulo. Hunc removere penes Prælatum regularem eſt, Epiſcopo de facto admonito, & tribus aliis pari forma propoſitis. Conſtatque ex memorato Philippi V. decreto (*c*), eam formam uſu vigere, patronatus leges obſervari, & non alibi Indiarum regium patronatum, juſque Imperii & Sacerdotii firmius conſtitutum eſſe.

Ex his liquet, quam procul abſit objecta uſurpatio, & *innegabile conſcientiæ principium*, quo Jeſuitæ Chriſtiani gregis partem, a Deo, Eccleſia, & Rege commendatam, tantoque ſudore & ſanguine conquiſitam, congregatam, & conſervatam deſerere teneantur. Chriſtianis legibus conformior ſit ſermo, ſi dixeris, *innegabili conſcientiæ principio* Jeſuitis cavendum, ne ſemel ſuſceptam deſerant gregis cuſtodiam, dum legitima poteſtate ſubrogatis paſtoribus aliis non removeantur. Iterum repetere juvat: Rex Dominus & Patronus eſt. Si in hanc vineam operarios alios immitti velit, per nos licet. Pigebit tantum, quod placitum factis aut juribus nitatur a vero & juſto alienis.

§. IV. Uſurpatio politici regiminis.

Sociis etiam Hiſpanis, Paraguajenſibus præſertim imputatur, quod Indorum regimen temporale uſurpaverint. Id quod factis adnumeratum, atque nullo documento ſuppoſitum (*d*) adverſari dicitur Conſtitutioni Alexandri VII., quæ incipit *Sacroſanctli Apoſtolatus*, & Conſtitutioni Clementis IX. quæ incipit *In excelſa*, & Juri Canonico (*e*). Hæ vero leges univerſis imminentes urgent maxime Societatis Patres, qui teſte ſuo Sanchez (*f*) exercendæ in foro externo etiam eccleſiaſticæ juriſdictionis incapaces ſunt. Aggravatur delictum injuria, qua Indis ſtoliditatem appingunt, & incapacitatem gubernandi, cum ex Solorzano conſtet (*g*), idoneos eſſe, omniumque convenientiſſimum *caciquiale* regimen.

Conſtitutio *Sacroſanctli Apoſtolatus*, & Clementina *In Excelſa*, cum pro Goa, & Miſſionibus orientis datæ ſint, ut ex earum tenore conſtat, atque Aſiatici ab Americanis ingenio magis quam loco diſcrepent, abs re ſunt, quo ad Paraguariam attinet. Sed quidquid de hoc ſit, illæ prohibent, ne parochi in politiam ſæcularem ſe ingerant: quod clericis & monachis jure canonico loco citato, & pluribus aliis interdictum eſt.

Caput *Sed nec. 4. Ne clerici, vel mon.*, & Caput *Clerici. 1. De Poſtulando*, quibus ſæcularia negotia clericis interdicuntur, duo fragmenta ſunt ejuſdem canonis Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III., ubi exprimitur, ne valeat interdictum de negotiis ſæcularibus perſonarum miſerabilium, quæ illa adminiſtrare non poſſunt. Eademque exceptio in Jure Hiſpano Partitarum expreſſa eſt (*h*). De Indis vero Americanis hæc habet Jus Indicum (*i*): *Los Indios ſon perſonas miſerables, y de tan debil natural, que facilmente ſe hallan moleſtados y oprimidos.* Et eſt Regis voluntas ibidem manifeſtata: *Que tengan el remedio y amparo conveniente por quantas vias ſean poſibles.* Una de poſſibilibus ratio eſt, quam uſus & conſuetudo in Doctri-

(a) Leg. 23. t. 15. lib. 1. Recop. Ind.
(b) Decr. 28. Dec. 1743. artic. 11. Fraſſo cap. 65. de Reg. Ind. Patron.
(c) Decreto nuper laud. art. 11. fine.
(d) Pontos princip. Ponto IV.
(e) C. *Sed nec 4. Ne cler. vel mon.*
(f) Lib. 6. Decal. cap. 18. num. 28.
(g) Tom. 2. De Ind. Jur. cap. 25. & 26. Item Tom. 1. l. 2. c. 8.
(h) Part. 1. tit. 6. leg. 45. & 48. & Gregor. Lopez ibi.
(i) Leg. 13. t. 7. lib. 1. Recop. Ind. III. D. Felicianus de Vega apud & cum Ill. Villarroel Gov. Eccl. P. 2. q. 14. a. 3.

Digitized by Google

ctrinis Paraguajenſibus firmavit, de quibus Philippi V. decretum eſt: *No es mi real animo ſe haga novedad en el expreſſado manexo de bienes; ſino antes bien que ſe continue lo practicado haſta ahora deſde la primera reduccion de eſtos Indios, con cuio conſentimiento, y con tanto beneficio de ellos ſe han manexado los bienes de comunidad, ſirviendo ſolo los curas doctrineros de directores, mediante cuia direccion ſe embaraza la mala diſtribucion, y mal-verſacion, que ſe eſperimenta en caſi todos los pueblos de Indios de uno y otro reino. Y aunque por cedula de 1661. ſe mandó, que los Padres no exercitaſen el cargo de protectores de los Indios; como quiera que eſta providencia reſulto de haverles ſindicado à los Padres, haverſe introducido en la juriſdicion eccleſiaſtica y ſecular, y que impedian con el titulo de protectores la cobranza de los tributos, loque reſulté ſer incierto, y juſtificadoſe lo contrario por tantos medios, y que ſolo la proteccion es para dirigirlos y governarlos en quanto conduce à ſus conveniencias eſpirituales y temporales; Hê tenido por conveniente declararlo aſi, y mandar como le hago no ſe altére en coſa alguna el método con que ſe goviernan los pueblos en eſte particular.* Hæc in illius decreti articulo IV. Articulo vero V. indicitur obſervanda conſuetudo, qua Indus Conrector a Prætore conſtituitur ex conſilio Patrum; haud aliter atque mos confirmandi electionem reliquorum magiſtratuum; in quibus non in parochis oppidorum regimen, authoritas, imperium, & juriſdictio politica reſident, quantum ex jure indico Indis conceditur. Cum itaque miſerabiles Indi ſint, & ope indigentes, in caſu Socii ſunt jure canonico excepto, aptatique gerendis temporalibus illorum negotiis.

Hæc tamen omnia ſuperſunt: nam Socii Indorum negotia gerunt, & adminiſtrant dirigendo: quod nec monachis nec anachoretis interdictum eſt. Quodſi finem obſervent, atque modum ſuis conſtitutionibus præfixum, ſalva ſunt pontificia regiaque jura. In præſentia de modo non arguimur: & olim objecta ciminatio refutata eſt tandem ſolemni judicio in decreto, cujus nuper memini, indicato. Nec de fine adminiſtratione intento præſens eſt criminatio: qui certe alius eſt longe ab eo qui jure reprobatur, dum de negotiis clerico interdictis ſermo eſt: *Pro eo ut potentibus placeant.* Alio ſpectare oportet eum, qui patriam ſponte ſilvis & barbaricæ conſuetudini poſthabet, odio potentium obnoxius, ut fit.

Tota præſens imputatio de materia eſt adminiſtrationis, temporalis & profanæ. Sed reſpondere licet, quod de profana literatura ſcribit Tomaſini (*a*): *Literæ profanæ, profanæ non ſunt, niſi cum ſolæ ſunt, neque finibus iis, uſibuſque inſerviunt, quibus religio & pietas promovetur.* Sociis id unum profanum eſt, quod religioni & pietati adverſetur: id immundum, quod Deus non ſanctificet. An intelligit Folicularius quod affirmat, Socios eſſe ratione voti juriſdictionis in foro externo exercendæ incapaces? Quidquid ſibi velit, de juriſdictione fori externi vel interni, eccleſiaſtica vel ſæculari, nullus in præſenti eſt ſermo; ſed de curatore in conſcientia & ex Deo politicam & œconomicam adminiſtrationem dirigente: contra quod nihil habet appellatus Sanchez.

Ad Indorum captum quod ſpectat, pejora quam a Sociis, ab aliis memoriæ prodita ſunt. Illorum ſententiæ ſumma ſit, Guaranios natu maximos duodenni puero comparandos: quod etiam de Mexicanis habet Fr. Joannes de Torquemada Franciſcanus (*b*). Totumque legenti Solorzanum in objectis locis facile perſuaſum erit, non per injuriam nec temere in eam ſententiam ventum eſſe. Erit Indorum aliquis e grege ſolertior, ut ſunt duodennes apud nos, qui mentis acumine, judicii maturitate, vel malitia ætatem ſuperent. An hæc ſint ſatis, ut contra majorum de tutoribus & curatoribus inſtituta, œconomicum familiarum, politicum regnorum regimen duodennibus credatur, inimici noſtri ſint judices.

Schedæ regiæ a Cenſore ex Solorzano citatæ, & poſt hujus Juriſconſulti deceſſum in Jus Indiarum relatæ, ſunt duæ. Altera (*c*) in oppidis Indorum præſcribitur electio magiſtratuum. Additurque, *ut fiat id coram parochis.* Quod a cenſore diſſimulatum eſſe dedecet, ex eo quod praxi Sociorum apud Guaranios faveat. Altera (*d*) Magiſtratuum indicorum juriſdictio ad inquirendum reſtringitur, ad capiendum reos in cuſtodiam Hiſpanorum portandos, ad puniendum Indos qui ſacro non interſint, aut ſe inebriaverint, aut ſimile quid peccaverint, unius diei carcere, aut ſex octove verberibus. Ex cujus poſtremæ punitionis natura, & numero verberum confici poteſt, jure-ne, an injuria definiverint Socii Indorum puerilitatem. Allegandis regiis ordinationibus ſuperſedeat cenſor, ut Bachovii citationes accumulet, atque Plinii e Trajani ſæculo ad notionem Guaraniorum opportune translati.

Ex argumentis a cenſore ſuppreſſis, quibus Solorzanus (*e*) Indorum captus futilitatem probat, illud eſt, ultra quinque numeros ignoraſſe. At ratio Guaraniorum erat arctior, dum ne quinque quidem numerare noverant. Eorum certe idioma quatuor tantum numerat: quibus ſiquid addendum eſt uſque ad viginti, non aliud quam totidem e manibus aut pedibus digiti vel explicantur, vel oſtenduntur. Dum vero authoribus Sociis, certis diebus plures myriades alternis numerant, hiſpani ſer-

(a) Tom. 2. Diſcipl. Eccl. lib. 1. cap. 93. §. VIII. pag. 260.
(b) Torq. Mon. Ind. lib. 17. cap. 19.
(c) Leg. 15. t. 3. lib. 6. Recop. Ind.
(d) Leg. 16. eod.
(e) Solorz. to. 1. de Ind. Jure, lib. 2. cap. 7. num. 92.

Digitized by Google

in ſermonis ſupplementum accedit: & populi ſcriba tono præcedit, ne errent, verbatim repetentes. Quid alii ſenſerint de Indorum maturitate, videre licet apud D. Franciſcum Lopez de Gomara (*a*), ubi Fr. Thomas Ortiz Dominicanus ſuo aliorumque experimento gentis barbariem explicat, & inter alia ait: *Son como aſnos, abobados, alocados, inſenſatos... No tienen arte, ni maña de hombres*. Quorum ſi vel partem credat, haud ægre cenſor convenerit, Indis aſſeſſore utendum, etiam ut jumenta regant.

§. V. De Commercio.

Societatis Americanæ Miſſionariis imputatur, quod terreſtre, & aquatile Indorum commercium uſurpaverint. Et quanquam imputatio nullo diſcrimine fit contra Luſitanos atque Hiſpanos; de illis ſilendum nobis eſt, quorum ignoramus geſta. De conſiliorum communione inter Paraguai & Marañonis Miſſionarios authentice conſtare, libello (*b*) diffamatum eſt. Sed quia falſum id eſſe certo novimus, falſitatem ſuſpicari licet in iis, quæ eodem authore, & eadem authenticitatis ſpecie producuntur. Uſurpatum commercium ſine teſte ſupponit alter (*c*), & proſequitur, negotiationem eſſe prohibitam Matthæi cap. 10., jure canonico (*d*), biniſque Urbani VIII. atque Benedicti XIV. literis apoſtolicis, quibus aliam magis argumento affinem allegare poterat Clementis IX. Certum ſubiungit eſſe, excepta rerum ſuperfluarum venditione, & earum emptione quæ neceſſariæ ſunt, univerſam negotiationem interdicto comprehendi, etiam provenientem ex opificio, quod clericos & religioſos non maxime deceat, ut tradit Gonzalez-Tellez (*e*).

Negotiationibus, quas appellat veras & ſtricte tales, annumerat pelles accumulare, non ait pelles emere ad vendendum, ſed accumulare. Alia nominat Paraguariæ prorſus ignota. Ex quibus lapſi, indurati, ſubmerſi cenſurarum pelago denuntiamur; quin faveat ad induendos, cibandoſque Indos hæc fieri, ad erigendaſve ſacras ædes; nam Indi nudi ſunt & famelici, ſumptus vero ædium ſacrarum a Regibus fieri juſſum eſt, vel ab Indis ipſis, ut ait Gonzalez (*f*). Et ut cauſa vera ſit, nec altarium gratia peccare licet, maxime cum neceſſitas aliena ſit, non propria, qualis ad purgandam turpitudinem opus erat (*g*). Quodſi propria ſit neceſſitas, negotiari licebit, ad ſublevandam non ad coacervandas opes (*h*).

Fons (*i*) unde documenta hæc hauſta ſunt, paribus abundat, quæ mirum eſt a cenſore prætermitti. Deſideratur cum primis *Canon VII. Primi Concilii Eccleſiæ ab Apoſtolis celebrati* (*k*). Si citatio hæc in gregali quopiam folio ex tot diſſeminatis extaret, minus eſſet miranda, quam in documento tot nominibus ſpectabili. Cujus Eccleſiæ eſt primum illud concilium? In Chriſtiana quippe primum concilium ab Apoſtolis celebratum, cujus canones ſeptimum attingant, ignotum prorſus eſt. Noti quidem ſunt canones, qui apoſtolici dicuntur, quod regulas contineant ſeu ordinationes ab Apoſtolis derivatas. Longe tamen abeſt, ut Eccleſia illos noverit, acceperitve tanquam canones primi, aut alterius eccleſiæ concilii ab Apoſtolis celebrati.

Quod evangelio Matthæi capite a cenſore citato, vel quod citare potuit, prohibetur, ad Chriſtianos omnes ſpectat, nec tantum ad eccleſiaſticos. Id vero quod Chriſtianis univerſis interdictum eſt, eſt comercium? Eſt negotiatio? Quid ergo cenſor hac citatione ſibi vult? Illud eſt indubitatum, jure canonico interdictam eſſe eccleſiaſticis negotiationem ſive commercium. Hoc vero quid ſit, eodem jure traditur (*l*): *Quicunque rem comparat, non ut ita integram immutatamque vendat, ſed ut materia ſibi ſit inde aliquid operandi, ille non eſt negotiator; qui vero rem comparat, ut integram & immutatam vendendo lucretur, ille eſt mercator*. Id igitur eſt, quod clericis & monachis interdicit jus canonicum, Bulla Urbani VIII. Clementis IX. Benedicti XIV. & quotquot leges commercii & negotiationis prohibitivæ ſunt.

Alia utique negotia interdicta clericis ſunt, ut officium tabernarii, chirurgi, judicis in cauſa ſanguinis, armis indui, venationi operam dare, alea ludere, ſuſpectis fœminis cohabitare, clericum exuere, aliaque. Hæc tamen non prohibentur, quod negotiatio ſint & commercium. Idque patet, quia ſunt plura his affiniora negotiationi, nec tamen prohibita. Exempli gratia, non eſt prohibitum, imo jure commendatur (*m*), quod *Clericus victum & veſtimentum ſibi artificiolo, vel agricultura... paret*. Monacho interdictum non eſt omnimodum negotium: imo reprehenditur otioſus (*n*): *Si Apoſtoli habentes poteſtatem de evangelio vivere, laborabant manibus ſuis nequem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria... cur tu in uſus tuos ceſſura non præpares? Vel fiſcellam texe junco, vel caniſtrum lentis plecte viminibus*. Hæc licet negotia ſint, & negotiatio quædam, nulla prohibentur lege. Alia, quæ negotiatio ſtricte non ſunt prohibentur, non tamen lege, quæ de negotiatione ſit, & qua unice nititur cenſor, cujus negotium eſſe videtur, ut argumenta confundat quadrata rotundis.

Ait,

(a) Gom. Hiſt. de las Ind. cap. 217.
(b) Reflex. d'hum Port. Refl. 11.
(c) Pontos princip. P. 5.
(d) *Cap.* 2. & 6. *Ne cler. vel mon.*
(e) Gonz. in dict. cap. num. 6. & 7.
(f) Gonz. in C. 1. de Eccl. ædif.
(g) Barboſa, lib. 1. De Jur. Eccl. c. 4. n. 119.
(h) Molina, De Juſt. d. 349. n. 11.
(i) Edict. Card. Sald. 15. Maii 1758.
(k) In Notis ad cit. Editum pag. 1.
(l) Can. *Ejiciens*. Diſt. 88.
(m) Can. *Clericus*. 3. D. 91.
(n) Can. *Nunquam*. De Conſecr. D. 5.

Digitized by Google

Ait, hac negotiationis & commercii prohibitione comprehendi, excepta ſuperfluorum venditione, & neceſſarium emptione, omnia negotia non *multum* decentia, & hanc eſſe unanimem Doctorum ſententiam cum Gonzalez. Ex edicto (*a*) citato, ubi totidem verbis extant, tranſcripta hæc ſunt a cenſore; aut vice verſa. Sed Gonzalez (§ *b*), qui unus utrobique citatur, cum bona venia, citatur longe a vero. Trifariam dividit negotiationem hic author. Eam primo, qua venduntur ſuperflua, emuntur neceſſaria. Secunda eſt, cum quid eo emitur, ut non mutatum vendatur. Tertia, cum res empta, & in meliorem formam redacta, carius venditur ad lucrandum. Negotiatione primi generis non interdicuntur Eccleſiaſtici. Secunda non licet, ſive per ſe negotientur, ſive per alium, qui actor principalis non ſit. Aliud de principali fore ait Theophylus contra Molinam & Gutierrez. Si clerico v. g. cum mercatore conveniret, ut ille pretium, hic operam conferret communi utriuſque lucro. Quoad tertii generis negotiationem, eam diſtinguere oportet, quæ decet, & quæ non decet clericum vel monachum. Dedecet vendere animalium occiſorum carnes. Non dedecet animalia vendere in paſcuis nutrita propriis. Hortum conducere non poſſunt, Diana judice (*c*), ut vendant fructus. Poſſunt libros, quos lucubrant, typis dare excudendos. Manufacta propria utique poſsunt vendere. Sed habenda præ oculis diſtinctio juſtiſſima, prudens, & pia S. Baſilii (*d*).

Hæc eſt tota Doctorum cum Gonzalez loco citato doctrina. In qua non videris, prohibitione commercii comprehendi univerſas negotiationis ſpecies, excepta ſuperfluorum venditione, neceſſarium emptione. Neque videris comprehendi cuncta religioſorum manufacta, cum *multum* decentia non ſunt. Nonne ſat erat affirmare, vel affirmatum imputare ea prohibitione comprehendi manufacta indecentia? At ne id quidem habet laudatus author, qui licet recte doceat, aliqua manufacta vel opera eſſe indecentia, non docet eſſe commercii prohibitione comprehenſa; ſed in medio relinquit, an ſuapte natura, an alia lege illicita, & indecentia ſint.

Certius eſt adhuc, ait cenſor (*e*), ſtrictam eſſe negotiationem, pelles ad vendendum ſaliri & accumulari. Et in Edicto, lamentabilis corruptionis exceſſus judicatur ſalitura pellium & accumulatio ad vendendum. Hoc tantummodo negotium eſt ex ibi numeratis quod ad Paraguariam ſpectare poſſit; etſi latet, ubi terrarum conſueta ſit pellium ſalitura. Forte apud Moſcoviam. In accuſatis vero Miſſionibus res eſt inaudita, & plane ridicula, plurium quippe jactura pellium opus erat ad unius ſalituram, & ſumptus major quam ſi condiendæ ſint ſaccharo. Ad commercii certe quod imputatur, ſale an ſaccharo condiantur, minimi refert. Fateor. Hinc tamen elucet, unde ductæ ſint libelli, atque edicti lineæ. Eſt aliud ad edicti ſummam propius ſpectans, quod 28. Maii 1758. ſit typis ſignatum, cum delegata viſitatio ſit inita triduo poſt, videlicet 31. Maii (*f*).

Proculdubio ſi pelles emptæ accumulantur, ut lucro vendantur invariata forma, commercium eſt, & negotiatio religioſis, clericiſque interdicta. Invariata, inquam, ſi enim quas piloſas & crudas emiſti concinnes, præſertim propria, vel tui mancipii manu & opera, non alia mercede conducta, ſtricta deſinit eſſe negotiatio, quia deſinit eſſe emptio & venditio lucroſa ſub eadem forma. Eſtque ſententia Gloſſæ expreſſa (*g*), inter negotia permiſſa numerantis *Emere corrium, & inde facere ſotulares*.

Conſueta Miſſionum, Collegiorumque hujus provinciæ praxis hæc eſt: Boum ad veſcendum interſectorum coria ſine ſale accumulantur. Æs alienum ſæpe argenti defectu coriis diſſolvitur, quæ cumulo accreſcunt, vel decreſcunt, prout debita ſint activa, vel paſſiva. Raro jam Indi ad pellificandum mittuntur peregre. Si jus ad pellificandum non Miſſionum ſit, ſed alicujus collegii, vel domus Societatis, non mittuntur Indi, ſed mercede conducti, cum mancipia deſiderantur. Indo vero, ſiquis vernaculus aut indigena liberam præſtet operam, eadem atque liberis ſolvitur merces. Dum res eſt Miſſionum ab Indis conficienda, merces non ſolvitur; ſed proventus bonis eorum communibus additur.

Cum in eodem loco par operæ pretium eſt, ibi coria veneunt. Sin aliter, expectatur donec onerandæ rati, vel ſcaphæ ſit ſatis, ex uno, vel ex pluribus oppidis. Tunc expediuntur Bonas Auras, aut longius Hiſpanis venundanda, vel cum rebus venditori neceſſariis commutanda. Hæc de more ſunt, ſic pelles accumulantur & diſtrahuntur. Et hæc eſt interdicta negotiatio? Ea propter lapſi, & merſi judicamur cenſurarum pelago? Hoc lamentabile corruptionis eſt barathrum? Contemnendus cum ignoto cenſore libellus ſit. Edictum tamen, dicere liceat, ejuſve dictatum ei commendari oportuit, qui canonum ſacrorum doctrinam propius ſalutaſſet.

Cum negotiatio ſtricta vel propria non eſt, ſed clericum dedecet, & lege prohibetur: ſi lex hæc pœnam ſententiæ latæ non contineat, hæc non incurritur, quamvis contineatur in Bulla, qua ſtricta negotiatio prohibetur. Exempli gratia, quod monachi *firmas* habeant, ideſt, prædia conducta ut fructus vendant cum lucro, negotiatio ſtricta non eſt,

ſed

(a) Edicto. pag. 11.
(b) Gonz. in *C. Inſtituta. 6. Ne clerici, vel monachi.*
(c) Diana, P. 11. tr. 6. R. 10.
(d) Baſil. cap. De Conſt. mon.
(e) Pontos &c. p. 7. Edict. pag. 9.
(f) Inſtructio, ſeu Memor. Curiæ Rom. ad Nunt. Ulyſſip. tom. XVIII. Collect. Botagrif. *Lett. Gieuſtif.* pag. 30.
(g) Gloſſ. in *C. Canonum.* 14. q. 4.

Digitized by Google

ſed eſt expreſſe prohibitum jure eccleſiaſtico (*a*), apud Hiſpanos (*b*) accepto: prohibitumque excommunicationis & anathematis pœna, quæ cum latæ ſententiæ non ſit, non incurritur, donec feratur. *Sub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi vel clerici cauſa lucri negotientur; & ne monachi vel a clericis, vel a laicis firmas habeant.* Ubi duo præcepta ſeu prohibitiones ſunt in eodem canone. Prohibetur negotiatio lucrativa & ſtricta: & prohibentur firmæ. Utrunque obligat in conſcientia, & ſub excommunicatione: quæ cum ſententia lata non exprimatur, ex regulis Juris (*c*) ſententiæ eſt ferendæ. Sed quia per Clementem IX., tacito ſecundo de firmis præcepto, primum de negotiatione aggravatum eſt pœna excommunicationis latæ ſententiæ; hæc primi tranſgreſſione incurritur, non ſecundi, niſi alia lege vel ſententia irrogetur. Nulla hujuſmodi lex hucuſque pro America prodiit. Nec contra ſtrictam negotiationem ulla fuit uſque ad Clementem IX., ex quo Paulus V. Concilii Limani excommunicationem abrogavit. Quo igitur jure nititur cenſor, ut nos habeat excommunicatos ob negotia id genus, quamvis commiſſa illa eſſent?

Sed & hoc inficiamur, quia etiam hoc eſt falſum. Nullum a Sociis in Miſſionibus negotium de prohibitis geritur, geſtumve unquam eſt. Trifariam dividit Argiro negotiationem (*d*). Politicam, œconomicam, lucrativam. Politicam appellat quæ *exercetur* ad ſubveniendum publicis neceſſitatibus, nullo accepto lucro in re empta: quam nullus dubitat eſſe in clericis laudabilem, nedum *licitam*. Negotium eſt in Miſſionibus agrorum cultus: armenti ad victum, vel ad laborem emptio: venditio fructuum ad comparanda neceſſaria: negotium eſt curatori ſine lucro, & ſine diſpendio: nam ſynodus, quam appellant, æqualis eſt, ex Regis ærario ſuffecta, ſin minus ex oppidi bonis. Negotium eſt ad ſubveniendum publicis & privatis neceſſitatibus. Sed quia negotia hæc ex pietate & religione obita ſumma laude commendabilia ſunt, geſta finguntur inviſa, inauditaque, ad calumniandum, & infamandum nata. Cum tamen hæc jam irrefragabili judicio definita ſint (*e*), cauſam obtinere apud Tribunal Innocentiæ, & Veritatis non deſperamus.

Subjungit cenſor, Indos incedere nudos & famelicos. Dum de Guaraniis loquitur, plane mentitur, quamvis trium exercituum notorietatem appellet. Quin etiam in eo mentitur, quod trinis exercitibus attribuit. Splendidius quidem veſtiri & cibari poterant Indi; ſi facta copia uti noſſent, aut vellent. Si tamen negotioſa æque, atque laudabili curatorum directione, cultus Indorum eſt uſque adeo *inſignificans*, quid fieret curatorum otio? Ait mandata dediſſe Reges, ut ſuis ſumptibus eccleſiæ conſtruantur. De ignoto mandato fides penes cenſorem ſit, cujus erit indicare, cui ſit creditum ad ædificandum æs. Utinam hoc ſi verum habet mandatum, aliaque Regum pro religione decreta fiant. Apud Guaranios, eorum opera templa conſtruuntur, & conſtrui debent. Alibi curatores quam poſſunt præſtant opem, ſuis interdum manibus, humeris, & arte: quibus lex regia campanam, calicem, & ſacram unam veſtem ſuppeditat.

Mandatum etiam eſt ab utriuſque regni Rege, & a Summo Pontifice, ne Paulitani Chriſtianitatibus his eſſent infeſti, ne has eccleſias deſtruerent. Sic vero eſt obtemperatum, ut quod meminiſſe pudet, plura neophytorum oppida, quam urbes in ditione ſint Luſitana, vaſtaverint. In lege quadam a Fideliſſimo Rege Joſepho I. data, & a Regio Miniſtro D. Carvalho ſubſcripta 7. Junii 1755. narratur, Indos *multorum millionum* numero in Braſiliam tractos ex earum regionum meditullio extinctos ſic eſſe, ut rariſſimi ſint Indorum ſuperſtitum pagi, & pagorum incolæ. Hoc extinctorum ad *milliones multos* numero in lege expreſſo, cujus certe authores Jeſuitæ non ſunt, fit ne incredibilis appareat mille leucarum depopulatio, & tercenties mille Paraguajenſium captivitas, quæ ſchedis conſtat regiis, & documentis ſæculi proxime elapſi, & modo labentis, nominatim ſcheda data 17. Decembris 1639., quæ in alia 26. Novembris 1706. refertur, & edicto Philippi V. laudato Artic. VI. Qui vero Paraguajenſes tot numero captivos in Braſiliam abduxit, Jeſuita certe non fuit, etſi Jeſuitarum togam induit perſonatus quiſpiam ad decipiendum. Sic Regum mandatis de ſpirituali, atque de materiali apud Indos eccleſiarum ædificatione obtemperatum eſt. Utinam eccleſiæ piiſſimorum Regum auſpiciis utut ædificatæ non eſſent ſubverſæ.

§. VI. Hiſpani ſermonis interdictum.

Sociis Paraguajenſibus imputatur (*f*), quod Hiſpani ſermonis uſu Guaranios ſuos interdixerint, ad intercipiendam Hiſpanorum conſuetudinem, ad celanda reipublicæ infelicis arcana. Accedit, quod Rex Catholicus magiſtros conſtitui, Indoſque ſermonem Hiſpanicum doceri iterato (*g*) juſſit. Et famigerato Philippi V. decreto indicitur nominatim Patribus, *Que indefectiblemente mantegan eſcuelas, y procuren que los Indios hablen la lengua eſpañola*. Nec tantum id ex ratione politica obſervandum erat; ſed religione, tum quia expli-

(a) *Cap. 6. Ne cler. vel mon.*
(b) Tom. 3. Autos acord. añad. a la Recop. lib. 9. tit. 18. auto 4.
(c) Regula 49. Juris in 6. Et Reg. 107. ff. De Regulis Juris §. 2.
(d) Argiro lib. 8. diſcept. 10. n. 5. pag. 331. & ſeq.
(e) Decr. 28. Dec. 1743.
(f) Rel. da Rep. Pag. 4.
(g) Lib. 1. t. 13. l. 5. Et lib. 6. t. 1. l. 18. Recop. Ind. Decr. 28. Dec. 1743.

Digitized by Google

plicandis fidei myſteriis impar eſt Indorum ſermo vel perfectiſſimus, tum ad vitandam barbaricæ explicationis indecentiam.

Tria imputationis capita, de idiomate interdicto, de cauſa interdicti, ac de tranſgreſſione mandatorum, definita jam pridem ſunt. Nunc vero reproducuntur diſſimulato, an contempto Principis qui ſententiam tulit judicio? Malim dicere, ad fallendum diſſimulari quidquid errorem fugare poſſit. Ex acceptis informationibus, ait Philippus V. (*a*) conficitur, *Que ſolo hablan eſtos Indios ſu idioma natural, pero que eſto no es por prohibicion de los Padres Jeſuitas, ſino por el amor que tienen à ſu nativo lenguage, pues en cada uno de los pueblos hai eſcuela de leer y eſcribir en lengua eſpañola... Y que aſeguran los Padres, que ſolo les ha faltado el uſar los medios de rigor, los que ni la lei previene, ni les ha parecido conveniente. He tenido por bien hacer encargo eſpecial à los Padres, para que indefectiblemente mantengan eſcuelas en los pueblos, y procuren que los Indios hablen la lengua caſtellana, arreglandoſe à la lei* 18. *t.* 1. *lib.* 6. *de la Recopilacion de Indias, aſi por lo que conviene à mi real ſervicio, como por evitar y deſvanecer las calumnias, que ſobre eſte particular ſe han ſuſcitado contra la religion de la Compañia.*

Hiſpanus itaque ſermo neque a Patribus vetatur, neque ad intercipiendam cum Hiſpano conſuetudinem vitatur. Imo prohibendum erat Hiſpanicum idioma, præcipiendumque Guaranicum, ut eſſet facilior cum Hiſpano conſuetudo. Paradoxum plane veriſſimum; nam Hiſpani Guaraniis finitimi ſunt Paraguaii, Villaricani, Correntini, quibus Hiſpano vulgatior eſt ſermo Guaranicus, ut ex Actis Sanctafidenſibus liquet prima parte relatis, eſtque notorium. Et quidem inter Guaranios, Paraguajoſque Hiſpanos ea propinquitas eſt, ut brevis horæ ſpatio qui hæc ſcribit a prædiis Miſſionum ad prædium *de Cabañas* Hiſpani haud ægre venerit. Suas utique patavinitates habet Guaranicus Paraguajorum ſermo; ſed in argumentis, ut vulgo fit, de trivio ſumptis ſatis ſuperque ad uſus utriuſque gentis reciprocos intelligitur. Viderit ergo qui cæcus non ſit, prohibendum fuiſſe potius ſermonem Hiſpanicum, præcipiendumque Guaranicum, ut Hiſpani Guaranios magis frequentarent.

Sed a Sociis nec ad commercii facilem, nec ad difficilem frequentationem interdictum idioma eſt. Præter ſcholas ſeu ludos ad legendum ſcribendumque hiſpanice; pars lectionis vel ſcripturæ memoriter reddenda deſignatur. Puerorum duo ad Patrum menſam legunt, alter poſt Bibliorum caput librum Hiſpanicum; alter Martyrologium etiam Hiſpanicum, emendato extempore ibidem ſiquid errant. Muſicis argumenta præſtantur etiam Hiſpanica: ludionibus in ſcena interſeruntur aliqua hiſpanice recitanda: Indicarum vocum defectus ſuppletur Hiſpanicis. Sunt Indorum aliqui non penitus Hiſpani ſermonis ignari. Hos Patres interdum increpant quod non loquantur Hiſpanice. Id tamen illi cavent inter ſe, quod hiſpana locutio nota ut plurimum transfugarum eſt, qui ob commiſſa ab oppido deficiunt. Itaque quod indice loquuntur, non Patrum interdicto, ſed Indorum voluntate fit. Quidni ergo curator, ut in aliis, movet ſcuticam? Abi tu, eamque fac ut moveas ea de cauſa. Socii vi abſtinent, quod Concilium Limanum (*b*) a Sede Apoſtolica approbatum, quod ibi locorum obtinet, præcipit ne inviti ad loquendum hiſpanice compellantur. Et hoc Concilium Rex obſervari juſſit. Regiaque lex habet (*c*), *Que los Curas y Doctrineros, uſando de los medios mas ſuaves diſpongan, y encaminen, que à todos los Indios ſea enſeñada la lengua eſpañola.* Et alibi (*d*): *Ordenamos, que à los Indios ſe les pongan maeſtros* (de lengua eſpañola) *que enſeñen à los que voluntariamente la quieran aprender, como les ſea de menos moleſtia, y ſin coſta.*

Abs dubio miniſter tyro guaranice, quam hiſpanice myſteria fidei ægrius explicabit; ſed eadem ratione auditor ægrius intelliget explicata. Quamobrem ex Concilii Limani nuper laudati ſententia, *ita quiſque inſtruendus eſt, ut intelligat Hiſpanus hiſpanice, Indus indice.* Profecto Guaranicum idioma uber eſt cum primis, & numeroſum illuminando cuique argumento natum humano modo: ceſſabitque barbari cenſura, dum excolatur, intelligaturque. Si tamen *neſciero virtutem vocis, ero ei cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus* (*e*).

Uber appellavi Guaranicum idioma, non radicibus, ſed compoſitione, nam voci vel adverbio ſimplici addita ſyllaba, fit verbum: verbo addita, fit ex activo neutrum, & vice verſa. Addita litera, mutatur ſignificatio: nullo etiam addito, ex terna pronuntiatione vel accentu gutturali, naricali, & ſimplici, terna fit ſignificatio: & quod hujus idiomatis eſt proprium, nominis vel participii tenui inflexione fit, ut & tempus præſens, præteritum, futurum, mixtumque ſignificetur. Ex. gr. Vox *ita* ſimpliciter pronuntiata ſignificat lapidem; naricaliter conchylium; gutturaliter natare ſonat. Vox *marangatu*, quæ ſanctum & probum ſignificat, *che* pronomine antepoſito, fit verbum neutrum *ſancte vivo*, quod per pronomina conjugatur. Si pro *che* anteponatur *mo*, fit verbum activum *Me facio ſanctum*, per notas conjugandum. Notas inter & *mo* ſi ponas ſyllabam *ñe*, iterum fit neutrum *Añemo marangatu, Devenio ſanctus.* Si ante ſyllabam *ñe* iteretur ſyllaba *mo*, *Amo-*

ñe-

(*a*) Decret. cit.

(*b*) C. Lim. III. Act. 2. cap. 6. Et refert Solorzanus tom. 2. de Ind. Jure, lib. 1. cap. 25. num. 11. pag. 228.

(*c*) Lib. 1. tit. 13. leg. 5. Rec. Ind.

(*d*) Lib. 6. tit. 1. leg. 18. Rec. Ind.

(*e*) 1. Cor. 14. 11.

Digitized by Google

ñe momarangatu, iterum fit verbum activum, *ſum cauſa ut illeſemet ſanctificet*. Pro ſyllabis *mo* & *ñe* ponatur particula *poro*, *A-poro-mo-marangatu*, fietque verbum abſolutum *Sanctifico*. Et hinc gratia ſanctificaris appellabitur gratia *Poro-mo-marangatuhara*. Quodſi terminationem *hara* inflectas, ſignificari poteſt gratia quæ ſanctificavit, quæ ſanctificabit, quæ fuerat ſanctificatura, nec ſanctificavit. Tolle rurſum particulam *poro*, & in fine adde *uca*, *Amo-marangatu-uca*, & ſignificat *Sum cauſa ut tertius aliquis illum ſanctificet, vel convertat*. Uſus videlicet & peritia deſiderari poterit, non copia verborum ad explicandum, ut idiomate Hiſpano, argumenta quævis.

Objectum fuit olim Miſſionariis, quod in catechiſmo vocibus uterentur indecoris, & quas *errores monſtroſos* nominare placuit (*a*). Id autem quo machinamentum ante ſæculum corruit, ſat eſſe nunc debuit, quando nihil denuo producitur, quod indecentiam ſonet. Quod vero dicitur de ſermonis Hiſpani prohibitione ad celanda reipublicæ infelicis arcana, abunde refutatum eſt Sanctafidenſibus Actis, ex quibus conſtat, non uſque adeo impervium fuiſſe Doctrinarum aditum.

§. VII. De Albicoloribus odium.

Suadentibus Sociis, ait D. Gomezii Commentarienſis (*b*), credidiſſe Indos, Albicolorum gentem exlegem eſſe, & religioſi cultus inimicam, cujus Deus aurum eſt, cujus corpora inſidet Diabolus, Indis & ſacris imaginibus infeſtam: ferro & igne vaſtatum ire loca, ſi quando pedem inferat.

Id verum habet imputatio, non quod Albicolores, nec quod Hiſpani, imo nec Luſitani generaliter; ſed quod Mamelucci Braſiliani Guaraniis horrori ſunt. Sat fuit aliquando *Mamelucco* vocem audiri ad tumultuandum. In popularibus ludis poſita nonnunquam fuit Mamelucci effigies jaculorum ſcopus; ſed a Patribus remota. Si ex dato ſæpe ſpecimine judicandum ſit, non egent ſuaſoribus Indi, ut vatiniano gentem averſentur odio, neque Patrum hortatu, ut religionis & humanitatis hoſtem cognoverint. Ex regiis ſchedis pro Indorum libertate, provinciaque data S. Inquiſitionis officio, palam fit, non tantum humanitatem atque juſtitiam, ſed fidem & religionem oppugnatam eſſe.

Odium contra tantæ calamitatis authores magnum ut ſit, Indorum vitio implacabile non eſt, ſed quod facile deponitur. Feceris puerili fuco, ut capitalem corporis & animi hoſtem repente ſequantur & ament. Quod expertus ipſe D. Gomezius fuit. Ut primum bina Hiſpanorum, Luſitanorumque caſtra in Septempopulania locata ſunt, cœpitque miles per Indorum, Indatumque domos libere vagari, odium quievit, placatumque excepit amor, amorem communicatio bonorum, atque malorum omnium. Brevi cantare, ſaltare, laſcivire didicerunt rudes. Brevi noſocomium tactos infami lue non cepit. Hiſpanus Prætor ſeorſim Indos, & militem habitare juſſit. Apud Luſitanos ſimul commorantibus minus implacabile odium fuit.

Tanti mali teſtes copiarum duces in eam non tardi ſententiam convenerunt, haud temere Patres procul a conſuetudine, & Albi-colorum commercio neophytos ſervare contendiſſe. Non eo certe ſpectatum eſt, ut Status ſubditorum uſu privetur; non ut rei publicæ emolumenta unis cedant curatoribus, non ad occultanda malefici regiminis arcana; ſed quia, ut eſt puerile, fluxum, & inſtabile gentis ingenium, vulgaris & incorrecta conſuetudo periculoſior eſt: nec mores innocuos ſervandi ratio eſt ulla, quam ut procul occaſione, & offendiculo ſit. Propter hæc incommoda & damna lege, non a Sociis, ſed ab Hiſpaniæ ſimul & Luſitaniæ Rege lata & Juri Indico inſerta (*c*) liber tranſitus, adituſque, ſeu commoratio miſtindorum, æthiopumque interdicta ſunt.

Author *Dialogi inter Europæum & Dumocalenſem Inſulanum* (*d*) *ait*: *Populi indiſcreta exterorum frequentia & uſu certo corrumpuntur*. Id ipſum propius animadvertit D. Antonius Ulloa (*e*): Quod maxime verum habet in populis, quales Guaranii ſunt, quos haud ægre occaſione data in utramvis partem detorſeris. Viderint in exteris virtutum exempla; ſed ſcandala ſunt plura, & pauciora licet, in natura facili prævalent.

Ut in ſuæ cauſæ communionem Hiſpanos alliciat Luſitanus, Sociorumque reatus major eveniat, ait ad illos etiam extendi Guaraniorum odium implacabile. Sed adverſantia documenta probatiora ſunt. Cum finitoribus Hiſpanis atque Luſitanis ad Sanctæ Teclæ obviam ſunt facti non ad illos odium extendi, ſatis probarunt. Olim circa annum 1662. ſat fuit Guaraniis noſſe Paraguajenſes Hiſpanos cum Prætore Sarmiento (*f*) barbarorum copiis obſideri, ut auxilio advolarent. Sæpe cum Hiſpanis neophyti prodierunt in aciem, communia caſtra metantes, neque minima unquam interceſſit diſſenſio, etiam cum gregario milite. Aliquando quidem, cum Luſitanorum Coloniam oppugnarent Hiſpani cum neophytis anno 1705., militum quidam fuſte percuſſit Guaranium, cujus commilitones ſimul offenſati ad percuſſorem converſi verba quædam pronuntiarunt in alienum ſenſum detorta, quaſi defectionem minarentur ad Luſitanos. Habita quæſtione in eam ſententiam locutos fuiſſe conſtitit: Contra Luſitanos dum pugnemus, virtus iſta tua emicabit. Siquod odium occupaſſet animos, non poterat in frequentiores non erumpere rixas.

Nec

(a) Xarque, Vida del P. Diaztano, & Charlevoix hujus Hiſt. libro XII.
(b) Rel. abbr. pag. 7.
(c) Leg. 58. tit. 26. lib. 9.
(d) Memor. Trev. 1733. art. x.
(e) Ulloa apud Charlev. Hiſt. Parag. libr. 5. pag. 239. Ed. in 4.
(f) Muratori, Chriſt. Fel., & Charlevoix lib. XII.

Digitized by Google

. Nec odium eſt contra Luſitanos univerſim; ſed contra prædones Mameluccos: quæ vox apud Braſiliam ſatis eſt nota. Longius a vero abeſt, odia contra Albi-colores Sociorum hortatu concitari. Nunquam Guaranii Mameluccorum Rupellam quantunlibet provocati bello potentes adorti ſunt; nec eo ſocii profecti ſunt unquam, niſi velut Algerium Chriſtianorum redemptores. Nec adverſum quidquam inde prædonum copiis adveniſſet, ſi domi ſe continere noſſent.

§. VIII. Regia fides.

Catechiſmo ut ſuo, ait Relator (*a*) extremam Indorum ignorantiam moliti ſunt Socii; ut ignorantes, poteſtatem eſſe ſub ſole Patribus ſuperiorem, hos corporum & animorum arbitros eſſe cenſerent: ignorantes Regem eſſe cui obedirent, non aliam quam mancipiorum conditionem eſſe putarent: ignorantes eſſe leges præter voluntatem Patrum, horum mandatis illico parendum non dubitarent.

Criminationem hanc compara cum ſequentibus verbis ſolemni judicio poſt multam quæſtionem a Rege pronuntiatis (*b*). *Finalmente reconociendoſe por lo que ſe ha referido en los puntos expreſſados, y por los demas papeles antiguos y modernos, viſtos en mi Conſexo con la reflexion que pide negocio de circunſtantias tan graves, que con hechos veridicos ſe juſtifica, no haver en parte alguna de las Indias maior reconocimiento de mi dominio, y vaſallage, que el de eſtos pueblos, ni el real patronato y juriſdicion eccleſiaſtica y real tan radicadas, como ſe verifica por las continuas viſitas de los prelados eccleſiaſticos y governadores, y la ciega obediencia conque eſtan a ſus ordenes, y en eſpecial quando ſon llamados para la defenſa de la tierra, ò otra qualquiera empreſa, aprontandoſe quatro mil, ò ſeis mil Indios armados, para acudir à donde ſe les manda; Hê reſuelto ſe expida Cedula manifeſtando al Provincial mi gratitud, y la ſatisfaccion con que quedo de haverſe deſvanecido con tantas juſtificaciones las falſas calumnias de Aldunate y Barúa, y tan aplicada la Religion à quanto conduce al ſervicio de Dios y mio, y de aquellos miſerables Indios, y que eſpèro continuen en adelante con el miſmo zelo y fervor en las Reducciones y cuidado de los Indios.*

Ad calumniam dato libello ſuſtinendam, aliter mentiri oportebat; & non negato quod ſine protervia negari nequit, contendere, poſt ſententiam anno 1743. pronuntiatam degeneraſſe Socios Paraguajenſes, neophytoſque a regia fide degeneres educaſſe. Sed Luſitanus, qui labem ab ovo repetere nititur, non animadvertit, anſam porrigi rependendi probrum probro. Ex documentis a ſæculo exhibitis, atque mature ad judicandam cauſam diſcuſſis conficitur, ſummam Guaraniorum fidem in tuenda Regis Catholici ditione contra Luſitanorum molimina emicaſſe.

Ab anno 1743. ad noviſſimæ ſeditionis initium priſtina fides obtinuit. Nec deinde ceſſarunt datæ fidei documenta præterquam in oppidis ſeptem evacutis atque deſertis. Stata documenta, præter ea quæ ex nata occaſione præſtantur, ſunt quinque, ſcilicet vectigal; annuus ad Prætorem aditus pro munerum rei publicæ confirmatione; ad novos Prætores ablegatio obedientiæ cauſa; honor regio vexillo habitus; & armamentarium. Quibus Socii adjungunt tria, curam videlicet nequid horum in oblivionem vel deſuetudinem abeat; oratores in Curiam per ſexennia, ut ad Regium Senatum referant de Miſſionum ſtatu; & obſervantiam regii patronatus in Curionum inſtitutione.

Vectigal modicum eſt quidem, ſed quod a Rege definitum eſt; in quo forum potius ſpectatur quam pondus. Minoris eſt moneta, quam *forera* Hiſpani vocant (*c*); ea que fides opulentiorum nobilitatur. Singuli vectigalium quotannis ſingulos argenteos unciales pendunt. Cauſa vero moderandi fuit ſpontanea ſui deditio, non armorum vi, ſed virtute crucis a Sociis præmonſtratæ: & quia tuendos inſident fines præter belli ſumptus pro Rege factos, ærarioque remiſſos, de quibus rite conſtat.

In cujuſque oppidi armamentario, quo bello non imminente convehuntur arma, extat Regnantis pro tempore ſimulacrum, cum ad memoriam ſingulariter conceſſi pyrobolorum uſus, tum ad obſequii monimentum. Dubitatum fuit ſæpe, an ejus privilegii revocatione rebellandi periculum antevertere oporteret; cum e regione ſit neceſſitas gentem & fines præſidio non deſtituendi. Poſtremis populorum motibus nova dirimendo dubio lux affunditur. Dum Indorum belli aut rebellionis Albi-color dux non ſit, nihil de abuſu timendum, nec de minimo detrimento; patuit enim militarium oculis, arma ignivoma in rebellione mota non aliud quam impedimento fuiſſe. At vero timenda ſit Indorum capitata ſeditio.

Annuus ad Prætorem regium accurſus pro munerum ſeu inſtitutione ſeu confirmatione, longiſſimumque obedientiæ & obſequii novis Prætoribus præſtandi cauſa iter obitum, Bonis Auris notiora ſunt, quam ut turbida Tagi alluvione confundi poſſint. Mira cæcitas! quod abſentium oculos offuſcare nitaris, apud oculatorum teſtium univerſitatem mendacis infamiam non veritus.

Honor regio vexillo & ex eo Regi a Guaraniis habitus ſummatim deſcribitur a Cl. Muratori in *Chriſtianiſmo Felici* (*d*). Nec affirmare cunctabimur, nullibi qua Regis Catholici ditio in utroque patet orbe celebriorem eſſe, dum adjuncta recenſeantur. In ſingulis pagis ſervatur quingentorum, ſexcentorum,

(a) Rel. abbr. pag. 6.
(b) Decr. 28. Dec. 1743. fine.
(c) Acebedo in leg. 33. lib. 9. tit. 33. Recop. Caſtell. = Et Solorz. t. 2. De Ind. Jur. lib. 1. c. 18. n. 79.
(d) Mur. Chr. Fel. cap. 15.

Digitized by Google

rum, aut eo amplius equorum grex, quem vocant *del Santo*, quod Vexillum die Sancti Titularis festo ut plurimum explicatur, circumferturque per equitatum, qui simul ad repentina Prætorum mandata ea ratione in procinctu est. Ad condictum diem invitantur e vicinis pagis qui magistratum gerunt, nec hi soli accurrunt equitantes vestitique quam possunt splendidissime? & in templi, fori, & mensæ consessu ex lege hospitalitatis & urbanitatis præferuntur. Primum fit signum ære campano, tormentorumque strepitu pridie festi circa meridiem, cui undique lætæ Regis acclamationes respondent per sequentem diem totum, partemque noctis repetitæ. Imponitur regium vexillum Solio, quod extremo foro, ubique ampliſſimo, contra faciem templi paratum est. Solium subest quaternis arcubus quadratis, ad sustinendam communem coronidem apte compositis: omniaque diversis vernant signis, aulæis, ramis, & vivis volucribus.

Post prandium Regius Vexillifer, ordinato peditum equitumque cum propriis cujusque insignibus & armis, vexillum equo portat in gyrum, desiturum in templum. In conspicua sede vespertinis interest horis. Deinde saltatores in foro choreas agunt, & saltant ad fidium numeros. Serium tamen fere est, & grave quidquid hac hora peragitur. His præter gyrum adsunt Patres, nequid inordinatum committatur, præsertim ne fœminæ, quæ meræ spectatrices sunt, in eundem cum maribus conveniant locum. Absentia Patrum ludentium alacritatem obnubilaret. Tandem vexillum eodem comitatu, & martiali usque resonante concentu ad solium revehitur. Per noctem in aream curialem illuminatam conveniunt quotquot viri spectare amant saltationes ludicras, gesticulationesque mimorum specie barbaricas, ad numerum tamen.

Mane vexillum defertur ad officia sacra eodem atque ad vesperas ritu. Meridie fit epulum populare, quod grande appellant, vulgo *caruguazu*, sed escas nemo libat, donec parochus bene precetur. Quare eas in atrio curiali expandunt, & quasi per centurias expectant Patrum a mensa sua exitum. Preces incœptat parochus, vel quivis alius sacerdos hospes, quas illi pleno musicorum concentu, voce, fidibusque prosequuntur: *Aguyebete ore ruba Tupá -- Eremee ore rembium rá*, &c. Vesperum totum ludi occupant, scenici, pedestres, equestres, quin præmia desint vel inertissimo. Præmia computavimus alicubi binis aureorum millibus. Minoris plerunque sunt, raro etiam pluris. Omnia fere constant mercibus, ut vocant *de Castilla* sive ultra marinis, acubus, hamis, monilibus, cultris, vittis, telis, variegatis præsertim, quibus maxime delectantur Indi. Finis horum & summa est, ut ad amandum regium obsequium & fidem subditi moveantur. Eo spectat tota vexillaris festi celebritas: quod illi non intermissis acclamationibus *Vivat Rex* profitentur.

Si libellorum authores vilia hæc esse & indigna fidei erga Regem documenta contenderint, non inficiabor. Imparia sint munificentiæ, qua Princeps in orbe summus miseram gentem, humilem christianitatem hanc honoribus & privilegiis distinctam voluit. Sed fama vulgare, a Paraguajensibus Sociis interdictum esse quidquid ad Regis obsequium & fidem, imo notitiam pertinet idque traditum catechismo; fama vulgare, non alium a Sociis in Missionum locis dominatum permitti, quod genus improbitatis est? Ecquid atrocis infamiæ disseminatorem apud Tribunal veritatis & innocentiæ manet?

§. IX. Memoria Ill. Cardenas, Antequero, Anglesii.

Notæ sunt Sociorum calumniæ contra Ill. D. B. de Cardenas motæ . . . Prorex Peruvii Anteguada, ob denuntiatos Regi Catholico Sociorum excessus, qui hodie notorii sunt, capitale supplicium subiit. Romæ superstites sunt plures hujus facti testes de visu (a). Reflexionum harum authorem Jansenistam esse non dixerim: quod hominem male habet. Sed, quod ipse palam fecit imprudens, est cliens devotus Abbati de Sanciran, cujus librum *Petri Aurelii inscriptum sanctissimum* appellat (b). Id est satis ad revelandum quod nomine Lusitano voluit absconditum: satis ut innotescat, unde de Ill. Cardena hauserit documenta: satis ut laudi tribuendum sit, quod calumnietur. Quid de reliquo sit sentiendum, liquet ex documentis de suo prædecessore relictis ab Ill. Guillistegui Paraguai Episcopo, a Mosquera Ill. Cardenæ Secretario, aliisque a Charlevoix vulgatis. Vulgata laudo documenta ab hoc Historico, non Historicum, cui temere imputaveris partium contra veritatem studium.

Id ipsum de Anteguada quem nominat, seu Antequera dictum esto. Testes qui de visu dicuntur tres, in Appendice Reflexionum nominati V. G. T., tam viderunt Antequeram Peruvii Proregem, quam Auditorem, quam in Paraguaria delinquentem, quo accesserunt, ut propinquissime, mille leucarum spatio; neque enim pauciores sunt Limam inter & Assumptionem. Possuntque tres isti tribus notis testium ocularium exercitibus appendi. Siminus ex visu, ex audito certe possint Limani testes fuisse capitalis sententiæ causarum, dum eas præco per limana compita ingeminavit.

De D. Matthia Angles Gortari non tot suppetunt documenta; sed quod ejus nomen præfert, præclaræ falsitatis est. Cordubæ accepit verus Angles pro Rege mandata cadente Septembri 1727. Majo vero anni proxime sequentis Assumptione cessit peractis mandatis, octo videlicet post menses. E regione personatus Angles ait: Mandata intra duos annos perficienda erant; & quando in Paraguariam ve-

(a) Reflex. d'hum Portug. Reflex. 8. & 11.

(b) Vide Rainaud. tom. 18. pag. 221. Episcopum Accitanum Ill. a Sancto Josepho in Biblioth. V. *Petrus Aurelius*, & Memor. Dogm. D'Auvrigni. Ann. 1638.

Digitized by Google

veni, jam medium temporis ſpatium erat elapſum. Scilicet ante quatuor menſes quam hujus author informationis in Paraguariam veniret, jam finito proceſſu exceſſerat verus Angles.

Deinde veri Angles proceſſu profligatus eſt Antequera, & cauſa capitalis eo uſque lente progreſſa accelerata eſt, vultuſque jactabundi Rei ex eo tempore concidiſſe viſus. E regione falſus Angles ait: *Dicere* teneor, pleraque omnia quæ de articulis a Regii Fiſci patrono propoſitis teſtes triginta declararunt, eſſe iniqua & falſa .... Cæteri ab Antequeræ & Menæ procuratore rogati vera ut plurimum teſtati ſunt, nam horum multa ſunt perlucida.

Denique, ſi ſcriptum denuo productum, quod Antequeræ favet, veri Angles eſt, non ad SS. Inquiſitionis tribunal erat ab eo mittendum, ſed ad tribunal Proregis, ubi cauſa pendebat, cujus reſtituendæ tempus erat; nam ſcriptum datum dicitur Potoſii 10. Maji 1731., ſcilicet quinquaginta & uno diebus antequam Limæ Reus decollaretur. Imo debuit mitti Actorum loco tribus ante annis. Mira Quæſitoris agendi ratio, ut pro Reo comperta celaverit uſque ad mortem, ſuffectis interea iniquis & fatalibus Actis!

Verum ſcripti ſuppoſititii authorem quære ſis in factione illius temporis, non quæ *a Communi* nomen habuit, non quæ *a Contrabando*, ſed inter utranque media Martini de Barua, cujus id erat conſilium, ut ſalva fidelitatis ſpecie rebellantium motus penſi non haberet. Oſtentat obſcurus author Regis obſequium; ſed rebellantes laudat, regiæ fidei addictos deprimit, Añaſcum, Otazum, Vallegium, Benitium. Ut indigniſſime habet Ill. Palos, quid Sociis ſperandum? Quid Garciæ Ros? Quid D. Didaco de los Rejes? Sunt plura, quibus author, quiſquis ille ſit, ſe rerum ignoratione, vel malignitate, & odio, atque partium ſtudio obcæcatum oſtendit, & cæce mentitum de Paraguariæ finium præſidiis, de Miſſionum oppidis occultis, de numero incolarum, de Miſſionum manufacturis, de Sanctafidenſi Miſſionum promptuario. Indos ait Miſſionum fines non incolere; nunquam bello appetitos fuiſſe; Miſſionum loca bello appeti non poſſe, niſi per *Corrientes* urbem; ex Miſſionariis in Paraguariam anno 1730. delatis numero ſeptuaginta, exteros fuiſſe quinquaginta non minus, & ex una tantum Germaniæ provincia viginti. His qui fidem adhibere poſſit, Gortarium crediderit ſcripti authorem.

§. X. Præcedentium ſumma.

Præfectum Miſſionum remotis arbitris allocutus in S. Nicolai Valdelirius concedenti ſimilis apparuit, Sociorum communitatem debitam perficiendæ Indorum tranſmigrationi operam præſtitiſſe. Invicem conceſſum voluit, aliquos vel ſaltem aliquem de communitate fuiſſe motus Indorum haud expertem. Si Marchio aliquorum vel alicujus perfidiam notam habuit, eamque rite notam fecerit, haudi ægre in ejus ſententiam convenerim, ut damnatum reum devoveam diris. Sed cum res ignota ſit, notumque nobis æque atque Miniſtro, quam liberaliter ſit mentita fama, neque tunc licuit, neque nunc poſſumus ullius fateri reatum. Non ullius privati, quia nullum novimus reum: non Sociorum communitatis, quam certo novimus innoxiam. Geſta primum, ut Regis voluntas innotuit, æquivoca minime ſunt. Ad proſperum cœptorum exitum tempus erat neceſſarium, neque negatum a Regiis Miniſtris. Altamiranus quidem, penes quem ſumma totius Ordinis quoad intentam expeditionem poteſtas erat, renuit. Sed renuit, ut citius regia mandata perficerentur, renuit ut obediendo feſtinaret. Nimium concitati zeli finis hic proculdubio intentus fuit; ſed exitus infauſtus; qualis in fabrica, quæ, dum nimium, properatur, ſepoſitis perpendiculo, norma, & linea, priuſquam perducatur ad culmen, ſtrepitu, artificis ignominia, operarum quaſſatione ruit. Rebus perturbatis cuivis, ut erat affectus, facile fuit, ut placita videret, non viſa narraret. Modico ſuccedente ſerenitatis intervallo, teſtium nube Sociorum innocentia comprobata eſt.

Ad profligatæ ſupplementum cauſæ de reatu, quidquid a ſæculo contra Paraguai Miſſionarios inventum vel ſomniatum fuit, reproducitur, ut videlicet præſentibus ex præterito fides accreſcat; ſed ſtudioſe tacitis documentis ex adverſo: Indorum ſervitus, dum tota laborum cauſa fuit, ut Indorum ſervaretur libertas: Uſurpatio bonorum & commercii, dum conſtat univerſali reliquorum per Americam experimento, quanti ſint Indorum bona & commercium, qui alio quam Sociorum conſilio reguntur. Uſurpatio parochiarum & imperii, dum conſtat irrefragabili judicio, eccleſiaſticam & regiam authoritatem nullibi religioſius obſervari: Indos ab Hiſpanis avertendi cauſa fermonis caſtellani prohibitio, ubi caſtellanus Hiſpanis pene barbarus eſt ſermo: Odium Albicolorum, quibus videlicet ejuſdem coronæ ſubditis nunquam non auxilio venit neophytorum virtus: Regii nominis ignoratio, cum probatiſſimam fidem Rex perpetuis cumulaverit benefactis: Perſecutio Prælatorum, atque Miniſtrorum, ubi una fuit perſecutio Sociis a binis intruſis illata, altero Prælato, Miniſtro altero.

§. XI. Finis Recurſus.

Veritatis & Innocentiæ Tribunali inſiſtentes Provinciæ & Miſſionum Paraguai Socii, ſiniſtra de fidelitate opinione perculſi ad Thronum humaniſſimi Regis ſui confugiunt. Ex iis, qui reos nos eſſe obſirmarunt, auditus eſt quiſpiam, in delatis ad Regiam criminationibus exceſſum eſſe. Id certe in plurimis, notoriæ falſitatis ingeſtis, aliiſque Auguſtiſſimi Genitoris judicio refutatis, evidentiſſimum eſt; quorum falſitate vacillat eorum certitudo ſuppoſita, quæ pari cardine nituntur. Cum certitudo vacillet, qua poſſet reconventio eliminari, & excuſari, hanc expetimus, ſpe fore ut cunctis criminationibus ſatisfiat; quod ſi ſatiſ-

fa-

Digitized by Google

factum tandem non sit, potens est Regia Majestas ad exigendum pœnas, ut excessibus ad debitam redactis, æquitatem, Missionarii ad regium, & ad divinum obsequium pristinam benignitatem experiri pergant.

Eos vero, qui ex fama vel infamia in hac Provincia, ejusque Missionibus, latuisse crediderint tot iniquitatis arcana vel monstra, ab incunabulis abdita, statuto regimine secundata, exclusa tandem, & vulgo manifestata, id quod obvium est animadvertant, rogamus. Vixerunt in hac provincia a primordiis multa Sociorum millia, non paucæ apud Guaranios centuriæ, ex quibus multi post diu obitum ministerium a Societate defecerunt, aut dimissi sunt. Finge, Socios qui ad obitum usque perseverarunt, contra conscientiam secretum servasse. Quis tamen credat servandum a desertoribus? Quidni arcana hi revelarent, vel religione, vel vindicta; vel ad suam vulgo probandam defectionem? At unus horum, canonice quidem dimissus, scriptis de hoc argumento pluribus in lucem editis, Paraguai Missionarios, & Missiones summis laudibus effert. Alius nihil protulit quod improbaret, data licet occasione, cum Cl. Muratorio ad *Christianismum Felicem* documenta suffecit. Alius in Paraguaria Societatem cum diverso Ordine commutavit; qui a Prætore quodam consultus scripto respondit, Missionum id esse regimen spirituale, quo perfectius esse non posset. Alia quidem subjunxit, quorum nullum hujus temporis criminationibus affine est: eoque tantum deservire possunt, ne partium studio priora testatus esse videatur. Id objicerent accusatores nostri, Paraguajenses Socios in cœptis recta progressos degenerasse tandem: & de probatis fidei cultoribus, rerum novarum authores evenisse. Calumnia prioribus gestis refutari non posset. Cum vero vitium & probrum ab origine repetunt, & ab ovo; exaggerata labes obsequio cedit Veritatis & Innocentiæ.

LXIV.

De Moribus Guaraniorum. A. I. C.

Cap. I. Hispanorum coloniæ.

PRimus Hispanorum ad Flumen Argenteum aditus incidit circa annum 1530. Propugnaculum ad Bonas Auras, aliaque adverso flumine excitarunt. Assumptio urbs ad Paraguaim condita anno 1557. Ex Hispanis amplius mille, post bella vix reliqui fuerunt quadringenti. Ab his coloniæ deductæ sunt, quæ familiis primum sexagenis, septuagenisve constarent, indigenis armorum metu contentis. Domos ædificabant cratitias luto illitas, paleis imbricatas. Sic conditas Bonas Auras, Sanctamfidem, Confluentiam, Regiopolim, Xerecium, Villaricam, civitates appellarunt. Regiopoli, Xerecioque destructis, reliquæ utcumque perseverant. Unius Boniaeris incrementa tria longitudine, duo latitudine passuum millia complent, lateritiis ædibus, sed humilibus ut plurimum. Commercium floret, & victus copia.

Cunctæ Paraguariæ sedes in cognominem primo præfecturam diœcesimque contractæ, divisæ bifariam deinceps sunt; cessitque Bonis Auris Sanctafides & Confluentia, quibus hac ætate Montevideum accessit; reliquæ Assumptioni. Subjugatis impositum est vectigal, pendendum debellatoribus, ut erant cujusque apud Regem merita; attributo singulis certo Indorum numero, quos Christianis politicisque moribus informare oportebat. Cum ægre taxam, haud quidem gravem, desides erogarent, hæsit aqua. Post multam vero consultationem eo ventum est, ut pro taxa hero bimestre servirent. Eo tamen plures non contenti servitium extorquebant totius anni, medii ut minimum mercede nulla, quæ denis mensibus responderet. Bimestris tandem servitii modus postliminio restitutus est; sed in tanta Indorum raritate, ut cum olim L. vectigalium millia recensita sint intra Assumptionis præfecturæ fines, in præsentia vix VIII. capitum millia numeraveris omnis ætatis & sexus: & ubi multo plures erant vici, vix modo stent decem paleati: quorum sex a clericis, quatuor a Franciscanis reguntur. Hæc in Paraguaria. In Bonaurensi Præfectura apud Confluentiam duo sunt Indorum pagi Franciscanorum curæ: alter focorum biscentum, alter quindecim. Ad Sanctæfidei unus incolarum viginti. Suppares tres ad Bonas Auras, præter Jesuitanos, de quibus mox.

Cap. II. Missionum primordia.

Subjugatis per Hispanos Paraguais & inferioris Paranæ accolis, Guairanis & Paranaensibus reliquis immunitatem fecit silvarum recessus. His conquirendis Jesuitæ circa annum 1610. operam dare cœperunt. Barbari inculti, & sanguinolenti dynastis suberant per mapalia distincti. Nudis ut plurimum victum sufficiebat venatio, & piscatus. Interfectos bello assos extempore vorabant: captos servabant ad epulas impinguandos. Pax lascivia colebatur pudoris experte, ebrietate, vindicta, maleficiis. Admissi Patres viginti annorum spatio oppida quædam infra, tredecim supra cataractem Paranæ locaverant, inducto religionis & humanitatis cultu. De Mameluccana clade pauci servati oppida condunt citra Saltum Laureti, & S. Ignatii-*miri*, seu *mini*. Ad Itatim se convertunt Socii, unde a prædonibus exacti cum reliquiis gregis sedem erigunt *S. Mariæ de Fide* ex octo vastatis. Ad Tapem frequentissimam regionem ventum est adverso Ibicui. Superventum a Mameluccis,

Digitized by Google

novem quotquot erant ſedes depopulatis. Reliquiæ trans Uruguaim commigrarunt. Tunc miſſus Matritum Montoja arma ignivoma neophytis impetravit: quorum uſu bella ea parte ceſſarunt, non latrocinia.

Cap. III. Oppidorum ſtatus circa annum 1764.

Triginta ſunt oppida, in quibus animarum circiter C. millia. Itapua, Corporis Chriſti ſanum, S. Annæ, S. Michaelis, S. Angeli mille familiarum ſummam ſingula ſuperant. Japeiuum mille & ſeptingentas continet: ſexcentas ſeptingentaſve reliqua. Una eſt omnium forma. Viæ ad lineam rectæ denas ſenas, ac denas octonas latæ ſunt ulnas. Nulla domus domorumve inſula ſine porticu erium, aut etiam plurium ulnarum latitudine, ut quacumque dum pluit ſiccus ire poſſis circum ædes. Pares ſunt ſingulæ Indorum caſæ cum celſitate, tum amplitudine ſeptem ulnarum in quadrum, in quibus ſtorea vel corium lectus diſtinguit. Pro lecto, non tabulato, ſed penſili retiaculo utuntur omnes. Hamacam vocant, quaternis, quiniſve ulnis longam, binis latam; qualis etiam utuntur Hiſpani. In æſtate refrigerat. Per hiemem ſtramen addunt, vel prunas etiam ſupponunt. His commodiora ſponte reſpuunt. Domi nunquam obambulant, neque ſtant, ſed vel jacent, vel hamaca ſedent, aut ſella qua utuntur humillima, libentiuſque ſolo, lacertis genua complexi. Sibi relictis cratitio tugurio quinque ulnarum ſatisfit: idque rure colunt, nam præter civicas domos habent ruſticas propter ſata. In oppidis lapideæ ſunt, vel lateritiæ, & in Trinitatis oppido ex lapidibus ſectis & anaglyptis.

Forum ubique quadratum eſt, centum & quinquaginta, ut minimum ſit, ulnarum amplitudine, quod a tribus lateribus claudunt ædes cæteris elegantiores. Quarti medium occupat templi facies, cœmeterium inter, Patrumque domum curialem. In ſingulis oppidis eſt fœminarum refugium (*a*), quarum mariti peregre abſunt, atque viduarum maxime ſi juniores ſint, neque parentes habeant, aut curatores: quæ omnes de communi vivunt. Sunt & communium bonorum horrea, atque promptuaria, & ſacella quædam. Hæc eſt tota oppidorum ſtructura (*b*).

In ſingulis ſingula ſunt templa parœcialia, ſed Hiſpanis cathedralibus amplitudine comparanda: binis alis, in ſano Conceptionis quaternis. Septuagenis, octogenis, & eo amplius patet ulnis templorum longitudo; vigeniſſenis, & jam trigenis latitudo. Duo ſunt, ſcilicet in Trinitatis & S. Michaelis ex lapidibus ſectis per coadjutorem Socium extructa ſine calce (*c*). Reliquorum fundamenta ſunt lapidea, lateritius paries. Tectum ligneum ligneis torum pilis nititur: ſitque prius quam paries. Per intervalla videlicet, & qua pronum alas extendit, ſcrobs effoditur alta tres ulnas, duas lata, quæ lapide ſternitur. Filæ ſunt indigenarum arborum trunci, quercu duriores & robore, nec ſecantur penitus, ſed cum parte radicum evulſi, vicenis aut etiam tricenis, ut ſunt graves & oblongi, boum jugis vehuntur. Humiditatis cauſa ſemiuſta radix ſcrobi aptatur: quod extat, in columnam conformatur a ſtylobate ad epiſtylium. Poſtibus arrectariis, qui octonis fere diſtant ulnis, cum tranſverſarii & laquear impoſita ſunt, ad regendos deſcenditur parietes.

Cap. III. Regimen politicum, & œconomicum.

Popularis Senatus, Conſilium, ſeu Curia coaleſcit Correctore uno, Conſulibus (Alcaldes) primario, & ſecundario, Correctoris locum tenente, Regio Signifero, Senatoribus quatuor, Apparitore Maximo (Alguacil Major), Latruncularore (Alcalde de la Hermandad,) Procuratore, & Scriba. Etſi Correctoris locum tenens ſtricto jure de Concilio non eſt. Hi omnes ſunt Indi (*d*); eo quod Hiſpanis, Hybridibus, Æthiopibus, Miſtindis, & quotquot Indi non ſunt, domicilium apud hos in tota America interdictum eſt a Rege. Quodſi tranſeundum illac ſit, eadem lege cavetur, ne viator moram agat triduo majorem, & ne interea domos Indorum circumvagetur. Additurque in lege cauſa: *Porque no inquieten à las Indias: Ne Indas perturbent.* Sunt Indi animis, & natura abjecti, & pueriles, qui ſe cæteris gentibus inferiores arbitrantur: & facile ab improbis, quorum in Novo Orbe procul a regia & eccleſiaſtica poteſtate copia eſt, peſſundantur: cui malo his legibus provide conſultum eſt. Utinam obſervarentur!

Porro Senatus conſtituendi ratio hæc eſt. Calendis Januariis Senatores conveniunt de eligendis conſulturi. Electos in ſcripoum referunt exhibendum Doctrinario: id quod lex regia fieri jubet, ut nempe coram parocho fiat electio. Siquid ille mutandum judicat, id electoribus ſignificat: ac præter memoriam eſt, quod ab eo diſſenſerint. Scriptum ad Regium Prætorem mittitur ſubſcribendum: nec ille procraſtinat. Aliquando, cum alicujus Indorum merita Prætori nota eſſent, eum munere perpetuo donavit. Id moris a Rege probatum eſt anno 1743.

His ita conſtitutis ad Eccleſiæ porticum ante Sacrum conceditur, ubi ſacriſtæ vulgarem ſellam curatori locant, & menſam cum Correctoris bacillo, conſularibus virgis, cæteriſque Senatorum inſignibus. Ibidem apponuntur vexillulum, ſeu flabellum, quod muſicæ moderatoris eſt ſignum; eccleſiæ claves, ad ſacri-

(*a*) Nullibi non disjuncta procul ſunt hæc refugia a domo Patrum: quod pace D. Bougainvillæi viatoris, atque Florentini Romanique Ephemeriſtarum dictum ſit.

(*b*) Sacellorum quædam urbana, quædam ſuburbana ſunt. Eſt & publica cuſtodia.

(*c*) Calx ea locorum recens inventa, qualis-qualis, propter oppidum a *Jeſu*, cujus, novo templo adhibita primo eſt a Curatore Joanne Antonio de Ribera Toreſano.

(*d*) Sed munera Caſtellanæ linguæ atque juris ſunt: quod pro Indiis cautum eſt lege 13. tit. 2. lib. 2. Recop. Ind.

Digitized by Google

sacristam pertinentes: horreorum & promptuarii quæ ad œconomum; atque militarium signa; quos omnes Senatus eligit, sed Prætor eos tantum qui magistratum obeunt, confirmat. Hinc inde subsellia præparantur, a novis Senatoribus, & reliquis Officialibus, ut promulgentur occupanda.

Tunc Curio orsus ab Evangelio sermonem habet, quo Magistratus explicat officia, bona si bene gerantur, negligentiæ mala. Conrectorem deinde, & reliquos nominatim promulgat, musicis singulorum electionem læto concentu celebrantibus. Ut autem quisque nominatur, ad Sacrarium templi conversus genu flectit, proprium accipit insigne, atque pro Curia sedet. In electionibus contentiones, jurgia, petitiones ignotæ prorsus sunt. Officium quisque silentio subit, æquo ville atque sublime animo. Post Senatorum concilium nominantur Ecclesiæ ministri, Sacrorum custos, musicæ moderator, deinde œconomi, tandem belli duces: qui ad solemnia Sacra, quæ sequuntur in templum cuncti succedunt.

Alcaldes suffraganei.

Præter Magistratum sunt munera quædam conservatorum rei publicæ, qui & nomine *Alcalde*, & virga donantur, quam in sacris & communibus officiis manu tenent. Textoribus, ferrariis, lignariis, aliisque fabris, aut fabrorum collegiis suus est Alcalde, qui singulis invigilet, ac de commissis curatorem admoneat. Fœminarum Alcades sunt senes, moribus magis probati & pii. Puerorum Alcaldibus cura est, ut a septennio communi interfint catechismo quieti, piis officiis, & rei agrariæ studeant. Fœmina quæpiam ætate gravis, puellis etiam a septennio ad pubertatem pro Alcalde est, ut cunctis in templo assideat, cunctas ad ejus ætatis propria comitetur officia, seorsum etiam in communi agro a pueris obeunda.

Tribus.

In oppidis singulis plures sunt Tribus suis distinctæ nominibus *a S. Maria*, *a S. Josepho*, *a S. Ignatio*, *&c.* octonæ, vel denæ, ut est popularium frequentia. Unaquæque sex, aut quatuor continet dynastias; ejusque primipilus est senatorum aliquis. Dynastæ sunt nobiles

Nobiles.

a Rege declarati cum suo *Don* nobilitatis insigni. Unicuique horum triginta, quadraginta, aut eo plures subsunt vernæ, qui dynastem ad communia comitantur officia, ad propria juvant, & cultu observant; sed stipendii nomine nihil erogant. Nec nobilitas a labore immunes facit: imo carpentarii, statuarii, pictoris, aliisque similibus officiis nobilitantur. Sed neque aut his officiis, aut nobilitate ullus a Conrectore ad infimum, agrorum suorum cultu & messe immunis est: quæ obtinent a Junio ad Decembrem. Dum herba peregre conficienda est, substantia communis transportanda, vel sufficienda fabricæ materies, harum tribus aliqua mittitur cum suo primipilo.

Fabri.

Fabrorum, qui quidem necessarii sint, nullus desideratur. Sunt argentarii, inauratores, ferrarii, textores, statuarii, pictores, tornatores, coronarii, vascularii, qui cissybia conficiunt ad herbæ indigenæ usum. Sunt etiam in aliquot oppidis campanarum, organorumque opifices. Sartor est quisque sibi. Sacra vero, & Senatorum atque Militarium ornamenta, sacristæ accommodant. Indumenta vulgaria in regione calida, ubi solis Junio Julioque modice friget, facile parabilia sunt. Indusii tantum vulgaris est usus, thoracis ex gossypio albi, aliove colore infecti, subligaris, femoraliumque, cum amiculo hieme laneo, æstate fere perpetua gossypino: id est quod vocant *poncho*, estque tapeti simile decem palmorum longitudine, octo latitudine cum media scissura ad extrahendum caput, quod pro facultate contegunt capidulo, galero, aut cudone. Caligis utuntur pauci ad imam suram convolutis. Calceis vero ut utantur, saltem dum rure senticoso labor est, frustra hortamur. Eos tantum adhibent proceres splendoris gratia in festis & publicis ludis.

Victus ratio.

Ad victum quod attinet, singulis consignatur ager, quantum velit ad serendum. Serunt autem frumentum indicum, seu tragum, batatas, mandiocam, & legumina. Mandioca est radix, qua nunc assa vescuntur, nunc elixa; ex sicca maceratæque fit panis. Triticum, si qui modicum serant, in pulmentum redigunt, vel in placentam, quam sine fermento binis lancibus intercluſam igne coquunt: quod & de maizio fit. Sunt eorum plures, qui panem primarium depsere norunt, in domo scilicet Patrum, ubi per singulas hebdomades bis aut aut ter ægrotorum usibus coquitur, in quo munere alii aliis succedunt. Triticeum tamen apponere panem, præterquam in solemnissimo quopiam festo, non consueverunt. Indis videlicet, nisi a præeunte adigantur, triticum molere, pinsere, salire, fermento miscere, expectare donec, mistione concrescat, operimento fovere, coquere, ars est nimium abstrusa. Rari sunt, qui melliferas cannas, feliceſve plantent arbores.

Agris procurandis, arandis, seminandis, carpendis, metendis sex mensium spatium decernitur. Quatuor hebdomadum labor ad annonam satis erat, ut paucis qui magis laborioſi sunt, contingit in feraci solo; sed ut est Indorum desidia, semestre necessarium est nec sufficit: summaque solicitudo curatorum est, ut familiæ de victu consulatur; imo ut consulant complures flagello adigendi sunt: etsi fructus laboris hujus non communitati cedunt, sed agricolæ in solidum. Sata curatores crebro visitant per se, fidosque nuntios, qui de illorum referant statu. Sunt qui sine spatium metiri cogunt ad totius anni victum necessarium: quod nisi totum colant, certo flagrorum numero luendum sit; etenim pusilanimes & pigri æquo minoribus contenti, ægre rationibus, aut devoratæ pridem famis experientia, persuaderi se sinunt. Patres alii singulorum agros per dynastias & tribus collatis manibus coli jubent, hodie tuos, cras proximos, addito exploratore, qui præter dynastas &

Digitized by Google

præpoſitos invigilet, curionemque faciat certiorem: nec tanta ſolicitudine meſſem anno parem extorſeris.

Goſſypium Majoris eſt operæ goſſypium ad indumenta curandi labor. Goſſypium ad binas creſcens ulnas fert nuces, quæ maturitate diſruptæ lanea quædam proferunt ſeminis involucra. Aratro terra diſponitur in ſulcos duas latos ulnas, & ſuppari diſtantia terna vel quaterna grana in plano conjecta opperiuntur terra. Annus primus fructu caret. Secundus modice ferax tertii & ſequentium ſummam antevertit ubertatem. Triginta & quadraginta annos vegetum putatur inſtar vitium, ſuffectis germinibus, quæ aratro vel tempeſtate, aut æſtu corrumpuntur. In calidiſſimo Paraguai ſolo, paribuſque aliis, primo anno edito fructu evelitur, haud aliter atque maizium. Et Miſſionum ager lini ferax. Indus vero priuſquam creſcens riget, & purget, maturum eradicet, eradicato ſemen excutiat, adaquet, adaquatum exſiccet, exſiccatum maceret, pectatque; triticeum confecerit panem. Id ſæpe ſummus experti; non niſi collata per curatorem coram opera, Indum proficere; at otium non ſuppetit, ut poſſit ſemper curator adſtare. De goſſypio vero negotium tanti eſt, ut a virgulto ad colum transferatur manu.

Non modo ad cultum agrorum adigendi ſunt, ſed ad legendos fructus. Goſſypium non matureſcit una; ſed per ſingulos trium menſium dies nucum maturarum glomus colligere oportet; deciſurum alioquin, ut terra, luto, ſentibus confuſum, infectumque pereat. Inda vero colligit quod in præſentia nendum eſt, aut etiam modicum quod ſervet in poſterum, de reliquo parum ſolicita. Curatorum aliqui puellarum turbam ire jubent cum magiſtra, & quod pro derelicto eſt, bonis communibus addit. Maizii, quod Indorum frumentum, deliciumque eſt, quo nunc tenero, nunc duro veſcuntur, quo nihil non condiunt, pars magna eodem perit fato: pars pſittacorum infeſtatione, qui multi numero & forma, parvi, magni, rubri, cærulei, flavi, variegati, ſata denſis agminibus adoriuntur, & vaſtant.

Satis non eſt totam colligi meſſem. Hanc ſi domi apud ſe habeat, facile diſſipat Indus, aut ingluvie, aut prodiga largitate, aut rei viliſſimæ pretio. Proterea cogitur, ut in commune horreum ſaccos ſuo cujuſque inſcripto nomine diſtinctos convehat præter unum, quibus in poſterum conſultum familiæ ſit. Indorum negligentiæ remedia hæc ſunt, quæ licet temporalia, plutis quam ſpirituale miniſterium curatoribus ſtant. Solicite procurantur, quia dum proſpere cedunt apud Indos, viget pietas, religio, & frequentia ſacramentorum. E regione dum fames ingruit, aliudve calamitatis genus, fuga dilapſi communem populorum ſubſtantiam depopulantur, prædia dilapidant, donec occurrentium paſſim tigridum, quæ ferociſſimæ ſunt, morſu, morbo, vel inopia peregre intereunt.

Bona com. munia. In ſuplementum propriarum cujuſque facultatum communia ſata fiunt, indici frumenti, leguminum, goſſypii; pecoris & armenti vivaria. Communia curant ſtatorum menſium diebus lunæ & ſabbathis, exceptis fabris, qui communium agrorum cura liberi, per alternas hebdomadas proprios colunt agros, & fabrilia tractant. Ea vero tractant in officinis domui Patrum adjunctis, non apud ſe, nec alio ſtipendio, quam quod pro merito de communi fundo largius erogatur. Hos curio identidem viſitat, & non repugnantes eligit: quin etiam illi officia hæc petunt, quorum nobilitantur uſu. Duo ſunt tympanotribæ, atque tibicinis officia, quæ ultro ſuſcipiunt & exercent ſine mandato. Et tibicines quidem in ſingulis oppidis ſeni-deni numerantur & vigeni, nec niſi bini interſonante tympano tibias inflant, alter ſupra alter infra tertiam. Et quanquam ſimplices & tenues illæ ſunt ex vulgari canna, cunctos muſicorum modos imitantur. Gratiſſimum Indis eſt vile hoc organorum genus: nec fit iter fluvio aut terra, ſi plures conveniant, ſine tympano & tibiis, quibus etiam dynaſtæ buccinare non dedignantur.

De communis agri proventu dantur ſemina minus habent, fœminarum cuſtodia ſuſtentatur, communium itinerum ſumptus fit, aluntur pueri & puellæ communi agro diſtenti, viatores, hiſpanus, hybris, miſtindus, æthiops, indus, liber, mancipium hoſpitio donantur, & navigio ad tranſmittendum flumen, naviculatore ſiquid retribuatur accipiente, petente nihil. Communi vero goſſypio pueri & puellæ veſtiuntur, quorum me Japejui curatore circa annum 1555. erant tria millia. Tela etiam goſſypina diſtribuitur herbæ cauſa peregre abeuntibus, viduis, cuſtoditis, ſenibus, & quavis ratione impeditis; atque in ludo publico victoribus. Pars etiam mittitur Bonas Auras ad habenda oppido neceſſaria, & ornamenta ſacra. E goſſyprio pannus fit multiplex, tenuis, denſus, contorto filo textus, & colore variegatus (*a*).

Indarum penſum. Indarum ſingulis maritatis traditur ſabbatho goſſypii ſelibra, cujus tertiam partem netam proxime ſequente die Mercurii reddere oportet. Quod ſupereſt de ſelibra pondus eſt ſeminis. Mercurii die æqui ponderis penſum traditur, pari ratione reddendum ſabbatho. Ad externum curialis domus veſtibulum accedunt, ubi fœminarum *Alcaldes* glomum librant ſingularum, appenſo cannæ fruſtulo cum nomine filatricis. Denos in quadrum, centenoſque in ſolo diſponunt, & ſingillatim libratos cunctos deinde ſimul ad trutinam redigunt. Sicubi pondus fallit, æquari jubent. Siquod male tortum eſt filum, pœnitentiam indicunt. Rationem curatori ſcripto reddunt, & œconomo tradunt.

Tex-

(*a*) Eſt & goſſypium non arte, ſed natura ſua variegatum colore cinereo; cum de cætero ſit album.

Digitized by Google

Textores ſunt plures. Japejui erant trigeni octoni. Hi accipiunt quatuor filiarrobas, ſeu libras ſexdecim unciarum centum, redduntque biſcentum ulnas, unius fere latitudine, e quibus ſex dono accipit textor, quia licet de bonis communibus res ſit, quorum partem communi titulo interdum capit, ex quibus etiam ejus filii cum reliquis pueris veſtiuntur, nihilominus quia peculiarem ille operam confert, ſpeciali dono remuneratur. Si dum textor telam orditur, fucum reperit intra glomos, ex appenſo cannæ fruſtulo, cui nomen inſcriptum eſt, peccatum pronuntiat ab œconomo caſtigandum. Id peccare conſueverunt recens nuptæ, dum appendiculi cauſam ignorant; innuptæ quippe ejus penſi & officii expertes ſunt. Selibram vero goſſypii, ſeu potius tertiam ſelibræ partem in fuſum deducere tantuli eſt, ut quatuor aut quinque horarum ſpatio perfectum haud ægre poſſit eſſe.

De peculiaris agri goſſypio quod net materfamilias, œconomo tradit, hic textoribus, qui præter communes in communi tamen textrina conſtituti ſunt. Prodit ut ſummum pannus octo vel decem ulnarum: nec longius eo procedunt Indarum animi. Mercedem textori ſolvunt maizii vel mandiochæ placentam, aut munuſculum e fucato plumbo, vel vitro, aut nihil; & utrovis modo textori ſatisfactum eſt, eo ſolum quod a Patre ſit conſtitutus; nam Pater eſt morum iſtorum anima, quo non invigilante, profligati dilabuntur. In ſummam Indorum docilitatem, obedientiam & obſervantiam referre oportet, quod officiis & œconomiæ ii præponi poſſint, quorum interventu ſtet ordo, e quibus in tanta multitudine nonnulli ſunt.

De armento. Bonorum communium pars armento conſtat. Indi non boves, non equos, aut mulos, non oves; ſed gallinas tantum peculiares habent. Ut armentum vel pecus ſibi ſervarent, diu & ſæpe nequidquam tentavimus. Siquem nacti ſunt equum, macie confici ſinunt, nec pabulum apponunt, nec ad paſcendum dimittunt. Aſinus Indo magis congruit; ne vero ſolutum quærere oporteat, ad funem triduo & quatriduo tenet impaſtum. Ad mulgendum donamus vaccarum par cum prole, quibus per ſata vagantibus abſtinent ſegnes, vel vitulum enecant voraces. Sors æqua manet boves ad agrorum cultum diſtributos, quos vel amittunt, vel edendos interficiunt. Rari ſunt de principibus, vel cordatioribus, apud quos aſino, mulo, aut bovi perennare contingat. Idcirco omnia id genus communia ſunt, quibus ſervandis ſingulis oppidorum communitatibus ſunt paſcua boum, equorum, aſinorum, & ovium, quæ licet centum millia paſſuum aliqua diſtent, bis a curatore quotannis viſitantur, quod his nonnunquam ſtet oppidi ſalus temporalis & ſpiritualis. Sterili anno in tanta laboris parcitate, maizii, & annonæ penuria fames ingruit. Dum non pluit, quod vulgo fit continenti trium quatuorve annorum ſpatio, cibarium inopiam carnium ſupplemento levare oportet. Sunt populi ſex aut octo, quorum ſingulis familiis citra vivarii detrimentum dantur quotidie quatuor aut quinque libræ. In reliquis diſtributio fit tantum per hebdomadem bina, terna, vel quaterna: caveturque ne quod tempore famis neceſſarium ſit, deſideretur. Diſtributio vero fit poſt veſpertinas Roſarii preces, quæ unius horæ ſpatio ut plurimum ſolis occaſum antecedunt. Tympano dum fit ſignum, ſingulæ ex ſingulis familiis accedunt fœminæ, quæ ex libro per tribus, vel per dynaſtias vocatæ a Secretario, paratam accipiunt portionem. Paratur vero mane, occiſis bobus, diſſectis, & per Secretarios rationibus deductis. Æqua datur pars univerſis præter Magiſtratum, & principes alios, quibus obvenit duplex.

Ad aratrum uſuſque ruſticos quinquennes & quadrimi tauri ſervantur, quos Indi facile domant. Illaqueatum duorum triumve dierum inedia debilitant: truncos deinde alligant, quos trahant, viribuſque ſic fractos pro domitis habent, & ad quoſvis adhibent uſus. Equos vero & mulos domant injectis laqueis uno & altero. Proſtratis ephippium accommodant, & ſuper inſident. Tunc laqueos ſolvunt, & quo vehementius furunt, acrius inſtigant: triduoque vel quatriduo manſuetos tradunt. His eo magis excellunt, quo mentis ſunt magis inopes.

Dum arandi tempus adventat, in ſeptum quod multiplex ſecundum oppidum eſt, ſexcenti adducuntur, aut octingenti boves; quo nomine tauros etiam cicures appellant. Huc aratores conveniunt, & Secretarius in album redigit qui ad proprios agros boves deducunt: idemque veſpere notat, ſiquis deductos non reduxerit, nequod aliquando fit, vel amittantur, vel occiſi devorentur: de quo Pater admonendus eſt. Poſtridie totidem, non iidem adducuntur, ut nempe pridiani paſcantur, nam quo die laborant, ea eſt Indorum incuria, ut nec pabulo nec potu reficiantur.

De ovibus. De ovibus non minorem eſſe oportet curam; ſed animal delicatum procul a curatore ſegniter cuſtoditum incrementum non accipit. Abundat nihilominus alicubi paſcuorum felicitate: unde & a cæteris lana pretio comparatur. Hæc in filum, quemadmodum de goſſypio dictum eſt, & in pannos redacta ineunte hieme diſtribuitur, non per familias ſed per ſingula cujuſvis ætatis & ſexus capita. Felix oppidum, in quo ulnarum quinquè in ſingulos diſtributio fit Indis gratiſſima, quorum naturæ hiems, licet hiſpano vere non immitior, multoque brevior, incommodior eſt. Æſtum ex adverſo quantumvis immodicum vix ſentiunt. Sæpe ſub ardentiſſimo ſole, etiam cum umbracula prope ſunt, operibus ſuis incumbunt aperto capite, nec moniti quidquam penſi habent. Ut ſummum terga nudant ſole torrenda, & læti proſequuntur: neque deeſt unquam, dum pauci conveniunt, qui laborantibus feſtivos alternet

net lepores, cachinnorum celeuſma.

Boum vivaria.

Ut primum innotuit improvidum de craſtino gentis ingenium ad Guairam boum propago procurata eſt, quam braſiliana calamitas extirpavit. Ad Tapem reparatam ſors excepit eadem; ſed miro ab Uruguai ad mare relictorum incremento. Huc Indi Miſſionum ad vaccarum venatum; nimium cum ſilvaticæ ſunt operoſum, convenire conſueverunt. Quinquaginta vel ſexaginta prodeunt cum equis ſubſidiariis quinque in ſingulos. Exiguum vaccarum manſuetarum gregem in clivum deducunt, ubi a ſilvaticis, poſſit conſpici. Eas congrua diſtantia circundant venatores trigeni vel quadrageni, reliqui ad contrahendas propinquiores dividuntur, quæ viſis ſui ſimilibus accedunt, laxatis interea cuſtodum ſtationibus. Ad ulteriores pari modo progreſſus fit, donec confinium evacuatur. Tunc venatores conveniunt, & præcedente uno vel altero, reliqui circum equitando gregem eo commovent, ubi plures eadem ratione & ordine capiendæ ſint. Si obſidionem nimium ſtringant & urgeant, armentum facile efferatum elabitur. Per noctem accenſis undique rogis continetur, qui ſi ardere deſinant, per medios venatores fugit. Sic duorum triumve menſium ſpatio Indi quinquaginta contrahunt per leucas centum, & populo ſuo acquirunt, vaccarum V. vel VI. millia. Equorum aliqui pereunt cornupetarum impetu, plures equitum incuria; reliqui diu inutiles in paſcua remittuntur. Dum hoc bovile tenuit, vulgo *la vaqueria del mar*, optime conſultum erat Indis, equo tantum ad comparandum victum indigentibus: eratque annonæ ſupplementum, dum meſſis interiret. Carnes enim, bovinæ præſertim, ſi abundent, Indo ſatisfactum eſt.

Poſt annorum quinquaginta ubertatem Hiſpanus quidam de Miſſionibus benemeritus circa annum 1720. idem venationis genus exercendi veniam petivit & impetravit, ſcilicet poſtquam exhauſta erant ampliſſima Bonaurenſia, & Sanctafidenſia bovilia. Veniam autem petivit a Miſſionum populis, quod ſciret, ortum id vaccarum a reliquiis Indorum emigrantium in ſuo paganorum ſolo, quod Indis integrum eſſe jubent Indiarum, & naturæ leges. Facta copia cepit Hiſpanus capita XXX. millia: quod in tanta multitudine res eſt haud immodica, quando quidem a triginta Indorum populis quotannis extrahebantur, quin propago intercideret, C. fere millia. Alteri poſt primum Hiſpano petenti venia denegata fuit, ne vulgata bovili Miſſionum accideret, quod transfluvialibus. Litem intendit Civitas Bonaurenſis: fuitque ſententia Prætoris, ut cui liberet, liceret bupetias agere. Impetu per venatorum turmas certatim facto, ingens concidit armentorum vis, quorum pelles, linguæ, ſebum, arvina, mercatoribus Anglis eo tempore ad Bonas Auras confidentibus dum longo carrorum tractu mittebantur, alii onus parabant redituris. Hac ratione decem annorum ſpatio vaccarum non modo millia, ſed milliones interciderunt.

Ut oraculum Prætoris promulgatum fuit, bovilium excidium imminere certum fuit Miſſionum curatoribus. Ergo & ipſi Indorum venationem promovent; atque ex cicurato armento LXXX. millia capita Pinetis immitti curant. Locus eſt a pinorum copia dictus, ſexaginta & amplius leucarum amplitudine, ſeptuaginta fere diſtans ab oppidis ad orientem, uber, & undique perpetuis montium jugis & ſilvis clauſus. Aditus per nemus trium, deinde per aliud quinque leucarum aperiendus erat; ſed hæc etiam læta Miſſionum ſpes concidit a Braſilia.

Cum circa hoc tempus ad loca Miſſionum perveniſſem, anno 1731. de conſtituendo boum vivario conſultatum eſt, ab Hiſpanorum æque & Luſitanorum petitionibus immuni & tuto. Sententia fuit, in paſcuis Japejuanis longis quinquaginta leucas, latis triginta locum eligendum X. leucas longum X. latum, qui boum caperet CC. millia. E paſcuis illis in hunc locum contrahenda cicurandaque XL. millia: apponendas per intervalla circum fines cuſtodum ſtationes cum Sociis Sacerdote & coadjutore. Octo annos expectandum: quo tempore XL. millia accurate cuſtodita CC. reddiderint. Cum armentum & prædium Japejui eſſent, non mittendos ex reliquis oppidis qui venarentur, ſed emenda capita. Quia vero hæc manſueta erant, emenda uno regali argenteo carius quam ſilvatica, quæ ſingula tribus regalibus comparabantur. Idem de paſcuis Michaelitanis conſtitutum fuit, & ea ratione cunctis Miſſionibus conſultum, donec fines moti vel concuſſi ſunt. Atque Japejui quidem ea fuit vaccarum copia, ut præter venales ad ejus unius oppidi annonam caderent quotannis decem millia, quotidie triginta vel quadraginta. Prædium leucarum quinquaginta: annonam vaccarum decem mille, in oppido focorum 1700: pretium trium regalium pro bove: hiſque ſimilia miretur locorum inſcius, & Novi Orbis inexpertus. Et nos aliquando mirabamur. Vel forte putaverit, boves eſſe ovibus mole pares. At illi ſunt hiſpanicis bobus maximis pares vel grandiores. Nec leucæ breviores ſunt; ſed ulnarum ſex mille ſpatio definitæ. Japejuanum, & Michaelitanum prædia omnium ampliſſima ſunt; reliqua octo, decem, ſummum viginti leucis circumſcribuntur.

Ratio ſilvaticas cicurandi vaccas hæc eſt: Contractæ, ut ſupra dixi, ad oppidorum deducuntur paſcua, undique rivis, æſtuariis, foſſiſve clauſa: etſi clauſtra Indorum ſegnities ſatis pervia facere conſuevit. In plures ibi dividuntur greges, quinque vel ſexmille capitum ſunt ſinguli, quantum oportet, ne grex gregi confundatur: quod Hiſpani vocant *rodéo*, quaſi circulum. Principio grex cogitur in circulum quotidie, ut loco aſſueſcat; deinde bis in ſingulas hebdomadas pabuli cauſa. Cogitur vero in locum modice eminentem, ubi tres horas obſidetur circum equitantibus cuſtodiis, vel in locum rudibus palis circum vallatum.

Sic

Digitized by Google

Sic armentum & manſuefit, & uberius prolificat, nec tanta equorum jactura deducitur.

Herba. Eſt & in bonis oppidorum communibus herbæ Paraguaicæ proventus ex arbore indigena, quam herbaceam appellant, aureæ malo ſimili. Abſciſſi rami per flammam transferuntur, & cratibus impoſiti igne ſupoſito torrentur, moluntur, & ſaccis accommodantur. Herba eſt tam vulgaris uſu, quam panis & vinum in Hiſpania. Cymbio ſeu ciſſybio ex cornu, ex cucurbitæ cruſta, ex vulgari ligno, aut ex palo ſancto, ut appellant, ſeu *guajacan*, quod ſalubrius eſt, argento aurove cælato, aut ſimplici immittitur herba, quantam capit cochlear, cui affunditur calida temperata, quæ ſi ferveat, amariorem reddit potum. Saccharum addunt lautiores herbarii, aurei mali ſuccum, & paſtillum odoratum.

Duplex eſt herba, vel potius duplex eandem conficiendi modus. Alia dicitur *Caa-mini*, alia *Caa ibira*, quaſi minuta, & feſtucaria. Diſcrimen eſt, quod feſtucaria maceranda in ſcrobem conjicitur immunitam, ubi terra confunditur nec folia ſecernuntur a feſtucis. Minuta vero in monoxylis molitur, vel munitis ſcrobibus, aut mortariis, feſtucæque ſecernuntur cribro. Hujus pretium eſt fere duplex, nec alibi quam apud Miſſiones fit. Feſtucariam elaborant Hiſpani Paraguajenſes, & Indi ſuburbani.

Ad ſilvas procul 50. & 60. leucarum ſpatio diſtantes eundum olim erat Jeſuitanis multorum menſium jactura. Uruguais ad orientem accolas terra carros trahere oportebat. Cæteri compactis ratibus adverſo flumine ibant: & his tres quatuorve leucas ſuccolantibus onus portandum erat. Ut tanto labori, & temporis diſpendio curatores parcerent, de ſtatuendis prope herbæ plantariis conſultarunt. Radices non agebat jactum ſemen, quod piperis grano par, plures intus continet acinulos, pulpa quadam ſeu gummi conſtrictos. Poſt multa nequidquam tentata experimenta, confectum eſt tandem, acinulos radicare gummi expurgatos; & e pingui ſeminario translatum tenerum germen in locum bene carptum adoleſcere; inde translatum rurſus ad hortum aqua rigandum tres annos, ut poſt octo vel decem herbiferum ſit. Sic e prole delicata plantaria circa oppida fere omnia poſita ſunt, ut peregre Indos abire neceſſarium non ſit. Hæc Paraguajenſes Hiſpani imitari voluerunt, magno operæ pretio, atque mulorum, itinerum, & ſumptuum compendio futura; quibus & ego tradidi ſemina, & modum; ſed incaſſum, etſi Paraguai ager eſt aptior.

Utiliſſimus omnium hic eſt fundus, cum ad populorum uſum, tum ad neceſſaria Bonis Auris emenda. Eo vel Sanctamfidem mittunt quotannis oppida ſingula CCCC. arrobas, quarum ſingulas procurator vendit quatuor aureorum octiregalium pretio, nunc majore, nunc minore ut ſunt tempora. His ſcripto a curatore petita emit: pannos, & ſacram ſupellectilem, cultros, forfices, ſecures (hæc tria commodius emi, quam domi fabrefien experimento notum eſt), rude ferrum, arma, & mille alia, quæ tempore & loco diſpenſantur.

Mandatum Regis eſt, ne arrobæ duodecim millibus plures ab oppidis triginta venum mittantur, id eſt quatuorcentum a ſingulis. Mandatum vero fuit connitentibus Hiſpanis Paraguajenſibus, quibus unis id commercii genus ex uſu eſt, mittuntque fere quotannis Bonas Auras fluviali tercentum leucarum itinere arrobarum L. millia. Nec licet mandatum tranſgredi, cum ratibus per binas aut ternas quæſtorias ſtationes tranſeundum ſit, ubi explorantur omnia, nec niſi data acceptaque fide proceditur.

Tabaccum etiam in commune ſeritur, parſque venum mittitur cum herba. Indi manſo tantum utuntur, quo laborantibus robur addi putant, præſertim hieme. Ex eo pulvis ab Hiſpania delatus aureis quatuor emitur in libras ſingulas. De reliquis Europæis mercibus par eſt ratio. Ferri quintal centum librarum unciarum ſexdecim aureis ſenis denis. Pannus vulgaris Segovianus octonis in ulnas ſingulas. Vini Bœtici cadus, qui arrobas quatuor, vel amphoras contineat, aureis trigenis.

Ex bonis communibus pars extrahitur, linteum goſſypinum, & fili parum ad ellychnia, herba, & tabaccum; reliqua fere omnia vel in oppidis conſumuntur, vel commutantur: nam alibi goſſypium, maizium, legumina, armentum abundat, dum alibi deſideratur. Vermis, locuſta ingruit in pagos aliquos, dum parcit aliis; quare annona, & quæ neceſſaria ſunt, bonorum permutatione quæritur. Nec tantum in Miſſionibus; ſed inter Paraguajenſes Hiſpanos & Correntinos, fructus vicem monetæ ſubeunt. His pretium imaginarium conſtituit Paraguai Civitas: goſſypii arrobæ aureos duos: tabacci foliacei tres: herbæ duos: ſingulis vaccarum capitibus ſex. Herbæ itaque dives, pannorum inops, ubi nullum eſt mercuriale forum, venditorem inquirit: & quia de pretio jam ſatis conſtat, aliud alio compenſatur. Europæis mercibus ibi pretium penditur quadruplum: ut quod Bonis Auris comparaveris aureo, Aſſumptione quatuor, ideſt duabus herbæ arrobis vendere poſſis. Hos appellant *peſos huecos*.

Rerum pretia. In Miſſionibus etiam rerum pretia conſtituta ſunt, apud curatores ſingulos in album relata, ea quibus nullo tempore, aut intemperie variatis commutationes fiunt. Sed quod Bonis Auris affertur valet vigintiquinque amplius in ſingula centum, ob ſumptus & pericula conductionis; ideoque procurator cum expeditis mercibus pretium, quo Bonis Auris emptæ ſunt, ſimul denuntiat; non quia de revendendis cum lucro animus ſit; ſed fit ſæpe ut curator ad ſuorum Indorum veſtimentum goſſypio indigeat, quod recens vermis vel locuſta vaſtavit, vel ad annonam indigeat maizio, quod ariditate periit; tunc vero ferrum,

rum, vel ſacra etiam ornamenta, quæ Bonis Auris emerat ad communes oppidanorum uſus, tantidem & quanti ſumptus vecturæ computantur, erogat ut præſentiori neceſſitati ſubventum ſit.

Nihil horum, nec laborum diſtributio, nec itinerum apparatus, ſine curatore fit. Sed cum aliquid e communi uſu gerendum eſt, Conrectorem Indum, & œconomum interpellat, quorum ſententiam exquirit de Indorum numero ad tale iter, & ad rerum vehendarum, vel gerendarum cuſtodiam aut ſecuritatem neceſſario; de bobus, jumentis, & commeatu. Dum de numero conſtat, mittendos eligit Conrector, electoſque ſiſtit ante curatorem, ſiquem refutandum cenſeat. Ille admiſſorum habitum & veſtitum explorat, nec prius quenquam dimittit, quam ſingulis, & cunctis in præſens & in futurum, ut eſt itinerum longitudo, & abſentia, provideat.

Merces non ſolvitur, quia res eſt communis uſus, ac dum hi peregre abſunt, illi domos omnium reficiunt, vel communia ſata colunt, ſata etiam abſentium propria, dum abſentia diuturna ſit. Nihilominus cum viatorum labor eſt major, vel mandata gerunt accuratius utiliuſque, reduces præmio donantur. Præmia vero ſunt roſaria, vitreorum orbiculorum ſerta ſibi aut uxoribus, panni, cultri, calcaria, fræni, ſecures, cunei. Nempe Conrector & œconomus id rei publicæ adminiſtrant, curator dirigit cui fidunt, & cujus regimen qua-quale & ipſi probant, & probarunt prudentiſſimi viri, gentis ingenium experti, Prætores, Epiſcopi, & Legati, literis ad Regem teſtati, non aliud Dei & Regiæ Majeſtatis obſequio, non aliud rei publicæ magis conſentaneum: quod & Philippus Rex V. ratum habuit.

Improbarunt quidem hoc regimen Finitorum, quibus regendi limites provincia commiſſa fuit, ac de exercitu nonnulli, quorum ſententia erat, Indorum ſingulis ſuum eſſe oportere vaccarum gregem, cum ad lactis, tum ad carnium uſum, ut ruſticis in Hiſpania conſuetum eſt; ſuum etiam hortulum, ſeu plantarium herbæ, & tabacci aliud, equos & mulos; inde proprium tabaccum & herbam conficere; Indos & Hiſpanos commercio miſcendos, ut horum conſuetudine erudirentur illi. Patres vero non aliud quam doctrinam Chriſtianam tradere. Utinam parocho liceret temporalium cura liberari, & verbo impenſius miniſtrare quam menſis. Multa ſæpe tentavimus, ut horum aliquid ex ſententia cederet, ſed incaſſum. Plures ſunt Indorum, qui ad Hiſpanos deficiunt, meritæ videlicet pœnæ formidine, unus certe de centum, ut mille perfugarum ſint. Horum pauci redeunt, plerique in defectione perſeverant, & ſtata mercede conducti victum lucrantur, & præter victum aureos quinque vel ſex in ſingulos menſes. Poterant hi quod Æthiopum hybridumque nonnulli conſequuntur, aureos quotannis quinquaginta ſibi ſervare. Sed cenſorem rogavimus, numquem vidiſſet audiſſetve, qui vel decem ſervare noſſet, & negavit.

In Miſſionibus autem novimus Indum Candelariæ Conrectorem, qui plantarium ſibi fecit, ex quo quatuordecim herbæ arrobas curatori tradebat cum communi ſubſtantia Bonas Auras deferendas, & cum mercibus ſuæ domui neceſſariis & utilibus commutandas. Saccos obſignabat curator, & monito procuratore Conrectoris voto fiebat ſatis. Alium novi belli apud ſuos Commiſſarium, qui ex conſito ſibi canneto ternas vel quaternas ſacchari arrobas exprimebat, pari ratione in uſus proprios expediendas. Is aliquando Bonas Auras venit communi navigio, ubi ſuum ipſe divendebat peculium. Hos imitari cæteri poſſent, & antecellere, Patribus non invitis, imo juvantibus; ſed viginti & octo annorum ſpatio curator & ſocius non alium reperi in tot millibus.

Quidam non Indus, ſed mulatus ut vocant, Indam dynaſtæ filiam hæredemque in matrimonium duxit præter opinionem. In oppidum, & ſubditorum curam admiſſus morum probitate ſe probavit univerſis. Legere & ſcribere cum ſciret, fere perpetuum domus Patrum, id eſt populi totius œconomum egit. Quem & diverſi curatores ad alia vocabant oppida, ut prædia viſitaret, majoriſque momenti negotia conficeret coadjutoribus Sociis committi ſolita. Is in oppidi ſui terrarum angulo armenti gregem ſibi procurabat, tabaccum colebat & cannas, fructumque Bonas Auras, ut ii quorum ſupra memini, mittebat, vel præfecti Miſſionum adjutori vendebat pro veſtibus & re familiari. Apud eum mirabantur Indi rerum copiam, ad imitandum nullatenus moti.

Aliarum gentium ingenium non curo. Solertiores ſint illæ. Sed qui gentis Guaranicæ neophytos curant Franciſcani (a), haud aliter atque nos temporalia tractant. Hoc tamen non tollit, quin & illi taxam commendatario pendant, ſicut Jeſuitani tributum Regi perſolvunt. Solvitur vero ab anno ætatis decimo octavo ad quinquageſimum, exceptis dynaſtis, horum primogenitis, & Conrectore, quamvis forte dynaſta non ſit, & quos Rex immunes fecit, eccleſiæ miniſtris. Tributum ſolvunt, non ſiſam, non alcavalam, quam Hiſpani ſolvunt, etiam tributo immunes (b). Decimas vero erogant recenti jure, vel nomine decimarum centum in ſingula oppida aureos, quos non pendunt alii vectigales Indi.

De Miſſionariis ea dicam, quæ dicendis de reli- Cap. IV. Miſſionarium regimen.

(a) Et clericis ejuſdem linguæ doctrinariis id moris eſt, ut habes in Charlevoixii Documentis ſupra num. XXXIII. in Decreto Curiæ Platenſis 1. Mart. 1715.

(b) Siſæ, & alcavalæ immunitatem fecit Guaraniis Jeſuitanis Rex Carolus II. per Schedam anno 1684. a P. Didaco Franciſco Altamirano Procuratore impetratam.

Digitized by Google

reliquo præluceant. Oppidorum centrum eſt Candelaria, unius Miſſionarii ſedes, qui cæteris pari atque rectores collegiorum authoritate præeſt, & parochorum ſtipendium adminiſtrat cum Socio coadjutore. Stipendium a Rege ex eorundem Indorum tributo ſuffectum 466. aureis octiregalibus conſtat, & 5. regalibus in ſingula oppida, quantuſcunque ſit incolarum, Sociorumque numerus. Eo defert Bonis Auris lineas, laneaſque veſtes, vinum, oleum, acetum, & quidquid ad religioſum victum ſpectans Miſſionum ager non fert. Quodſi feratur, ibi id pretio comparat, quod communi oppidi venditoris ſubſtantiæ accreſcit. Rerum ſic emptarum promptuarium penes ſe habet Præpoſitus, cum diſperſorum per Miſſionum loca Sociorum corporis ad veſtes, pedis ad calceos menſura, Indiſque octo ſartoribus vel ſutoribus, quibus tota laboris merces ſolvitur, & quibus propria ſata colentibus alii ſubrogantur.

Nec Præpoſito nec Socio adjutori ſtipendium datur, nec aliis, ſiquis eſt chyrurgus, pharmacopola, pictor, vel architectus, docendis Indis intenti; ſed uno triginta parochorum ſtipendio nullo diſcrimine victitant univerſi, ſeptuaginta numero, interdum octoginta. Principio Rex duplum conſignari juſſit ſtipendium 933. aureorum, duorum regalium, in Peruvia Doctrinariis regularibus dari conſuetum. Sed pars media refutata eſt, quod præter alimenta quidquam pro miniſteriis accipere inſolitum nobis ſit, & ubi res vilius quam in Peruvio veneunt, media ſat erat.

Singulis menſibus parochus vinum, & ſiquid aliud ſibi aut Socio neceſſarium eſt, exquirit a Præpoſito, in ſingulaſque hebdomades accipit ſingulos congios (frafco), alio in ſingulos addito menſes propter miſſas. Ex oppido ſumitur quod ex Candelaria diſtante ſuffici nequit, ova, piſces, hortenſia, legumina, frumentum; ſed licet hæc Indi Patribus offerant gratis, pretio comparantur; ex ſynodali quippe ſtipendio Præpoſitus Sociorum ſingulis ſub Chriſti Natalitium mittit haud certe modicam rerum Indis pretioſarum ſummam, hamos, acus, forfices, cultros, anulos, monilia, ſal etiam, ſaponem, & alia danda non tantum ſartori, olitori, amanuenſi ſi quem habeant, ſed omnibus operam conferentibus in Patrum commodum.

Ad Sociorum regimen ſpirituale atque regulare Præpoſitus Conſiliarios quatuor, admonitorem unum, ut in collegiis habet. Hunc ut errantem moneat illos, ut in rebus alicujus momenti conſulat, omnium qui propius Candelariam habitent, graviſſimos & rerum expertos. Eſt liber ordinationum provincialium, quorum plerique diu miſſiones obierunt. In eo de religioſa inſtitutione, & de Indorum cura in ſpiritualibus, in politicis, œconomicis, & militaribus ratio habetur. Ejus exemplar aliud eſt penes curatorem, aliud penes Socium: legitur ex eo per mediam horam ſingulis hebdomadis, audientibus quotquot de Societate ſint. Præpoſitus oppida crebro circum curſat; & quidquid peccatur contra ordinationes corrigit. Cum hic liber agendorum regula ſit, a qua nemo impune deviaverit, cuncta ſunt uniformia, quod mirantur advenæ Hiſpani, dum oppidorum ſub una forma conſonantiam contemplantur. Dum Præpoſitus aliquem reprehendit abſentem, ſcriptum mittit ad Socium, vel ad ſeniorem vicinioris oppidi coram reo ſupplici legendum, deinde mittendum per oppida exempli gratia.

Sunt Generalium mandata, nequis niſi virtute probata Miſſionibus addicatur; degeneres ab oppido in oppidum, vel a miſſionibus ad collegia revocantur, ut ad emendationem interſit. Ex horologio rotato, quod apud Patres nullibi non eſt, ad orationem, ad examina, ad prandium & quietem, perinde & eodem tempore atque in collegiis ſignum fit. Singulis Lunæ diebus ante cœnam de Caſibus conſcientiæ collatio habetur, ita ut alter probatum quempiam authorem legat, deinde cum Socio vel Sociis de iis quæ lecta ſunt diſputet. Eſt cœnaculum, quod duodecim fere capiat convivas, in quo precibus ritè præmiſſis ſequentibuſque puer muſicus legit primo ſacrorum Bibliorum Caput, deinde vel codicem aſceticum, vel quampiam hiſtoriam Eccleſiaſticam, quæ vel in oppido forte ſit, vel e communi Candelariæ bibliotheca deferatur.

Votorum renovatio cum prævio celebratur triduo, & in eo conſuetis exercitationibus. Convocat Præpoſitus in duo triave oppida vota renovaturos. Ipſe ſermonem habet, vel habendum commendat cuipiam de ſenioribus, exigitque rationem conſcientiæ. Notantur ſingulorum defectus, conveniuntque ſeniores ad generales confeſſiones excipiendas. Quanta cunque ſit negotiorum moles octo dies exercitiis ſpiritualibus quotannis vacandum eſt. Curator oppido excedit, ne cura diſtrahatur; ſed Socius cura liber apud ſe vacat.

Per Quadrageſimam univerſi curatores loco moventur, & octo dierum ſpatio in aliena parochia quotidie perorant, cum ad integrandum neophytorum fervorem, tum ad commodum peccata confitentium. Diebus dominicis, & feſtis de præcepto ſermo fit doctrinalis ſeu moralis ad populum; profeſtis vero præter diem Jovis & Sabbathum ætate minoribus utriuſque ſexus traditur catechiſmus. Die Jovis vacatur, & Sabbatho poſt roſarii preces B. Virgo ſolemni & pleno muſicorum concentu ſalutatur. Clauſura tam ſancte ſervatur, ut nulla fœminarum appareat etiam pro veſtibulo. Duo ſunt atria, princeps aliud ſeptuaginta vel octoginta ulnarum in quadrum, cujus ad orientem eminet templum, ad auſtrum Patrum & hoſpitum habitacula; ad occidentem culina, armarium, ſchola, & janitoris cubiculum, cujus eſt oſtium ſub noctem claudere uſque ad quadrantem ante matutinæ orationis finem; & a tempore examinis ante meridiani uſque ad horam ſecundam poſt meridiem. Ad boream ſpectat oſtium.

Digitized by Google

Secundum atrium amplius eſt primo, in quo medio macellum boarium eſt, circum ſub porticibus officinæ: in quibus & in reliqua oppidorum fabrica nulla eſt contignatio ſuperior. Indorum domos Patres non adeunt niſi Sacramentorum cauſa. Ad ægrotantis confeſſionem egreſſus crucifixum collo appendit, & pro baculo crucem manu præfert, octo palmis altam, denſitate pollici parem. Præit medicamentarius, atque puerorum æditimorum par. Medicamentarium appellant *Curuzuiá*, quod ſemper crucem & ipſe præferat, qualem Pater. Sub brachio portat ſtoream: puerorum alter ſellam plicatilem, alter aſpergillum cum aqua luſtrali, & lucernam cum candelabro. Sella videlicet vehitur, ut ſacerdos pro tribunali ſedeat, nam raræ ſunt apud Indos ſellæ: ſtorea ſeſſuro ſupponenda propter ſpurcitiem: lucerna vero, ſi ægrotantis fœminæ confeſſio in obſcuro ut ſit loco audienda ſit.

Reliqua Sacramenta, viaticum, & extrema unctio, devoto & ſplendido apparatu, diu noctu ut fert neceſſitas, conferuntur, ita ut nemo abeat impune, medicus domeſticuſve, qui monere negligat. Animæ commendatio rite fit, pueris appoſite reſpondentibus. Baptiſmorum ſexdecim aliquando & viginti ſolemnia ſingulis dominicis poſt prandium prolixe celebrantur, vaſis ex argento ſat pretioſis, & eleganti ornatu baptiſterii. Miniſterium alternant per hebdomadas curator & ſocius.

In mulierum conſuetudine major hic quam apud Hiſpanos circunſpectio & ſervatur, & eſt neceſſaria atque utilis. Nunquam ſalutationis gratia conveniuntur. Siquid tradendum in earum manus ſit, ut roſarium, ſacrum numiſma, aut quid ſimile, id Pater proximo Indo tradendum committit. Nunquam remotis arbitris audiuntur. Siquid eſt cum Patre ſermone tractandum, ſenem *Alcaldem* ſuum monet fœmina, ille Patrem: expediturque vel in templo, vel extra limen in foro coram internuntio ſene, qui tamen non audiat quod arcanum ſit.

Quotidiana temporis diſtributio hæc eſt. Hora quarta mane ſigno æris campani excitamur. Poſt quadrantem horæ trina populo indicitur angelica ſalutatio. Poſt alterum quadrantem, oratio mentalis. Primo poſt quintam quadrante janitor ædituis & coquo fores aperit. Altero ſit ſignum ære publico ad ſacrum, atque privato ad finem orationis. Poſt ſacrum, quod in frequenti populo fere ſemper obvenit, viaticum & extrema unctio diſpenſatur indigentibus, niſi neceſſitas horam antevertere cogat; & cadavera humantur. Horas canonicas ſequuntur confeſſiones, ſiquæ ſunt audiendæ. Quadrante poſt decimam ad examen conſcientiæ dato ſigno vocamur. Inde ad prandium & quietem. Hora ſecunda pomeridiana publicum ſit ſignum ad veſperas. Quinta poſt puerorum catechiſmum ſuccedunt publicæ, atque Patribus communes Roſarii preces cum Actu contritionis. Ac tandem SS. Sacramenti, laudes cum Guaranice, tum Hiſpanice præcinentibus muſicis verbatim reſpondet populus. Poſt hæc exactis, ſiqua intercurrunt, curialibus miniſteriis, ad officia canonica & regularia ſecedimus uſque ad horam nonam per æſtatem. Hyeme vero idem eſt ordo, ſerius ocius initus, familiari tympano undecies in ſingulos dies perinde atque in collegiis reſonante.

Per Quadrageſimam fervet maxime miniſterium opus. Bis ſingulis hebdomadis ſermo ad populum fit, præter dominicalem. Per dynaſtias vel tribus ad pœnitentiæ Sacramentum accedunt a Septuageſima ad octavam Corporis Chriſti. Quadragenos aut quinquagenos in dies ſingulos audire conſuevit quiſque Patrum: exigiturque accurate ſingulorum confeſſionis & communionis fides. Si communicantibus ex præcepto eos addideris qui ex devotione per annum ſacræ ſynaxeos participes ſunt, decem millia facile complent: id quod ex particulis ad conſecrandum numeratis compertum eſt.

Cap. V. Religioſus cultus.

De templorum fabrica & mole ſupra eſt dictum. Splendidiſſima ſunt intus, nec tantummodo quinque altarium tabernacula, ſed alarum etiam pilæ, feneſtrarum antæ, fornices & laqueare totum variis fulget ſculturis, coloribus tu & auro; ut dum fores aperiuntur, & ſol emicat, læta majeſtatis ſpecies cor repleat. Quinque ſunt Eccleſiæ fores, ſeptem alicubi, ternæ in fronte ad forum ſpectante, reliquæ ad cæmeterium & curiale atrium. A foro fœminæ, a latere mares ingrediuntur, nec ſedent communi loco. Presbyterium occupat unus ſacerdos cum ordinata miniſtrorum turba. A clathris ad concionatoris cathedram in pronao, quod tredecim aut quatuordecim ulnas latum eſt, hinc inde ſedium Magiſtratus & belli Ducum eſt locus. Medii pueri in pavimento ſedent; ſed eos inter ſtans puerorum *Alcalde* virga minaci tumultuantes continet. A pueris trium ulnarum ſpatium vacat ad puellas, quas reliquæ ſequuntur fœminæ. Sub pronai alis utrinque a presbyterio ad cathedram ſunt viſorum cæteri; & poſt intervallum fœminæ uſque ad fores. Ingreſſuris, egreſſuirſve liber patet per mediam templi longitudinem aditus binas latus ulnas. Et hic quidem ordo ſervatur, non modo in ſolemnitatibus & concionibus, ſed in quotidiano congreſſu, quietem & ſilentium mirantibus advenis, Epiſcopo nominatim, a quo poſtremum viſitati ſunt.

Altaria cuncta candelabris argenteis ornantur. E quinis eccleſiæ coloribus terna ſunt pro ſingulis altaribus frontalia, ſacerdotumque veſtimenta, pretioſis diſtincta tæniis: primæ videlicet claſſis, ſecundæ, & quotidiani uſus. In ſolemnibus ſacris per dies feſtos, Sanctorum noſtrorum, & Mariæ in Sabbatho, præter cereos ſolitos, duo magna ardent funalia. Miſſis cum cantu acolythi ſex nunquam non adſtant, quorum duo reſpondent, duo thuribula cum capſella tenent, duo reliqui ceroferaria, perinde atque thuribula ex

ar-

Digitized by Google

argento. In quotidianis ad aram maximam quaterni sunt ministri, bini ad aras reliquas, nunquam singuli. Calceis utuntur, & supparo byssino, toga vero coloris rubri, vel si festo congruat, violacei, aut nigri. Suppara seu superpellicia quotidiani usus vulgaria sunt, sed in majoribus festis multo opere lemniscata.

Etiam in profestis, ut ære campano vocantur ad Sacrum, adsunt frequentes, & alicubi moribus invaluit, ut omnes intersint, Absentes notantur, & reprehenduntur, sed ubi obligatio non est, pœnæ parcitur. Missam excipit Actus contritionis sine cantu a duobus musicis, populo verbatim respondente. Mox alii duo cum universo organorum concentu *Benedito y Alabado* præcinunt, populo etiam ad numerum verbatim sequente. Jam tunc sacro habitu depositò sacerdos ad presbyterii clathros gratias agit, quo Magistratus, dynastæ, atque duces ad manus osculum accedunt, contristandi siquis difficilem se præbeat. Deinde curatorem ante cubiculi januam expectant, ubi œconomus quotquot sacro interfuerunt viris statam herbæ mensuram distribuit. Ibi nisi pridem factum sit, Conrector de agendis per diem curatorem percontatur, ex cujus sententia singuli ad injuncta discedunt opera post herbaceum potum. Vespere post rosarii preces similis fit herbæ distributio. Terna fit fabris, cum se domum ad prandium recipiunt.

Labores. In semestri ad curanda sata constituto post sacrum, herbamque acceptam rura petunt: de reliquo ædificia vel fiunt, vel reficiuntur, sepiuntur agri vallo, vel fossa, quæ in armentorum pascuis plurium interdum leucarum spatio protenditur: pontes, æstuaria, viæ sternuntur: ligna cæduntur, & portantur: herba conficitur, carri ducuntur, vel rates, aliaque vel suscipiuntur, vel promoventur communi usu.

Puerorum ludi. Sunt ludi, ubi pueri legere, scribere, fidibus & voce canere, atque saltare docentur ad festa celebranda. Ludos vero frequentant dynastarum filii, senatorum, musicorum, sacristarum, œconomum, & fabrorum, quos omnes attingit nobilitatis opinio. Aliorum etiam si velint, & petant, admittuntur filii. Sunt autem in singulis oppidis dynastæ fere viginti, triginta, quadraginta. Ludi sunt apud Patres in primo atrio, non quod illi magistri sint, quod minime vacat, sed ut propius invigilent. Legere discunt, leguntque exterum idioma expeditius quam nos, quod forte in majorem quam nostri visus claritatem referendum sit, vel in memoriæ tenacitatem, qua mentis hebetudo suppletur. Sunt qui eleganter scribunt: & aliqui typorum characteres sic imitantur, ut legentis fallant oculos.

Musica. E ludo seliguntur cantores voces clariores, validiore tubicines. Magister musicam tradit, ut in Hispaniæ cathedralibus; nondum tamen qui componere noverit inventus est: Ars tota descripti pentagrammatis intelligentia constat & usu; nemo ut quidquam addat, inducit animum, non suspirium, non semisuspirium, non fugam, non alternum spiritus flexum, quod vel mediocris audeat cantor, sed descripto omnia consonant. Nec in poesi ullus est, qui regulas consonantium & assonantium usu capiat: ulluve qui carmen vel in trivio canendum modulatus sit. Exercitatione tamen indefessa multi fidibus & tuba egregii sunt. Nec in tanta multitudine desiderantur optimi acutus & tenor.

In oppidis singulis triginta, aut quadraginta musicorum est chorus, si voces, fidicines, & tubicines computentur. Instrumenta ubique sunt minora plectra quatuor aut etiam sex; decumana duo vel tria; tubæ graves cum acutis sex vel octo; cytharæ majores tres aut quatuor; unum vel duo organa; lituí duo vel tres. Modos quibus utantur, per Hispaniam atque Italiam corrogamus.

Vesperæ festorum, quotquot Indis de præcepto sunt, festorum etiam S. Ignatii & S. Xaverii, solemni celebrantur ritu. Universum resonat æs campanum, quod octo vel decem tympanis constat. Adest plenus musicorum chorus, atque splendido habitu Senatus cum belli ducibus. Parochus vel præses superpelliceo indutus, stola, & trabea, quem simplici superpelliceo comitatur Socius, & siquis est hospes sacerdos, præcinit quod chorus prosequitur. Etiam in quotidiano profestorum sacro, musici principio usque ad Evangelium, fidibus, tubis, vel utrisque canunt. Deinde unum alternant de vesperarum Psalmis, nempe die Lunæ *Dixit Dominus Domino meo*, die Martis *Confitebor*, & sic deinceps usque ad solemnia S. Mariæ in Sabbatho. Neque Psalmos adhibent unius, sed alternæ compositionis. Psalmus obtinet fere usque ad consecrationem præter *Laudate pueri*, & unam vel alteram cæterorum compositionem, quæ non ante missæ finem expeditur. Cum modi per summos Europæ magistros ad literæ sensum accommodati sint, pios animorum motus excitant.

Laudate pueri incipiunt tenores, & turba tubicinum, *Laudate pueri, pueri laudate, laudate nomen Domini*. Tunc pueri de choro triplicant; *Sit nomen Domini benedictum*, &c. Post aliquot versiculos turba majorum instat: *Pueri laudate, laudate pueri Dominum*. Parvuli respondent: idque ter vel sæpius. Ad *Gloria Patri* cunctæ voces, acutæ, sub acutæ, imæ, sub graves, fides, tubæ, ea majestate, harmonia, & suavitate consonant, quæ vel durissimum emolliat cor. Nihil est quod arrogantiam & vanitatem in choro sapiat, nihil non modestum. Et quidem innocentes pueri ea sunt voce multi, quæ in summis Europæ cathedralibus eminere possint. Post brevem organorum a consecratione de reliquo tacitum concentum, hymnum aliquem, ut *Jesu dulcis memoria*. -- *Ave maris stella* -- aliumve prosequuntur. Interdiu musici sequen-

tis diei argumentum ex compoſito præparant.

Saltationes. Miſſionarii primi gentis naturam experti, ad Deo conciliandam muſica uſi ſunt, cujus conſilii efficacitate uſu probata, choreas & ſaltationes modeſtas addiderunt moribus. Etiam huic ludo, cui elegantiores corporis habitu pueri addicuntur, magiſter eſt datus. Veſtes ſunt gentium propriæ, Hiſpanicæ, Hungaricæ, Moſcobiticæ, Mauritanæ, Turcicæ, Perſicæ, aliarumque orientalium. Angelorum quoque, vel quibus Angeli fingiuntur, aligeri, vel ſine alis. Fœminæ ſpectatrices ſunt tantum. Poſt veſperarum ſolemnia ſaltationes fieri ſolent in foro: & tunc quidem quaternis non plures; in ſupplicatione, qua novi teſtamenti arca cum Corpore Chriſti circumfertur: in popularibus feſtis: & in Epiſcoporum, vel Prætorum adventu.

Prima ſaltatio unius tantum Hiſpanum ſimulantis eſſe conſuevit gravis & ſeria, ſexdecim aut viginti conſtans evolutionibus ad citharæ numeros. Prodeunt deinde octoni vel deni Turcæ, aliuſve gentis, quaſi ad præliandum certi ſtricto acinace, aut illatis ſignis ad lituorum modos. Alii ſexdecim, aut viginti numero inſtrumenta muſica manibus præferunt: bini barbiton, totidem citharam, alii alia. Par aliud alius gentis habitum geſtat. Fides ſimul pulſant atque ſaltant, reliquo interea ſilente choro, atque modo in ordinem, nunc ſimplicem, nunc duplicem componunt ſe, modo in quadrum, in decuſſim, in gyrum.

Quarta Angelorum eſt novem duce Michaele, cum gladiis, & ſcutis inſcripto *Quis ſicut Deus?* E regione totidem apparent cacodæmones, duce Lucifero, armatura fuſca, ſimulatis ſuper habitum ſerpentibus & flammis. Ad colloquium dum veniunt, & Lucifer ſuperbit, claſſicum furit, nec dum præliatur ceſſat. Ad numerum pugnant & aciem varie conformant. Vincit Michael & Angeli ejus. Diaboli profligati cadunt. Reſurgunt, & pugnam integrant; ſed tandem in orcum demittuntur, cujus fumifera ſpecies haud procul eſt. Dum Angeli hoſtium armis ſuiſque onuſti aciem circunducunt, Pueri Jeſu throno inſidentis apparet imago, ſecundum quam ut muſici ſunt plures, canunt *Jeſu dulcis memoria*, bini ordinato gradu ſe ſiſtunt, mahubiaſque dedicant; quorum nihil non harmonice fit. Alias Angeli in ſcenam prodeuntes verſum repetunt in honorem B. Mariæ, aut Sancti, cujus celebratur feſtum.

Puerorum exercitia. Pueri, qui de ſcholis non ſunt ægros frequentant, quorum diſtributio hæc eſt. Ut mane ſignum ſit ſalutationis angelicæ, reſonant in foro puerorum tympana, quorum *alcaldes* ſeu gubernatores diſperſi clamant: *Fratres, hora eſt. Mittite filios & filias ad orandum. Cito mittite ad templum, ad ſacrum, ut Deus diurnis operibus benedicat.* His clamoribus, & tympanorum ſono excitati ad templi porticum accurrunt, quo dum cuncti convenerunt, bina vox clara preces incœptat, aliis reſpondentibus, vel alternantibus. Idem puellæ facunt, ſub amplißima porticu congrue diſjunctæ. Precibus exactis, quæ ut voces multæ & elatæ ſunt, per cunctos oppidi vicos reſonant, ſiquid temporis eſt reliquum, ſacris impenditur hymnis, præeunte voce una vel altera, cæteris ſuccinentibus. Hymni vero de laudibus ſunt Chriſti, B. Mariæ, & Sanctorum: & quos hic memoriæ mandant, domi, ruri, dum peregre abſunt, terra vel fluvio, repetunt majores natu. Dum pueros appello, intellige ſeptenni majores ad decimum ſeptimum ætatis annum, quo exoremi ducere conſueverunt; puellis vero uſque ad annum decimum quintum. Nullus non matrimonio jungitur, cælibatus expers.

Poſt preces interſunt communi ſacro. Deinde puellæ in cœmeterio, pueri in atrio curiomatus preces & hymnos proſequuntur, dum jentaculum carnium, ubi abundat bubula, vel cocti maizii caldario paratur. Prandium vero crudum humeris vehunt, & ad coquendum lebetes, atque ſarcula, quibus agros crebro ſarriunt, vel congruum ruris inſtrumentum. Alii lecticam ſuccollant, qua exigua S. Iſidori Agricolæ ſtatua a pluvia tuta defertur, tibiiſque ſonantibus & tympanis rus petunt. Hæc pueri; ſed puellæ in diverſa ſemper atque pueri concedunt. Scholaſtici ſcholam adeunt quiſque ſuam, ſed ſaltatores, qui nudum aliquandiu frequentarunt, uno tantum die ſeptimanæ ſaltant; cætera ruricolis adjunguntur. Filius genitorem non comitatur, quod hic illum otioſum, famelicum, nudumque vagari ſinit ut plurimum. Sed & multa ſunt, in quibus filii filiæque parentes juvant ſuos: aquam & ligna portant, officiaque domeſtica peragunt tempore poſt preces veſpertinas reliquo, plurium horarum per æſtatem, & in feſtis Hiſpanorum, quibus & Indis vacatio datur laborare potentibus.

Veſpere audito ære campano, quod illi vocant *tain-tain*, ad Eccleſiam ſe recipiunt, appoſito, excubitore, a quo dum procul abſunt, moneantur. Repedant cum ſuo Sancto, tympanis & tibiis circumſtrepentibus. Ad deponendum ſtragulum ruſticum, domum divertunt, quiſque ſuam, & quod Eccleſiam magis deceat accipiunt. Redeunt ætate flora quinta, quarta vero hieme, ubi lux diutius obtinet quam in Hiſpania magis ab æquatore diſtante.

Ad Eccleſiam dum ventum eſt, omnium clariſſima vox bina *Pater noſter*, & preces reliquas alternat cum puerorum turba. Quatuor deinde in binos choros diviſi catechiſmum recolunt cum ſuis interrogationibus & reſponſionibus. Alter chorus interrogat: *Hai Dios?* Alter reſpondet: *Si hai*. Et turba repetit: *Si hai*. Catechiſmus hic eſt brevis a Concilio Limano digeſtus, qui haud ægre totus ad finem brevi perducitur. Poſt catechiſmum de gubernatoribus uſque præſentibus unus Patrem monet, horam eſſe doctrinam explanandi. Adeſt ille cum cruce, quam ad

ægro-

ægrotos portare moris est. Hos illos interrogat, & remunerat. Interea populus major natu ad rosarium convenit. Inde Pueri ad atrium, ubi post iteratas preces oscillam accipiunt, ex eodemque loco ad curatoris cameram conversi una vociferantur *Tupa tanderaarò chè rubà*, *Vale Pater*, & domum se recipiunt.

Sodalitates. Duæ sunt in unoquoque pago sodalitates, alia a B. Virgine, alia a S. Michaele, quibus accensentur utriusque sexus adulti, qui se magis moribus probant. Communionem & confessionem ex instituto frequentant per singulos menses. Festum advocationis celebratur primis Vesperis, publicisque ludis, missa solemni, & concione. Pro secundis Vesperis curio ad sodales privatum sermonem habet, in templo quidem, statuta legit & explicat. Cum quis denuo accensetur, syngraphum deditionis sui, seu devotionis subscribit. Scripto namque profitentur cultum regularum & morum, Syngraphum vero theca inclusum instar amuletum appendunt collo: qua ratione se Deiparæ servos, & S. Michaelis cultores esse gloriantur. Præfectus Sodalitatis renuntiatur tradito vexillo, cui appicta est B. Virginis imago.

Sacramenta. Oppidani reliqui sæpius per annum Sacramentis expiantur, maxime in festis majoribus. Quia vero tot numero sunt, sacerdotes vero duo tantummodo, quandoque unus; confessiones triduo, aut biduo festum & communionem ante cellunt. Post sacrum, officiaque matutina pœnitentes quot a Præfectis Sodalitatum designantur, ante Confessarii tribunal, quod ipsi malunt, se sistunt, hinc viri, illinc fœminæ utrique ad crates. Præfectorum alter sacerdotem convenit, & ait: Patet ante sedem tuam sunt tot viri, tot fœminæ, tot pueri, tot puellæ. Cistellam tabellis digiti latitudine & longitudine plenam sacerdos accipit, quibus candente ferro insculptum est: *Confessó*. Confitentium singulis singulas porrigit tabellas, per apertam a consilio rimam. Si quid denuo confitendum in mentem venerit, redeunt postridie; sed rarissimos pungunt scrupuli: accuratiusque cavet unusquisque id quo redeundum sit, ex quo tabellam accipit. Confessiones sunt brevissimæ; procul ambages & historiæ: neque sermone multum esse Indorum confessarium oportet. Multi confessionis materiem nullam proferunt, quantumcunque discusseris. Quid ergo quæris, si sacerdos interroget, respondet: Huc accessi, ut bene mihi preceris.

Cum ad clathros communionis genuflectunt, sacrista pelvi tabellas recipit, non exhibentem, quod raro fit, inde facessere jubet, & rursus confiteri amissam esse causantem. Clathri ii sunt, qui octoginta fere simul capiant: & alicubi picturis & auro fulgent, haud aliter atque confessarium sedes. Cum iter parant menses aliquot duraturum, ut ad Hispanorum portus, ad explorandos Brasiliæ fines, ad bellum, aut arcium fabricam, sacramentis confessionis & communionis expiantur abeuntes, redeunteque.

Dum ægrotant, continuo confiteri volunt; & viaticum petunt, & extremam unctionem etiam intempestive: nec nullus hæc horret, aut aspernatur sacramenta. Cum iteratis visitationibus quærimus nunquid confiteri velint, respondere soliti sunt: Nihil est reliquum: omnia jam dixi tibi. Ex præsente mortis specie nullus est pavor, neque turbatio; non scrupuli, non angor. Pie moriuntur, & magna de salute futura spe. Ex eorum hebetudine censemus, Deum non sinere morituros a dæmone tentari, estque Patrum communis opinio, quotquot intra Reductionum claustra decedunt, salvos esse. Imo fuit vir doctus, sanctus, & expertus, qui ex Dei pietate, gentisque fide & devotione, atque hebetudine plus ingurgitaretur. Est etiam expertorum opinio, Guaranium etiam quæ gravia ex genere suo sunt patrantem, raro peccare formaliter peccatum grave, nempe cognitionis defectu.

Iter agentes. Itinera Christiana pietate obeunt confessi & sacra communione refecti. Dum omnia parata sunt, tympanorum sono vocati, templum adeunt cum B. Virginis simulacro, aut alterius Sancti, quem tutelarem sibi asciscunt. In throno collocant: ibi orant & psallunt, opitulante musicorum aliquo. Curatorem conveniunt, qui de itineris causa brevem sermonem orditur, ac de ratione qua se peregre gerere debeant. Herbam singuli accipiunt præter communem ad iter convasatam. Sancti sui lecticam succollantes forum circumeunt, præter tibias & tympana sonantibus tintinnabulis uno vel altero. Nullum iter sine Sancto, nullum sine sacrista qui Sanctum curet, nullum sine crepitaculis, tibiis, & tympano: nullum etiam sine medicamentario cum apotheca sanitatis.

Ante solis occasum seu terra, seu aqua fiat iter, consistunt, & primum Sancto ramosum parant umbraculum. Rosarii preces ibi recitant, & canunt. Cœna sequitur, qua & domi & foris cadente luce expediuntur. Cubant sub noctem, excubant ante diluculum, non ad laborandum, sed ad potandum, fumandum, colloquendum. Orto jam sole preces iterant coram Sancto, quem propterea in loculo suo de nocte relinquunt. Preces excipit hymnus, quem cantando præit musicorum aliquis emeritus, e quibus nonnulli semper interfunt. Iter post multum solem repetunt, diu ante noctem cessaturum, nisi Patrum aliquis comes urgeat, cui tunc obediunt. Sed & Patres nisi festinandum necessario sit, Indorum tarditati se componunt. Reduces confessione rursus expiantur & Eucharistia: nec nova confitendi materia, nec peccandi cogitatio fere suppetit, nisi occasione reprentur.

Morborum curatio. Ad morborum curationem sunt Indi tres aut quatuor, qui a puero medicamenta conficere discunt ex quibusdam scriptis per coadjutores Socios medicinæ peritos elaboratis. Popularibus officiis immunes sunt. Quin etiam

Digitized by Google

tiam medicorum proprios ægros colunt reliqui, ut melius ægrotis consultum sit. Primo mane ægrotantium domos visitant, ut exquirant simul, qui recens ægrotaverint, de quibus curatorem monent: N. *quem* heri confitentem audivisti, male habet. Viatico indiget post *missam*. -- N. *extremam* unctionem administrari *necesse est*. -- *Tot* horæ sunt ex quo N. infans *obiit*. Medici curatori hæc ministeria præstanti adsunt reliquorum circunstantium directores. Cibum ægrotantium apud Patres curant, quibus a prandio egressis patellas exhibent cum carne cocta & pane triticeo, non antea movendas loco quam sacerdos bene precatus sit. Statutum id est, quia domestici ægris semi coctos apponunt cibos, qualibus ipsi vescuntur, dum valent, quod nisi caro, ajunt, dura sit, stomachus eam non retinet. Struthionum instar nihil non digerunt sani: quod tamen ægrotantibus nocumento nequit non esse. Hora secunda post meridiem iterum de infirmorum statu referunt medici, simul atque medicamenta necessaria petunt.

Sapplicatio in festo Corporis Christi.

Solemnis æque atque devota est in festo Corporis Christi supplicatio. Aliquot ante diebus rura petunt neophyti, & quam possunt maximam ferarum, volucrum, & florum copiam accumulant. Circum forum quaqua supplicatio ducenda sit, viam sternunt, & ornant arcubus ramosis, impositis varii coloris psittacis, & avibus aliis, & atque per intervalla simiis, damis, & feris indigenis. Sacristæ ad quatuor fori angulos sacella disponunt fastigiata, quæ sacra supellectile decorant. Dum Sacerdos cum Venerabili Sacramento viam ingreditur, quotquot in oppido sunt organa resonant, fides, citharæ, tubæ, tibiæ, tympana. Acohlytorum alii thus adolent, alii flores identidem e cistella in pedes Sacerdotis jactare non cessant. Cum ad primum angulorum sacellum ventum est, solem eucharisticum super altare deponit Sacerdos, thuris honorem solvit, & post musicorum præludium orationem pronuntiat. Tunc sedet. Sedet & Magistratus atque belli duces. Saltatores octo, decem, aut plures prodeunt: & quæ devotissima pararunt tripudia exequuntur. In his Asiatici decem cum acerris totidem & thuris grano, quod ad actus usque finem fumare non cesset, ordinantur. Frontem de more gentium ad terram usque demittunt. Cantant *Lauda Sion Salvatorem*, & hanc primam hymni partem pausando concinunt simul atque thus offerunt. Eandem cuncti repetunt tripudiantes. Dum tripudium quiescit, duo prosequuntur: *Quantum potest tantum aude*, repetentibus aliis *Lauda Sion*. Sic per alternos cantus, tripudia, & thuris holocaustum hymnus absolvitur. Ad altare denique bini accedunt, iteratis ad numerum genuflexionibus, ibique deponunt acerras.

Alias prodeunt quatuor specie Reges, qui & quatuor mundi partium similitudinem referunt, cum corona, sceptro, & cordis simulacro intra sinum abdito. Principio canunt *Sacris Solemniis*: & post primos versus motus edunt, non qui majestatem dedeceant. Hos & cantum alternant, oblata Regi Regum corona, sceptro, & quod repente de sinu trahunt corde. Ad reliqua sacella harmonia & inventa variantur. Post supplicationem distribuit curator fructus & cibos, per viam etiam, appositos & oblatos. Indi vero ad parandum epulum, quod opiparum his diebus est, abeunt.

Hebdomada Sancta.

Pleno musicorum choro officia sanctioris hebdomadæ celebrantur, adhibitis tantum gravioribus organis. Ad *Miserere* strepitus de more fit, sed flagris se verberantium. Sermo de Passione fit per noctem die Jovis Sancto, quem prope sequitur supplicatio. Parantur triginta & eo amplius pueri annorum novem aut decem, cum decoro vestitu talari, & aliquo dominicæ passionis instrumento, quos singulos bini hinc inde cum funalibus accensis comitantur. In atrio curionatus ordinantur, ante cujus fores ad templum sedet Sacerdos trabeatus. Illac ingreditur puer primus cum vinculis Christo Salvatori injectis, & voce lacrymabili canit: Hæc vincula sunt, quibus Jesus Redemptor noster stringi se sivit propter peccata nostra. Heu, heu Salvator meus & Dominus meus! Hæc Guaranice proferuntur ad numerum. Dum venit in medium templum, ad *tabernaculum* versus genuflectit, ad porticum excessurus. Sequitur puer secundus cum ficta manu, & cantu edito ait: Ori Jesu alapam incussit hæc manus: quam propter nostra peccata tulit. Heu, heu Salvator meus, & Dominus meus! Sic reliqui succedunt. Mox tacent. Forum circumitur, non vicos: quod & cæteris supplicationibus commune est. In his majoris hebdomadæ Psalmum *Miserere* modulantur musici: deinde versiculos eosdem repetunt a pueris prælibatos. Icones procedunt multæ, quibus patientis Domini labores repræsentantur. Cum vero producitur monumentum Jesu Christi ad columnam flagellati, & Virginis Matris, quæ prope lamentatur, plangentium fœminarum clamor exoritur, quo subsidente, raucus tubarum clangor, *Miserere*, & magnus flagello in sua sævientium terga strepitus tantummodo auditur. Flagellant se quotquot mysteria non succollant, aliove ministerio distenti sunt. Sed flagellum est ex pelle bovina, infertis horridum clavis, quo nihilominus perinde atque levi e gossypio scutica se cædunt. Et vulnera quæ multo cruore scaturiunt, nulla curatione adhibita cicatrice obducta brevi sunt. Indorum enim vero carnes aliæ sunt a nostris, setigerisque similiores. Vultum in publica flagellatione non tegunt, quia nec vanæ gloriæ, nec aliis respectibus obnoxii sunt. Tridui sanctioris officia rite peraguntur; quia vero, ecclesiæ sunt parochiales, splendido apparatu consecratur baptisterium. Sabbatho mane novum ignem excutit sacrista, ingensque ante porticum excitatur rogus. Ut vero parochus

chus ſub porticu ignem aſpergit, atque benedicit, in rogum læti proſiliunt, titioneſque rapiunt quiſque ſuum, quos domum deferunt.

In Reſurrectione Domini ſub auroram concurſus fit undique ſonantibus tympanis & tibiis ad templum multo lumine & acroteriis illuſtratum, ubi ſuo quæque throno ſtatuæ Salvatoris, Virginiſque Matris collocatæ ſunt. Hinc prodit Salvator cum Sacerdote, choro muſicorum, virorumque turba, illinc Virgo Mater cum turba fœminarum. Magiſtratus & duces, ſaltatores etiam quam ſplendidiſſime poſſunt induti quidquid vexillorum eſt circunferunt & concitant, neque ſilent acolythorum tintinnabula, concentuſque organicus & vocalis muſicorum, iterato maxime *Regina cœli, lætare, lætare*. Poſt peragratas duas fori facies occurrit Mater Dei Filio Deo, quem ter demiſſa reveretur, genua ſimul flectente populo, impenſius ingeminatis interea *Regina & lætare*. Succedunt Angeli, qui pro volatu ſaltant, & canunt *Regina cœli*, quod & latine repetunt & Guaranice. Supplicationis gyrum excipit ſolemne ſacrum & concio.

Dominicalia. Diebus dominicis mane, dum templi fores aperiuntur, majores natu utriuſque ſexus ſeorſum a pueris conveniunt ante ſacrum. Viri quatuor interpoſiti antecedunt, & *Pater noſter*, preceſque reliquas genu flexo recitant, alternantibus univerſis. Populus deinde ſedet; ac de quatuor ſtantibus duo interrogant, *Eſtne Deus?* Alii duo reſpondent: *Eſt*. Et populus repetit: *Eſt*. Duo primi proſequuntur; *Quot ſunt Dii?* Reſpondent: *Unus*, repetentibus univerſis. Et catechiſmum ea ratione recolunt, qua pueri ut ſupra dictum eſt. Mox ſtantes quatuor elata uſque voce pronuntiant: *Hæc eſt numerandi ratio. Unum*. Reſpondent univerſi: *Unum*. Duo: duo. Tria: tria, & ſic per unitates uſque ad decem. Inde per denitates uſque ad centum, per centenarios uſque ad mille. Ab uno ad quatuor incluſive ſuo idiomate numerant: *Petei, mocoi, bohapi, irundi*. Hinc procedunt ſermone Hiſpanico hærentes in ſuo, quo quinque numerabant explicata oſtenſa manu *peteipo*, ſex vero numerabant explicata manu, oſtenſoque alterius digito uno: decem utraque manu explicata; viginti, oſtenſio & manibus & pedibus: nec ultra viginti niſi *beta* proferebant, quod *multa* ſonat.

Poſt numeros recolunt menſes. *Hi ſunt anni menſes: Januarius*, ajunt ſtantes quatuor, & univerſi reſpondent *Januarius*, & ſic uſque ad Decembrem. Menſes illi ſermone ſuo lunas appellabant. Simili ratione recolunt ſeptimanæ dies hiſpanice; etſi propia iis impoſuere nomina. Lunæ diem vocant *Mbae apoipi, Labor primus*: diem Martis *Mbae apomocoi*, Labor ſecundus. Diem Jovis *Teiquæ Ingreſſus*; quod principio non tantum die dominica, ſed etiam die Jovis Eccleſiam ingrederentur doctrinæ cauſa. Sabbatum vocant *Pridie feſtum; Feſtum* vero Dominicam. Quidquid majores natu intra templum recitant, recitant eodem tempore pueri puellæque, illi in atrio, hæ in cœmeterio. Unde ad ſacrum & concionem conveniunt.

Poſtea dividuntur bifariam; pueri & viri in atrium; puellæ & fœminæ in cœmeterium. In atrio de Senatoribus aliquis audita pro concione repetit, & ſunt qui ad verbum fere reddant: Alii ſummam tantum, addentes quod pium cuique ſuppetit facultas; nulli tamen hæret aqua ſemihoræ ſpatio, aut eo amplius. Fœminis etiam ſeorſum aliquis earum gubernator idem officium impendit. Vulgatiſſimum exordium eſt hujus ſententiæ: *En fratres, qua contentione Patres toto die noſtris ſpiritualibus primum, deinde temporalibus etiam commodis invigilant: quo ſine extrema premeremur inopia. Eos videtis non noſtra ſibi quærere, quin etiam quæ nobis neceſſaria ſunt quærendo ſudant, nec quidquam ſecum portant, dum a ſuperiore revocantur. Patrem, matrem, patriam, & propinquos reliquerunt trans mare, ut per tot caſus & diſcrimina nobis adeſſe properarent. Propterea nobis honore cultu, & obedientia proſequendi*. Nihil eſt quo tam commoveantur, quam quod pater, & mater, patria, propinqui eorum cauſa relicti ſint.

Cum utrimque peroratum eſt, Secretarii cujuſque tribus abſentes notat ex albo. Curatorem monent, & niſi impedimentum excuſent, vicenis quinque caſtigantur. Poſt ſacrum ſecundum in gratiam convaleſcentium, & pridem impeditorum celebratum, de ſequentis ſeptimanæ laboribus conſultatur ad meridiem. A prandio pila maxime ludunt ex quodam gummi confecta; ſed quam Hiſpani manu cava, pede convexo pellunt, & repellunt Indi. Ac de victoria ludentium ſponſionibus concertant ſpectatores.

Cap. VI. Convivia. In pleriſque feſtis, cum peregre de via redeunt, & in nuptiis, convivia ſunt, ſub domorum porticibus, non intra domos, nec uno in loco menſæ collocantur, quarum ſingulas curat unus de primoribus. Singulis diviſionibus ſingulæ mane vaccæ diſtribuuntur, quas illi apud ſe cæſas condiunt, adduntque de ſuo legumina, batatas, mandiocam. Triticeos panes adjungit piſtorum aliquis emeritus, ſed raros. Dum omnia parata ſunt, convivæ ſecundum menſas diviſi ad curionatum accedunt cum Sancti ſui ſimulacro ſculpto vel picto ſuper lecticam, adjunctis panibus, vel popanis, & aſſis gallinis aliquot. Hæc ſeorſum ordinate collocant in atrio, ut dum Patres a prandio ſurgant, convivis & convivio bene precentur. Ante lecticas cucurbitinos cantharos ſupponunt, vina quædam imbecilla ex maizio, vel ſiliqua continentes. Oeconomus curatoris nutu juxta cantharos apponit ſalis amphoram, aliam herbæ, cannei mellis aliam, aliam tabacci foliacei; ciſtamque cydonites, cujus magna ſuo tempore copia paratur, ciſtam aliam malaureorum, quæ a Sina dicuntur, quorum ubertas magna eſt, vel fructus alios ſecundum tempus. Miro ſilentio cuſtodias agunt belli du-

Digitized by Google

duces haſtati, & qui vexilla ferunt. Poſt eos tympaniſtæ & tibicines, quibus in maximis feſtis accedunt civiliores muſici.

Brevem benedictionem orditur Patrum aliquis, quam pueri cantu ſuo proſequuntur, vel hymno, qui ſimul eſt benedictio & gratiarum actio. Hanc excipit tympanorum fragor, haſtiludium, & vexillorum motio, ſimul atque lecticis Sanctorum alii, alii eſcis allatis & appoſitis ſupponunt humeros. Forum occupat militaris equitatus manipulus, ante quem conſiſtunt Sanctorum bajuli; quos illi decurſione ludicra quaſi ſalutant venientes. Inde ad deſtinatum convivii locum divertunt, unuſquiſque ſuum: Sanctum etiam ſecundum menſas collocant. Arborum trunci rudes non alia ſedilia ſunt: non fuſcinula, non cochleari, non mantellio, non mappis utuntur: nec accubantem quemvis faſtidiunt. Obſonia proferunt non magide communi, ſed catillis ſingularibus. Sal apponitur unicuique quantum pugno capias. Buccellas ſale intingunt, ut embammate. Per intervalla pocula diſtribuunt, dum pars citharædorum canit. Menſæ primæ ſuccedit ſecunda & tertia.

Nuptiæ. Mares ſeptendecim, fœminas quindecim annorum ætate matrimonio conjungi ſupra dictum eſt. Multorum ſimul celebrantur matrimonia, quia nec ſingulis nec binis celebrandis, terniſque per feſta ſingulorum denuntiationibus promulgandis, ubi frequens eſt populus, & parochia una, ſufficeret annus. Impedimenta leguntur pro concione. Candidatorum albus parocho exhibetur, qui ſingulos & ſingulas in templo rogat ſecreto, an voluntate, an vi a parente vel dynaſta compulſus, an deliberate conſilium ſuſceperit? Raro fit, quin una vel altera reſpondeat, ſe talem, qui deſtinatus eſt, maritum nolle, quæ parocho non interrogante, ſilentio nuberet invita.

Dum de voluntate conſtat, denuntiationes rite promulgantur: atque conſtituta die Secretarius major ſponſos ordinat ante fores Eccleſiæ coram Magiſtratu, & populo. Antequam conſenſum exquirat parochus, appoſitum de re ſermonem habet. Anuli traduntur deinde, atque tredecim argenteorum ſertum pro arrhis: quæ apud curatorem ſervantur, & poſtquam a ſingulis exhibitæ ſunt, recipiuntur ab acolytho in poſterum adhibendæ. Intra templum dum admittuntur, muſicorum chorus carmen modulatur, in quo eſt -- Uxor tua ſicut vitis . . . filii tui ſicut novellæ olivarum --. Poſt ſacrum, velationem, & communionem euchariſticam gratias agunt. Ad agendum vero gratias poſt communionem tunc & alias, tabulæ inſcripta eſt oratio devotiſſima, quam aliquis voce clara recitat poſt communionem, verbatim reſpondentibus qui de ſuo preces fundere ignorant. Inde nupti viri curatorem conveniunt, qui ſingulis donat ſecurim, cultrum, & rei agrariæ inſtrumentum cum monilibus uxori tradendis. Hanc vero conſanguinei ad mariti domum deducunt, alter hamacam offert, alter cyſſibia ſeu cymbia, ollas, & ſiquid eſt aliud. His tota dos conſtat. Sequitur epulum, de quo ſupra dictum eſt; nunc vero id addiderim, ex quo gentis modeſtia nota ſit.

Cum oppidi S. Annæ ad Paranam curam agerem familiis amplius mille frequentis, uno die nonaginta paria connubio juncta ſunt. Tot numero convivantes quadrifariam dividere oportuit, quos dum epulabantur ignaros viſitavi. Menſæ aſſidebant hinc nupti, ex adverſo nuptæ, omnes tranquille & modeſte. Muſici fidibus cantabant hymnum hiſpanicum de columna cæſaraugustana -- *Pues à Eſpaña como aurora* --. Temperare lacrymis impos receſſi: nec aliter diſpoſitos inveni quos deinde viſitavi.

Feſtum cujuſque populi tutelare ſingulari colitur celebritate. Diu ante ſacramentis expiantur complures. De finitimis oppidis concionator, & terni ſacræ actionis miniſtri cum aliis invitati conveniunt, quibus oppidanus curator cum ſocio obviam equo procedere conſuevit. Hos Indi comitantur quam poſſunt ſplendidiſſimo equitatu: nec in habitu vittis, crepitaculis, aut varii coloris plumarum phaleris parcunt, & ægerrime ferrent, ſi prohiberentur. Equo deſcendunt hoſpites ante Eccleſiæ porticum, quo admittuntur cantato hymno gratulatorio. Feſtum populare.

Pridie feſtum ſub meridiem ad Eccleſiam deducitur a Magiſtratu, & belli ducibus Regius Signifer cum vexillo & ſtipatore. A Patribus pro foribus exceptus aquæ luſtralis honorem accipit a digniore. Tunc *Magnificat* hymnum modulatur chorus ſolemnitate qua nulla major. Conſonatque ad *Gloria Patri* quidquid rudium etiam & ruſticorum organorum in oppido ſit. Poſt hymnum Signifer eodem comitatu vexillum deponit in arce in foro ſimulata: & ex eo peditum & equitum copiæ decurſiones, armorumque ludos in Sancti Tutelaris, Regiſque Vexilli honorem proſequuntur.

Hora tertia vel quarta pomeridiana, dum ad Veſperas ſignum fit, ad Signiferum qui ubique præſide excipiendum, quemadmodum meridie Patres præ foribus adſunt. Poſt Veſperas ad ludos in foro fit reditus; qui & per noctem & ſequente luce alii aliis ſibi ſuccedunt. Poſt ſolemne ſacrum, in quo Signifer ad Evangelium enſem ſtringit, & elevatum manu tenet, pugna ante meridiem in foro ſimulatur. Medium inſidet peditum acies ordinata: extrema & viarum exitus occupat equitatus. Procedunt ex alterutro agmine legati: quibus dum de fœdere convenire nequit, aliquis æneam fiſtulam explodit. Tunc equitatus aggreditur pedites, qui cominus eminus, clypeis, & ferro, ſcloporum jaculis, colubrinis etiam in pedes equorum conjectis reluctantur. Poſt multa conamina, & iteratos impetus, pedeſtre agmen diſcinditur, de cujus vexillis unum rapit eques quidam, & quod ſummas vires requirit, curſu præcipiti explicatum circunfert. Prælium integratur, donec pedites victi

Digitized by Google

victi per fori angulos exiguntur. Pugnam sequitur saltatio circa templi porticum, saltationem epulum, de quo satis dictum supra est.

Ad vesperum, quod festi complementum est, præmia parat curator per hospites Socios eatenus judices attribuenda. E regione Regii Vexilli tabulatum in foro disponitur, in quo tot sedes locantur quot sunt hospites. Ante singulas singulæ præmiorum cistæ vel cumuli. Exercitamenta militaria sequuntur theatrales operæ, & equestri decursione de pendentis anuli raptu certamen. Iteratis tandem acclamationibus clauditur dies & festum.

Cap. VII. Episcoporum visitatio.

Episcopi Doctrinarios visitant & Doctrinas quoad officium parochiale spectat: sacramentorum ritus, spiritualem fidelium pastum, sacram supellectilem, baptisterium, sodalitates. Summis honoribus excipiuntur Senatorum, Ducum, & Musicorum occursu, populo quacunque iter habent bene precantibus genuflexo. In templum a parocho trabeato rite inducuntur, ubi *Te Deum* chorus prosequitur. Postquam visitant quod suum est, sacramentum confirmationis impertiunt multis sæpe millibus, cum diu desiderati sunt. Ut alio rarius, alio accedant nunquam, negotia, ætatem, valetudinem, viarum difficultatem excusant. Incommoda pro virili, suppeditatis vectura, jumentis, & sumptibus, etiam diutius præscripto immoranti levamus gratis, oppidaque singula aureos centum dono dant, aut eo amplius: utque omnia ad obsequium & placitum parata sint, indivisus semper adest Sociorum aliquis. Sumptus vero itineris ad primum usque Missionum oppidum, & ad Cathedralem reditus, terra vel aqua, pro rata sufficitur a cunctis Missionibus. Licet diu Missionarius binas tantum viderim Episcoporum visitationes, plures antea fuisse constat ex libris parochialibus, ubi multa Indorum, Ministrorumque laude descriptæ sunt. Nihilominus in libello Lusitano per occasionem lineæ divisoriæ vulgato proditum est, nunquam in Missionum loca pedem Episcopos intulisse, artibus videlicet, & cupiditate curatorum.

Cap. VIII. Indorum militia.

Militia cujusque oppidi octo cohortibus constat cum præfecto, legato, & commissario; octo ducibus, horum legatis, signiferis, & ordinatoribus. Ignivomi tubi sunt, pauci tamen, ubi plures quinquaginta: & facile Indorum incuria corrumpuntur. Pyrii pulveris modicum fit ubique ad libras aliquot; sed futilis & imbellis, qui ad festorum ludos tantum sit utilis. Hastarum & sagittarum fit satis. Quinquaginta plura bello per hos Indos gesta pro Rege Catholico numerantur. Ad obsidendam Lusitanorum coloniam quater vocati sunt: eamque primo admotis scalis occuparunt. Secundo quatuor mensium obsidione cincti hostes clam loco cesserunt. Tertio domum a Prætore remissis Indis, Hispanis reliquis obsidioni cedendum fuit. Quarto pactis conditionibus occupata est: quod fossoribus Indis acceptum retulit Prætor.

Cum Indorum miles expetitur, ad curatorum Provincialem scribere consuevit Prætor de numero, tempore, & loco. Provincialis Missionum Præfecto, qui communibus ad curatores literis ait, tot Indos a Prætore pro Rege expeti. Ex oppido N. bis centum mittendi, plus minusve pro incolarum frequentia. Singuli tres equos numerabit sibi. Quinquaginta ferentarii æneas portabunt fistulas, nitratumque pulverem. Centum hastati sint. Reliqui tot sagittas, & fundas binas vel ternas habeant. Tot mulorum impedimentis imponendum tantum herbæ, tabacci tantundem, tot boves ad commeatum sufficiendi. Universi communi sumptu vestiti eo loci concedant: unde P. N. copias ad Prætorem deducendas curabit.

Hæ literæ per oppida circunferuntur, quorum curatores Conrectori atque Militum Præfecto Prætoris mandata denuntiant, numerumque ex eo pago præstandum. Illi vero mittendorum delectum habent, & ex curatoris sententia parant. Nunquam vidi, nec audivi, mandatis hisce a quoquam Patre vel Indo repugnatum esse. Militi autem ad Prætorem delato mandata dat ipse per se, vel per legatos, Patre Missionarium castrensem agente, atque interpretem, dum e re sit.

Cap. IX. Judicium & pœnæ

Duæ sunt in quoque oppido custodiæ, virorum alia, alia fœminarum. Illa in angulo fori propter ecclesiam: hæc in ædibus separatis domus Recollectarum dicitur, Indis *Cotiguazu*. Recollectæ vinctæ non sunt, sed liberæ earum instar quas *Beatas* vulgus appellat: nunquam non gregatim, & una cum præfecta incedunt. Ibidem compeditæ collocantur aut expeditæ delinquentes. Gentis ingenium modestum & pacatum est, maxime postquam Christi fidem accepit; sed in tanta multitudine peccata non desunt, quæ velut puerorum, verberibus, carcere, & cippo expiantur. Dum tamen gravia sunt, carcer & cippus prolongatur, verberaque iteratis vicibus per intervalla dierum sonant. Viri vapulant infra lumbos, & in foro medio, dum prodest exemplo: fœminæ supra lumbos, & clam intra custodiam manu præfectæ, vel fœminæ alterius. Virorum tortor est lictor primarius, vulgo *Alguacil Maior*, neque vilescit officio. Utriusque sexus vincti missæ & rosario quotidie intersunt, compediti quidem coram custodibus suis.

Curator est pater & mater horum etiam, perpetuusque Judicum assessor. Peccantem *Alcaldes* trahunt ante parochum, neque reluctantem, nec manu apprehensum trahunt. Sat est si dicant: *Veni ad Patrem*, ut præeuntem sequatur, neque de fuga subit cogitatio aut timor. Cum ad Patrem ventum est, ait Alcalde: Hic boves absolvit juxta vicini agrum magno ejus detrimento. Confessum vel convictum reprehendit Pater, jubet tot maizii modiis illatum proximo reparare damnum: meritum declarat vigena quinque, quorum complemento Alcaldo lictori regiam jurisdictionem impertit, quam Pater non habeat. Pœ-

Digitized by Google

nam exactam ſolvit ultro reus, ultro ad ſolvendam ſe diſcingit, & ſe proſternit. Mox ad Patrem redit: manum veneratur & ait: *Agujebete Cheruba, chembo araquaá haguera rehe*. Quod perinde ſonat atque -- Gratias tibi mi Pater quod mihi non habenti dederis intellectum. --

Lites dum emergunt, quod interdum fit, præſertim de communium agrorum finibus, Indi non recurſum cogitant, quem Hiſpani faciunt, ad Curiam Platenſem octies centenis leucis diſtantem; ſed Patres arbitros, arbitratores ve volentes eligunt, quorum ſententia illæ dirimantur. Tres conſtituti ſunt in Parana ad lites Uruguajenſes, totidem in Uruguai ad lites Paranaenſes: nec litem dijudicare poteſt, qui litigantis curam aliquando egerit. Si litem habeat Paranaenſis cum Uruguajenſi pago, arbitrorum alter de Parana ſumitur, alter de Uruguai; tertius eſt communis Miſſionum præfectus. Jus Indi ſuum ſcripto promovent, juſque ſuorum promovet ſcripto curator arbitris exhibendo, qui juribus ſcriptiſque inter ſe comparatis, litem ſine miſerorum diſpendio terminant.

LXV.

Præſtigiæ de Regno Paraguaico diſcuſſæ.

Fuſioris Operæ Compendium.

BErnardus Ib. Echav. bis per expulſionem Ex-Jeſuita, dum iratus ardet in eos maxime, a quibus inexpectatum iteratæ expulſionis fulmen veniſſe crediderat, novam regii dominatus ſpeciem affinxit, quam Regnum Jeſuiticum appellavit; pro cujus ſtatu, opulentia, & amplitudine pugnat atque repugnat. Adverſus primo comparentem prodiit opus hiſpanicum – *Reino encantado del Paraguai, ſobre cuja exiſtencia diſcurren D. Bernardo Ib. y D. Bernardo Echav.; dos Representantes de un miſmo Bachiller, dos veces Licenciado de la C. de J.* -- Hujus Operis Compendium accipe, in quo Ibañez-Echavarri cum converſo Echavarri-Ibañez congreditur. Primæ partes mutuatæ ſunt totæ ab opere ſuo. Secundæ petitæ a prudenti judicio de iis quæ tranquillus ab æſtu ſenſiſſet Ibañez ipſe, & moriturus dicitur ſentire cœpiſſe: nec explicare potuit fato abreptus.



PARS

PARS PRIMA.

VERITAS REGNI JESUITICI ET MEDIA AD EJUS CONSERVATIONEM.

Artic. I. Origo Regni.

Ib. AFfirmo, Regnum Jesuiticum, parentes Patres habere naturalissimos (*a*), a quibus omnis abest illegitimitatis suspicio. Olim quippe cum dispersos Indos in certas coegissent sedes Jesuitæ, eosdemque ad vitæ civilis & Christianæ rationes exegissent, humeros ipsi supposuere rerum temporalium administrationi, ac simul spiritualium curæ. In quo sane nihil in eorum regulam peccatum est. Ex quo vero nulla deinceps in administrandis temporalibus, & spiritualibus curandis, mutatio successerit, Imperium hoc Regio Sacerdotale constabilitum est. Neque vero id duntaxat Sociis licuit, sed tanquam optime de Sancta Ecclesia meritis gratias habendas facile concedo.

Echav. Licuit ergo Jesuitis te judice id agere in principio, & in summa laude ponendum, egisse quod factum reprehendis deinceps & usque in finem. At in bene cœptis, & quæ laude digna sunt perseverare oportet. Quid si tempore probati a te regiminis Generalis Sociorum Præpositus missis Roma literis ad Missionarios suos, modum præscriberet ab eis tenendum in dissidiis componendis, in re familiari Indorum tuenda, ac nonnulla subderet de re vestiaria, de correctione noxarum, ac de cæteris quæ temporalia, spiritualiaque initia fortunarent. Id si fecisset Romanus ille, peccasset, cedo, in legem Regemve?

Ib. Nimium urges a principio. Ad leges enim vero probatis subditorum factis, quod nuper admisi, necesse est superiorum iisdem de rebus præscripta fore legitima, nam subditi cujuscunque ordinis & conditionis sint, corpus idem morale cum superiore conficiunt. Ejusmodi autem corporis actus & manui operanti & capiti dirigenti communes sunt: nec potest manu factum laudi adscribi, quod vitio detur capiti. Constant hæc quidem inter nos; pergendum nihilominus; quo enim mea devenerit de Regno Jesuitico commentatio, si Generalis præscripta leges abusivas, & pragmaticas sanctiones esse negaverim?

Echav. At Generalis ordinationes id genus quocunque nomine appellatas Summorum Pontificum, Summorumque Regum authoritate fecit, nam potuit Summi Pontificis oraculo (*b*) *Ecclesias formare & reformare, ordinationes & statuta quotquot opportuna judicaverit ad earum conservationem condere, condita mutare, abrogando aut subrogando quæ aptiora visa fuerint.* Et Rex Catholicus authentica scheda (*c*) Ejusmodi concessionem Sociis factam quoad ecclesias (tu voca Christianitates) per ipsos in partibus ultramarinis conditas, ratam habuit. Quidquod Philippus V. gl. mem. Rex de Indorum Paraguai regimine certior factus plenissime, non ejus duntaxat posita fundamenta, quod jam tu fecisti, sed tua & mea ætate, post annos centum ab exordio, sententia in judicio contradictorio prolata confirmavit (*d*). Generalium & Provincialium literæ, quas corrodis, de re vestiaria, de armentis, de litibus, de pœnis, si Socios illorum subditos consideres, dispositiones sunt, nequid ab his fieret præter æquitatem & ordinem. Id vero dispositionum, & earum executio, si respicias Indos, vocetur si placet administratio, vere tamen mera est directio Indorum in spectantibus ad eorum commoda.

Nec tantum approbatione Principum cœperunt Socii, processeruntque; sed partium consensu, Indorum videlicet voluntate, judices constituti sunt, nempe arbitri & arbitratores conditionis ejus, quæ nec voluntati Regum nec illorum institutionibus repugnat. Hoc judicationis genus explicat Hispanum Partitarum Jus (*e*) ibi: *Jueces avenidores son en dos maneras.* Et quoad officium arbitratoris spectat, Sociis licere constat sui S. Xaverii exemplo, atque mandatis Gaspari Barcæo Ormucium missis (*f*). Quid vero arbitratori cum Rege Paraguariæ?

Ib. Toto utique cœlo hæc distent; mihi tamen prius quam tibi credendum est, dum instituto nitar, cujus ebibi succum (*g*): *Interdicimur*, inquit, *suscipere curas parochiales animarum... Inter conditiones repugnantes instituto numerantur curæ animarum.* Curatores ergo Socios institui nisi violata hac lege fieri non potuit. At curatorum specie principatus extitit, & processit ad nostra tempora.

Echav. Quandoquidem institutum appellasti, non aliter huic repugnat cura Christianorum veterum atque recentium. Qui ergo factum est te judice, ut cura recentis Christianitatis instituto convenerit? Extra chorum saltas ad parochias Collegii Gandiensis; aliud est enim pa-

(a) Rein. Jes. P. 1. artic. 1. §. 2. n. 7. Et. di aut Vers. Ital. pag. 11.
(b) Const. *Licet.* Pauli III. 18. Octobris 1549.
(c) Data in S. Laurentii. 5. Sept. 1620.
(d) Decret. 28. Dec. 1743. artic. IV.
(e) Part. 3. t. 4. leg. 23. Videsis Th. Sanchez lib. VI. Decal. cap. 13. num. 66. & 67.
(f) Ex literis Xaverianis Bartoli Part. 1. Dell' Asia. lib. V. pag. 456.
(g) Epitom. Instit. pag. 425. & III.

Digitized by Google

patronatus ſeu jus tres parochos præſentandi, quod Collegii Gandienſis erat, aliud parochias ſeu doctrinas adminiſtrare, quod erat Paraguajenſium. Sed quod tu ignoras, norunt hi quos imperitos habes, parochialia doctrinarum beneficia manualia eſſe, quibus amoveri poſſent Socii ad nutum: quod ex ordinationibus Regii Patronatus liquet, & ex ipſa regiæ præſentationis fide ſeu documento. Conferebantur *ad tempus* bene placitum, poterantque removeri Socii cum Superiores id expedire judicaſſent, aliis tantummodo in eorum vicem ſuffectis: ut non eſſet difficilius parochum alio evocare, quam operarium. Porro de hoc beneficiorum genere hæc habet Inſtitutum (*a*): *An ſit exterminandus a Societate mos ille admittendi beneficia curata vel ſimplicia, quæ noſtris* ad tempus *conferuntur. Commiſſum etiam fuit Præpoſito, qui ſtatuit, ut non admitterentur beneficia ſine licentia Præpoſiti Generalis, quem informare oportebit de ſcandalo, ſiquod fuerit vel timebitur, & de tota re ut videat, an diſpenſare oporteat.* Informatus a Paraguajenſibus Generalis Mutius Viteleſchius diſpenſavit miniſtrorum inopia: quæ poſt Viteleſchium hactenus obtinuit. Certe anno 1753. cum ſeptem doctrinarum curam abdicaſſent Socii, Epiſcopumque & Vicepatronum de ſufficiendis parochis aliis interpellaſſent, deſiderari profeſſus eſt Ill. Agramontius Epiſcopus Bonaurenſis, quod item reſpondit ſucceſſor Ill. Baſurco, & de Paraguaria Ill. Torre anno 1759. cadente.

Dubium de cætero quod attinet ad Societatis inſtitutum, dubiique deciſio conſtat ex Regio Jure Hiſpano-Indico (*b*) ſic habente: *Porque ſe ha dudado, ſi los religioſos de la C. de J. podian ſalir a las doctrinas de los Indios ſegun ſu regla, y parecio que por la Bula de Adriano VI. lo podian hacer como los demas religioſos, ordenamos que aſi ſe haga y cumpla.* Allegatur, uti vides, Adriani VI. Bulla, non ea quæ a Pio V. connitente Rege Catholico, ut vel hinc odorare potuiſſes cauſam dubitandi.

Ib. Id totum eſto. At ſi ab una neceſſitate ſunt parochi; quæ demum neceſſitas cogit, ut facultates Indorum adminiſtrent? Quid prohibet, quominus Indi ſe ſuaque curent, quod innumeri faciunt Peruani & Mexicani? Quodſi Indi ad hæc rudes ſint & inepti; cur Patres Indorum curas in Hiſpanorum manus non derivant?

Echav. Verbo reſponderim, Indorum ſubſtantiam curare Socios, ut dilapidatio, *mala verſatio* ſeu mala verſura in utroque regno Peruvio & Mexico fere communis vitetur. Verba ſunt Philippi V. in decreto ſupra memorato, cujus ſententiam tuæ præferre oportet.

Ib. Proventus CXXX. millionum ſcutorum, quem fundum Socii colunt cum operis LXVIII. millibus nulla mercede donatis, ex unis triginta Guaraniorum oppidis fiſco Societatis accreſcit. Fac tamen provenire tantummodo millionem unum. Appone millionem medium ex reliqua Paraguaria, quæ certe omnium provinciarum minime ditiſſima eſt. Adde ſummas ex cæteris Indiarum & Europæ provinciis exactas. Diſpeream, ni Principes univerſos Societas ſuperet opibus.

Echav. Ex ore tuo diſperiiſti Bernarde. Ex CXXX. millionum fundo in America ſummo labore, ſummaque induſtria procurato, milliones totidem provenire pronum eſt. Ecujus fiſco accreſcunt, ſublato a Societate uno reliqui CXXIX. milliones? Jam porro arcanum reſeratum eſt, dum quantus-quantus ille proventus parto paucorum exulum impar eſt victui. Summa vero tanta, ſeu CXXIX. millionum, ſive unius ſit, in regione minime argenti aurive feraci, bovinis pellibus ut plurimum conſtet neceſſe eſt, ad Sanctæfidei, Bonas Auras, Gades venum deductis. Quam tantæ pellium bovinarum moli das viam, ut per triginta ſupra centum annos variam publicanorum vicem & oculos effugere potuerint? Ac de via ſum ſolicitus, quod ſciam nec procuratorum corporibus adhæreſcentem pecuniam, ſiqua privatim ſuppeteret, publicanorum pertentantes manus devitare potuiſſe.

Dicendum pro veritate quod res eſt. Non una ſed varia ſemper in his populis fuit ad communem victum laniena; ſeu pecorum inopia, ſeu injuria temporum, ſeu, quod indiligenter & improvide cum armenta, tum carnarium cuſtodirentur. Hinc non infrequens annonæ penuria, uſus ciborum inſalubrium: unde tandem non raro lues per populos. In hujuſmodi anguſtiis, ut erant invicem charitate conjuncti populi ſubſidium afflictis veniebat a numeroſioribus armentis, hoc eſt a Japejuanis & Michaelitanis paſcuis. Veniebat autem, non quidem ſummo, ſed juſto pretio. Quo pondere humi procumbunt XL. vaccarum millia, quas in eleemoſynam ſubmiſſas falſus affirmas. Ad hæc cum taurinæ tantum pelles legitimi ad commercium ponderis aut menſuræ ſint, falſus item ais, Indos tauris tantum cibari, non vaccis; cum paſſim ad annonam eſſent & fœtæ, & effœtæ neceſſitate mactandæ.

De pellibus facile reſponſum eſt, fere omnes etiam legitimi ponderis populorum uſibus impendi, ut nec quinquaginta pro ſingulis oppidis venum exportentur. Nec id mirabitur, qui per pagos, vicos, aut villas etiam Hiſpanorum indigenarum interfecerit aliquando. Atque hæc quidem conſumptio, cum in illis partibus communis ſit, major erat apud Guaranios, quod minus eis conſtarent. Quibus vero uſibus, in quos certe natæ non videntur alibi, applicentur pelles in illo tractu, videſis: Nulla in domibus arca eſt, capſa vel ciſta nulla, quæ tota ex corio non ſit:

Art. II. Regni Paraguaici ſtatus & opulentia.

(*a*) Decr. 139. Congr. Gen. I. tom. 1. Inſtit. Edit. 1757. pag. 481.

(*b*) Leg. 27. lib. 1. tit. 13. Recop. Indiar.

Digitized by Google

sit: in saccis ex eadem materia grani & legumina servantur, non in horreis. Non alii ibi funes ac restes operibus cum publicis tum privatis construendis, compingendisque tabulationibus palationibusque, quam corrigiæ obtorto corio. Cum plaustrum, aut quodlibet vehiculum fatiscit, aut paululum pars abscedit a parte, non clavo reagitur res sed corio. Corio obteguntur carri. Scalis item gallinariis ex cannis combinatis corium agglutinatur. Bellica tormenta e ligno sunt pleraque corio similiter obstricto. Scaphæ trajiciendis fluminibus, quas *pelotas* vocant, coriis totæ constant. Trabeculæ in ædificiis, tectisve, non clavis ut alias, sed chordis coriaceis inter se firmantur instar cratis. Domunculas plerunque non lignum, non imbrex claudit, sed corium. Lectis non loris, tantum subtenduntur, sed multi sunt ex puro corio. Siqua sunt cubicula, corio separantur, non latere. Parietes multis in locis certo sunt opere luteo, quod ibi francicum vocant; est autem murus cratitius, luto oblitus, at in quo sudes stipitesque segmentis coriaceis illigantur. Jam vero pro tantis totque populorum operibus, quantam mihi destinas pellium molem? Quantam pro conservandis, reficiendisque? Ecquidem ut necessariam des summam, animadvertas velim, non modo providendum intertrimentis a vetustate, quæ varia est pro majore aut minore attrectatione, ut pro aquarum & imbrium varietate, sed insuper a damnis, quæ a canibus patiuntur, dies noctesque coria rodentibus, & a volucribus caracaris, corvisque gallinaceis, quos bene nosti.'

Atqui intra domesticos populorum parietes hactenus me continui. Majorem modo coriorum summam postulo rebus cum publicis, tum privatis extra populos componendis. Itaque præter ædificia popularia, qua ex lapide, qua ex luto constructa, alia aliis pro facultatibus pulcriora, omnibus populis paguli sunt communes. In his sacellum extat religioni ac pietati pro quibusdam familiis, quæ eos incolunt pagos sub præfecto ac procuratore Indis. Quemadmodum vero id omnibus populis est commune, ita etiam privatis Indis familiare est, mapalia sibi confingere in agellis suis, quos *abambaes* vocant, sat loco distantibus aliquando ab oppido, quo per aliquod tempus divertunt. Sane in his seu mapalibus seu pagis, nihil fere præter corium occurrit oculis. Parietes sudibus assurgunt, & vallis corio protectis. Culmina omnia coriis obteguntur, quæ profecto tandiu durant, quandiu sudum est, cadente enim imbre, humectatis, corrugatisque coriis inhabitabilis evadit locus. Nec tanto opus est Indis, ut vetere abjecto tabernaculo novum sibi conficiant. Hæc tu vidisti, non tantum apud Guaranios, sed in Hispanorum villis, quæ dum taces & dissimulas, egregia emicat hominis integritas & fides. Rodendus tibi erat de coriis abusus & neglectus, cujus fortasse *curatores* sontes sint. Id vero quod moliris, ut aurum & argentum ex coriis ad decies centena numum millia Societati pro redditu & vectigali obtrudas, cum neque tu credas, neque tuus interpres, livor utriusque patescit, qui id aliis persuadere nitamini.

Ib. Abeat licet in malam rem infructuosus coriorum ramus. Alter non deerit, qui suppetias ferat. Patres sæpe dictitantes audivi, annuam herbæ messem arrobarum complere LX. millia. Quod dant accipio. Extrahantur arrobæ X. mille Indis distribuendæ; cum tamen solis maribus, & alicubi solis dinastis, atque, officialibus, duæ tantum unciæ, eæque bis duntaxat singulis obveniant hebdomadis. De reliquis L. millibus arrobarum provenit summa aureorum CL. millium, quandoquidem arrobæ singulæ 25. librarum tribus aureis Hispanis computantur.

Echav. Italus interpres tuus te velut ex autographo scribentem inducit: *Valerà quivi* (Bonis Auris) *la libra di 16. once 15. paoli.*

Ib. An derivare vis in caput meum interpretis mei deliramenta?

Echav. Minime gentium. Id volo duntaxat, ut siqua sit idem sapiendi via, consentiatis; sinminus pugno decertetis uter mentiendo superet, dum ambo ut ex autographo buccinatis. Ad te unum sermonem converto, qui ut herbæ absumptionem vero minorem statuas, mentiris aliqua manifesto, neque enim verum est, maribus tantum distribui. Illam quidem hi soli accipiunt, quod mulieribus aditus non patet in domos Patrum; sed domum illi referunt quantum satis est toti familiæ. Idque quanvis unaquæque portio duas, quas tu concedis, non excedat uncias; singulas enim compotationes unicum herbæ cochlear intingit, & novo infuso calidæ supplemento, ex alio in alium per totum culinæ orbem cucurbita propinatur.

Neque magis verum est, unis dari dynastis & officialibus, cum detur omnibus qui sacro mane, rosario vespere interfunt. Nec tantum bis in hebdomada; sed bis in die, imo ter officialibus dispertiebatur. Quæ cum ita sint, herbæ arroba ducentis quotidie Indis distributa vix suffecerit. Indis XX. millibus quotannis quot necessariæ sint? Tu, quem in mathematicis versatissimum fingit interpres, videris: & quantum superfit post annum ex arrobis LX. millibus. Illud est in comperto, venum neque exportatum, neque exportari potuisse plus XII. mille arrobis. Tantundemque licebat extrahi in usus a Philippo Rege expressos in suo Decreto (*a*). Redirent igitur ex venditis XXXVI. aureorum millia: ex quibus desumendum erit quod portorio respondet, a quo licet immunes essent Guaranii, lite tamen portorio graviore immunitas ruenda fuit.

Reliquas Guaraniorum divitias in causæ subsidium

(a) Decret. cit. art. 2.

Digitized by Google

ſidium advoca, & ex goſsypio, ex melle, cera, ſacchar◦, tabacco, ex equino pecore & mulari, aliiſque induſtriis (*b*) fac ut CL. aureorum millia producas. Jejunium pueris indicendum, privandique melimelis, ut ex rebus iſtis XV. aureorum millia extrahantur: nec plura tu extraxeris, niſi vendito cum mulabus mularum partu.

Ib. Quid eſt quod P. Oroſz natione Hungarus, datis e Paraguaria in Germaniam literis certo Socio enarrabat, Septempopulaniæ unius jacturam Scutorum tricies centenis millibus computari? Ergo triginta populorum ſubſtantia centies tricies centenis millibus, ſeu centum & triginta millionibus minor non eſt. Hæc vero ſumma quidni reddat in ſingulos annos milliones quatuor? Sed fac reddere tantum duos, fac unum, aut ex uno id quod ad integrandum deſtinatum Societati vectigal neceſſe ſit.

Echav. Tractus Septempopulaniæ Luſitano ex fœdere tradendæ tercentum leucarum ſpatio definiri poſſit, cui intra fines agricultricis Germaniæ vel Hungariæ conſtituto valor ille reſpondeat. Hæc forte Boni illius literarum ſententia ſit, niſi ſcriptas mentiaris. At notum eſt in America, quantus ſit tractuum deſertorum valor, quantus agrorum & ſilvarum, ubi tu ipſe ais haud quidem male, utiliorem ærario eſſe colonum unum, quam ſex leucarum ſpatium. Notum etiam tibi eſt, ex tractu illo terrarum, quantus quantus ille ſit, id tantum carnium ad veſcendum, id coriorum, id herbæ, id ſacchari, id goſſypii provenire, quod ſupra in rationes deductum jam erat, & modo ad vectigalis augmentum deducis iterum. -- *Marco, Tullio, Ciceron*, -- *Tres libros ſon.* -- *A ſiete reales cada uno*, -- *Son veinte y uno.* -- Hæ ſunt rationes ut tuæ, Bernarde, hominis in mathematicis verſatiſſimi. Non id controvertis, quantus eſſe poſſit in hypotheſi commentitia, & in ratione duplici, agrorum proventus: ſed an, & quantus cedat Generalis, ſeu Societatis ærario. Ærario vero cedit nihil; de cætero conſtat jam ſatis ex actis Philippi V. authoritate, ſummam guranici commercii centum millibus aureorum definiri: quæ ſic licet diſtribui, ut ex herba proveniant XXXVI. millia, ſummum XLVI.: ex coriis legitimis, & ex-legibus XXX. totidemque ex reliquis fructibus, & induſtriis. Atque hæc quidem cum anni rideant; ſed anni ſunt, quibus nec ſcuta XL. millia confeceris.

Ib. Teſtem appello P. Alphonſum Fernandez, qui Rector Collegii Bonaurenſis circa annum 1756. mihi numero mihi affirmavit, Generali ſeponi quantum Collegio ſupererat deductis expenſis.

Echav. Et ego teſtem appellaverim illius eo tempore Collegii ſtatutum ex ſcriptis rationibus accepti & expenſi conſtantem, & in ea urbe publice notum: qui ſtatus & liber in præſentia eſt in Fiſco. Ex eo liquet, Bonaurenſe Collegium per illud temporis ære alieno fuiſſe gravatum ad L. aureorum millia, ſummam multo majorem ea, quæ ad collegii fundationem ſuffecit. Dum vero Rector quærenti quid tunc agerat de numis expenſas ſuperantibus, nec ignoranti reſpondit; quid niſi tecum joculari voluit? Noſti hominis ingenium, cui notus eras. Noveras & tu Collegii ſtatum, & odio diſſimulas? Proh fidem!

Ib. Ut in nullius animum ſubeat de mea fide & ſinceritate dubitatio, errorem nulli non manifeſtum retracto. Itaque Indiarum provinciæ nunquam a Sociis octo recenſitæ ſunt, ut ego in Regno poſui. His adde, Cinaloam octavo loco poſitam, ut provinciam a Mexicana diviſam. non eam eſſe, qua Generalis ærarium intumeſcere poſſit. Operam dabo, ut Italus interpres de re tota commoneatur, ut tacitus & blanda manu errorem premat, præ aliis ſane levem.

Ib. Quid magis proprium Regum, quam legislatio? At Generalis leges fert, cum civiles, tum criminales, in re œconomica, politica militari. Art. III. Regia agendi ratio.

Echav. Nullam Generalis legem Indis ferts ſed ſuorum duras ſubditorum regulas moderaturque. At Socii Generalis ſubditi tutores ſunt gentis guaranicæ a Patre conſtituti, ſcilicet a Rege, qui horum miſerabilium pater vocari non dedignatur (*a*). Nec tutoris officium excedit quidquam eorum, quæ Socii de re Indorum œconomica, politica, militari movent.

Ib. Generalis Thirſus literas ad Paraguajam provinciam dedit hoc tenore: *Placuit exprimere, penes Doctrinarum Superiorem plenam eſſe adminiſtrandi poteſtatem cum diſponendi facultate Provinciali uni obnoxia.*

Echav. De adminiſtratione penſionis ſermo hic eſt, quam curatores ad congruam ſuſtentationem accipiunt, & ſynodum appellant. Cujus adminiſtratio, cum profeſſione religioſi ſint curatores, ad Superiorem localem utique ſpectat, cum ſubordinatione ad Provincialem, Superioremve mediatum, quicunque ſit. Qui ſemel iterumque fuiſti religioſus, hæc ignoras? Erit, cui ſupervacanea videatur tam trita declaratio. Sed neceſſitatem fecit, quod Doctrinæ olim ſuberant quoad regularem diſciplinam Rectori Collegii Paraguajenſis, de cujus licentia parochorum ſtipendia expenderentur. Inſtituto vero Superioris Miſſionum officio, dubium fuit declarandum, an Provinciali proxime, an Rectori Paraguajenſi ſubeſſet.

Ib. An non Principem ſe facit qui tribunalia, auditoria, cancellarias, & conſilia ſuprema inſtituit? Quidni remittantur deciſiones ad Prætorem, ad Regiumve Auditorium? Conſu-

(a) Reino Jeſ. P. 1. a. 2. §. 1.

Digitized by Google

ſulatur inſtructio Miſſionariis data a Generali Retz: *Omni qua poſſit ratione procuranda inter populos eſt concordia, pax, & charitas, cavendumque, ne ulla litium radix ſurſum germinet. Atque ne huic operi meæ pro officio partes deſint, hæc ſtatuo. . .* In ſtatutis certe nihil eſt quod carpam, adeo recte ſunt omnia. De tribunalibus conſilium odi.

Echav. An non de tribunalibus citra notam ambiti principatus ſermo eſt concionatoribus & confeſſariis? An principatum ambit, qui præſertim Principis mandato & approbatione, atque partium conſenſu, arbitrum vel arbitratorem agit, vel agentes officii commonet? *In rebus humanis* ait S. Thomas (a) *aliqui propria ſponte poſſunt ſe ſubjicere aliorum judicio, quamvis non ſint eis ſuperiores, ſicut patet in iis qui compromittunt in aliquos arbitros. Et inde eſt quod neceſſe eſt, arbitrium pœna vallari, quia arbitri qui non ſunt ſuperiores, non habent de ſe plenam poteſtatem coercendi.* Ad Prætorem de litibus non refertur, quas ille non judicat. Ut vero Regii Auditori jus hoc ſit, in humanus es qui contra Regis voluntatem, legiſque (b) ſententiam pro cauſis leviſſimis ad octingentarum leucarum iter Indos compellas, quos curator uno pede ſtans in concordiam redegerit.

Ib. Leges pœnales audito: *Nefandi* crimi-nis & beſtialitatis rei tres annos in cuſtodia detinentor... Venefici ſequuta morte poſt annum carceris in Hiſpanorum loca pro maxima ſeveritate & ignominia pelluntor . . . Videant obiter Hiſpani, quo loco apud hos legis latores ſint, ut digni exiſtimentur qui cum ſceleratiſſimis vivant... P. Generalis Tamburinus reos tradi vetuit ſæculari judici.

Echav. Non miror, puduiſſe interpretem in ſuum ſermonem convertere ad Hiſpanos apoſtrophen. Et te puduiſſet ſi præcipitanter ſcripta relegeres ſemel; Ita ne? Qui facinoroſum pellit in Hiſpanorum loca, facinoroſos habet & judicat Hiſpanos. Et indignos eos declarat, quibuſcum boni vitam agant? Noſti, in his Paraguariæ provinciis albicolores quoſvis Hiſpanos appellari: ut apud Turcas chriſtiani omnes Galli audiunt ſeu Franci. Itaque in Hiſpanorum loca aliquem relegare perinde eſt atque e Miſſionibus pellere quo velit.

Ib. Et unde tanta Patri poteſtas? -- *Echav.* Exilium, carcer, verbera, pœnæ proculdubio ſunt. Sed quanta mercede docuit te Ludi magiſter, nullam infligi pœnam niſi per Judices? Et Patri filios, & Magiſtro diſcipulos plectendi poteſtas eſt nempe œconomica. Et Magiſter exilio multat indomitos, aliorumque corruptores pellit e Schola. Siquid vero juriſdictionis ad hæc deſideratur, adeſt illa in conſtituto a Rege Indorum magiſtratu, per quem hæc fiunt.

Ib. Tamen mandatum illud de reis Judici non tradendis nunquam non movet Stomachum. Ad manum ſunt mandati verba: *Hic, quem perpetuum* carcerem vocant, ad annos decem dumtaxat eſto. Reus vero nullatenus ſæculari Judici, aut Prætori, quacumque is fuerit authoritate, traditor.

Echav. Carcer perpetuus hic commemoratus pœna erat illius, qui propinato veneno occidiſſet aliquem. Atque id eſt quod etiam habet Generalis Thirſi diſpoſitio, uti quidem refers tu ipſe (c): *Qui ita lethiferum propinat venenum, ut mors ſequatur, homicida eſt.* Hoc poſito facillimum habeto reſponſum, nempe quancumque operam prohiberi miſſionariis, ne irregularitatis vinculo præpediantur. Næ melius nomini conſuluiſſes tuo, ſi eccleſiaſticæ doctrinæ catechiſmum didiciſſes, antequam hæc ſcriberes. Non poſſunt Patres, quod juvat repetere, judicandum tradere homicidam, niſi ament irregularitatis vinculo innodare ſe. Quodſi nihil obeſſet hujuſmodi, invehereris in patrem, qui filium etiam peccantem in mortem certam non traderet? Unum eſt, quod a Sociis exigas non negandum, ne Judici exequendi judicii vias obſtruant.

Nunc cum tuo interprete in gratiam redi, qui turpitudinem tuam ſua tegere infamia viſus eſt. Etenim cum diſpoſitio de homicida ſit, quandoquidem illa cuſtodiæ perpetuæ addictio homicidii eſt pœna, veteturque Patribus, ne hoſce reos ipſi tradant, invertit de more interpres: *Jubeo nullum omnino reum tradi.* Et quod de ſingulari crimine capite luendo dictum eſt, dictum vertit de quovis non capitali. Denique utrum, te & tuum interpretem obliviſci non velim, Regum Catholicorum placito facta omnia.

Ib. Modo etiam aquam hauſi cribro. Faciam ergo quod mercatores ſoliti ſunt, plicatis quæ diſplicent, novum telæ genus evolvam. Regimen œconomicum, & gentis reformatio Jeſuiticum Regnum commoſtrant. Do documenta. Indi ante annos ſeptendecim uxorem ne ducunto, neque nubunto Indæ ante annos quindecim; niſi aliqua interveniat cauſa, quæ maturare cogat nuptias. In diebus qui Hiſpanis tantum feſti ſunt, laborare Indi ne coguntor. Iidem per pagos temere vagari non ſinuntor. Nocturnæ comœdiæ, in quas mulieres conveniant, ne permittuntor. Choreas non ducunto mulieres, nec porro viri muliebri veſtitu. Satyrorum choreæ, hoc eſt, ſcurriles ludi non dantor. Nefas eſto Indis adſcititia coma, neque propriam, plus quam moribus receptum eſt, alunto. Bullulæ & cætera id genus crepundia moderatæ ſint. Veſtibus a Caſtella delatis indigenæ pro mulieribus ſubſtituuntor. Femoralibus utuntor Indi, nec ita ampliis ut corpus pateat, nec adeo ſtrictis juſtiſque, ut illius figura oculis ſubjiciatur. Veſtium holoſericarum abuſus pro ſaltatoribus abſcinditor; neque enim ſalvis cha-

ri-

(a) Scheda Ferdin. VI. 16. Februarii 1753. Decr. cit. Philippi V. art. 4. Leg. 134. t. 7. lib. Recop. Indiar.

(b) Leg. 83. t. 15. lib. 2. Rec. Ind.

(c) Reino. P. 1. a. 3. §. 2. Ital. pag. 36.

Digitized by Google

ritate & juſtitia fieri poteſt in populis inopia laborantibus. In templorum ornatu modus eſto, ne augendi tributum fiat *occaſio*. An non ſupremam redolet poteſtatem id pragmaticarum ?

Echav. Quas pragmaticas crepas, rectæ rationis præſcripta ſunt. Nunquam ne intelliges, quam vim habeat regia declaratio (*a*) qua miſſionarii Indorum curatores ſunt, ut eos regant & dirigant in concernentibus eorum ſpiritualia, & temporalia commoda? Ecquando tibi perſuaſum erit, regiam ad hæc juriſdictionem non requiri, ſed charitatem ſat eſſe, & alienæ ſalutis ſtudium?

Nutabat olim conjugalis fides apud Guaranios, ut neſcirent miſſionarii primi, quo nomine conjungia donarent. Quodſi gentis inconſtantiæ puerilis volubilitas accedat, quid non timendum. Quinimo diutius expectandum, erit qui cenſeat. Sed miſſionarios omnia circumſpicere oportuit.

Illud ſequitur, de non cogendis in Hiſpanorum feſtis ad laborem Indis. Quodſi legem ſapit, a tribus minimum Conciliis Provincialibus lata eſt, a pluribus Diœceſanis, nominatim a Paraguajenſi, quibus lex regia ſuffragatur. Tertium eſt, quod ſine curatoris literis Indi pagatim otioſi non vagentur. Hic male feriatorum patronum te conſtituis, & quidem contra legem (*b*) jubentem Indos compelli ad non otiandum. Calumniaris & illud de comœdiis nocturnis, de choreis fœminarum. Ecquidem niſi hominis gravitatem noſſem, ulciſci te dicerem voluiſſe repulſam, qua Indæ ignorantiam cauſatæ ſaltare tecum detrectaverint. At id exiſtimare de te, perinde eſſet atque me prodere; alter enim ego tu es. Senſibus alternis diſcrepamus; at non eo minus a tuis tui diſcrepant. Hæc tua eſt indoles, ut diu probata noctu reprobes, dormientemque pœniteat factorum in vigilia. Odiſti aliud ordinationis caput, parſimoniam & moderationem in re veſtiaria. Unum tamen id agebatur, ut Indorum inopi conditioni præciſo faſtu & luxu conſuleretur. Illa vero de caſtellanis pannis, quaſi argumento ſint exoſæ Indorum communionis cum Hiſpanis, meræ ſunt gerræ, cum conſtet, extera quævis mercimonia ſive hiſpanica illa ſint, ſive anglica, ſive hollandica, vocari in illis partibus *a Caſtella*.

Ib. Eccleſiarum ornamenta quid inhibet niſi aviditas ærarii ? Neque enim timendum vectigalis augmentum viſo templorum ornatu, quæ a paucis duntaxat videbantur, Societatis amore ſecuris.

Echav. Templorum aſpectus patuit Prætoribus, Epiſcopis, & Viſitatoribus, eorumque comitatui. Quanquam ſi nemini patuiſſet, non eo minus patere poterat ornatus, quo non paries nudus ſignificatur, ſed aurum, argentum, dives tela & gemmarum ſupellex: quæ omnia per Hiſpanos publica luce ſufficiebantur.

Ib. Vide quo refugias modo: belli ordinationibus cataphractus venio. Arteagæ Provincialis eſt prima: *Horum populorum incolumitati neceſſaria admodum eſt dexteritas in armorum uſu... Deus ipſe Domini exercituum titulo gaudet... S. Ferdinandus filios ad bellum ducebat, ut militari diſciplina informarentur*. Profecto ſi arma pro aris & focis contra infideles moveantur, inſontes Indi ſint, inſontes qui Indos informant. At contra Luſitanos! Contra Hiſpanos! Et tamen ab his tutos eſſe vult Indos Arteaga.

Echav. Eſſe quod Guaranii timeant a Luſitanorum finibus, conſtat ſatis ex lege (*c*) Philippi IV. qui ſimul Hiſpaniæ & Luſitaniæ obtinebat imperium. De Hiſpanis vero, ſi quis eſt pudor, tu & tui furfuris cenſores literas Arteagæ erubeſcatis oportet, ſi modo datarum tempus, quod aſtu ſolemni diſſimulas, commemoremus. Suas dedit literas Arteaga 6. Auguſti 1727., quo nimirum tempore Bonaurenſis Prætoris imperio pro Rege multa Indorum millia ſub armis erant contra rebellium motus. Id motuum obtinuit cum brevi intercapedine pacis ab anno 1721. ad 1735. Scripſit igitur Arteaga, dum cruore calebant campi ad Tebiquarim pro Rege militantium Indorum: tunc ſimul cum Neembucu anguſtias inſidebat Indorum manus, ne pateret rebellantibus aditus ulterior. Profecto in hujuſmodi occaſionibus ſibi gloriæ ducebant Socii, belli qua poſſent ope partem eſſe.

Ib. Hæc tu de bello contra Hiſpanos. Quid de miſſione obita contra Hiſpanorum vaccas? Audi quæ in ordinationibus Legi: *Nequid patiantur detrimenti Miſſionum bona ab iis hominum turmis, qui bovilia maritima depopulantur, eo deſtinentur armati 600. cum Sacerdote*. Additurque, delegandos ſimul Guanoas neophytos, qui contribules ſuos infideles a præſtanda ſeu Luſitanis, ſeu Hiſpanis populatoribus opera avertant ni velint etiam ipſi fame tabeſcere.

Echav. Facti nuda expoſitione ea Regni corruet moles, quam ſuper bellicam miſſionem comminiſceris. Mittunt itaque ad propria paſcua Indi fere 600. ut libera & ferocia colligant armenta, collecta cicurent alimento populorum ſucceſſivo. Unus deſignatur Sociorum, quo ad Sacrificium & Sacramenta miniſtro utantur. Admirare curam & pietatem. A quo inſuper gubernentur eo regimine, quod regiam approbationem obtinuit. In eundem locum convenire ſolitæ ſunt ancipiti vel nulla authoritate munitæ cum Hiſpanorum, tum Luſitanorum turmæ. Atque hi quidem non illac vagantur ut carnes, quæ in illis partibus pro titivilitio habentur, ſibi quærant, ſed ut ingenti armentorum ſtrage pelles domum reportent. Ad capturam utuntur opera

(a) Dec 1. Philippi V. art. 4.
(b) Lib. 6. t. 1. l. 2. Recop. Ind.
(c) L. 6. t. 2. lib. 6. Recop. Ind.

Digitized by Google

ra Guanoarum, Charruarum, Minuanum infidelium, qui vagam per illa teſqua trahunt vitam, pellectis improvidis animis ea mercedula quam *enganos* appellant. Ex his barbaris nonnulli apud Guaranios fidei chriſtianæ nomen dederant, quos prudens Superior ablegabat, ut ſuos a promovenda vaſtitate, & opera commodanda eo deterrerent, quod de communi eorum etiam ageretur victu. Quam nihil diſſimulavi Bernarde! Et tamen rem totam introſpicienti incantati Regni ſpecies apparet nulla. Evanuerit oportet veritatis objectu, ut exorciſmo præſtigiæ.

At inquis vaccarum armenta Hiſpanorum erant. Quidni etiam Luſitanorum? Verum qui id evincis? Conſtat ais per proceſſus juridicos. Ecquid factum de his eſt? Facilis tibi nodi ſolutio: Apographa cum autographis a Sociorum potentia periere. Unum tamen ſingulari D. Joannis Martinez de Mena Bonaurenſis civis induſtria ſervatum eſſe, quo Provincialis precibus negato, Societatis veſte ſpoliatus eſſe dicitur illius filius jam ſacerdos. Hæc tu de more vulgi rumores conſectatus. Adiiſſes fontem ipſum D. Joannem, a quo ut homo cordatus erat & verax, alia omnia hauſiſſes.

Art. IV. Regni Veritas ab adjunctis.

Fidem appello publicam & famam, atque Status conterminos, quibus de regio Sociorum dominatu plane perſuaſum eſt. De infidelibus nihil eſt quod dicamus: res adeo eſt clara. De Hiſpanis perinde patet. Quodſi revocentur ad trutinam Paraguajenſes motus, Antequeræ cauſa, Baruæ literæ, cum ſexcentis aliis, meridiana luce clarius ſit, turbarum omnium originem a Sociorum tyrannide Hiſpanis intoleranda repetendam eſſe. Pro Luſitanis unus eſt teſtis omni exceptione major Joannes V. qui apud Societatis Præpoſitum Generalem de Patrum Caſtellanorum, ideſt Hiſpanienſium adverſus Luſitanos odio, datis literis conqueſtus eſt. Dum vero medium Caſtellæ Regem prætermiſit, querelaſque longe detulit Romam ad Generalem, hunc abs dubio Regem Paraguai eſſe cognoverat.

Echav. Regni tui Bernarde reſpice titulum: *Reino Jeſuitico del Paraguai -- Por ſiglo y medio negado y occulto, hoi demoſtrado y deſcubierto. -- Su autor D. Bernardo Ibañez de Echavarri.* -- Qua ratione opertum & occultum prædicas uſque adhuc, quod fama apertum, & fide publica conterminorum Statuum, fidelium, infidelium, Hiſpanorum, Luſitanorum, recognitum pridem eſt? *Operta quæ fuere, aperta ſunt; patent præſtigiæ* (a). Has occulere nititur Italus tuus Ulyſſiponenſis, dum tacitus titulum reformat: *Regno Geſuitico del Paraguai dimoſtrato...*

Vaga conterminorum infidelium gens, nec Sociorum unquam nec alterius imperium recognovit: id unum apprehendit recognitione, quod ungibus injectis. Da vaccas, da equos in non datarum furtum & rapinam: & de regno a quo non aliud norunt, gratias agent. De Hiſpanorum ſub Antequera motibus, Barua, & reliquis, eandem fere molam verſantibus, pudeat furorem rebellantium in ſuppetias advocaſſe. Illud eſt mirum de narrata Regis Fideliſſimi expoſtulatione, quod uti veram referas ex eo uno documento, ex quo palam habes eſſe falſam, ſeu ex falſo nuntio derivatam.

Ib. P. Silva Provincialis exacto more, qui in nonnullis oppidis invaluerat, cibum capiendi circum ſonantibus organis, ſubjungit: fore ſatis ſi cantiunculæ adhiberentur, tibiarum concentu diſtinctæ. Equidem vel poſt reformationem auſteritatem in Miſſionariis requiro.

Echav. Laudanda caſtigatio, ſi modo vera ſit; etſi nihil in cauſa regnatum ſapiat. At eſt qui per tempus aliquod in Miſſionibus fuit & tredecim cum ex Parana, tum ex Uruguai inviſit populos, dum eſſent adhuc ſub Patrum cura, & teſtatur, nihil ſe ad menſam muſicæ vocalis aut inſtrumentalis audiviſſe. Sed ſecundum Patrum menſam vidiſſe puerorum gregem a cibo ſe continentem juxta poſito, nempe Patrem expectantium, qui ſibi fauſta precaretur, cujus ſolemnem benedictionem excepit nata ad excitandam pietatem cantilena.

In populari epulo, quod rarius fit, & inſtrumenta pulſantur cum exploſione ignium miſilium: quæ ſi ex toto ſurdi non ſint, a Patribus audiuntur; univerſo enim populo ad ædes ſuas accedenti Pater occurrit benedictionem apprecaturus, cui chorus reſpondet. Non negaverim, popularis epuli occaſione ad Patrum domos aliquando muſicam perſonuiſſe; verum miſanthropos mihi ſit, qui muſicos benedictionem expectantes ſilere jubeat, quive ingredientem hac occaſione ſaltatorem ſevero excipiat ore, & ſi prandentibus moleſtus ſit, & convivium optimum in quod choraules non venit.

Ib. Doleo, quod de Paraguajenſium Sociorum hypocriſi, ignobilitate, aſtutia obloqui geſtienti documenta non ſuppetant. Sed de otio, ignorantia, factionibuſque teſtes ſunt literæ. Ex epiſtola quippe Provincialis Simonis de Leon innoteſcit, frequentari cœpiſſe Hiſpanarum domos ſubſtituta tuitate *Dominationis* & *Reverentiæ* decori. Etiam in tribunali pœnitentiæ ſermones habitos de rebus, quæ ejus loci non eſſent, quæque ſubinde in cachinnos erupiſſent: nec veritos aliquando in idem tribunal deſcendere, qui audiendi confeſſiones caruiſſent facultate: imo nonnunquam vel ipſos coadjutores ibi ſedere viſos. Hæc otii argumenta ſunt, otium autem ignorantiam habet pediſequam.

Echav. Provincialis ille nihil horum accepit, dum collegia luſtraret, neque nuntio a collegiis, ſed literis a Generali Roma miſſis, ſcili-

(a) Plaut. in Capt.

Digitized by Google

licet delatione alicujus tui ſimilis, eo longe miſſa ubi cognitus non erat, contemnenda ſi noſceretur. Jam vero ſi centum abhinc annis (totidem quippe ſunt a Leonis magiſtratu) abuſus aliquis irrepſerat in adeundis Hiſpanarum domibus, tu ipſe teſtis es quam is eſſet abrogatus. A confabulationibus autem in confeſſionali & Jeſuitæ & non Jeſuitæ ſibi maxime caviſſent, ab eo præſertim tempore quo ſanctum & ſeverum Inquiſitionis Officium leges anni 1711. & 1716. ibi locorum novo decreto promulgavit 20. Novembris 1720.

Ib. De Jeſuitico commercii pruritu juſto volumine agere poſſum. *Senſim ſine ſenſu*, ajebat Provincialis Laurus Nuñez *abiiſſe videmus apoſtolicum operariorum collegium in collegium procuratorum*. Procuratores provinciæ Matriti, Potoſii, Cordubæ, Bonis Auris. Procuratores Miſſionum Bonis Auris, Aſſumptione, Sanctafide, Tarixæ. Ut mittam particulares collegiorum procuratores, & quos vocant *Extancieros* villicos, & qui per ſexennia in Europam navigant; merces ad commercium reportaturi.

Echav. En qua ratione poſſis juſtum de Paraguajenſium commercio conficere volumen: mentiendo. Mendacium eſt, quod procuratorum ullus ex Europa mercium aliquid reportet videlicet ad commercium: & error mendacio par, quod procuratores appellaveris, qui revera procuratores non ſunt. An procurator eſt, qui temporalium aliquid quoquo modo curat? Nullam fore provinciam exiſtimo, ſeu Societatis ſeu alterius Ordinis, quæ pauciores Paraguaria procuratores habeat. In omnibus fere collegiis vel ſedibus vacabat procuratoris officium, quo Rector ipſe cum promo condo defunctus, miniſteria nihilominus obibat apoſtolica, & ſpiritualia, prædicationem, ſtudium. Ad quæ pleriſque quos procuratores appellas, otium erat poſt unum vel alterum horæ quadrantem procuratorio muneri datum, ut æquo atque Laurus dicere poſſis jure, procuratores abiiſſe in operarios. Contigit interdum, ut etiam Socii poſtquam diu collegium habitaverant, quis eſſet loci procurator ignoraverint.

Ib. De factionibus illius provinciæ documentum nullum accepi præterquam incerti cerebri *paſchinum*. Sed pro documento ſint facta: certum eſt enim ſe mutuo commordere diſſidentes, atque dilaniare: quod tamen vitæ genus, ægre licet, ferunt ut ſartum tectum regnum ſit.

Echav. Mirum quod regnum in ſe diviſum ſeſqui ſæculo, quod ais, ſteterit; nec poſt ſeſqui ſæculum fuerit timendum excidium a diviſione partium. Carebant Socii capitulis; ſed erat tempus & locus, quo partium ſtudium ſi quod eſſet exercret ſe. Frequentes erant congregationes provinciales, conſultationes cum provinciales tum locales, clauſtra academica, quorum proceſſus verbales penes Fiſcum ſybillini libri jam non ſunt. Hos ſi conferat cum aliorum Ordinum regeſtis æquus rerum æſtimator, nullus dubito, quin communionem ſpiritus in tanta nationum varietate admiretur & laudet. Sunt in illis regionibus aliorum Ordinum cœtus & provinciæ, virtutis & regularis diſciplinæ ſtudio conſpicuæ, quarum ſi liberæ ſententiæ exquirantur, conſtabit nullibi tranquillius quam apud Socios haberi cœtus.

En poſt famoſum *paſchini* tui carmen, quo loco habenda ſint facta quæ appellaſti. Illud eſt notandum maxime, quod cum illarum partium religioſi ordines bullas univerſi aut fere univerſi obtinuerint ad firmandam alternativam in regiminis muneribus & officiis, extentque in communi Bullario pro Indiis duntaxat Occidentalibus ab anno 1623. plus decem obſervari juſſæ per regia decreta, nationalibus ſedandis partibus & turbis; nullam omnino hujus argumenti, neque intra, neque extra Bullarium dederis, nec expeditam, nec poſtulatam conciliandis intereſſe Sociorum nationibus; cum nullus in America ſit Ordo, qui tot conſtet, quot una Paraguaria Societas. Sine bullis ejuſmodi ſumma æquitate & pace munera diſtributa ſunt. Accidiſſe crediderim aliquando, ut nationis odio tribueretur caſtigatio, correctio, aut diſpoſitio, ab eo qui frænum ægre morderet; at id genus hominibus ſub quacunque tandem veſte lateant, ea fides adhibenda, quæ tibi cum tui paſchini carmine.

Artic. V. De mediis conſervandi Regni a Sociis.

Ib. Primum conſervando Regno medium pono fuiſſe exteris pluribus harum miſſionum curam committere. Quod quidem manifeſtum eſt, quandoquidem in ſeptem populis parochias omnino quatuor obtinebant exteri, ſolas tres Hiſpani.

Echav. Actum eſt, ajebat piſcator, de piſcium genere: in mari non ſunt piſces, tres enim tantum ego cepi. Bernarde, ſi ita licet agere, ſubdam & ego, miſſiones omnes ab exteris curari, quandoquidem cum copiæ Hiſpano-Luſitanæ eo ingreſſæ ſunt, in S. Laurentii tres erant Socii, iique omnes de Germania, nullus de Hiſpania. Et in reliquis provinciæ ad ſex ſupra quinquaginta miſſionibus dicere oportebat, quot exteri eſſent, quot Hiſpani. Nec erat diſſimulandum, quartam miſſorum partem de nationibus exteris permiſſam eſſe a Rege (*a*), in provincia, quæ tecum quadringentos & plures numerabat; quorum pars certe multo minor quarta exterorum erat, ut patet ex catalogis, quæ ſub regia manu ſunt. Neque erat temere, quod in oppidis ſeptem tuis plures collocarentur, quæ a zona torrida remotiora ſunt; natos enim ſub ſeptentrionibus certæ morti devoveris ſub æſtuoſis Paraguariæ partibus.

Verum diſſimulata hac in re veritate turpius eſt mendacium dicentis: *De ſexaginta* (omiſſis) *ego oculatus teſtis fui, ne tertiam qui-*

(a) Decr. Philippi V. art. 12.

quidem eorum partem ex Hiſpanis fuiſſe. At de Miſſione tua, cujus teſtis es oculatus, manifeſta res eſt, vivis atque defunctis notoria, exteros duntaxat fuiſſe ſex omnino, tres videlicet ſacerdotes, ac totidem coadjutores, qui nomen palam & patriam profeſſi ubique ſunt. Ex mendacio uſque adeo perſpicuo id commodum emergit, quo loco habendus ſis, dum ſolita cantilena teſteris: Ego vidi: hiſce oculis vidi: tantundem mihi dictum fuit: actum id eſt coram me.

Ib. Exteros qui valeant ingenio cura non mordet perſcrutandi regni Jeſuitici arcana. Hiſpanos latet totum quantum eſt, adeo ſunt inepti. Sex horum ego novi, quorum tres benignus Deus aſpexit, reliqui inculti a natura, imperitique. Et primis quidem nunquam datum, ut e collegio exirent; poſtremis contra miſſiones Guaranicæ datæ ſunt. Provincialis quidam voluit eos novum ſcientiæ periculum ſubire, qui minus agnoſcerentur habere moralis Theologiæ, a confeſſionibus audiendis interea ſuſpenſos. Qui poterunt homines, de quorum doctrina ad audiendas Indorum confeſſiones dubitetur, latebras & receſſus introſpicere regni Jeſuitici.

Echav. Cæcum eſſe oportet qui non viderit, ad ſuſtinendam ſeſqui ſæculo rei publicæ Guaraniorum molem, ſolertiſſimos requiri operarios, nec minus virtutibus quam ſolertia conſpicuos. Vidit Cl. Muratori, vidit author *Hiſtoriæ impartialis*, ne Illuſtriſs. Peraltam, Vallumbroſanum Polemarchum, & Jeſuitas laudare ſit neceſſe. Quodſi requiras in miſſionariis rerum ſcholaſticarum notitiam, non erat in miſſionibus, quam in collegiis minor quarti voti profeſſorum numerus. Hujuſmodi vero profeſſi, ut non neſcis, jurata habent multa judicia de aptitudine ad illarum doctrinarum magiſterium. Et ex tribus quos elegiſti ignorantiæ ſpecimen, duo ſolemni jam profeſſionis gradu decorati erant; dignuſque erat tertius, qui eodem donaretur honeſtamento a virtute apoſtoliciſque laboribus, proculdubio ſi diutius viveret donandus.

Quid quod Socii crebro a miſſionibus ad cathedras, a cathedris ad miſſiones evocabantur. Infelix tu es, Bernarde, etiam cum laudas, quippe falſus. Illi enim tres, quos in collegiis detentos dixiſti, ne miſſionum arcana rimarentur; viderunt omnes in Miſſionibus commorati, quantum ſatis eſt ut totius machinæ pulſum atque repulſum explorarent, quo tuarum exſufflarent cavillationum deliramenta, tuique miſererentur qui talia comminiſceris. Quid de iterato examine cavillaris? Lex eſt de nullius aptitudine dubitans, ſed qua diſponitur & cavetur quid ſit in poſterum agendum, ſi cujus dubia ſit aptitudo. Nonne tota illa provincialis ordinatio ſupra dubium vertitur conditionale, poſſibile, ſingulare? Ais. Quid igitur eandem fur conditione nudas, & facis abſolutam, atque univerſam?

Ib. Ut nihil cætera valeant, Rei certe valebit confeſſio. Et profecto habemus confitentem Reum, dum Joannes Paulus Oliva Generalis Miſſionarios Socios alloquens ſcripſit: *Vos eſtis Corona mea & Societatis*. Fortunatus qui ad non intelligentes ſcriberet. Nullum ſub ea corona latere regnum cogitabant; ſed eo ſenſu accipiendam, quo olim ad Epheſios, aut ad Philippenſes.

Echav. Siccine demonſtratum eſt, -- Lojolidas dare jura viris, ſceptriſque potiri? --

Ib. Si docerentur Indi ſagacitatem & aſtutiam, Jeſuiticum excuterent jugum. Si eorum mentes non ſecus ac noſtræ, ſpeculativis aliiſque ſcientiis excolerentur, aptos ſe exiſtimarent ad regendum pro parochis adventitiis populos ſuos: quo actum erat de Sociali regno. Art. VI. Media Regni a parte Indorum conſervandi.

Echav. Simplicitatem recenſet S. Lucas (Actor. 2.) inter virtutes fidelium eccleſiæ primitivæ, cujus Guaranica imitatrix eſt. Tu contra deſideras in Guaraniis aſtutiam ſimplicitati contrariam. O infelix aſtutia! Si Indorum parochi inculti adeo & rudes ſunt, quemadmodum a te dicebantur haud ita pridem, nihil neceſſe eſt Indos excoli ut parochi fiant. Verum quid cauſæ erit, quod non modo in Paraguaria, ſed in toto qua late patet novo orbe parochus ex Indis ſit nullus?

A Sociis docebantur Indi cum fidei chriſtianæ myſteriis quantum de jure naturali & gentium, de divino atque humano illorum conditionis erat; agriculturam, architectonicen, picturam, ſculpturam, & affabre quidem pro illis locis, pro cultioribus etiam ſatis ad informandam pietatem: muſicen ad cujus modos tota populorum reſpublica compoſita erat. Ea vero muſicæ parte quam hypocriticam vocant & pantomimicam, religionis cultum & Principis obſequium edocebantur: quæ ſi aliquando, non niſi poſt longum tempus ſermone non ſuo ægre didiciſſent. Quæ cum ita ſint, quid præterea Indos doceri jubes? Scientias ais abſtractas. At quid vocas ſcientias abſtractas. Univerſalia per intellectum? Id porro unum deerat, ut a Sorbona exulare juſſa a Guaraniis reciperentur.

Ib. Ad regni incolumitatem facit Indorum vilitas, & animorum abjectio. Quid ſublime cogitaverint homines decalvati? Quid carnibus veſcentes inſulſis? Quid quorum uxores ſtolis conteguntur nullo inſtitarum fimbriarumque ornatu? Hujuſmodi abjectio ita homines frangit enervatque, ut exercendis magnis virtutibus ſint impares.

Echav. Falſum eſt, Indos ita capite depilari, ut decalventur. Capillos decurtant quidem quantum Hiſpani veteres barbati. Sed mirabere tu etiam quando ſapias, quod ad magnas animo virtutes ingenerandas deſideraveris hinc fimbrias in muliebri mundo, illinc caligas pro Indorum ſuris. Guaranii ſint naturali ſtatura puſilli; ſunt tamen magnanimi & ſublimes arbori crucis inſerti & elevati. Dixerit aliquando curator, novum Deo dignum templum excitandum: aderuntque continuo operarum millia. Poſtulaverit Prætor armatorum copias;

Digitized by Google

& centies ſit cum ad Regis obſequium turmatim procedant ſine ſtipendio ad vincendum, moriendumve comparati. Deturpa, quantum libido eſt, Indorum menſas & cultum. Nec lautiore cibo nec veſte uſos Romanos certum eſt, dum byrri placuerunt, & amphimallæ. Romanæ quidem fœminæ, cum mores mutari cœpti ſunt, amaſſent te patronum. Verum ſi paganicæ magnanimitati ridiculoſus eſt ſermo tuus, chriſtianæ virtuti nequit non eſſe lamentabilis.

Ib. Quid eſt quod Patres ita ſubjectos velint Indos? Conſtat enim, Indum non habere quo paſcatur & bibat, niſi Patris dono, neque aliam quam ab eodem Patre delectam uxorem ducere. Id quod ex ipſis ordinationibus manifeſtum eſt, v. g. de non cogendis Indis ad ſerviles operas in feſtis Hiſpano duntaxat ſacris . . . Quid diſtat inter Indum & ſervum?

Echav. Falſum eſt, ita cibum & potum a Patribus temperatum eſſe, ut aliter Indus nec comedere poſſet, nec bibere. Falſum deſtinatas a Patribus ſponſas, quas Indi ducerent. Abſurdum vero eſt, quod tyrannidi imputetur, velut contraria libertati ordinatio de non cogendis. Illud jam ſatis conſtat, præter communia bona, eſſe Guaranijis privata, de quorum fructibus edere, bibere ac veſtire licebat inconſulto curatore & magiſtratu. Fuitque unus vel alter, qui peculio ſatis modico non nihil auxerit rem familiarem. Dum quæris tamen, quid differat Indus a ſervo, facilis eſt reſpoſio: *Nihil differt a ſervo, cum ſit dominus omnium; ſed ſub tutoribus & actoribus eſt uſque ad tempus præfinitum* (*a*). Quodſi roges, quando venerit tempus hoc? ſcito Bernarde adveniſſe jam. Quid diſtat inter Indum & ſervum? Quod Indus ſuo commodo vel incommodo laboret, vel otietur. Servus autem hero laboret. Ex quo facile dictu eſt, curatorem de commodis Indorum ſolicitum, horum potius eſſe mancipium, Chriſti videlicet cruce ſignatum.

Ib. Servitutem Indorum finiendam aſſero, ſi libera permittantur cum Hiſpanis commercia. Nefas modo eſt quidquam importari exportarive inconſulto Superiore, ac ſine prævio rerum examine: quo uno commercium & acceſſus ultro citroque intercluſa ſunt.

Echav. Ill. Faxardo Bonaurenſis Epiſcopus, poſtquam luſtraverat ſuæ & Paraguajenſis ditionis doctrinas, literis ad Regem datis affirmat, animadvertiſſe ſe, mores populorum inferiorum, qui ad Paraguaim ſpectant, eſſe minus correctos. At ii ſunt in quos liberior patet mercatorum aditus. Id itaque, ſiquid aliud, erat vituperandum, quod miſſionarii tanti diſcriminis conſcii populos inferiores ad normam cæterorum redigere non contenderint. Sed ſtetit error, quo cavillatio profligatur. Nullibi commercium interdictum eſt cum Hiſpanis, ſed clandeſtinum, ſed fraudulentum, & quod repugnet ſtatutæ bonorum communioni. Indi etſi privatis opibus abundare poſſunt, nihil fere habent quod commune non ſit: communes fructus, greges, & armenta, quorum diſſipationi nihil aptius, quam ſi tradantur indiſcretæ hominum, imo puerorum multitudini, ut quiſque ea pro libitu deſumat, & pro quiſquiliis commutet ſuccatarum mercium. Non ita privatorum eſt commune patrimonium, ut de eo poſſint diſponere ad placitum. Qui doctrinæ articulus, quem nemo neſcit, diſcendus tibi eſt, dum culpa liberas (*b*) Indum qui de armento communi pro libidine rapiat, idem dicturus de Sacra templorum ſupellectile, quæ non abſimiliter Indorum eſt. Qua in re culpandus es tu maxime, qui communem vitam profeſſus, furti reum haberi monachum audieris, qui de bonis monaſterii quidquam diſtraheret clam.

Ib. Optime rebus ſuis, & regni perennitati conſulere Patres, renuntiatis populorum præfectis, & magiſtratu donatis, quos domi educaverant æduos & Saltatores.

Echav. Nihil non ex lege factum. Lex jubet, præfectos eligi præſentibus parochis: & de conſilio Patrum eligi cum eſſet relatum ad Philippum V., id ratum habuit. Quodſi de Indis orientalibus decretum aliud obtinet, notum eſt quantum cœli diſtet inter Aſiaticos & Americanos. Electio vero *jus & morem* Caſtellanum de cætero imitatur. Si quando tamen Miſſionarius in barbarorum grege recens e ſilvis contracto quoſdam nomine *Alcalde*, *Corregidor*, aut ſimilibus appellavit, theatralis populi nondum conſtituti repræſentatio fuit, & ineundæ civitatis præludium brevi ceſſaturum. Electionem ex lege ſequitur juriſdictio, modica illa quidem, ſed qua nec major expediens ſit, nec alia Indico juri regio conformior.

Ib. Quid eſt quod Guaraniorum felicitatem Socii uſque adeo proclamaverint? Nec Hiſpanorum tantum, ſed exterorum opera uſi ſunt, ſuppeditatis nunc Xarquio expulſo, nunc Muratorio documentis, ut pro meritis maledictionibus verba darent. Art. VII. Regni fulcrum ab Hiſpanis.

Echav. De interpretis tui grege quidam ait, Patres non ante annum centeſimum hiſtorias ſuas & res geſtas divulgare. Quod ſi verum habet, quis antea Guaraniorum felicitatem tot nominibus ſuam proclamavit? Aut qua ratione regnum ſtetit ante Sociorum præconia? Verum ad te unum convertam me oportet. Xarquius expulſus non fuit vomitu inſtar tui, ſed canonice dimiſſus, qui quod olim viderat memoriæ tradidit jam partium ſtudio liber. De Muratorio contra veritatem apertam & notam loqui te pudeat. Licet enim occaſione literarum P. Cajetani Catani Mutinenſis *Chriſtianiſmum Felicem* aggreſſus ſit, non ante voluit editum quam narratorum fidea conſtaret, cum

(a) Ad Galat. 4. 1.
(a) Reino Jeſ. P. 1. a. 6. §. 1. Ed. Hiſp. pag. 60. Ital. pag. 101.

Digitized by Google

cum aliis, tum Principis *a Santo Buono* testimonio, qui ante annos viginti Peruvium, cujus ditionis est Paraguaria, pro Rege gubernaverat: testimonio etiam P. Hippolyti Angelitæ Minoris Conventualis, quem Muratorius laudat, qui ut Xarquius Paraguajensium Socius fuerat olim.

Hac ratione absoluta prima *Christianismi Felicis* parte, cum secundam maturaret Clarissimus Author, in lucem prodiit decretum Philippi V. cum literis Ill. Peraltæ Ord. Prædic. Episcopi Fluminis Argentei, & binis regiis ad Paraguajenses Socios schedis; quibus omnia quæ ex Catani documentis, & ex opusculo P. Aguilaris per Amplissimum Virum Cajetanum Buoncompagno Soranum Ducem acquisito in Prima Parte narraverat Muratorius, dilucide, authentice, & in judicio contradictorio confirmantur.

Ex Secunda vero Parte in lucem posthumam edita duo confice. Alterum, quia fide anonymus (a) affirmaverit Muratorium morti proximum scriptæ Primæ Partis pœnituisse. Alterum, non ex solis documentis per Socios habitis compactum esse *Christianismum Felicem*. Authores Bibliothecæ Scientiarum, & Bonarum Artium (b) ajunt, non alios Muratorium ipsum narratorum fontes indicare, quam colloquia Principis a Santo Buono, & Jesuitarum memorias. Et hæc ajunt postquam Secunda Pars prodiisset, in cujus Præfatione ad Excell. Nuncium Henricum Henriquez fontes indicat non illos tantummodo.

Ib. Eccur tanta populorum felicitas in locis collocata est Hispanorum nemini adeundis? In Guaira primum, inde in loca biscentum leucas ab Hispano distantia. Eccur (c) familiis quatuor centum Japaiui relictis binæ coloniæ ad Bonas Auras deductæ non sunt?

Echav. Ibi positi primum sunt Guaranii ubi nati, ubi Christo dediti. Loca sunt ea si Hispanis inaccessa, tam pervia Lusitanis, ut iteratis incursionibus totam eam fere Christianitatem perdiderint. Sed & Guairæ proximæ erant, quippe conditæ intra Guairæ fines, Villaricca, & Civitas Regalis Hispanorum coloniæ. Ut ut sit, e guairana calamitate reliqui in summa paucitate transmigrarunt eo, ubi a Bonis Auris absint biscentum leucis, Ab Hispanis tamen Paraguajensibus non amplius transverso distant Tebiquari, ubi commodius quam par est visitari possunt. Feliciores essent certe si longius distarent. De prædio rustico, cujus felicitatem, ubertatemque facit agrorum solitudo, quæris cur non ponitur intra muros.

Quadringentis non amplius familiis singulos populos constare debere, ait tuus interpres ex Conciliis Limanis. Vereor, ne ad Concilium quodpiam futurum appellet. Illud est certum, jure indico (d) singulis parochis accensendas eo numero familias. Pro triginta itaque sexagenas esse oportebat apud Guaranios parochias. Atque adeo synodus seu pensio Patribus numeranda fuisset duplo major, scilicet 27., 978. aureorum, regalium quatuor. Proh! quantum avaris pecuniarum damnum factum est, quibus se miseros locupletarent. Tu vero tanto lucro sponte & temere cessuros ne crede.

Ib. Si Bonas Auras aut prope deducerentur Indorum examina, non ita facile aditu prohiberentur Hispani, quos adeo abesse voluit Provincialis Roca, ut in nomine Christi vetaverit, ne cui Patres præberent aditum exceptis oppidis Paraguariæ conterminis. Horribilis blasphemia! Christi nomine tam execrandam præcipere impietatem. Quo tam immanis collineet prohibitio, non video, nisi ut regni fraudem per me revelatam obtegerent.

Echav. De te ait Majans, specimen oratoris præbere, scilicet in Vita Historica S. Prudentii, quam post primam expulsionem elucubrasti. Alibi dixeras de Indis, esse Franciscanis pauperiores. Et qui horum populorum mores contemplantur esse ajunt velut monasteria quædam. Fac Prælatum quempiam sæcularibus vetare in certum Monasterium ingredi, ingressumve permittere: idque vetet in nomine Christi. Proh blasphemiam horribilem! Proh decumanam impietatem! Hispanis, ajunt, tibi certe cara sunt sesquipedalia verba. Patere me declamatorem tui similem. Rex Catholicus legem tulit, ne Hispani diu morarentur apud Indos, & nequa fit inter Brasiliam & Sanctam crucem communicatio (e), scilicet per Paraguariam. Atque lex hujusmodi 26. Junii 1595. lata fuit, tunc nimirum cum regiones illæ eidem Principi suberant, ne cogites commercium tantum cum exteris interdictum esse. Profecto cum nec impia, nec blasphema sit prohibitio illa, sed æqua & justa, qui fieri potest, ut blasphemum & impium sit præceptum, quo illa secundatur, & quo sanctæ & piæ legis executio paratur & urgetur?

At subdis: Quid nisi ad occultandas fraudes aditus intercluditur? Imprudentes nimirum fuerunt Socii, qui aditum in reliquos populos intercluſum in Paraguariæ conterminos reserarunt: hinc aditum occludunt, illinc patefaciunt. Quinimo patere hos populos voluerunt, nequid fraudulentum de cæteris eisdem artibus gubernatis in suspectum caderet.

Ib. Id verissimum judicasti, in Missiones aditum patere, & non patere. Non patet Episcopis ut Cardenas, nec Prætoribus ut Barua; patet vero Episcopis ut N. Prætoribus ut N. Deinde ut ut fieret Episcopi, Prætorisve visitatio; quo tandem bono futura, exhibito Episcopis, quod præcepit Provincialis Garriga, codice falso? Heu, heu non obedien-

(a) Novell. Interess. P. 1. pag. 5. in Notis. Vide I. F. Soli in Vita Muratorii, Cap. 8.

(b) Bibl. des Sc. & des B. A. 1755. Janv. tom. 3. 1. P. Art. 7.

(c) Itali interpretis additamentum. pag. 126.

(d) Lib. 1. t. 6. leg. 46. Recop. Ind.

(e) Lib. 4. t. 3. leg. 27. Recop. ejusd.

Digitized by Google

dienti! Bonis Auris pulsus fuit e Societate quidam, quod contra Provincialis sententiam obediendum Regi libere respondit. Ex instituto obediendum superiori, dum Pontifex mandatis contrarium non præcipiat. Quodsi tenet, quid vos manet Europæ Principes?

Echav. A janua, quam primo pulsasti ut ingrediar, patuit illa Ill. Cardenas, & revera intravit ad S. Ignatii Guazu doctrinam, quam pro officio visitavit. Progressus ultra non fuit, quod noluit, vel quia pedibus etiam fuit connitendum, ut mitram sustineret. De Barua alia est ratio, cui ne in mentem quidem venit unquam de adeundis Missionibus cogitatio, non quod aditus esset intercluſus: sed quia tunc populi omnes ad Bonaurensem præfecturam spectabant regis mandato.

De falso codice tu te falsi conviceris, dum scripta relegas. Dicam tamen ego quo loco res sit. In singulis oppidis tria erant rerum armaria. Sacra in sacristia servabantur. Alibi Magistratus indumenta, equorum ephippia, & saltatorum vestes. Alibi arma & belli apparatus. Olim in unum promiscue librum referebantur hæc omnia. Quod ut vidit Provincialis Garriga, sacra a profanis secerni jussit, & quæ ad divinum cultum pertinent, alio libro recenseri, alio humanis usibus destinata; illumque non hunc Episcopo deinde visitanti exhibendum. Hæc cum ita sint, nihil fraude actum, nullus falsus codex. An falsitas est, quod ante Episcopi oculos non ponantur saltatorum braccæ, equorum stragula. Quam oppugnas exemptio, ut ab Episcopis nonnisi in *officio officiando*, ut ajunt, visitarentur doctrinarii regulares, expressa est lex (*a*) sacris canonibus conformis: quam neque a te ignorari miror, nec ignorantem inflare buccas.

Quis quæso fuit ille, quem pulsum dicis Bonis Auris. Nempe voluisti; ut de fabula narrari omnes intelligerent. Intellexit profecto interpres tuus, viditque (*b*) te post velamen. Fuisti ergo tu qui objectis a Provinciali incommodis rogatus consultusque a regio Legato, Episcopo, & Prætore respondisti, nihil esse quod permutationis executionem moraretur: quo tuo responso traditio decreta est? Res est in comperto, & quanti sit, Bernarde tua fides. Provincialis Barreda animadversiones suas misit ad Regem 29. Aprilis 1752. ut ex datis constat. Anno insequenti 1753. 19. Julii per supplicem libellum postulavit a Valdelirio jam jam arma moventi, ut Regis responsum & sententiam non gravarentur expectare. Denique sub hujusce anni finem in comitiis habitis in Martini Garciæ Fœderis executio cum bello decreta fuit: ex quo abjectis consultationibus, & consideratione incommodorum, omnes conversæ sunt curæ ad rem militarem ordinandam: & acies deducta fuit primum anno 1754. cum scilicet tu adhuc in Europa versarere, quippe qui Gadibus solvisti cum reliquo missorum supplemento anno 1755. mense Aprili: ut propterea veneris in consilium vel auxilium post bellum. De te ait interpres: *Fu impiegato da suoi Superiori nel servizio delle Missioni del Paraguai. Non dopo gran tempo giunsero in quei paesi i Comissarj Spagnoli.* Notum fac interpreti, nunquam te Missionum Paraguai ministerio addictum fuisse: & quære an in Superioribus datis, quas nuper retuli, sit error. Ignoscendum, quod veram expulsionis tuæ causam turpi adeo ratione obvelare tentaveris. Intelligo cur appellatis Europæ Principibus, horum authoritatem commovere gestias. Ætatis & sæculi id est.

Ib. Reservatum idioma, & armorum usum, media duo interpretor, ne unquam Socii Doctrinis regno videlicet suo spoliarentur.

Echav. Idioma guaranicum tu alibi communissimum ais esse extra Missiones in Paraguaria & in Brasilia. Si communissimum est, qua ratione reservatum appellas? Nisi vero mentiaris, opinione plures esse oportet Indos qui loquatur Hispanice. Cum duos tantum vel tres annos in desertis Missionum locis versatus sis, pauci te Indi convenerint; nihilominus fuisse affirmas plures quinquaginta, qui quod hispano sermone usi erant, vapulasse dixerint se. Quot vapulaverint, qui tibi in deserto se sistendi occasionem nacti non sunt? Rursus si tot fuerant verberati, quot quæso cautiores, Hispanice locuti verberationem effugerint? Hos vero quotquot illi sint in universis triginta oppidis, quis docuit Hispanicum sermonem? Si tibi fides (*c*), deerat in Missionibus qui doceret, & Bonas Auras qui mittebantur, ii erant qui obvelatis oculis, occlusis auribus irent atque redirent. Verum de his satis: armorum crambem ne recoque.

Ib. Qui principio discordes posui Sociorum Paraguajensium animos, eos tandem unitate & concordia valere affirmo. Et hæc una machina, qua regnum sustineretur erat. *Cogitavi*, ait Generalis Retz, *apud me sæpe, quomodo Societas nostra ex tam diversis populis in unum corpus assurgeret, illudque potissimum occurrit, unio animorum ad finem in quem tendit Societas. Hac charitate munita terribilis fit, ut castrorum acies ordinata, quando sicut unum corpus sumus in Christo, ita unus spiritus. . . . Exterorum acies non timemus . . . . Nihil foris conturbare non potest, si intus bene sumus . . . Hoc est quod plangeret mater nostra, si contra externos hostes terribilis, sentiret se intrinsecus vulneratam.* Gravior non potuit ad tuendam fidelium contra infideles pacem adhiberi hortatio: ab uno vero Societatis Generali adhibitam esse oportet: hæreticam, ut quæ duas ponat ecclesias, & ecclesiam quidem Societatis altera superiorem. Horrifica dein accedit blasphemia, qua charitati da-

(a) Lib. 1. t. 15. l. 28. Rec. Ind.
(b) Avvertim. del Traduttore, pag. XV.
(c) Reino, P. 1. art. 6. §. 3.

Digitized by Google

datur, ut quos inflammaverit, reliquæ hominum multitudini faciat terribiles.

Echav. Tria imputas Generalis Retz : primum quod Societatem concitet contra fideles. Alterum, quod duas posuerit ecclesias. Tertium, quod existimaverit, terrorem adversariis charitatem incutere. Hoc postremum tibi est blasphemum : secundum hæreticum : primum abnorme. At ubi concitat Retzius Socios contra Christi fideles? Eos munit contra hostes visibiles & invisibiles, cum internos tum externos, dæmonem videlicet, mundum, & carnem, & quotquot a partibus horum sunt. Nec novam ecclesiam Societatem ponit; sed novum in ecclesia cœtum & ordinem, novam in Christi militia cohortem, aut aliter atque si novam confraternitatem, sodalitatemve in urbe condere quis amet. De terrore per charitatem incusso, quæ protulit Retz, & quæ tu refers, discernamus.

Illius sententia est: *Terribilem facit charitas in externos hostes.* Id tu reddis: *Terribilem facit charitas adversus reliquos homines.* Dixeras, paulo ante, minime charitatis esse terrefacere; sed ea mites fieri Christianos & humiles. Itaque blasphemiæ cardo est te judice, quod *terribilis* dici nequeat tranquilla charitas, nisi per contumeliam, quæ dum in sacris versamur, blasphemia est. At Deus est charitas (*a*), & est terribilis (*b*). Et timendum *ab ira Agni*, qui mitis est. Nec est contumeliosum Deo, nec blasphemum, quod terribilis dicatur. Quodsi charitas suavis, benigna, simul & terribilis esse non posset; non propterea blasphemus, non contumeliosus esset sermo charitatem terribilem appellantis, sed improprius.

Fabulæ primum exigimus actum. Larvas apage Cerite: & quos Reges fingis, non aliud quam Patres esse conveneris.

(a) 1. Joan. 8.

(b) Deuter. 10., Psalm. 75. & 110.

APPENDIX

De Edicto Vicarii Sanctafidensis.

Ib. AD aditi Vicarium Foraneum Sanctæfidei, ut libros quos ait a Curiis Romana, Matritensi, Lisbonensi productos discerpat, quixoticum ausum est.

Echav. Vicarius non ait, libros a Curiis esse publicatos, sed in Curiis. Non quidquid in Curia, vulgatur a Curia. Idque patet in subjecta materia, nam liber de quo in Edicto sermo est, quidquid de Lisbonensi sit, a Matritensi certe & Romana Curia non prodiit. Sed neque libros discerpere nec proscribere contendit Sanctafidensis; Regem tantummodo & Tribunalia edocet de contentis in uno vitiis.

Ib. Punctum. I. Num constet Episcopos Guaraniorum oppida visitasse omni tempore? Non omni tempore fit, quod sesqui sæculo fit tantum sexies.

Echav. Si Episcopis non sæpius adeundi voluntas fuit, iter & visitatio facta sunt omni quo placuit tempore: sive nullo tempore visitaturis iter intercluſum fuit. Qui sensus interrogationis & testimonii in cujuslibet mentem non motam ultro cadit. Eadem est duorum testium sententia, Episcopos affirmantium semper esse profectos. Reliqui id unum testati sunt, Episcopos visitasse, quorum aliquos Sanctafide transeuntes ad Missionum loca ipsi testes viderant. Quamvis rarior fuisset aditio sat erat ad refellendum qui affirmaverat, omnes Episcopos Patrum artibus accessu esse prohibitos.

Ad 2. quæstionis punctum ais: Si Prætor Zavala Missiones ingressus est, erat affectissimus. Si centurio Cors usum armorum per annum totum docuit Indos, contra Hispanos Paraguajenses scilicet rebelles id egit. Tres mercatores ibi nominati admissi sunt, ut posset a Patribus affirmari, non omnes aditu prohiberi. Duces vero prætorianæ cohortis Zavalam omnes sequebantur, ut acie, sic affectu. Sic mendacio & culpa liberas affirmantem omnes Prætores & omnes Hispanos aditu interdictos.

Paraguajenses Hispanos, (ais ad Punctum 3.), Villaricanos & Correntinos Guaranici sermonis non ignaros, præcepto nullum admittendi latere oportebat quid in oppidis ageretur. At præceptum, quod tu ipse notum fecisti, & habuisti præ manibus, oppida excipit inferiora, quæ Paraguai viciniora sunt: quo frequentes accedebant Hispani Paraguajenses, Villaricani, & Correntini.

Ad 4. fateris, Indorum legatos identidem mitti Bonas Auras, ut obsequium & obedientiam novis Prætoribus præstent. Id tamen eos ignorare quod ad præstandam obedientiam eant iter bis centum leucarum, repedantesque pariter ignorare quid egerint. Par est illud (ad 6.): De violato per Indos quinto, sexto, septimo præcepto Decalogi, testis est exercitus ab anno 1756. ad 1761. Verum eo tempore gesta noli Patribus imputare, cum Indi solutis ordinibus castra sequebantur, vel castrorum lixas agebant & calones. Abs lege multa patrata sint, ex quibus illud constat, haud temere socios de Indorum cum non Indis consuetudine fuisse solicitos.

Digitized by Google

PARS SECUNDA.

REGNI PARAGUAICI EPIPHANIA.

Art. I. Fœdus Limitum Socios habet infestos.

Ib. IN comitiis provincialibus anni 1750. omnium nemine dempto Sociorum sententia regium Fœdus injustum & noxium judicatum est. Post comitia absente Provinciali per provinciæ consultores ad Curiam Platensem facta est de fœderis injustitia relatio. Ita Thadæus Enis in Ephemeride. §. 56.

Echav. In comitiis provincialibus anni 1750. nihil de Fœdere judicatum est, nec judicari potuit de Fœdere, quod Matriti eodem anno transactum, nondum Paraguajensibus innotuerat. Anno 1748. cum P. Oros, qui comitiis intererat, esset Ulyssipone, audiit consilia quædam verti de permutationibus: quod usque adeo confusim auditum biennio antequam Fœdus ederetur, satis esse non potuit nec ad judicandum nec ad deliberandum. De Thadæo Enis loco citato somnias an mentiris? En ut loquitur: *E concilio aulico, nuper ut dictum* (§ 44.), *coacto decretum ac declarationem Theologorum maxime emanasse ferebatur, Indos bello nequaquam ad cedendas terras cogi posse.* Numero autem 44 ad quem legentem remittit, hæc habet: *Ab Europa per Limam nuntiabatur,* (Regem) *in consilium coire jussisse proceres, universitates etiam in consilium advocasse, edicerent ac examinarent illi quidem, an Indi Guaranii, qui sine armis, proprioque motu, sola prædicatione Regi se subjecissent, suasque terras protectioni ejus rendidissent* (sic habere tu ipse testis es, vel testis esse diceris) *bi vero an sic etiam libere subjecti terris suis licite possent spoliari, & alia aliqua. Nondum consiliorum sententia innotuit, sperabatur tamen, justitiam causæ in sententiam justam judices coacturam.* Ubi Thadæus nihil habet de Fœderis injustitia. Nec id tibi usque adeo certum esse videtur, cum Patres impetis hoc duplici cornu: Aut Patres Fœdus injustum esse credunt, aut non? Cum Patres tot sint, neque una esse possit omnium sententia, responderint alii, se judices esse nolle. Alii forte respondebunt justum esse, neque scio exceptum ab ullo articulum XVI. partemve articuli. Barreda certe Provincialis in *Repræsentatione*, quam tu mutilatam exhibes, neutrum affirmat, sed Missionarios religione & conscientia obligatos existimare se, ad hortandum & juvandum Indos, ut obtemperent, & cedant. In responsione ad literas P. Ravago, quas tu *infamias*, *injustitias* calumniaris, ille vocat tantum *pericula*, *incommoda*. Haud ægre dabo, iniqua esse appellata facta quædam præter sententiam Fœderis in exequendo commissa.

Ib. Præpositus Generalis Barredæ Provinciali mandata dedit, ut ad Missionum loca profectus, Indorum transmigrationem urgeret, aut pro se mitteret alium. Ille vero nec eo profectus est, nec alium pro se misit: nec dubium quin Præposito Generali colludente.

Echav. Proh dedecus dissimulantis quod non latebat! Dum Barreda Lima profectus Cordubam attigit in Tucumania, Bonas Auras tenuit navis cum Regiis Commissariis, per quos novas Præpositi literas accepit Barreda, & nova mandata; mitti ex Hispania regio nutu Ludovicum-Lope Altamirano, ut Societatis operam Indorum transmigrationi, & Fœderis executioni conferret, cui & ipse & provincia obtemperaret. Mandatum primum his expiravit, nulla Barredæ culpa, nulla Præpositi Generalis collusione. Sed etiam est falsum, non alium pro se misisse; nam quo brevi tempore mandatum primum obtinebat, vices suas Bernardo Nusdorfero commisit, donec ipse ad loca perveniret.

Barredæ deinde sententiam de modo in exequutione Fœderis tenendo exquisivit Valdelirius, cui respondit, pedetentim procedendum; moram arduitati negotii parem Regi non displicituram; consuleret N. N. N. qui Paraguriæ Exprætores, consilio prælucere poterant. Hi tres consulendi, qui Paraguariæ præfuerant, quorum tu nomina supprimis, & eo tempore Bonis Auris erant, sunt proculdubio D. Raphael de la Moneda, D. Martinus Echauri, D. Marcus Larrazabal, de quibus dum nomina taces, ais cæca esse Sociorum mancipia (*a*). De primo scribis alibi (*b*), virum esse veracissimum, a quo veritas exquirenda sit. Id erat Barredæ votum; sed homo de reliquo nunquam non veracissimus, & summa dignus fide, cæcum mancipium Sociorum sit oportet, quorum sententiæ faveat.

Art. II. Factis Fœderi obstrepunt Socii.

Ib. Vigesima secunda Septembris tonare cœpit P. Altamiranus, ut Septempopulania vacuaretur. Præfectus Missionum rebellavit, Cardiel parere noluit, Altamirano ipsi faciendum inde fuit, finitoribus a Sancta Thecla retrocedendum. Armorum cistam expedit Ballester Missionum procurator.

Echav. Documentis Sociorum agere pollicitus, apocryphas laici coadjutoris literas objicis, quibus nihil de Præfecti Missionum rebellione continetur; sed tantummodo Altamiranum de modo tot præceptis & excommunicationibus ponendo interpellasse; non præcipitandum, quandoquidem Regis erat mandatum, ut Indis commodum tempus daretur ad emigrandum (*c*). Id ipsum excusavit Cardiel de cætero ad obediendum paratus. Ut Altamira-

(a) P. 2. a. 1. §. 3. n. 16. pag. 110.
(b) P. 3. a. 1. §. 6. n. 38. pag. 213.
(c) P. 2. art. 1. §. 3. n. 17. pag. 110.

Digitized by Google

rani, & Finitorum regreſſum Sociorum artibus imputaveris, neque laici literæ documento ſunt. Teſtatum ais ab Anglo quodam navicularío, expeditam armorum ciſtam a Balleſter Miſſionum procuratore per Raphaelem de Corduba, dum comes Altamirani ad Miſſionum loca venit. At illud compertum eſt, Balleſterem nondum Bonas Auras veniſſe procuratorem, cum Corduba & Altamiranus profecti ſunt; ſed eodem tempore quo adverſum hi ſubibant Uruguaim, ſecundo ille deſcendebat. Nec ſi arma delata eſſent, confectum eſt illico ad tuendas rebellium partes fuiſſe delata; dum oppida tria ſupra viginti in data fide perſeverabant, nec omnes de Septempopulania rebellaverant.

Ib. Quis fuit author præcipitantiæ, qua Indi aſperati ſunt?

Echav. Certum eſt, Regis Catholici Miniſtris ſatisfactum fuiſſe principio, ſi tranſmigratio triennio perficeretur; ſed a Luſitanis timor, vel amor fecit, ut etiam illi ante utriuſque nationis congreſſum feſtinandi reciperent ſyſtema, eo tantum diſcrimine, quod Valdelirios in generatione ſua prudentior Altamirano, a determinando tempore abſtinuerit ſe, indicere contentus, ne pietatis obtentu, aut minus prudente zelo vituperabilis mora necteretur: qua ratione ſibi contra quemcumque rei eventum proſpexit. Altamiranus inconſulto ſex menſes ad ea conſtituit, quibus vix ſex ſuffeciſſent anni: & de ſemente illius anni curam abjici obſirmavit, proindeque de anni ſequentis annona. Profectus vero ad Miſſiones machinam eo furore movere cœpit, ut nec a Diabolo, quod ajebat, negligentiæ accuſari poſſet; imprudentiæ accuſationem non timuit. Præceptis accumulare præcepta, excommunicationes interminari, ad Dei tribunal diem dicere, nuntios & curſores reciprocare, veredarios a Sancti Thomæ, ubi confederat, circumquaque mittere. Quorum ſicut rumor latere non potuit, ita nec cauſa authorque rumoris, ſub cujus adventum incœperet. Hinc periculum & formido, qua una ſolum mutare repedando coactus eſt.

Art. III. Armata manu obſiſtunt.

Ib. Indictum tandem eſt bellum, Alphonſo Fernandez Sociorum viſitatore clamante eſſe neceſſarium; eſſe impoſſibile, jure videlicet, reclamante Barreda.

Echav. Quid eſt quod totus ſiles de parochiarum, & Septempopulaniæ curæ abdicatione, ante bellum a Sociis rite facta vel intentata, & quater ut minimum in documentis, quorum de reliquo verba tranſcribis, memorata? Nonne ut quæ deinceps geſta ſunt, invitis obtrudas? Vel Socii belli authores & fax crediti ſunt, aut non. Si ſecundum, unde tanta contentio ut authores toto orbe redantur? Si primum, cur volentes loco & tempore amoveri, amoti non ſunt? Cur abdicantes non ſunt auditi.

Ib. Thadæus Enis ex concionatore quadrageſimali factus eſt belli dux, ut ipſe teſtatur Ephemeridum Belli Guaranici num. 13.

Echav. Lego numerum 13. & tu legiſti hæc tantum: *Ne forte ſpirituali deſtituerentur medico, eum qui ſub idem tempus quadrageſimali ibidem functus eſt Miſſione, in ſpiritualia evocant auxilia. Conſenſit his æquiſſimis poſtulatis, moxque ac ſuum tenuit populum, itineri ſe accinxit.* Concionatorem quadrageſimalem, medicum ſpiritualem, in ſpiritualia auxilia vocatum hic lego; exercitus ductorem ſe ipſum fatentem, ubi legiſti? Scio Ephemeridum editores Thadæum numero 7. inducere loquentem: *Unus me ductorem exercitus convenit.* Sed tu ipſe hic (*a*) operis tui & thadæani Editorum, quicunque ſint illi, mendacium refellis vero Ephemeridum expreſſo textu: *Unus me ductor exercitus convenit.* Facite ut inter vos conveniat.

Ib. Dormientibus parochis unus eorum machinam movere cœpit, copias cogendas. Ephemeridum num. 80.

Echav. Verba Thadæi ſunt: *Dum totus apparatus ſiſtere videtur in conſiliis . . . dormitaturque a curionibus, rem perurgere cœpit unus aliquis.* Non habet *unus eorum, ſed unus aliquis.* Unde noſti, hunc eſſe unum curionum, ſeu parochorum? Credis eſſe Thadæum. At Thadæus non erat curio. Quid ni ſit Joſephus Tiaraju, Michaelitanus ſignifer, quem alibi laudas? Dubito, an curiones intelligat hic Thadæus indicarum tribuum vel curiarum capita, an parochos. Hos indicaverit, ut dormitantes inducat, quos alias appellat *paſtores, cuſtodes animarum, medicos ſpirituales.* Illud eſt certum, hos quos ſomnolentos incuſat, non eos eſſe, quorum totus in conſiliis erat apparatus: nec qui de cogendis copiis machinam movere cœpit, fuiſſe quempiam de dormientibus, niſi machina ſomniata ſit. Poteſtque tò *eorum* tuto *ductorem* de quo nuper, adjungi.

Ib. Thadæus ad milites ſermonem habuit: in concordiam revocentur. Num. 14. Ephem. iterumque num. 20. 21.

Echav. Thadæus ibi narrat orationem ab alio habitam, non a ſe. Patet, nam orator ad perſuadendum copiis, ut diem expectarent unum, allegavit ſe in eodem loco ad Guacaçaim expectaſſe geminos menſes: idque peroravit die altero Paſchæ. At Thadæus non tandiu expectaverat, quandoquidem longe alibi, in oppido videlicet S. Aloiſii multis itineribus diſtante, quadrageſimales conciones habuerat, ut tu ipſe tradis ex vero. Et poſt conciones apud ſe diverterat in S. Laurentii, vel S. Joannis oppidum æque diſtans. Numero deinde 31. qui prius de tertia perſona loquutus erat, loquitur in prima: *Cum amnis litora diſpexiſſemus.* At amnis litora a medico ſpirituali diſpici, nihil prohibet: nec ex eo vel oratorem ca-

(a) Reino. Part. 2. art. 3. §. 2. num. 63. pag. 152. Edit. Matritenſ. 1770.

Digitized by Google

caſtrenſem, vel exercitus imperatorem eſſe conſeceris. Tu ipſe narras, Indos late peroraſſe ad Caibatem. Quin etiam ipſi ad Guacacaïm peroraverint? Thadæani conſilii conſciam Jeſuiticam Candelariæ curiam judicas ex his verbis Ephemeridum: *E Joannæo oppido curiæ allapſa litera ſuadens*. Sed curiæ literæ e Joannæo oppido non ſunt literæ a Candelaria, ſed ab oppidano conſilio S. Joannis, hiſpanice *del Cabildo, o concexo de S. Juan*: idque novit alter tu, Ephemeridum interpres, verſione Regno tuo adjuncta, & tibi attributa a te ipſo. Quod non tollit, quin alter tui ſimilis in hac Joannæi oppidi Curia Supremam quandam Cameram Imperialem ſibi conſinxerit cum addito: *Quis crederet?*

Ib. Bella inferunt Socii, non tantum Regi, ſed Deo, ſed Eccleſiæ, ſed Religioni, ſed Fidei, ſed Sacramentis, ac cenſeri debent hæretici, & ſacramentorum contemptores. Literis a P. Commiſſario datis 12. Junii 1753. poſt acceptas a Diœceſano vices, omni juriſdictione ſpirituali privati ſunt, ceſſatura a die Auguſti 15. in ſeptem videlicet rebellantibus pagis, in quibus nihilominus munus parochiale proſecuti ſunt. Ecquid hoc eſt niſi religionem Chriſtianam contemni?

Echav. Quid ſi antequam terminus expiraret, ſuſpenſio ſuſpenſa fuit? Ita enim vero res habet: Cognita difficultate rei, cum a Diœceſano, qui nullum parochis miniſtrum ſubrogabat, tum ab Indis qui viam evadendi omnes inſederant, & a Commiſſario ipſo, cui exhibita ſunt de exitus impoſſibilitate juramenta, a denuntiata muneris ceſſatione ceſſatum eſt; ne tot animarum millia, in quibus tot erant inſontes, ope deſtituerentur ſpirituali. Idque univerſim eſſe approbatum eo ſatis conſtat, quod nec Diœceſanus, nec Delegatus, nec Vicepatronus, nec alius a te ſequentibus rerum novarum annis, quenquam de parochiarum vacatione interpellaverit.

Ib. Exactis Thadæanis ſchedis, non ultra 13. Maii 1756. productis, nulla mihi de reliquo documenta ſuppetunt; his tamen non egeo ad imponendam Regno meo coronidem. Contra Valdelirium jacula omnia a Prætoribus cum Hiſpano, tum Luſitano converſa ſunt, a Sociis cucullata Thadæi ſui mappis geographicis: ac eo tandem deſitura, ut Fœdus de regendis finibus abrogaretur ad excuſandos ſumptus immodicos, videlicet jam factos. Art. IV. Contra regium Fœdus fœderati.

Echav. Deſine mappam Thadæanam mordere, quam etiam Valdelirius innoxiam judicavit, nec Thadæi propriam in rei ſumma, nedum Sociorum: quinimo Hiſpanæ rei proficua certo eſt. Literis ad Gomezium datis in S. Nicolai 9. April. 1758. poſt alia ſequitur Valdelirius: *Ibicui* nomen datum flumini, quod a Montegrandi delabitur (id geographicum erat Thadæi peccatum) novum haud eſt. Non aliter Indi appellabant, dum exercitus Sancta Thecla profecti ſunt: idque nominis adhibitum Bonis Auris vidi in aliquot itinerariis ducum Toropim amnem trangreſſorum, quem etiam cum aquarum influentium ramis deſcribunt.

An Thadæus vel Sociorum alius ſcripto, commiſſo vel omiſione Indorum rebellantium ſecundaverit motus, ignoro. Nemo in hominibus eſt non pronus ad errorem & lapſum; niſi tamen alia ſint documenta innoxii ſunt omnes. Nihil facilius quam rebellaſſe linguis, calamo, factis, & armis increpare; œſtro rebellionis actos Altamiranum ſui Præpoſiti legatum exegiſſe; curſum intercepiſſe Finitorum; prælio decertaſſe; viſos tribus exercitibus, cum ſine toga, tum togatos. Cum tamen medicus ſpiritualis contra fidem vel ipſius documenti, quo niteris Bernarde, in ductorem exercitus transformatur, præſtigiarum opus incipit eſſe tuum. Finis ſecundæ partis.

PARS

Digitized by Google

PARS TERTIA.

COMMODA EXCANTATI REGNI.

Art. I. Quid de Guaraniis agendum.

Ib. FAceſſere jubeantur Socii a ſuis Miſſionibus, ſimul atque parochi novi in procinctu, & Prætor Regius ſint. Ex Indis qui ſuperabundaverint coloniæ deducantur in deſerta inter Hiſpanorum, Indorumque terras media. Sic conſtituta regio, nonne decies centena taurinarum pellium millia in ſingulos tulerit annos? En igitur Bonis Auris tricies centena aureorum millia, Gadibus ſexagies.

Echav. Ad Socios quod attinet jam voti compos factus es: novique parochi, & novi rerum temporalium adminiſtratores conſtituti. Commoda vero tua quo devenerint, liquet ſatis ex literis Bonis Auris datis 23. Martii 1774. tenoris qui ſequitur: Anno 1767. exacti ſunt ex Hiſpaniæ regnis Regulares Societatis, & anno proxime ſequente parochi Miſſionum doctrinarii. Principio invaluit undique apud Hiſpanos fama de Indorum ſub tyrannis Patribus ſervitute, de qua etiam Indis perſuaſum eſt, facta miſeris ſummæ in poſterum felicitatis ſpe; ſuorum fructum laborum comeſturos ipſos, non ſervituros Patrum opulentiæ; mancipiorum ſorti obnoxios non fore deinceps. Opulentiſſimas abdi fodinas per Miſſionum loca diffamatum, & creditum ſic eſt, ut Bonaerenſes multi ad illarum cultum magnam vim æris ineſcati contulerint, eo lucro ut brevi reſiperent, ſeque in poſterum difficiliores præberent expulſorum odio mentientibus. -- Curatoribus Sociis continuo ſubrogati ſunt Dominicani, Franciſcani, & Mercedarii, qui ſpiritualia tantum curarent, adjunctis ad temporalia ſæcularibus adminiſtris ad populorum conſervationem. His ita conſtitutis, & Bonis Auris nominato Procuratore Generali, non nihil ſpei lætæ factum eſt; etſi ſolertiſſimus quiſque non diu perennaturam vaticinabatur: quod & tempus haud ſane longum confirmavit, & jam præſens calamitas & ruina populorum. Inter parochos & temporalium adminiſtratores ingruit diſcordia, eo intentos ut alter alterum accuſaret, alter ſuis partibus non contentus alterius vindicaret officium, ſuum negligeret: hinc perpetuæ parochorum adminiſtratorumque ab oppido in oppidum translationes, & reciprocæ conſuetudinis ad commercium & communes uſus difficultas; in Indis vero indocilitas, inertia, contumacia. -- His in oblivionem abiit priſtina œconomia, Indis pro cujuſque libidine ad diſſipandam popularem ſubſtantiam conſpirantibus. Quod malum prima omnium experta eſt Candelaria Miſſionum caput. Hinc ubi ſedem collocaverat D. Franciſcus de Zavala oppidorum Gubernator, inopia coactus Itapuam ſe trans Paranam tulit. Itapuam mox eadem cauſa cum Conceptione mutavit. Hic ſedet in præſentia non diu permanſurus; nam oppida extrema rerum penuria laborant: quo infelices incolæ inedia & nuditate compulſi turmatim elabuntur, alii in Paraguariæ, alii in Fluminis Argentei fines: frequentiſſimi ſilvas repetunt majorum ſuorum vivaria, originis ſuæ genio victuri. Templa non refarcienda, & oppidorum ædes collabuntur, ut de priore amplitudine unum ſit reliquum ruderum amphitheatrum. Exemplo ſit, ne caſus exaggerare videar, quod ad Bonaurenſem Prætorem reſpondit hic Generalis Miſſionum Procurator D. Joannes Angelus de Lazcano, eam eſſe doctrinarum undecim inopiam, ut etiam ſufficiendæ curatori ſynodo impares ſint. Quare & curatores parochi populos, Indoſque derelinquunt, abjecta cura, ut videlicet ſibi, ſuiſque neceſſitatibus proſpiciant. Id calamitatum Luſitanis occaſio fuit, tria trans Flumen Pardum Indorum oppida excitandi, partim ex circumvagantibus transfugis; partim ex aliis, qui eorundem Luſitanorum munuſculis ſeu decipulis conciliati ſunt. Hæc oppidorum trias armentis abundant, quæ de Miſſionum paſcuis abacta ſunt...

Hæc in præſens. In poſterum cumulate reparanda prudentiſſimis Regis Catholici conſiliis, ſpes mihi & votum eſt.

Art. II. Quid agendum de Collegiis.

Ib. Inſtar hederæ Societas eſt. Quid ergo? comburenda-ne? Abſit: ne domus ardeat. Abſcindenda bifida radix: potentia, & opulentia. Collegiorum Bonaurenſis & Cordubenſis prædiis, & latifundiis fiſco addictis, acquiri & coli poteſt quidquid Matogroſſum inter, & Cæſarum Imperium, inter Potoſium & Paraguai aurifodinas interjacet. Quot inde claſſes Americanis opibus onuſtæ proram ad Hiſpaniam converterint! *Meonam* tantum herbam inter Montevideum & Maldonatum nativam referant hæ claſſes. Quot apud Hiſpanos bona: & per totam mundi ſenioris machinam!

Echav. Jam de prædiis voti etiam compos factus es: ex eoque tempus elapſum voto majus. De converſione Chaqui ais: *Palam fiet a Sociis infectam ſeſquiſæculo, ſeſquianno eſſe factam.* Jam ſeſquiannus effluxit. Ecquid eſt de converſione Chaqui? Dum Hiſtoricum Chiquitorum caſtigas, miror & rideo, a Chiquitis nunquam non diſtantem nongentarum ut minimum leucarum ſpatio, & ab illius linguæ ſtudio remotiorem, magiſtrum agere de ſermonis illius anfractibus & anomaliis. Dum ille conſilium approbat prædicandi infidelibus procul a pravis veterum Chriſtianorum exemplis, quibus fructus deſtruitur prædicationis, ſup-

Digitized by Google

ponis hunc fructum, ut per Socios fit, esse malum intolerabile, addisque numero 57.: *Qualitercunque malum hoc intolerabile destruas, laude dignus es.* Id est, ponendum in laude, quod malum malis etiam exemplis auferatur. Hanc certe doctrinam apud Socios non comparasti, neque primo coctus, neque recoctus...

LXVI.

Ephemeridum de Bello Guaranico excerpta,

Cum interpretatione vulgata.

Num. 4... Sed & vocatus ivi e conterminis terris aliorum populorum pastoribus in suppetias, tempore etiam opportuno illic translatum habere illum ex populis contra Hispanos tendentem exercitum, atque adeo unanimiter omnes inimicos invadendi stare in procinctu.

Ibañez autor del Reino encantado traduxo en español el Diario de Tadeo Enis, como el mismo lo confiesa (*a*): „ Ya en obra separada (dice) traduze, anoté, è ilustré esta del P. Enis. Aunque no lo dixera se pudiera barruntar por la ligereza con que trastorna y falsifica el texto; aunque para esto pudo tener aiudante de estudio. En una nota sobre el numero 59. del Diario dice sobre la palabra Pastorum: Los pastores son los Jesuitas," Curas ò Parrocos de los pueblos. Y tiene razon hablando del tiempo en que escribia. Ahora en este numero 4. traduce por *pastores* los Indios estancieros. *Haviendo yo* (dice) *sido llamado, marché ò partì al socorro con los estancieros de los de las* (assi dice) *circunvecinas tierras de los otros pueblos, y tambien* (translatum habere) *para tenere transferido à tiempo à aquel lugar el exercito, que havia salido de los pueblos contra los Españoles, y assi estar apercibidos para invadir unanimemente à todos los enemigos.*

Durante el tiempo del precepto pascual, que para los Indios corre hasta la octava del Corpus desde la Septuagesima, solian algunos Padres discurrir por las estancias y capillas mas distantes. Para esto fue llamado Enis de los Curas de otros pueblos (*suple* diciendole), que tambien tenia por aquella parte toda la gente de guerra. Este es el sentido natural: y no es delito de rebellion el haverlo puesto un Aleman en su latin.

Num. 6. Veteraque refricabant suspiciones, nempe hoc itinere paucis abhinc annis Lusitanum quempiam, quem licet germani pastores scirent, jam tunc exploratorem suspicabantur.

El P. Tadeo no hablaba en latin tan mal que dixesse *veteras*. Ni tampoco diria *germani pastores*, sino *germanum pastoris*. La ignorancia aunque innocente del traductor no es bastante motivo para poner una cosa por otra en el texto, que sabiendo lo que pasó, no tiene dificultad. Ibañez, que no lo sabia, traduce *germani pastores* los estancieros compatriotas. Y debia traducir *germanum pastoris* el hermano del Cura.

Num. 7. Huic dum se expeditioni accingunt, Dominica Septugesimæ (erat mane primo) unus me exercitus ductorem convenerat, atque in exercitus curatorem, spiritualemque medicum secum ire postulat. Excusavi hoc oneris ob notas, quas nobis impingere consueverunt (nuper jam propria experientia doctus) calumnias Hispani Lusitanique. At si fors unusquisque de exercitu graviori decumberet in itinere morbo, aut prosterneretur vulnere, advolaturum me illico si vocent, ad expiationem promisi, certam habens ac summam Christi vicariam potestatem. Hanc in se agnoscere, ne a sacramentis ac salvatione, vel una anima sine culpa proportionata privetur. Consensere duces, expeditionemque maturabant, vinculis se internis peccatorum exolventes.

La palabra *ductorem* es una falsificacion desaforada, igualmente vergonzosa que desvergonzada. Y si es Ibañez el autor, à la falta de verguenza añadio la falta de memoria; porque el es el que trasladando al pie de la letra este lugar del Diario en otra parte (*b*) pone *ductor* y no *ductorem*. Sino es que remordiendole la conciencia, quisiese dar satisfaccion de tamaña infamia; siendo assi que esta Obra de la Traduccion es anterior à la del *Reino Jesuitico*. Sin esto es evidente la supercheria; porque si el autor del Diario se confiesa Capitan, no se havia de excusar de ir con el exercito. Loque se refiere en este numero sucedio el dia 10. de Febrero dia de la Septuagesima: y sobre el numero 4. al dia 8. del mismo mes hace decir el traductor à Tadeo, *Marché al socorro*. De manera que dos dias despues de haver partido, se escuso de partir.

El autor de la *Causa Jesuitica* pone por nota de este lugar: *Del numero 38. del Diario consta, que fue luego à esta expedicion.* Esto no es verdad; porque la expedicion à que se disponian los Indios el dia de la Septuagesima 10. de Febrero, à la qual un capitan

(a) Reino Jes. Part. 2. pag. 151.
(b) Reino Jes. Part. 2. art. 3. §. 2. num. 63. pag. 152. Ed. Matr. 1770.

Digitized by Google

pitan pidio que fueſe Tadeo de capellan, y à la qual ſe excuſo de ir, es la primera que los Indios emprendieron contra la empalizada del Rio Pardo. Atacaronla à 23. de Febrero, y la noticia del decalabro, que padecieron los Indios, llegò à las Miſſiones el dia 3. de Marzo, como ſe refiere en el num. 10. del Diario puesto por el Cauſiſta en ſu Nota II. En eſta primera expedicion no ſe halló Tadeo, ni ſe pudo hallar, porque tenia que hacer en el Pueblo de S. Luis la miſſion de Quareſma, que comenzo aquel año à 27. de Febrero, y eſtaria ya mui avanzada, quando la miſſion ſe acabó.

En la ſegunda expedicion repetida para atacar al miſmo fuerte, ò empalizada, ſe halló Tadeo de capellan, pero no ſe halló en el ataque, haviendo ſe quedado con el hoſpital de los enfermos del otro lado del rio. Eſte ataque ſe dio en vago à 29. de Abril, ſabido en las Miſſiones à 8. de Maio, como conſta del numero miſmo que ſe cita 38. y del numero 35. puesto en la Cauſa Jeſuitica en la III. Nota. Hallóſe en la ſegunda expedicion, porque haviendo perecido tantos en la primera ſin aſiſtencia de ſacerdote, debio temer que podia ſuceder otro tanto en la ſegunda: y ſe tuvo por obligado en conciencia à no dexar abandonadas aquellas almas en el ultimo rieſgo y neceſidad. Havia prometido el Padre excuſandoſe de ir en la primera jornada, que ſi alguno enfermaba ò quedaba herido gravemente, iria volando à confeſarle al primer aviſo, atropellando reſpetos y calumnias. Por el ſucceſo de la primera jornada conocio, ſer un extravio eſperar para caſos repentinos aviſo de cien leguas. Y pidiendole los Indios de la ſegunda jornada, como los de la primera, que fueſe con ellos, no ſe negó, juzgando que debia ir, aunque no ſe lo pidieran. En Eſpaña y en todo el mundo Chriſtiano ſe ſabe que los miniſtros de la Igleſia aſiſten à los que van à ſer ajuſticiados, aun quando van impenitentes y rehacios, y entonces ſon mas neceſarios, para lograr aquellos momentos en que la gracia puede y ſuele explicarſe con mas fuerza que quando la muerte ſe mira de lexos. Y ſeria coſa eſtraña que en eſto ſe halláſe culpa.

Num. 9. Famæ mendacium cum tempore abolebatur.

En el num. 5. havia llamado el Diariſta *rumor plane verus* lo miſmo que aqui dice ſer mentira de la fama. Donde ſe vê, que en eſte Diario ſe cuenta lo que ſe creio ſin certidumbre de la verdad.

Num. 10. *Luſitanorum caſtra ſudibus jam munita*, ſon los reales defendidos con empalizada: no ſon alcazares ò *Fuertes*, como vierte el traductor.

Num. 12. *Luſitanos conſedere*, como *Perterriti arripuiſſe*. Del num. 8. vale tanto como el *Veteras* del num. 6.

Num. 13. *Periclitavere*; *debilitati*, & *fatigis*; *operam datum*. No ſê à quien atribuir tanto ierro, ſi al autor, ò al editor del Diario. Es cierto, que el autor hablaba familiarmente en mexor latin: y ſu diccion era mas pura que lo que agui ſe nos vende por eſcrito ſuio y obra ſuia. Trasladamos los ierros como los encontramos en la edicion de Madrid, que acompaña al *Reino Jeſuitico*; pero ſolo trasladamos algunos, paraque ſe vea la maeſtria del traductor que paſa por todo lo de eſte genero, ò la fidelidad del que publica como original el Diario. En eſte numero ſe traduce *jam dudum* por *ſin duda*.

Num. 14. *Curiæ literæ* traduce Ibañez ajuſtadamente una *carta del Cabildo*: lo que el actor de la Cauſa Jeſuitica penſó ſer una Chancilleria, o Audiencia levantada por los Jeſuitas en S. Juan, ſin decirnos que caſta de pleitos ſe reñia en eſtos tribunales.

Num. 16. *Secundo Urugario*, que es *rio abaxo*, ſe traduce eſtando bonancible.

Ibid. *Ablegatio perfudit gaudio utramque Curiam*. Una embaxada; que celebró una y otra tribu, la de los caciques, y la plebe, en que eſtaba dividido el Japeiu. El anotador de la Cauſa Jeſuitica vuelve à ſaltar con el eſparavan de ſus dos Cortes ò Chancilleras, poniendo un par de ellas dentro de un miſmo pueblo. Ibañez dice, que la embaxada llenò de gozo una y otra Curia ò *Concexo*, donde ſolo havia un Concexo dividido en bandos. En el miſmo numero hallará la explicacion el que la buſcáre.

Num. 21. *Orator* ſe interpreta el predicador, que aquella Quareſma predicó la Miſſion en S. Luis. Pero el orador que harengoa la tropa, dixo à todos en la miſma harenga, que el havia eſtado eſperando en aquel lugar (fueſe la ribera del Guacacai ò del Igai, uno y otro muchos dias de camino diſtante de S. Luis) dos meſes, que eſperaſen ellos ſiquiera un dia la demas tropa que ya llegaba. Eſto fue el dia ſegundo de paſcua: conque no pudo ſer el que predicó la Quareſma en S. Luis; porque los dos meſes que ſe cumplen el ſegundo dia de Paſcua, tuvieron principio viernes ò Sabado de la Septuageſima. Pues ſi el orador no fue Tadeo, quien fue? Pudo ſer Tiaraiú, y otros muchos, mas veriſimil es, que fueſe el capitan de los Juanis, de quien reza el numero antecedente, ò fue alguno de los que vinieron en la primera expedicion, y ſe quedó alli eſperando la ſegunda. Y ſi el Diariſta tuvo parte en la harenga, es la que tienen los Hiſtoriadores en variar la narracion con razonamientos à placer.

Num. 34. *Infirmis cum animarum ſuarum cuſtode retrorſum relictis*. Velahi como no ſe halló el Jeſuita en el ataque del Rio Pardo, quedandoſe con el oſpital de la otra parte del Rio: y como no tuvo en la expedicion otra parte que la prometida en el num. 7. de medico eſpiritual, de guardian de las almas, y enfermero de los cuerpos.

Num.

Digitized by Google

Num. 35. *Lunæ poſtero*, el dia ſiguiente que era Lunes, ſe traduce *al ponerſe la luna*. -- *Eminus, de lexos, ſe vierte deſde lo alto*.

Num. 36. Huiendo al capitan Chepé ò Joſeph Tiaraiu de doce Portugueſes que le rodeaban à caballo, tirò hazia la ſelva, que bordeaba el rio, mirandole aſombrados los de à caballo ſin oſar ſeguirle, porque à la miſmas balas que todos doce diſpararon, parecia vencer en la velocidad. Ibañez traduce aſi eſte paſo: *Porque aun las balas de los doce fuſiles con ſus llamas parecia, que en vano ſeguian, à los paxaros*. Eſtrañiſſimo deſpropoſito! De Ibañez dice ſu interprete Italiano, que era Philoſopho, Poeta, Matematico, Canoniſta, Theologo conſumado. Es cierto que de todas eſtas facultades tenia menos que de latinidad.

Num. 39. *E Hiſpanorum urbibus nova mendacia expediuntur. Advenerat 15. Febr. navis Aurora nuntians* . . . No ha baſtado, que el Diariſta refirieſe las noticias de eſte numero como llevadas de la Aurora, paraque no ſe le imputen à el. Ni baſtó que las llamáſe mentiras, paraque en la Obra del *Reino* y de la *de la Cauſa Jeſuitica*, no ſe le culpe de haverlas contado como verdades. -- *Rerum diſcrimine cogi ad manifeſtationem* ſe coſtruie *Obligado à manifeſtar cada coſa de por ſi*. -- *Literæ ad emeritum Miſſionum moderatorem*, *Cartas dirigidas al digno Superior de Miſiones* en vez de decir *Carta dirigida al Superior jubilado*.

Num. 40. *Appulit etiam ſecreta ejuſdem præſidis admonitio* . . . *Ne minis percellantur, nec ſpes intermiſſas concidiſſe*.

En la Aurora fue la noticia, que poco antes havia corrido por Europa, que el tratado eſtaba diſuelto, y reſtituidoſe todo al primier eſtado. Fue falſa la noticia, pero muchos ligeramente la creieron: y de ellos pudo ſer el Provincial, eſcribiendo lo que aqui ſe dice, que no ſe affligieſen los Miſioneros, que aun havia eſperanzas; pero eſto fue ſinque dexaſen entretanto de hacer lo que mandaban los comiſarios. Ni el Provincial en eſte negocio tenia parte haviendo quedado à pie con la venida de Altamirano.

Num. 54. *Nicolaus dux militum qualemcunque licentiam deprecatus eſt*, ſe traduce *pidiendoles en algun modo licentia à los ſoldados*.

Num. 57. *Labore decumano*, *Trabaxo de diez dias*.

